RC
XX-600 pf
pagina pubblica

T. 160361 C. 1203817

COMPENDIUM SALMANTICENSE

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTUM

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS

QUÆSTIONES

BREVI, AC PERSPICUO STYLO COMPLECTENS AD SANIOREM DOCTRINAM, MELIOREMQUE METHODUM PRÆ ANTIQUO CURSU REDACTUM

DUCE ANGELICO PRÆCEPTORE

BULLIS, AC PONTIFICUM DECRETIS PRÆSERTIM novissimis auctum, & illustratum

AUTHORE

R. P. FR. ANTONIO A S. JOSEPH

Olim Lectore, Priore, ac Examinatore Synodali in suo Collegio Burgensi, denique Procuratore Generali in Romana Curia pro Carmelitarum Discalceatorum Hispanica Congregatione.

TOMUS PRIMUS.

EDITIO QUINTA.

Ab eodem Authore novissime correcta, & quibusdam additionibus scitu dignis locupletata.

SUPERIORUM PERMISSU.

POMPELONÆ: APUD BENEDICTUM COSCULLUELA, Typograph. Anno 1791.

COMPENDIUM
SALMANTICENSE

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTUM

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS

QUÆSTIONES

BREVI, AC PERSPICUO STYLO COMPLECTENS AD SANIOREM DOCTRINAM,
MELIOREMQUE METHODUM HUIC ANTEHAC CURSUI EDITUM

Duce Angelico Præceptore

BULLIS, AC PONTIFICUM DECRETIS PRÆSERTIM
novissimis auctum, & illustratum

AUTHORE

R. P. FR. ANTONIO A S. JOSEPH
Olim Lectore, Priore, ac Examinatore Synodali in suo Collegio Burgensi, denique Procuratore Generali in Romana Curia pro Carmelitarum Discalceatorum Provincia Congregatione.

TOMUS PRIMUS.

EDITIO QUINTA.

Ab eodem Auctore novissime correcta, & quibusdam additionibus scitu dignis locupletata.

SUPERIORUM PERMISSU.

PAMPELONÆ: Apud BENEDICTUM COSCULLUELA,
Typograph. Anno 1791.

TYPOGRAPHI

AD LECTOREM.

Compendium Salmanticense, olim a clarissimo Authore concinnatum, jam quarto prodit in lucem in hac præclarissima civitate Pampelonensi, superatis variis obstaculis authoritate, protectione, & benignitate Illmi. ac Rmi. D. D. Stephani Antonii Aguado, & Roxas hujus Diœcesis meritissimi Episcopi, cujus incorrupta mentis moderatio votis Authoris acquiescere non potuit, ut editio hæc in signum gratitudinis Dominationi suæ libentissime dicaretur.

Opus hoc bis Romæ, semel autem Venetiis lucem publicam vidit, sed quamvis fere omnium impleverit desideria, omnium votis sufficere non potuit ob parvum numerum exemplarium: Doctores equidem, Præsules, & Magistri in hoc opere commendabant claritatem, brevitatem, distinctionem, & methodum singularem, omnibus, speciatim tyronibus, maxime opportunam. Laudibus insuper extollebant doctrinam sanam Angelicæ conformem, atque ex fontibus puris sacræ Scripturæ, traditionis, Conciliorum, sanctorumque Patrum deductam, á rigorismi, & laxitatis anfractibus liberam, per

rectumque veritatis tramitem æquo pede gradientem.

Sed ecce studentium universalis clamor, sapientum desideria, repetitæque instantiæ Authoris animum solicitarunt, ut opus hoc a pluribus mendis purgatum, sedulo typis mandaretur, & Deo dante, ita factum est: in eo aliquid ab ipso Authore cum aliis viris doctis mutatum est, quod nunc probabilius, & conformius legibus, ac rectæ rationi visum fuit; hocque præsertim notare debet pius Lector in controversia illa de privilegio pro tempore interdicti in Bulla concesso, quæ matura meditatione, & prolixiori discussione aliter disposita traditur in hac editione: aliquid etiam additum est ab ipsis ad doctrinæ illustrationem, semper præ oculis habentibus, ex una parte illud S. Caroli: *Longe absint a nobis voces illorum, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & capiunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: Populo meus, qui te in tanta malorum colluvione beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*: & ex alia: *Declamatores rigidos, qui alligant in humeros populi Christiani onera importabilia, & nescio, an saltem ipsi digito ea movere velint*; sed præcipua cura illis fuit, nihil prætermittere ex novis decretis, quæ vel a Regia potestate promulgata sunt, ut circa negotiationem frumenti, venationem, ludos, sponsalia, matrimonia, aliaque hujusmodi; vel Ecclesiastica authoritate sancita, ut circa jejunium militarium, Bullam Cœnæ, & Cruciatæ gratiosum diploma, cujus Summarium aliquam variationem in hac nostra tempestate passum est in suppressione illius periodi: *y de los declarados en la Bula in Cœna Domini.*

Et quamvis facilis, levisque erat negotii doctrinas omnes sacræ Scripturæ, Conciliorum, & sanctorum Patrum authoritate fulcire, & ornare, consulto a congerie authoritatum abstinere æquum duxit clarissimus Author, ne nativam claritatem, quæ hujus operis est character, & juvenum instructioni adeo necessaria, auferret. Absdubio præsentem habuit

præ-

præclaram Angelici Præceptoris doctrinam circa hoc punctum stabilitam, in quodl. enim 4. art. 18. inquirit D. Thomás, utrum determinationes theologicæ debeant fieri authoritate, vel ratione? & in corpore art. ita resolvit : *Quædam disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit, & tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, & scire facientibus, quomodo sit verum, quod dicitur ; alioquin, si nudis authoritatibus quæstionem Magister determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiæ, vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet.* Ne ergo vacui abscedant scholastici, moralem doctrinam rationibus optimè roboravit expertissimus Author, scripturam sacram, & traditionem, ut par erat, magnifecit, & in capite suarum decissionum reverenter apposuit, jus canonicum, & civile familiariter salutavit : D. Thomam, a quo illam accepit, sæpe sæpius laudavit, calamum in ejus limpidissimo atramentario placidissime intingendo, in sanctumque Doctorem, tamquam in Magistrum professione, & passione jurejurando : Magnum Bened. XIV, ubi oportuit, non omisit, & denique sacræ Congregationis decissiones breviter recitavit ; quod quidem sufficere ad Compendium, quin amplius desideretur, quidquid alii dicant, judicavit Author moderatissimus.

Duos contrarios errores cum celeberrimo Cano libro 9. de Locis cap. 1. discretissime fugavit Compendiator, unum eorum, qui usque adeo argumentis a ratione se addixerunt, ut sive disputent, seu scribant, scripturam sacram, sanctorumque Patrum libros, ne legisse quidem videantur ; alterum illorum, qui solis sacrarum litterarum testimoniis, aut interdum etiam Scriptorum veterum omnia definiant, ab argumentis naturæ haud aliter abhorrentes, quam si essent theologiæ adversa, vel inimica ; omnes hi cupientes vitare Carybdim, incidunt in Scyllam. Per difficile est (ajebat supra

pra citatus Cano) omnia authoritate definire, periculosumque de re theologica, nudata authoritate, scribere, aut disputare. Theologia namque Regina scientiarum est, & propterea omnium sapientum rapit affectus circumdata varietate. Unum tibi spondere possumus, quod si antea hoc opus tibi non displicebat, nunc quantum fas est humanæ industriæ, correctum, & limitatum gratum erit, & jucundum. VALE.

ADMI-

dmiranda Doctrix, Sapientiæ amatrix, zelantissima sponsa Christi, omnibusque gratissima S. Mater nostra Theresia, *naturalis ordo requirit*, ait Ang. Doct. *ut ille, qui suscepit beneficium, per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem secundum modum utriusque.* Ne ergo ordinem istum fœda ingratitudine perverterem, ad Ecclesiæ sanctæ Principem, sacræ doctrinæ Magistrum, miserabilium personarum benignum Protectorem, acerrimum veritatis defensorem, zelantemque justitiæ vindicem : uno verbo; ad Illustrissimum, ac Reverendissimum D. D. Stephanum Antonium Aguado & Roxas, cui jure, meritoque debetur gratiarum compensatio, animum meum converti : ita sane pensitabat gratitudo, ex qua dum vix illi significarem, quod hæc editio liberrime, sine libertate tamen, suæ sacrabatur Dominationi, ecce vox de throno (melius dicerem de intimo cordis affectu) dicens : *non mihi, non mihi, de quo nil boni dici valet; sed Matri sanctæ, sanctæ Matri, de qua vere plurima poterunt prædicari.* Modestiam, & humilitatem demiratus, ad ejus pedes subito provolutus gratissimum obtuli sacrificium.

Tibi ergo Seraphica Mater, & sapientissima Virgo editionem hanc dicat, offert, atque consecrat Princeps hic addictissimus, & nulli in tua devotione secundus : Tu es enim juxta Illm. Godoy Magistra Prælatorum, ab ipsis edocta, illos docens, ab ipsis acclamata, illos dirigens, ab ipsis magnificata, illos illuminans, quam omnes prædicant cœlestis sapientiæ Magistram. ¿Ecquis tecum comunicavit, qui fructum aliquem virtutis, & honoris in se non senserit? E monumentis surgant tui inclyti Confessarii, Magistri simul, atque discipuli, & venerabiles postea Episcopi Velazquez Oxomensis, Yepes Turiasonensis, Manso Calagurritanus, Castro Nero Segoviensis, Teutonius Eboracensis, Mendoza Palentinus, alij-

que

que permulti, & clara enuntiabunt voce veram tibi debere sapientiam, Episcopalem honorem, in virtute progressum, in grege profectum, decorem in Clero, & felicitatem in Cœlo. Vere doctum novi nullum, qui non te in Matrem, & Magistram sibi adsciverit, nec te colentem ullum scivi, qui mire in virtute non splenduerit. Aris, & focis hujus testes sunt veritatis Dominicus Bañez, Petrus Ibañez, Petrus Fernandez a Castillo, Hieronimus Gratianus, alijque bene multi, qui a confessionibus tibi fuere scientia, & virtute præstantes. Idem quod perquam maxime experti sunt tui primitivi filij; primusque in primis S. Joannes a Cruce, Antonius deinde Heredia, Nicolaus Doria, Joannes Roca, Ambrosius Marianus, cæterique coęvi. Ast felicius adhuc encomia isthæc prædicabunt tuæ amantissimæ filiæ, indivulsæque discipulæ V. V. Ana a S. Bartholomeo, Ana a S. Augustino, Ana a Jesu, Elisabeth a S. Dominico, innumeræque aliæ, quipequæ sanctissimæ ipsarum Matris spiritus pabulo imbutæ, sicuti & doctrinæ, ut altius, ita proximius in cordis tabulis eadem sculpsere. Dicat ergo, & ex corde dicat expertissimus hic tuus devotissimus Præsul: *Matri sanctæ, sanctæ Matri, de qua plurimæ veritates poterunt prædicari.*

Gloriosa quipe dicta sunt de te Civitas Dei, sanctitate plena, cœlesti ornata sapientia, prę Sapho illuminata, sapientibus multis mirabilis emulatrix, Hispanię nostrę circumspecta Debora, Judith nostrę Bethulię peritissima, divinis litteris maxime fulgens gratię legis Holda, quędam denique Maqueda ea nobilitate, ac sapientia pręmunita, quę alti acumine ingenij alte excesseris Salomonem. ¿Cui igitur aptius dicari potest opus ad ęternam homines dirigens felicitatem, quam tibi, quę, ut veritatis Magistra non tantum verbo, & scriptis, sed iteratis etiam exemplis perfectionis docuisti semitam, opere, ac verbo demonstrans, qua sit nobis via beatitudo feliciter consequenda, qua lege animi mores componendi, qua regula nostri actus dirigendi, qualiter declinanda malitia, sectanda pietas, virtutes denique comparandę? Ah! quoto jure nostram com-

commoves admirationem, qua veluti vivam te moralitatis veneramur regulam, scriptaque tua ut mortuum canonem, animas tamen (ut olim ossa Elisei) vivificantem? Te quipe ipsam prębes, ut cum Apostolo loquar, *exemplum bonorum operum, benignam, sobriam, justam, sanctam, continentem, amplectentem cum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem*, ut verbo, & opere *potens sis exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Doctrina enim tua non est tua, sed juxta Rom. sacr. Rotę sententiam ejus est, qui illuminavit te. Quod S. S. P. P. obscure de mistica theologia, atque sparsim tradiderunt, id tu in methodum tam concise, ac dilucide redactum præbes, ut nullus sit ambiguitati locus, nec ullus illusioni pateat aditus; omnia quinimo ita explanas, ut tua scripta in S. R. E. Congregationibus ut Lidius lapis habeantur, quo servorum Dei virtutes, revelationes, miracula, & raptus examinantur: Testis est cum reverentia nominandus Bened. XIV. in suo percelebri operé de beatificatione sanctorum. Nec mirum itaque jam erit, quod pronunciavit Tarraconense Concilium: nempe *Theresia Virgo magnarum splendore virtutum, consilio, prudentia, sicut & divinæ scientiæ altitudine præstans Hispaniæ extollitur Magistra. Hæc Virgo*, ait Illustrissimus Caramuel, *magna fuit in philosoficis, major in politicis, & maxima in theologicis. dum hortatur, suadet; dum perorat, convincit; dum invitat, atrahit; & quod plus est, dum reprehendit, allicit; dum minatur, rapit; vel peccatores a vitiorum turpitudine revocat, virtutis pulchritudine ostensa, vel justos ad perseverantiam roborat, justitiæ corona demonstrata, vel tepidos ad orandum inflamat.* Parumque est hoc: Tu namque Virgo sapiens es malleus hæreticorum, Ecclesiæque sanctæ clypeus; scriptis enim tuis Arij, & Sabelij sacrosanctam erga Trinitatem penitus confunduntur errores: contra venerabilem Eucharistiam Lutheri, & Calvini deliramenta radicitus dissipantur: Maxiliensium, totiusque Pelagianæ sectæ circa divinam gratiam errata insanabiliter obruuntur: Michaelis de Molinos circa orationem insaniæ cito citius evanescunt: Eutichis

denique, ac Nestorij (ut plura alia prætéream) in B. V. Matiæ Maternitatem dementiæ ad nihilum rediguntur actutúm. Adhuc tamen, ni tibi, benigne Lector, gravis esse vererer, laudes tibi in memoriam revocarem, quibus aquilini ejus scriptorum Censores V. V. Joannes de Avila, Ludovicus de Granata, Eminentissimus de Quiroga, & his similes plerique sunt ejus sapientiam prosequti.

Nec id miremini, exclamat discalceatus Doctor quidam, ad unam enim Theresiam formandam sanctissimi tres Ecclesiæ Doctores, imo quatuor, atque etiam quinque lubentissime perbenigni convenere. Hieronim. cum epistolarum libro, August. cum libro confessionum, cum libro moralium Greg. & cum styli, ni fallor, dulcedine Ambros. Doct. denique Ang. cum sua mirabili theologica summa; adeoque Theresia, una cum sit, est ter ipsa, vel quater, aut quinquies Doctrix, agens cum D. Thom. de Trinitate, ut scholastica; scripturas cum Hieronim. ruminans, atque declarans, ut expositiva; ad Dei amorem, ut moralis, & mistica Lectores alliciens pariter, & accendens cum Ambrosio simul ac Gregorio. Ita quidem haud immerito celebratissimus Ganganeli, tom. 1. epist. XIV. ideo Theresiam Ecclesiæ Patrem appellavit, *quia quidquid in Patribus reperitur, in ejus quoque operibus invenitur, ita ut omnia præviderit, nilque intellectum ejus præterierit.* Omnia hæc, multoque plura, quæ brevitatis ergo missa fiunt, diligentissime perscrutatus noster vigilantissimus Pastor, optime, sicut & prudentissime hæc nunquam satis emisit laudanda verba: *Matri sanctæ, sanctæ Matri, de qua plures poterunt veritates præconizari.* Te ergo quæsumus S. Mater, & Magistra placido semper vultu, grato animo, piisque aspicias oculis dignissimum Antistitem nostrum, ejus illumines mentem ad hujus amplæ Diœceseos regimen, inque Dei amorem ipsius inflames voluntatem, illumque demum dirigas in Paradisum exultationis, in quo tecum Deo fruatur in sæcula sæculorum. Amen. Sic iterum, atque iterum humiliter exposcit tuus minimus filius.

Fr. Dominicus a Sancta Maria.

IN-

INDEX

Tractatuum, Capitum, Punctorum, & Paragraphorum.

TRACTATUS PRIMUS.

De principiis moralitatis. Pag. 1

CAPUT PRIMUM.

De existentia, natura, objecto, & de locis Theologiæ moralis. ibid.
PUNCT. I. *De existentia, & essentia moralis Theologiæ.* ibid.
II. *De qualitate Theologiæ moralis.* 2
III. *De objecto Theologiæ moralis.* 4
IV. *De locis Theologiæ moralis.* ibid.
§. I. *De Scriptura sacra.* ibid.
II. *De Traditionibus.* 6
III. *De Ecclesia.* ibid.
IV. *De Conciliis.* 7
V. *De summo Pontifice.* 8
VI. *De sanctis Patribus.* 10
VII. *De Theologis, & Canonistis.* ibid.
VIII. *De tribus ultimis locis.* 11

CAPUT II.

De actibus humanis. ibid.
PUNCT. I. *De moralitate.* 12
II. *De libertate requisita ad moralitatem.* 13
III. *De voluntario.* 14
IV. *De involuntario, & ejus causis.* 15
§. I. *De violentia.* 16
II. *De metu.* ibid.
III. *De concupiscentia.* 17
IV. *De ignorantia.* 18
V. *Quando ignorantia sit peccaminosa?* 19
PUNCT. V. *De regulis moralitatis.* 20

TRACTATUS SECUNDUS.

De regulis morum. 21

CAPUT I.

De conscientia. ibid.
PUNCT. I. *Notio, & divisio conscientiæ.* 22
II. *De actibus conscientiæ.* 23
III. *De conscientia recta.* 24
IV. *De conscientia erronea.* 25
V. *De gravitate, & specie peccati ex conscientia erronea.* 27
VI. *De qualitate actus eliciti ex conscientia erronea.* 28
VII. *De Confessario pœnitentis accedentis cum conscientia erronea.* 30

CAPUT II.

De conscientia probabili. 31
PUNCT. I. *Notio, & divisio conscientiæ probabilis.* ibid.
II. *An liceat sequi opinionem probabilem.* 32
III. *De probabilismo.* 33
§§. *Diluuntur argumenta contraria.* 35
PUNCT. IV. *De opinione a Confessario eligenda in administratione sacramenti Pœnitentiæ.* ibid.
V. *Quam opinionem eligere debeant judex, advocatus, & medicus?* 36
§§. *Corollaria præcedentis doctrinæ.* 38

CAPUT III.

De conscientia dubia, & scrupulosa. 38
PUNCT. I. *De natura, & divisione conscientiæ dubiæ.* 39
II. *Quomodo se gerere debeat, qui laborat conscientia dubia?* ibi.
III. *De intelligentia regulæ.* Melior est conditio possidentis. 40
§. I. *Diluuntur argumenta contraria.* 41
II. *Corollaria.* ibid.
PUNCT. IV. *De conscientia scrupulosa.* 42
V. *De Confessario scrupulosi.* 43
VI. *An liceat agere contra conscientiam scrupulosam.* 44

TRACTATUS TERTIUS.

De legibus. 45

CAPUT I.

De essentia, & conditionibus legis. ibid.
PUNCT. I. *Natura, & conditiones legis.* ibi.
II. *De divisione legis, & de jure gentium.* 46
III. *De lege humana naturali.* 47
IV. *De lege humana positiva.* 48
§. I. *Quod jus præcipue observandum sit.* 49
II. *Quomodo legendæ, & scribendæ citationes utriusque juris.* 50
III. *Modus citandi jus civile.* 51
PUNCT. V. *De promulgatione legis.* ibid.
VI. *De acceptatione legis.* 52
VII. *De appellatione a lege.* 53

CAPUT II.

De potestate ferendi leges. 54
PUNCT. I. *De potestate legislativa civili.* ibid.
II. *De potestate condendi leges ecclesiasticas.* 55

CAPUT III.

De obligatione, quam lex ex natura sua inducit. 56

PUNCT. I. *De obligatione legis humanæ.* ibi.
II. *Unde colligendum sit leges sub gravi, vel levi obligare.* 57
III. *Unde colligenda sit materiæ gravitas?* 58
IV. *Quomodo materia levis per continuationem, & contemptum fiat gravis?* 59
V. *De obligatione legis pœnalis.* 61
§. I. *Divisio legis pœnalis.* ibid.
II. *Resolvitur dubium.* ibid.
III. *De pœna subeunda a transgressoribus.* 63
PUNCT. VI. *De lege fundata in præsumptione.* 64
VII. *De lege irritante.* 65
VIII. *De obligatione legis dubiæ.* 66
IX. *An periculum gravis damni, vel mortis excuset ab obligatione legis.* 67
§. I. *Resolvitur dubium.* ibid.
II. *Solvuntur argumenta.* 68
PUNCT. X. *De actibus ad legem implendam requisitis.* 69
XI. *De intentione ad legem implendam requisita.* 70

CAPUT IV.

De subjecto, & materia legis humanæ. 72
PUNCT. I. *De subjecto legis humanæ.* ibid.
II. *An religiosi exempti teneantur legibus, aut statutis Synodalibus?* 73
III. *An clerici teneantur observare leges civiles?* 74
IV. *Quomodo pueri, & amentes teneantur legibus humanis?* 75
V. *De legibus, quibus adstringantur vagi, peregrini, & advenæ.* 76
VI. *De materia legis humanæ.* 78
VII. *An actus interni sint materia legis humanæ?* 79

CAPUT V.

De cessatione, & interpretatione legis. 81
PUNCT. I. *De legis cessatione.* ibid.
II. *De abrogatione legis humanæ.* 82
III. *De interpretatione legis.* 83
IV. *De epikeja.* 84

CAPUT VI.

De dispensatione legis. 85

PUNCT. I. *Notio, & divisio dispensationis.* ibid.
II. *An lex naturalis, & divina dispensabilis sit?* 86
III. *De potestate dispensandi in lege humana.* 87
§. I. *De potestate inferioris ad dispensandum in lege superioris.* 88
II. *De potestate delegata dispensandi in legibus.* 89
PUNCT. IV. *De causa requisita ad validam, & licitam dispensationem.* 90
§. I. *An Legislator valide possit dispensare sine causa in sua lege?* ibid.

II. *Refelluntur argumenta.* 91
III. *Quale sit peccatum dispensare sine causa in propria lege?* 93
IV. *De causa ad validam, & licitam dispensationem.* 94
PUNCT. V. *Quibus causis dispensatio cesset?* 96
§. I. *An cessante causa motiva, cesset ipsa dispensatio.* ibid.
§. II. *De revocatione, & renunciatione dispensationis.* 97

CAPUT VII.

De consuetudine. 98

PUNCT. I. *Notio, & divisio consuetudinis.* ibid.
II. *De conditionibus ad consuetudinem requisitis.* 99
III. *De aliis conditionibus consuetudinis.* 100
IV. *De effectus consuetudinis.* 101

TRACTATUS QUARTUS.

De virtutibus. 102

CAPUT I.

De virtutibus in communi. ibid.

PUNCT. I. *Nomen, & notio virtutis.* ibi.
II. *Divisio virtutis.* 103
III. *De proprietatibus virtutum.* 104
PUNCT. IV. *De connexione virtutum.* 105
V. *De dignitate, & præstantia virtutum.* 106

CAPUT II.

De virtutibus cardinalibus. 108

PUNCT. I. *De prudentia.* ibid.
II. *De justitia.* 109
III. *De fortitudine.* 110
IV. *De temperantia.* 111

CAPUT III.

De donis Spiritus sancti, fructibus, & beatitudinis. 113

PUNCT. I. *De donis in communi.* ibid.
II. *De donis in particulari.* 114
III. *De fructibus Spiritus sancti.* 115
IV. *De beatitudinibus.* 116

TRACTATUS QUINTUS.

De vitiis, & peccatis. 117

CAPUT I.

De nomine, & natura vitiorum. ibid.

CAPUT II.

De vitiis capitalibus. 118

CAPUT III.

De peccatis in communi. 124

PUNCT. I. *Notio, & effectus peccati.* ibid.
II. *De divisione peccati.* 125
III. *De peccato originali.* 127
IV. *De effectibus peccati originalis.* 128
V. *De peccato commissionis, & omissionis.* 130
VI. *De omissione respective ad suam causam.* 131
VII. *De differentia peccati mortalis, & venialis.* 132
VIII. *De transitu peccati alias venialis in mortale.* 133
IX. *De habitu vitioso.* 135
X. *De advertentia, & consensu ad peccatum requisitis.* 136
XI. *De consensu voluntatis in illicitos effectus.* 137
XII. *De delectatione morosa.* 138

CAPUT IV.

De distinctione specifica, & numerica peccatorum. 140
PUNCT. I. *De distinctione specifica peccatorum.* ibid.
II. *De distinctione numerica peccatorum.* 142

TRACTATUS SEXTUS.

De præceptis Decalogi. 145

CAPUT UNICUM.

De Decalogi, ejusque præceptorum nu-

numero, ordine, & obligatione. 146

PUNCT. I. *De natura Decalogi, ac ejusdem præceptorum numero.* ibid.
PUNCT. II. *De ordine, & obligatione præceptorum Decalogi.* ibid.

TRACTATUS SEPTIMUS.

De fide. 148

CAPUT I.

De natura, objecto, subjecto, necessitate, & præceptis fidei. ibid.

PUNCT. I. *Notio, & divisio fidei.* ibid.
II. *De objecto, & subjecto fidei.* 149
III. *De necessitate fidei ad salutem.* 150
§. I. *De credendis necessitate medii.* ibid.
II. *Alia dubia de eadem materia.* 151
PUNCT. IV. *De præceptis fidei.* 154
V. *De credendis necessitate præcepti.* ibid.
VI. *De præcepto exterius confitendi fidem.* 156
VII. *De præcepto negativo exterius non dissentiendi fidei.* 157
VIII. *De præcepto non utendi vestibus, aut signis infidelium.* 158
IX. *An liceat catholicis de rebus fidei cum hæreticis disputare?* 159

CAPUT II.

De vitiis, & peccatis fidei oppositis. 160

PUNCT. I. *Notio, & divisio infidelitatis.* ibid.
II. *De potestate Ecclesiæ in hæreticos, & infideles.* 162
III. *De communicatione cum infidelibus.* 163
IV. *De hæresi.* 164
V. *De apostasia a fide.* 166
VI. *Divisio, & pœnæ hæresis.* 167
VII. *De excommunicatione contra hæreticos lata.* ibid.
VIII. *Alia dubia de eadem materia.* 168
IX. *De obligatione hæreticos denunciandi.* 170
X. *De suspectis de hæresi.* ibid.
XI. *De libris prohibitis.* 171

TRACTATUS OCTAVUS.

De spe, & timore. 173

CAPUT UNICUM.

De spe, de vitiis ei oppositis, ac de timore. ibid.

PUNCT. I. *De natura, & præceptis spei.* ibid.
II. *De peccatis spei oppositis.* 174
III. *De timore.* 175

TRACTATUS NONUS.

De caritate. 177

CAPUT UNICUM.

De natura, & præceptis caritatis. ibid.

PUNCT. I. *Notio, & divisio caritatis.* ibid.
II. *De præceptis caritatis.* 179
III. *De præcepto diligendi proximum.* 181
IV. *De ordine caritatis servando.* 182
§. I. *De ordine amandi.* ibid.
II. *De ordine subveniendi in spiritualibus.* ibid.
III. *De ordine subveniendi in corporalibus.* 185
PUNCT. V. *De inimicorum dilectione.* ibid.
VI. *De præcepto reconciliationis inimicorum.* 188

CAPUT II.

De eleemosyna, & correctione fraterna. ibid.

PUNCT. I. *De eleemosyna.* ibid.
II. *De præcepto eleemosynæ.* 190
§. I. *De necessitate extrema.* 191
II. *De necessitate gravi.* 192
III. *De necessitate communi.* 194
PUNCT. III. *Qui possint, & teneantur facere eleemosynam.* 195
§. I. *De sæcularibus.* ibid.
II. *De ecclesiasticis.* ibid.
III. *De hujus obligationis qualitate.* 196
IV. *Satisfit objectionibus.* 197
V. *Alia dubia de eadem materia.* 198
VI. *De regularibus.* 199
PUNCT. IV. *De quibus bonis facienda*

est eleemosyna. 200
V. *Quibus pauperibus eleemosyna largienda sit.* 201
VI. *De mendicitate religiosa.* 202
VII. *De correctione fraterna.* 204
§. I. *Notitia peccati.* ibi.
II. *Spes emendationis.* 206
III. *Opportunitas personæ corrigendæ, & temporis.* ibid.
IV. *Congruentia personæ corrigentis.* 207
V. *De ordine correctionis fraternæ.* 208

CAPUT III.

De vitiis caritati oppositis. 210

PUNCT. I. *De odio Dei, & proximi.* ibid.
II. *Accedia, invidia, discordia, contentio, & schisma.* 212
III. *De bello.* 213
IV. *Quibus, & quando liceat bellare?* 215
V. *De rixa, duello, & seditione.* 217

CAPUT IV.

De scandalo. 219

PUNCT. I. *Notio, & divisio scandali.* ibid.
II. *Quæ opera omittenda sint ad vitandum scandalum.* 222
III. *De cooperatione ad peccatum scandali.* 224
IX. *De peccato scandali contra castitatem.* 226
V. *Alia dubia de eadem materia.* 229

TRACTATUS DECIMUS.

De primo Decalogi præcepto. 231

CAPUT I.

De virtute religionis. ibid.

PUNCT. I. *Notio, & actus religionis.* ibid.
II. *De devotione.* 233
III. *De oratione.* 234
IV. *De his, qui orari, & orare valent, ac debent.* 236
V. *Pro quibus sit orandum.* 238
VI. *Alia dubia de oratione.* 240

CAPUT II.

De adoratione Dei, & sanctorum. 241

PUNCT. I. *Notio, & divisio adorationis.* ibi.
II. *De adoratione latriæ.* 242
III. *De hyperdulia, & dulia.* 244
IV. *De cultu exhibendo sanctis canonizatis, beatificatis, & aliis personis cum opinione sanctitatis demortuis.* 245
V. *De cultu sacrarum imaginum, & reliquiarum.* 247
VI. *De cultu vestibus, ac vasis sacris, & aliis rebus ad Dei obsequium destinatis tribuendo.* 249

CAPUT III.

De vitiis religioni oppositis. 250

PUNCT. I. *De superstitione.* ibid
II. *De idololatria, & divinatione.* 251
III. *De divinatione per astra.* 252
IV. *De divinatione per somnia, auguria, & omina.* 253
V. *De sortilegio, aut divinatione per sortes.* 255
VI. *De vana observantia.* 256
VII. *De magia.* 257
VIII. *De ensalmis, & fascinatione.* 258
IX. *De maleficio.* ibid.
X. *De lamiis, seu sagis.* 260

CAPUT IV.

De tentatione Dei, de sacrilegio, & blasphemia. 261

PUNCT. I. *De tentatione Dei.* ibid.
II. *De sacrilegio.* 263
III. *De blasphemia.* 265

TRACTATUS UNDECIMUS.

De voto.

CAPUT I.

De spectantibus ad votum.
PUNCT. I. *Nomen, natura, & condi-*

tio-

tiones voti. ibid.
II. *De qualitate promissionis ad votum requisitæ.* 268
III. *De materia voti, ubi particula* de meliori bono *explicatur.* 270
IV. *De voto circa res indifferentes, aut malas.* 272
V. *Alia dubia circa eandem materiam.* 274
VI. *De voto, & juramento non ludendi.* 275
VII. *De divisione voti.* 276
VIII. *De obligatione voti.* 277
IX. *An obligatio voti ad alios transire valeat.* 279
X. *Quanto votum impleri debeat.* 281
XI. *De voto indeterminato.* ibid.
XII. *De voto dubio, & ex errore, aut dolo emisso.* 283
XIII. *De voto, aut juramento ex metu facto.* 284
XIV. *De voto conditionato.* ibi.
XV. *De voto, & juramento pœnali.* 286
XVI. *De his, qui vota emittere valent.* ibid.

CAPUT II.

De cessatione voti. 287

PUNCT. I. *De voti irritatione.* ibi.
II. *De votis, quæ conjuges possunt sibi invicem irritare.* 289
III. *De dispensatione voti.* 290
IV. *De votis reservatis.* 292
V. *De commutatione voti.* 294
VI. *De cessatione voti per finis cessationem, impotentiam, & condonationem.* 296

TRACTATUS DUODECIMUS.

De secundo Decalogi præcepto. 297

CAPUT I,

De juramento. ibid.

PUNCT. I. *Nomen, natura, & divisio juramenti* ibid.
II. *De diversis verbis, vel formulis, quibus juramenta fieri solent.* 299
III. *De requisitis ad licitum juramentum.* 400
IV. *De animo, & certitudine requisitis ad juramentum.* 301
V. *De justitia, & judicio juramenti.* 302
VI. *De veritate juramenti promissorii.* 304
VII. *De obligatione, & materia juramenti.* 306
VIII. *De prava jurandi consuetudine.* 307
IX. *Quando juramentum confirmet contractum.* 308

CAPUT II.

De quibusdam juramenti peculiaribus. 309

PUNCT. I. *De juramento amphibologico.* ibi.
II. *Alia dubia circa juramentum amphibologicum.* 311
III. *De aliis juramentis particularibus.* 313
IV. *Quomodo cesset obligatio juramenti.* 314

TRACTATUS DECIMUSTERTIUS.

De adjuratione. 315

CAPUT UNICUM.

De natura, divisione, & aliis conditionibus adjuratisnis. ibid.

PUNCT. I. *Quid, & quotuplex sit adjuratio.* ibid.
II. *De exorcismis.* 316
III. *De ingressu Dæmonum in homines.* 318
IV. *De aliis violentiis Dæmonum.* 319
V. *De egressu Dæmonum.* 320
VI. *Alia dubia circa Dæmones.* 321

TRACTATUS DECIMUSQUARTUS

De tertio Decalogi præcepto. 323

CAPUT UNICUM.

De festorum observatione. ibid.

PUNCT. I. *De præcepto servandi festa.* ibi.
II. *De obligatione hujus præcepti.* 325
III. *De his, qui ad festa colenda adstringuntur.* 326

IV.

IV. *De abstinentia ab opere servili.* ibid.
V. *De causis excusantibus laborantes in die festo.* 329

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS

De quarto Decalogi præcepto. 330

CAPUT UNICUM.

De honorandis parentibus. 331

PUNCT. I. *De obligatione filiorum erga parentes.* ibid.
II. *De obligatione parentum erga filios.* 332
III. *De obligatione mariti ad honorandam uxorem.* 335
IV. *De obligatione uxoris ad honorandum maritum.* 336
V. *De obligatione fratrum, ad fratres, & sorores.* 337
VI. *De honore debito ecclesiasticis, & aliis Superioribus.* 339
VII. *De mutuo dominorum, ac servorum obligatione.* 340
VIII. *De reciproca dominorum, & famulorum obligatione.* 342
IX. *Qualiter honorandi sint tutores, curatores, magistri, & senes.* 343

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS.

De quinto Decalogi præcepto. 345

CAPUT UNICUM.

De homicidio. ibi.

PUNCT. I. *Notio homicidii.* ibid.
II. *De innocentis occisione.* 346
III. *De abortu.* 348
IV. *De homicidio privata authoritate perpetrato.* 350
V. *De occisione injusti invasoris vitæ.* 352
VI. *De occisione invasoris famæ, honoris, & pudicitiæ.* 352
VII. *De occisione invasoris bonorum temporalium.* 354
VIII. *Alia dubia circa furis occisionem.* 356
IX. *De Suicidio.* 358
X. *De membrorum mutilatione.* 359
XI. *De suicidio indirecto.* 360
XII. *De homicidio casuali.* 362
XIII. *De homicidio per assassinos perpetrato.* 363
XIV. *De taurorum agitatione.* 364

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS.

De sexto, & nono Decalogi præcepto. 365

CAPUT I.

De castitate. ibid.

PUNCT. I. *Notio, & divisio castitatis.* ibid.
II. *Alia dubia circa virginitatem.* 366
III. *De amissione virginitatis.* 368

CAPUT II.

De vitiis castitati oppositis. ibid.

PUNCT. I. *De luxuria.* ibid.
II. *De simplici fornicatione.* 369
III. *De concubinatu.* 371
IV. *Alia dubia circa absolutionem concubinarii.* 372
V. *De pœnis contra concubinarios impositis.* 373
VI. *De meretricibus.* 374
VII. *De impudicitia.* 375
VIII. *De turpiloquio.* 376
IX. *De osculis, & aliis tactibus impuris.* 377
X. *Alia dubia circa tactus impudicos.* 378
XI. *De parvitate materiæ in genere luxuriæ.* 380
XII. *De stupro.* 381
XIII. *De raptu.* 382
XIV. *De adulterio.* 383
XV. *De incestu.* 384
XVI. *De sacrilegio specie luxuriæ.* 385
XVII. *De sacrilegio contra locum sacrum, & contra res sacras.* 387

CAPUT III.

De vitio contra naturam. 388

PUNCT. I. *Notio, & divisio hujus flagitii.* ibid.
II. *De pollutione.* ibid.

III. *De pollutione voluntaria causata.* 389
IV. *De pollutione nocturna.* 391
V. *De sodomia.* 393
VI. *De pœnis contra sodomitas.* 394
VII. *De bestialitate.* 395

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS.

De septimo, & decimo Decalogi Præcepto. ibid.

CAPUT I.

De justitia, & jure. ibid.

PUNCT. I. *Notio, & divisio justitiæ.* ibid.
II. *Explicatur justitia legalis, distributiva, & commutativa.* 397
III. *De injustitia, & vitiis oppositis justitiæ.* 398

CAPUT II.

De dominio, & possessione. 399

PUNCT. I. *De dominio.* ibid.
II. *De usufructu, usu nudo, emphyteusi, & feudo.* 400
III. *De possessione.* 401
IV. *Qui, & quorum rerum possint habere dominium.* 402
V. *De dominio filiorum.* ibid.
VI. *De dominio religiosorum.* 403
VII. *De dominio uxorum, & servorum.* 404
VIII. *De dominio circa animalia.* 405
IX. *De piscatione, venatione, & aucupio.* ibid.
X. *De montibus, sylvis, & pascuis.* 406
XI. *De rebus inventis.* 407
XII. *De aliis modis dominium acquirendi.* 408
XIII. *De præscriptione.* 409

CAPUT III.

De furto. 411

PUNCT. I. *Notio, & divisio furti.* ibid.
II. *De parvitate materiæ in furto.* ibi.
III. *De modis, quibus furta minuta constituunt gravia peccata.* 412
IV. *Alia dubia de furtis minutis.* 413
V. *De furtis domesticorum.* 414

TRACTATUS DECIMUS NONUS.

De restitutione. 416

CAPUT I.

De restitutione in communi. ibid.
PUNCT. I. *Notio, & præceptum restitutionis.* ibid.
II. *De radicibus restitutionis.* 417
III. *De culpa, ex qua oritur obligatio restituendi.* 418
IV. *De qualitate culpæ requisitæ ut inducat obligationem restituendi ex delicto.* 419
V. *De culpa, ob quam teneatur quis ad restitutionem ex officio, aut ex contractu.* 421
VI. *De obligatione restituendi ex re accepta.* 422
VII. *De restitutione facienda a possessore malæ fidei.* 423
VIII. *De possessore dubiæ fidei.* 425
IX. *De fructibus, & expensis in restitutione deducendis a possessore bonæ, vel malæ fidei.* ibid.
X. *De emente, aut vendente rem alienam.* 427
XI. *De obligatione restituendi ob injustum impedimentum boni alieni.* 428
XII. *De his, qui ad restitutionem ad stringuntur.* 429
XIII. *De causis ad damna positive influentibus.* 431
§. I. *Jussio, consilium, consensus.* ibid.
§. II. *Palpo, recursus, participans.* 433
PUNCT. XIV. *De causis negative concurrentibus ad damnum.* 434
XV. *De ordine restituendi a cooperantibus in damnum.* 435
XVI. *Quando omnes prædictæ causæ teneantur in solidum restituere.* 436
XVII. *De acceptis ob turpem causam.* 437
XVIII. *Alia dubia circa acceptionem ob turpem causam.* 439
XIX. *De loco, & expensis, quibus restitutio fieri debet.* ibid.
XX. *De illis, quibus restituteo fieri debet.* 441
XXI. *De restitutione rei ablatæ, cujus dominus ignoratur.* 442
XXII. *De ordine in restitutione servando.* 443

XXIII. *De tempore, quo restitutio fieri debet.* 444
XXIV. *De causis a restitutione excusantibus.* 446
XXV. *De ære alieno gravatis religionem ingredi volentibus.* 448
XXVI. *De compensatione.* 449
XXVII. *Alia dubia circa compensationem.* 450

CAPUT II.

De restitutione in particulari. 451
PUNCT. I. *De restitutione propter homicidium facienda.* ibid.
II. *De restitutione debita ob damna secuta ex homicidio, aut mutilatione.* 452
III. *De restitutione, ratione stupri.* 454
IV. *Alia dubia circa restitutionem ratione stupri.* 455
V. *De restitutione ratione adulterii.* 456

TRACTATUS VIGESIMUS.

De contractibus. 457

CAPUT I.

De contractibus in communi. ibi.
PUNCT. I. *De natura, divisione, & perfectione contractus.* ibid.
II. *De contractu metu inito.* 459
III. *De contractu dolo celebrato.* ibid.
IV. *De contractu conditionato.* 460
V. *De his, qui contrahere valent.* 462
VI. *De beneficio restitutionis in integrum.* 463

CAPUT II.

De emptione, & venditione. 464
PUNCT. I. *De natura emptionis, & venditionis.* ibid.
II. *Quando rei dominium per venditionem acquiratur.* 465
III. *Ad quem pertineant fructus rei venditæ.* 466
IV. *De personis, quæ vendere, aut emere jure possunt, & quæ sint res venales.* 467
V. *De negotiatione.* 469
VI. *Alia dubia circa negotiationem.* 470
VII. *De monopolio.* 471
VIII. *De pacto retrovendendi.* 472
IX. *De commissario, seu internuntio venditoris, aut emptoris.* 473
X. *De justo pretio rerum.* 474
XI. *De pretio naturali, seu vulgari.* 476
XII. *De pretio legitimo.* 477
XIII. *De augmento pretii ob dilatam, aut anticipatam solutionem.* 478
XIV. *De vitiis, aut defectibus rei a venditore, vel emptore patefaciendis.* 479

CAPUT III.

De mutuo, & usura. 480
PUNCT. I. *De mutuo.* ibid.
II. *De natura, divisione, ac pravitate usuræ.* 481
III. *De usura mentali.* 482
IV. *De usura formali manifesta.* 483
V. *De usura palliata.* 484
VI. *De damno emergente, lucro cessante, ac periculo sortis.* 486
VII. *De contractu societatis, & assecurationis.* 487
VIII. *De contractu trino.* 489
IX. *De restitutione lucri per usuras acquisiti.* 490
X. *De montibus pietatis.* 491

CAPUT IV.

De cambiis, & aliis contractibus peculiaribus. 492
PUNCT. I. *Notio, & divisio cambii.* ibid.
II. *De censibus.* 493
III. *De censu jure ecclesiastico inspecto.* 494
IV. *De locatione, & condutione.* 495
V. *De deposito, pignorato, hipotheca, & sequestro.* 496
VI. *De ludo.* 497
VII. *De ludo vetito.* 498
VIII. *De sponsione, & lotto.* 499
IX. *De promissione.* 500
X. *De donatione.* 501

CAPUT V.

De testamentis. 502
PUNCT. I. *Notio testamenti, & codicilli.* ibi
II. *De his, qui testari, ac hæredes instituì possunt.* 504
III. *De hæredum diversitate.* ibid.
IV. *De substitutionibus.* 506

V. *De revocatione testamenti , & de Commissario.* 507
VI. *De testamentariis , seu executoribus testamenti.* 508
VII. *De legatis.* 509
VIII. *Alia dubia circa legata.* 510

TRACTATUS VIGESIMUS PRIMUS

De octavo Decalogi præcepto. 512

CAPUT I.

De falso testimonio, & mendacio. ibid.
PUNCT. I. *Notio, & divisio falsi testimonii.* ibid.
II. *De mendacio.* 513
III. *De malitia mendacii.* 514
IV. *De simulatione.* 516

CAPUT II.

De honore, fama, ac de eis oppositis. 517
PUNCT. I. *De honore , & fama.* ibid.
II. *De contumelia.* ibid.
III. *De susurratione , & derisione.* 518
IV. *De maledictione.* 519
V. *De detractione.* 520
VI. *Quando detractio gravis , aut levis censenda sit.* 521
VII. *Alia dubia circa detractionem.* 522
VIII. *De causis excusantibus a detractione in criminum manifestatione.* 524
IX. *De secreto naturali.* 525
X. *Alia dubia circa secretum.* 527
XI. *De judicio temerario.* ibid.
XII. *De suspicione , dubio , & opinione temeraria.* 529
XIII. *De restitutione honoris.* 530
XIV. *De restitutione famæ.* 531

CAPUT III.

De foro judiciali. 532
PUNCT. I. *De foro, causa, & judice.* ibid.
II. *De aliis requisitis in judice.* 533
III. *De donationibus factis judicibus.* 535
IV. *De modo procedendi per inquisitionem.* 536
V. *De requisitis ad inquisitionem specialem.* 537
VI. *De accusatore.* 539
VII. *De denunciatione.* 540
VIII. *De testibus.* ibid.
IX. *De reo.* 542

CAPUT IV.

De advocatis , tabellionibus , & aliis curialibus. 544
PUNCT. I. *De advocatis.* ibid.
II. *De tabellionibus , & aliis officialibus.* 545
Decretum S. Congregationis de Propaganda fide contra quosdam ritus Sinenses. 546
Decretum S. R. & universalis Inquisitionis contra quasdam theses circa probabilismum. 552

S. Bern. in Cant. serm. 36. *Exponens illud Apost. si quis existimat se scire aliquid.*

Vides, quod non probat multa scientem, si modum sciendi nescierit. Vides quomodo fructum, & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit. Quid ergo dicit modum sciendi? Quid? Nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine, quæque nosse oporteat? Quo ordine? ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, sed tantum ad edificationem tuam, vel proximi.

Multi quærunt scientiam, pauci conscientiam. Si vero tanto studio, & sollicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur sæcularis, & vana scientia, & citius apprehenderetur, & utilius retineretur. *Idem lib. de conscientia cap.* 2.

TRAC-

TRACTATUS PRIMUS

De principiis Moralitatis.

NE ignorantis principiis ignorentur principiata ; a principiis moralitatis exordium sumimus. Ut autem aliqualis notitia ipsius Theologiæ moralis a Candidatis habeatur , præ omnibus de ejus existentia , natura , objecto , ac de Locis , seu Fontibus, ex quibus suas conclusiones eruit , quasdam quæstiones , ut procemium totius operis breviter prælibabimus.

CAPUT I.

De existentia , natura , objecto , & de locis Theologiæ moralis.

Hæc omnia in hoc capite levi calamo discutienda complectimur , ut habita eorum notitia , ad ulteriora clarius procedamus. Unde quæstio *An sit* , *& quid sit* cęteris omnibus præmittitur.

PUNCTUM I.

De existentia , & essentia moralis Theologiæ.

1. Inq. 1. An detur Theologia moralis? R. affirm. Nam cum homo sit ordinatus in Deum, sicut ad finem supernaturalem , necessario debet dari aliqua doctrina,qua, tali fine cognito , homo in illum suas operationes dirigat ; sed hæc doctrina est Theologia moralis , ergo necessaria est , & existit. Theologia quippe moralis dirigit hominem ad cognitionem , & assecutionem Dei : *Moralis* que ideo potissimum appellatur , quia versatur circa actus humanos bonos , vel malos : illos consiliando , aut imperando; hos vero inhibendo , & reprobando. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 1.

2. Objic. Ad dirigendos actus humanos datur Ethica , seu Philosophia naturalis: ergo non est necessaria Theologia moralis. R. disting. ant. ad dirigendos actus humanos ad finem naturalem, datur Philosophia naturalis , conced. ant. ad dirigendos actus humanos ad finem supernaturalem,neg. ant. & conseq. Philosophia igitur naturalis , *Ethica* nuncupata , versatur circa directionem actuum humanorum in linea naturali , sed ignorat finem supernaturalem, ad quem Theologia moralis ordinat hominem , ejusque actus , & operationes.

3. Addimus , quod licet aliqua in ordine ad Deum , & Authorem naturæ ratione naturali indagari possint; nunquam sine face divinæ revelationis veritas absque mixtione plurium errorum attingi valet,ut plusquam satis Philosophorum deliramenta ostendunt.

4. Nam , relictis aliis erroribus , Plato ex altitudine acuminis *divinus* appellatus, finxit ideas universales separatas ; quosdam Deos esse aliis minores , animas corporibus præexistere , & velut in carcere pœnas prioris vitæ in corpore luere , uxores debere esse communes , licere aliquando mentiri. Ex eo didicit Pythagoras , & docuit transmigrationem animarum , ita ut eadem sit nunc anima Caii,postea Tulii, dein-

deinde Fabii, aut bobis, equi, vel ovis. Aristoteles totius Philosophiæ facile Princeps incidit saltem in octo errores, licet aliquos sui Magistri Platonis scite correxerit. Democritus, & Empedocles candide fassi sunt nihil vere scire. Socrates ajebat se solum unum scire, quod nihil sciret. Arcesilas ne id quidem sciri posse. Anaxagoras idem & amplius fatebatur, dicebat enim, quod non certo sciebat, an nix sit alba, sed ita nobis videri; posse namque decipi visum, sicut decipitur in arcu cœlesti, & in collo columbæ, ubi putat videre colores, & fallitur. Hinc Academici nihil esse certum credebant, Pirronistæ omnia dubitabant. Ergo in tanto caliginis, & obscuritatis pelago opus est lucerna divinæ revelationis, ne in tot errorum scopulos impingamus. Neque audiri, sed potius despici debent quidam scituli, aut verius garruli oppositum blaterantes. eorumque scripta comburi.

5. Inq. 2. Quid sit Theologia moralis? R. est *Facultas disserens de actibus humanis in ordine ad Deum, ut finem supernaturalem.* Dicitur *Facultas*, & non scientia, quia definitio debet tradi per certiora, & an Theologia moralis sit scientia, adhuc sub lite est. Ponitur ergo, *Facultas* loco generis, quia per illam convenit cum aliis facultatibus, a quibus secernitur per sequentes particulas: quia disserere de actibus humanis in ordine ad Deum, ut finem supernaturalem soli Theologiæ morali competit.

Punctum I.

De qualitate Theologiæ Moralis.

6. Inq. 1. An Theologia moralis sit scientia? R. affirm. quia illa facultas est Scientia, quæ ex certis principiis deducit suas conclusiones; sed Theologia moralis suas conclusiones deducit ex certis principiis, nempe ex principiis fidei, quæ omnem certitudinem naturalem excedunt, ergo est vera scientia. Ita D. Thom. *ubi supra art.* 2.

7. Objic. Theologia moralis abundat opinionibus, ergo non est scientia, de cujus ratione est acquiri per demonstrationem. R. Theologiam moralem abundare opinionibus non provenire ex merito ipsius facultatis, sed ex defectu nostri intellectus, originalis peccati labe infecti, ideoque in attingentia veritatis coecutientis; nec Theologia Scholastica deficit a ratione veræ scientiæ, licet in ejus materia non paucæ reperiantur opiniones.

8. Inq. 2. An Theologia moralis sit scientia *entitative* supernaturalis? R. negat. quia scientia, quæ actibus naturalibus acquiritur, est entitative naturalis; sed Theologia moralis acquiritur actibus naturalibus, ergo est entitative naturalis. Confirmatur: ideo virtutes theologicæ, & alia dona nequeunt acquiri nostris actibus, sed infunduntur a Deo, quia sunt entitative supernaturales, ergo Theologia moralis, quæ nostris actibus acquiritur, est *entitative* naturalis.

9. Verum tamen dupliciter est supernaralis Theologia moralis, sicut & scholastica: nempe *radicaliter*, quia procedit ex principiis fidei, & objective, quia ejus objectum est Deus, ut Author supernaturalis. Per quod distinguitur Theologia a Methaphisica, & omni scientia naturali, quarum principia, & objecta sunt mere naturalia.

10. Objic. Scientia habens objectum supernaturale, est entitative supernaturalis; ergo si Theologia habet objectum supernaturale, est entitative supernaturalis. R. Quod Theologia attingit objectum supernaturale medio discursu naturali, qui est causa proxima conclusionis Theologicæ. Intellectus enim, suppositis principiis fidei per discursum naturalem ex præmissis revelatis, infert conclusionem cum eis connexam. Unde ejus effectus, seu habitus ab ipso productus est entitative naturalis. Perquod distinguitur Theologia a fide, quæ non est discursiva, nec ad suos actus indiget discursu.

11. Inq. 3. An Theologia moralis sit scientia simpliciter practica? R. affir. quia Theologia in quantum moralis dirigit intellectum ad rectam praxim; præscribendo regulas ad virtutes exercendas, & vitia profliganda, ergo est simpliciter practica.

12. Objic. 1. Theologia moralis est simpliciter speculativa, erg. non est simpliciter practica. Nam practicum, & speculativum nequeunt adunari in scientia ordinis naturalis. R. quod sicut anima rationalis, licet sit ordinis naturalis, est simul formaliter eminenter sensitiva, & vegetativa, potiori titulo Theologia valet in se adunare practicum, & speculativum, quæ in scientiis in-

fe-

ferioribus se habent, ut differentiæ essentiales. Theologia igitur est simpliciter speculativa, & practica; magis tamen speculativa, quia principalius agit de rebus divinis, quam de actibus humanis, de quibus agit, secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, dicit D. Thom. *ubi supra, art.* 4.

13. Objic. 2. Virtus practica adequate dividitur in prudentiam, & artem; sed Theologia moralis non est prudentia, nec ars: erg. non est practica. R. Antecedens esse verum de virtute practica proxime operativa, ut sunt prudentia, & ars, non tamen de virtute regulativa, ut sunt Ethica, & Medicina, quæ vere sunt facultates practicæ, & hujusmodi est Theologia moralis, quæ regulat hominem ad recte operandum.

14. Inq. 4. An Theologia moralis sit argumentativa? R. affir. quia omnis scientia est argumentativa, in quantum ex propriis principiis deducit conclusiones de suo objecto; sed Theologia Moralis est scientia, ergo est argumentativa. Quod patet ex Apost. *ad Titum* 1. ubi loquens de Episcopo ait: *Ut potens sit exortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*: Patet etiam ex pluribus factis Christi Domini, præcipue, dum arguens confutavit Phariseos, ostendens licitum fuisse Apostolis colligere spicas in Sabbatho propter necessitatem. *Matth.* 12.

15. Pro cujus luce nota, quod Theologia, licet sit una scientia, habet diversa munera, juxta quæ distincta insignitur nomenclatura. Nam dum agit de Deo, ut vero, & cognoscibili dicitur *Scholastica*: dum versatur circa explicationem Scripturę sacræ, ejusque sensuum, appellatur *Expositiva*: dum exponit Methaphoras, & simbola sacra vocatur *Symbolica*: dum agit de Deo, ut bono, amabili, & fruibili in occulta communicatione nostræ animæ, dicitur *Mystica*: dum servit ad regulandos actus humanos in Deum finem supernaturalem, nuncupatur *Moralis*: dum exponit dogmata fidei, dicitur *Dogmatica*: dum denique eadem dogmata, & fidei principia contra hostes defendit, vocatur *Polemica*, *Bellatrix*, seu *Argumentativa*.

16. Inq. 5. Cur Doctores Hispani non agunt ex professo de Theologia Dogmatica? R. quia non est opus valentibus medico, Nota est universo mundo puritas fidei in Hispania, qua gaudet 1. Ex speciali misericordia Dei. 2. Ex peculiari religione, & pietate Regis Catholici. 3. Ex accurata vigilantia sanctæ Inquisitionis. 4. Ex sanitate doctrinæ præsertim Theologiæ positivæ, seu Scholasticæ, quæ rimatur latebras hæresum, easque profunde eviscerat, proterit, & profligat. Ideo Dogmatica in Hispania non est adeo necessaria sicut in aliis Regnis, ubi permittuntur Judæi, & Hæretici, hostes perpetui religionis Catholicæ.

17. Ultra quod Doctores Hispani agentes funditus de Theologia positiva, agunt simul de dogmatica, exponentes & confutantes in una quaque materia hæreses, atque errores sectariorum, ut videre est in omnibus, qui cum magisterio, & pro dignitate scripserunt. D. Thomas in sua mirabili Summa non egit ex professo de Theologia dogmatica; nihilominus cunctos errores, & hæreses antiquos, in ea diserte refutavit, & pro futuris debellandis universalem antidotum Ecclesiæ præparavit, & reliquit.

18. Inq. 6. An Theologia secundum omnes has partes sit una, & eadem scientia specie atoma? R. affir. quia sicut fides est una virtus specie atoma, quia procedit quoad omnia credibilia sub ratione revelationis formalis, ita Theologia est una scientia, quia procedit quoad omnes suas partes sub ratione revelationis virtualis.

19. Inq. 7. An Theologia moralis sit sapientia? R. affir. quia sapientia est cognitio rei per altissimam causam; sed hoc proprie convenit Theologiæ morali, quæ procedit per fidei principia, quæ supra omnes causas naturales eminent, erg. est sapientia. Verum nota, non esse sapientiam, quæ est donum Spiritus sancti; illa enim non acquiritur nostris actibus, sed a Deo infunditur. Sed hęc est sapientia acquisita, excedens omnes scientias humanas, quia procedit per principia altiora.

20. Unde legitime infertur, quod Theologia moralis excedit in dignitate, & certitudine omnes scientias mere naturales. Tum quia materia, circa quam versatur est omnibus excellentior, & sublimior: tum quia principia, per quæ procedit, omnem superant certitudinem humanam. Hæc omnia suaviter alliciunt candidatos ad fervens studium Theologiæ moralis; est quippe altior, nobilior, certior, & utilior omnibus

scientiis mere humanis, ac naturalibus.

Punctum III.

De objecto Theologiæ moralis.

21. Inq. 1. Quid sit objectum formale Theologiæ moralis? R. 1. Objectum formale *quod* Theologiæ moralis est Deus, quia illud est objectum formale scientiæ, ad quod reducuntur omnia, quæ tractantur in ea; sed omnia, quæ tractantur in Theologia morali, ordinantur ad Deum, tamquam ad finem, ut liquet in sacrificiis, sacramentis, legibus, & præceptis, de quibus agit Theologia moralis, erg. Deus est ejus objectum formale *quod*. Unde Theologia dicitur *sermo de Deo*, ut ait D. Thom. *ubi supra art. 7.*

22. R. 2. Objectum formale *quo*, seu ratio formalis *sub qua* Theologiæ moralis est revelatio virtualis. Nam Theologia habet rationem formalem *sub qua* distintam a fide, & Methaphisica, erg. ejus ratio formalis *sub qua* est revelatio virtualis. Patet conseq. quia ex una parte, si haberet pro ratione formali *sub qua* revelationem formalem, conveniret cum fide; & ex alia, si non dependeret a divina revelatione, conveniret cum Metaphisica, ut ex se liquet, nam etiam Metaphisica agit de Deo, erg. ratio *sub qua* Theologiæ moralis nequit esse alia, quam revelatio virtualis.

23. Inq. 2. Quid intelligatur pro revelatione formali, & quid pro virtuali? R. Quod revelatio formalis dicitur veritas immediate de fide, seu propositio expresse contenta in sacra pagina. Revelatio virtualis est veritas mediata de fide, seu propositio legitime deducta ex altera formaliter revelata, *ut Christus est risibilis*, quæ legitime infertur ex hac, *Christus est homo.* Unde omnis propositio immediata de fide est revelatio formalis, & omnis propositio vere Theologica est revelatio virtualis. Revelatio in communi est *amotio velaminis, aut velamenti.* Proprie vero est: *Manifestatio alicujus veritatis, seu mysterii.* Revelationes particulares, quæ fiunt privatis personis, non sunt de fide, nec ad fidem attinent; esto alias ab Ecclesia approbentur.

24. Inq. 3. Quid sit objectum materiale Theologiæ moralis? Esse omnes actus humanos regulabiles per rationem, sive bonos, sive malos: quia illud est objectum materiale cujuslibet scientiæ, de quo illa tractat, & agit; sed Theologia moralis agit, & tractat de omni actu humano imperando. seu consiliando bonum. & inhibendo, seu reprobando malum, erg. ejus objectum materiale sunt actus humani sive boni, sive mali.

Punctum IV.

De locis Theologiæ moralis.

25. Inq. Quæ sint loca, seu fontes, ex quibus sanam haurit doctrinam Theologia moralis? R. Decem, ex quibus Theologia suas debeat probare conclusiones, assignari a doctissimo Cano in suo opere de Locis. 1. Authoritas sacræ Scripturæ, quæ in libris Canonicis continetur. 2 Authoritas traditionum Christi Domini, & Apostolorum. 3. Authoritas Ecclesiæ Catholicæ. 4. Authoritas Conciliorum præsertim generalium. 5. Authoritas Papæ. 6. Authoritas Sanctorum Patrum. 7. Authoritas Theologorum, & Canonistarum. 8. Philosophia, seu ratio naturalis. 9. Authoritas peritorum juris Cæsarei, qui veram & ipsi Philosophiam profitentur. 10. Authoritas Historiæ humanæ, non leviter, aut aniliter, sed gravi, constantique ratione scriptæ, seu traditæ.

26. Ex his locis septem priora sunt Theologiæ propria, & intranea; tria vero posteriora extranea, & solum probabiliter concludentia. Ne igitur eorum notitia penitus careant, qui in Theologia morali instrui cupiunt, breviter de omnibus singillatim aliquid innuemus.

§. I.

De Scriptura sacra.

27. Inq. 1. Quid sit Scriptura sacra? R. Est *verbum Dei formaliter scriptum ipso Deo peculiari Authore.* Dicitur: *ipso Deo peculiari Authore.* Vel quia ipse suo digito legem Decalogi scripsit, vel potius quia ipse dictavit Scriptoribus sacris verba omnia; & hoc modo est Author peculiaris veteris, novique Testamenti.

28. Scriptura igitur sacra, cujus Author

pc-

culiaris est Deus, continetur in *Biblia*, seu *Bibliis*, quæ appellatur *Vulgata*; sola hæc, approbata ab Ecclesia, authentica est. *Biblia* idem est, ac libri. Libri autem in eis contenti septuaginta duo enumerantur, ex quibus quadraginta quinque pertinent ad vetus Testamentum, & viginti septem ad novum. Omnes hos libros ut sacros habemus, & credimus ex Trident. *sess.* 4.

29. Aliqui imperiti Breviarium putant *Biblia*, unde omnes lectiones Breviarii credunt esse de fide, quod crassa ignorantia est. Nam solum sunt de fide lectiones primi nocturni, & alia desumpta ex sacra pagina, ut Psalmi, Capitula, & initia Evangelii officio respondentis. Lectiones vero secundi nocturni, & cætera transcripta ex historia humana, & sanctis Patribus nec sunt de fide, nec excedunt certitudinem humanam.

30. Inq. 2. Quid sit sensus sacræ Scripturæ? R. est *conceptus ab Spiritu sancto intentus, & nobis per Scripturam sanctam manifestatus.* Alius est *litteralis*, alius *spiritualis*. Item *litteralis* alius est *proprius*, alius *improprius*, seu *methaphoricus*. Sensus proprius est ille, quem verba in sua naturali, & propria significatione important. Methaphoricus est, quem verba, non ut sonant, sed improprie, & methaphorice significant: ut dum Christus dicitur *Agnus*, *Petra*, aut *Leo*. Sensus spiritualis, aut mysticus datur, quando res significatæ per voces sunt signa aliorum. Hoc autem tripliciter potest contingere, vel in ordine ad credenda, & ita est sensus allegoricus; vel in ordine ad operanda, & sic est moralis; vel in ordine ad speranda, & sic est anagogicus. Unde.

31. Inq. 3. Quot sint sensus Scripturæ sacræ? R. Sunt quatuor, nempe Litteralis, allegoricus, moralis, & anagogicus. Eorum autem pulchra descriptio continetur sequenti duplici versu:

Litteragesta docet, quid credas allegoria:
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Claritatis gratia sit exemplum illud *Genes.* 1. *Fiat lux*, quod intelligitur litteraliter de luce materiali in mundo: Allegorice de luce Evangelii in Ecclesia Militante: Moraliter de luce gratiæ in homine: & anagogice de luce gloriæ in patria. Eodem modo: *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas. Psal.* 121. potest intelligi litteraliter de urbe Palestinæ, allegorice de Ecclesia Militante, moraliter de anima justi, & anagogice de Jerusalem cælesti.

32. Inq. 4. An in omni textu sacræ scripturæ reperiantur quatuor sensus? R. Non semper: ut patet in illo dulci præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* quo litteraliter intellecto, & satisfacto, nihil amplius desideratur. Verum sub eadem littera aliquando reperitur duplex sensus litteralis proprius, ut *Psalm.* 2. *Ego hodie genui te*, quod proprie, & litteraliter accipitur de generatione æterna, & de temporali Christi Domini, ac etiam de ejus Resurrectione.

33. Inq. 5. An sensus litteralis sit perfectior spirituali? R. Ubi datur sensus litteralis, si bene intelligatur, est perfectior spirituali, quia est primario intentus ab Spiritu sancto. Nec valet dicere: *Littera occidit*, quia littera male intellecta occidit, non vero bene intellecta.

34. Inq. 6. An dentur textus in Scriptura, qui non debeant accipi litteraliter? R. affir. v. g. *Si manus tua dextera scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te*: quæ verba litteraliter accepta, fertur, fuisse occasionem erroris Origenis, qui sibi inepte virilia amputavit. Simile factum hic Romæ anno præterito contigit, & fatuus amputator, licet facti pœnitens, ex vulnere obiit.

35. Inq. 7. Ex quo sensu Scripturæ sacræ sit sumendum argumentum ad credendum, & operandum? R. Ex sensu litterali proprio, ubi habetur, quia est conceptus Spiritus sancti nobis manifestatus, quo nihil firmius excogitari valet. Sacra enim Scriptura est quasi quædam epistola nobis a Deo missa pro nostra instructione, & directione ad vitam æternam consequendam: unde quidquid in ea nobis litteraliter proprie manifestatur, est firmum argumentum, & certa regula ad credendum, & operandum.

36. Ex sensu vero litterali improprio, aut spirituali solum potest sumi argumentum, quando constat Christum, vel ejus Apostolos eo usos fuisse: quia sensus improprius, vel spiritualis varias habet significationes: erg. solum erit certa regula, quando constat de vera ejus significatione ex usu Domini, vel Apostolorum. Ut cum Christus ostendit serpentem a Moyse exal-

ta-

tatum seipsum mystice signasse : *Joan.* 3. Item Jonam in ventre Ceti sui figuram fuisse : *Matth.* 12. Paulus etiam ad *Galat.* 4. in duobus filiis Abrahæ allegorice intelligit duo testamenta, & sic de aliis.

37. Unde a fortiori sequitur ex sensu accommodatitio nunquam posse firmum sumi argumentum; sensus quippe accommodatitius potius est conceptus ab interprete suo arbitrio applicatus, quam a Spiritu sancto intentus. Igitur solus sensus, qui manifeste constat contineri in libris Canonicis, vel ab Ecclesia proponitur, ut legitimus, admittendus est, & ut locus sacræ Scripturæ tenendus.

§. II.

De *Traditionibus.*

38. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit traditio? R. Traditio in communi est *quædam notitia non scripta, sed a primis usque ad nos de gente in gentem oretenus continuata.* Dividitur in *divinum*, *apostolicam*, & *ecclesiasticam.* Divina *est quædam doctrina non scripta, sed a Deo, vel Christo immediate derivata, & de aure in aurem usque ad nos continuata.* Talis fuit in lege naturæ doctrina de mundo a Deo creato, de remedio peccati originalis, de ritibus, quibus Deus colebatur in lege veteri, doctrina de divinitate sacrorum Librorum, de remedio peccati originalis in fœminis : in lege gratiæ de perpetua virginitate Dei genitricis, de septenario numero sacramentorum, & cultu sacrarum Imaginum, & alia hujus generis, quæ licet decursu temporis reperiantur scripta, non tamen constant expresse in libris Canonicis.

39. Traditio Apostolica est, *quædam doctrina ab Apostolis viva voce emanata, & usque ad nos semper continuata.* Talis est institutio quadragesimæ, & observatio diei Dominicæ pro Sabbato. Traditio ecclesiastica est *doctrina post tempora Apostolorum a Prælatis per modum consuetudinis introducta, & usque ad nos semper observata.* Talis est solemnitas quarumdam festivitatum, abstinentia a carnibus, ovis, & lacticiniis certis anni diebus, laudabilis se signandi consuetudo, pius mos utendi aqua benedicta, aliaque ad ritus, & cœremonias spectantia.

40. Inq. 2. Ex qua traditione possit sumi argumentum firmum ad fidem, & bonos mores? R. Ex traditione divina, & apostolica universali, quæ ab hominibus ubique, & semper observata est, firmum depromi argumentum ad fidei dogmata, & mores rite instituendos: Prob. ex *Apost.* 1. *ad Corint.* 11. *v.* 16. Qui opponens contentiosis consuetudinem Ecclesiæ, dicit: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Et ad Thessal. 2. *v.* 2. jubet. *Tenete traditiones.* Prob. ratione : quia Verbum Dei viva voce prolatum, ita infallibile est, ac litteris exaratum, cum ex caractheribus non sortiatur suam infallibilitatem.

41. Traditio mere ecclesiastica licet pari non gaudeat authoritate, ac divina, aut apostolica universalis, est tamen certa regula ad fidem, & bonos mores, itaut esset saltem temerarius, qui eam in dubium revocaret; imo suspectus de hæresi esset, qui contemneret sacramentalia, & alios ritus Ecclesiæ, uti inepte efficiunt Lutherani.

§. III.

De *Ecclesia.*

42. Inq. 1. Quid est Ecclesia? R. Est *Congregatio fidelium baptizatorum ad colendum Deum adunata, cujus caput invisibile est Christus Dominus in cœlis, & visibile summus Pontifex in terris.* Dicitur *Congregatio*, quia Ecclesia in uno solo non consistit, sed ad minus tres, qui in jure dicuntur Capitulum facere, complectitur. *Fidelium baptizatorum* : Quia sine baptismo nemo in Ecclesiam ingreditur. *Ad colendum Deum adunata.* Per quod secernitur vera Ecclesia ab aliis Cœtibus, & Ecclesis profanis, aut politicis. Per ultimas particulas excluduntur ab Ecclesia hæretici, & scismatici, qui misere degunt ab ea segregati absque vero Capite, & legitimo Pastore.

43. Inq. 2. Quinam sint membra Ecclesiæ? R. Ut quis sit Ecclesiæ membrum tria requiri : nempe baptismus fluminis, fides, & obedientia, aut subjectio Romano Pontifici. Unde non baptizati, etsi sint in gratia, aut Catechumeni, vel baptizati separati ab obedientia Pontificis, ut hæretici, & schismatici non sunt membra Ecclesiæ visibilia, vel in facto.

44. Inq. 3. Quot sunt caractheres, seu notæ veræ Ecclesiæ? R. Esse quatuor, nimirum, quod sit *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica*. Est *Una*, ut patet ex Joan. 6. *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Item ex Apost. ad Ephes. 4. *Unum corpus, & unus spiritus, una fides, unum baptisma, unus Deus.* Denique est *una* unitate sacramentorum, & unitate Capitis, nempe summi Pontificis.

45. Est *Sancta*: non quod omnes fideles sint sancti, ut infeliciter delirant hæretici; hoc enim proprium est Ecclesiæ triumphantis; verum in militante mixta sunt vasa aurea, & fictilia, granum, & palea, triticum, & zizania, reperiunturque virgines prudentes, & fatuæ; sed quia ejus doctrina, fides, & sacramenta sunt sancta, & omne, quod profitetur, redolet sanctitatem.

46. Est *Catholica*, aut *Universalis* diffusa a solis ortu usque ad occasum. Nam eadem nunc est, ac erat tempore Apostolorum, quibus dictum fuit; *docete omnes gentes*, eamdem doctrinam tenet, eadem dogmata credit: *Catholica* ergo est, & universalis ratione doctrinæ, quæ ab omnibus vere Christianis ubique, & semper credita fuit, & credi debet.

47. Est *Apostolica*, quia probat, possidet, & conservat successionem suorum Pontificum, & Dogmatum ab ipsismet Apostolis sine ulla interruptione. Nam si velis computare, invenies a D. Petro usque ad Pium VI. feliciter regnantem 251. Pontifices, qui successione continuata sine ulla mutatione in dogmate fidei Navem Ecclesiæ gubernarunt.

48. Inq. 4. An Ecclesia sit visibilis? R. affir. quia caput ejus, nempe Papa, est visibilis, Pastores sunt visibiles, membra, nimirum fideles, ritus, cœremoniæ, & sacramenta sunt etiam visibilia. Si autem inferas, ergo non credimus Ecclesiam, quia quod videtur, non creditur: negatur consequentia, quia aliud videtur, & aliud creditur: videntur sacramenta, & virtus eorum creditur, credimus enim conferre gratiam, quæ non videtur: ita videmus Ecclesiam, sed credimus solum in ea dari veram fidem, spem, gratiam, & charitatem, quæ non videntur. D. August. epist. 166. *ipsa est Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ.*

49. Inq. 5. An argumentum sumptum ab authoritate Ecclesiæ universalis pro fide, & moribus sit firmum? R. affir. quia doctrina Ecclesiæ universalis est infallibilis, utpote Christi sponsæ, cui ipse promisit suam protectionem, & præsentiam. Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi.* Qua ratione ab Apostolo 1. *ad Timoth.* 3. egregie appellatur: *Columna, & firmamentum veritatis.*

§. IV.

De *Conciliis.*

50. Inq. 1. Quid sit Concilium? R. *Congregatio Prælatorum Ecclesiæ ad fidei, morumque controversias definiendas a legitimo Superiore approbata.* Quatuor sunt genera Conciliorum. Nempe: *Generale*, ad quod vocantur Episcopi totius Orbis, quibus præsidet Papa, vel alius ejus nomine, *Nationale*, ad quod vocantur Archiepiscopi, & Episcopi alicujus Regni, vel Nationis, quibus præsidet Patriarcha, vel Primatus. *Provinciale*, ad quod conveniunt Episcopi Provinciæ, quibus præest Archiepiscopus, seu Metropolitanus. *Diœcesanum*, ad quod accedunt Parochi, & Presbyteri unius Diœcesis, Episcopo Præside. Hoc autem non est proprie Concilium, cum solus Episcopus jurisdictionem, & votum decisivum habeat. In omni vero Congregatione, quæ proprie Concilium vocatur, omnes Episcopi, & alii vere gremiales non tantum sunt Consiliarii, sed Judices cum voto decisivo. Papa tamen non tenetur stare præcise eorum votis, nec majori parti, sed saniori, ut infra dicemus. Ita se gesserunt S. Damasus, & S. Leo nolentes confirmare Concilium Ariminense, & Ephesinum secundum, attendentes veritati, potius quam multitudini. Quibus suppositis.

51. Dicend. est 1. Concilium a Papa confirmatum esse certam regulam fidei, & morum: quia Concilium Generale simul cum Papa est Congregatio, cui infallibiliter assistit Dominus; qui *Matth.* 13. dixit: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Item, quia Concilium generale simul cum Papa est tota

Ec-

Ecclesia, quæ nequit errare, alias ejus error tribueretur Christo Domino, & Spiritui Sancto, qui eam regunt. Si autem scire cupias num. ann. Papas. Imperat. Caus. Conciliorum generalium lege quæ sequntur

CONCILIA GENERALIA GRÆCA.

Num.	*Nomin.*	*Annus.*	*Papa.*	*Imperator.*	*Causa.*
1	Nicænum.	325	Silvester 1.....	Constantinus.	(Arius.
	Sardicense appendix Niceni.	347	Julius 1.	(Constans, & (Constantius.	(Eusebii factio.
2	Constantinopolit. 1.	381	Damasus 1...	(Theodosius.....	Macedonius, & Apollinarii.
3	Ephesinum.	431	Celestinus 1.	Theodos. Junior	(Nestorius.
4	Calcedonense.	451	Leo 1....	Marcianus.	(Eutyches.
5	Constantinopolit. 2.	553	Vigilius....	Justinianus.	(Tria Capitula.
6	Constantinopolit. 3.	681	Agatho....	(Constantin. Pogonatus	(Monothelitæ.
	Trullanum quini-sextum.		sine Papa	Justinianus.	Omisio Conditor Canon. in 5. & 6. Synodo.

Nota: Trullan. Concilium signari sine Papa, quia non habet approbationem Ecclesiæ Latinæ quoad omnes Canones, esto plures eorum sint recepti.

7	Nicænum.	787	Adrianus 1.	Constantin, & ejus Mater Irene.	(Iconoclastę.
8	Constantinopolit. 4.	869	Adrianus 2.....	Basil. & August.	(Photii Schisma.

CONCILIA GENERALIA LATINA.

1	Lateranense 1.	1122	Calistus 2..	Henricus 4.	Pax ineunda inter Ecclesiam, & Imperium.
2	Lateranense 2.	1139	Innocent. 2..	Conradus.	(Petrus de Bruis.
3	Lateranense 3.	1179	Alexand.. 3..	Fridericus 1.	(Cathari, & Waldenses.
4	Lateranense 4.	1215	Innocent.. 3..	Fridericus.	Albigenses, Terra Sanc. a Turcis recuperanda.
5	Lugdunense 1.	1245	Innocent. 4..	Fridericus 2.	Expeditio in Terra Sanctam.
6	Lugdunense 2.	1274	Gregor.. 10..	Rodulfus.	Processio Spiritus Sancti a Patre, & Filio.
7	Viennense.	1311	Clemens.. 5..	Henricus.	Templarior destruct. Beguard. & Beguin. Conden.
8	Constantiense.	1414	Durante..... Schisma	Sigismundus.	Schism. toll. Husit, & Wicl.
9	Basiliense ex parte reprob.	1431	Eugenius 4..	Sigismundus.	(Reformanda Eccles.
10	Florentinum.	1438	Eugenius....	Paleologus.	Unio Eccles. Lat. cum Græca.
11	Lateranense 5.	1512	Julius 2,&.. Leo 10.	Maximilianus.	Reformat, & pacificat Eccl.
12	Tridentinum.	1545	Paulus 3....	Carolus 5.	(Lutherani. Calvinistæ.

52. Dicendum est 2. Concilia etiam Nationalia, aut Provincialia authoritate Papæ fulcita, & approbata pro tota Ecclesia, esse regulam certam ad fidem, & recti-

tudinem operationis. Oppositumque affirmare esset temeritas, & error hæresi proximus. Ratio est eadem quæ supra. Quare in diversis Conciliis particularibus plures hæreses sunt damnatæ, Priscilianus Episcopus Abulensis in Toletano primo, a Leone secundo approbato, Helvidius in Telensi, approbato a Siricio, Pelagius in Mylevitano, & Cartaginensi approbatis ab Innocentio Primo, & Zosimo. Et novissime anno 1479. in Complutensi Præside Alfonso Carrillo Archiepiscopo Toletano damnatus fuit a Sixto IV. Petrus de Oxoma, qui illico se publice retractavit. *Vid. Cano de loc. l.* 6. *c.* 7.

53. Dicendum est 3. Quod licet Concilia Nationalia, & Provincialia, vel Diœcesana absque confirmatione Pontificis non gaudeant privilegio infallibilitatis, magnæ tamen sunt authoritatis, eaque consulere debet Theologus pro his, quæ ad peculiarem disciplinam attinent, ut serventur ritus, & consuetudines laudabiles Prælatorum, juxta pias suæ regionis sanctiones. Quia revera hujusmodi Synodis peculiari ratione assistit Spiritus sanctus; ut congregatis in utilitatem, & instructionem fidelium.

54. Dicendum est 4. Nullum Concilium a Papa non confirmatum esse regulam certam pro fide, & moribus : quia nullum Concilium etiam generale firmum, & ratum est absque confirmatione Summi Pontificis : erg. nequit certa esse regula pro fide, & moribus, Antec. patet ex pluribus Conciliis tum generalibus, tum particularibus, quæ in varios errores inciderunt, ut Concilium Basiliense, quod sess. 33. male intelligens decretum Concilii Constanciensis, asseruit hæreticum esse negantem Concilium non esse supra Papam.

55. Erravit etiam Concilium secundum Ephesinum, quod subscripsit erroribus Dioscori, & Eutichianæ hæresi consensit. Item Concilium Ariminense constans sexcentis Episcopis Arianam hæresim propugnavit. Ex quibus, & similibus satis superque constat nullum Concilium quantumvis generale esse infallibile sine authoritate, & confirmatione Summi Pontificis. Constat pariter, quod Papa non tenetur stare pluralitati, aut inclusivæ votorum, sed veritati; quia ejus authoritas non ex votis, sed ex ductu superno indefectibili procedit.

§. V.

De *Summo Pontifice*.

56. Papa dupliciter considerari potest: vel ut est persona privata, & Doctor particularis, quo pacto non agitur de eo in præsenti. Sub hac enim consideratione non dubitamus errare posse, & aliquando de facto errasse; vel ut persona publica, Vicarius Christi, & Doctor universalis loquens ex Cathedra tradens Ecclesiæ doctrinam fidei, & morum. Itaque.

57. Dicendum est Papam, ut Doctorem Ecclesiæ universalis non posse errare circa ea, quæ ad fidem, & mores spectant. Prob. *ex cap.* 22. *Lucæ. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ubi Christus promisit Petro indefectibilitatem in fide, & commisit officium confirmandi fratres suos, hoc est, omnes fideles pusillos, & magnos, absque ulla exceptione, quod privilegium extenditur ad legitimos Petri subcessores; alias promissio parum proficeret Ecclesiæ, quam supra Petrum fundavit, & confirmare voluit, ut in fide perpetuo duraret : erg. Papa ut Doctor Ecclesiæ universalis errare nequit circa ea, quæ ad fidem, & mores pertinent.

58. Hinc infertur Papam esse supra omnia Concilia etiam generalia, proindeque illa subesse ejus authoritati; quod adeo verum existimant aliqui, ut asserant esse de fide : verum alii rectius dicunt oppositum non contra fidem, sed temerarium reputari.

59. Nota duas propositiones damnatas ab Alexandro VIII. nimirum num. 29. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.* Num. 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

60. Objic. 1. Decreta Concilii Constan. & Basilien. supra memorata, in quibus declaratur Conciliumm esse supra Papam. 2. Epistola Synodica ejusdem Concil. Basil.

ubi dicitur certum esse Papam posse errare, & alia hujusmodi, quæ approbata fuerunt ab Eugenio IV. in Bulla, quæ sessione 14. publicata fuit. 3. Nicolaus V. Eugenii successor confirmavit omnia, quæ in dicto Concilio Basiliensi concessa, & decreta fuerunt: erg. Papa fallibilis est, & non supra Concilium generale.

61. R. ad 1. Concilii Constantiensis decretum non posse intelligi absolute, sed pro certo casu, nempe tempore schismatis. Non erat tunc legitimus Papa, adeoque omnes, & quilibet abs dubio tenebantur subjici Concilio generali. Aderant tres, qui se jactabant Pontifices: ergo nullus legitimus. Sed demum die S. Martini anno 1417. electus fuit in ipso Concilio Martinus V. qua electione post tempestatem, qua laborabat Ecclesia, facta est tranquilitas magna.

62. Ad 2. neg. Epistolam Synodicam, & acta Concilii Basil. fuisse approbata ab Eugenio; imo ipse Eugenius illam penitus reprobavit in Bulla expedita anno 1439. in Concilio Florentino, ubi annullat omnia sancita in Basiliensi: quod quidem initio fuit legitimum, utpote authoritate ejusdem Eugenii congregatum, sed in Conciliabulum postea degeneravit. Quod amplius probat nullum Concilium etiam legitime congregatum, ante confirmationem Summi Pontificis esse firmum.

63. Ad 3. respond. Nicolaum V. solum pro bono pacis approbasse decreta Concil. Basil. circa dispensationes, concessiones, beneficia, & alias dignitates, quæ a pseudo Papa Felice, vel a Concilio collata fuerunt. Circa dogmata autem, & in materia juris nihil confirmavit.

64. Inq. 1. An si Papa esset in peccato lethali, adhuc ejus definitio circa fidem, & mores esset infallibilis? R. affirm. quia infallibilitas, & assistentia Spiritus sancti est gratia gratis data, separabilis, & non præcise connexa cum gratia sanctificante.

65. Inq. 2. An ad solum Papam pertineat definire controversias fidei, & morum? R. affirm. quia ad solum Petrum dictum est. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Papa definit controversias fidei, & morum, postquam eas discutiendas, & examinandas Conciliis, vel Congregationibus, aut Theologis designavit. Igitur non est solus in discussione, sed est solus in definitione. Ita omnes cum D. Thom. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2.

66. Inq. 3. An Papa condat articulos fidei? R. neg. quia condere articulos fidei est solius potestatis Dei, aut Christi: ad Papam autem spectat eos declarare, est enim præco Dei, & organum Spiritus sancti ad explicanda, & dirimenda dubia fidei. Unde non potest addere, aut minuere, sed declarare articulos fidei; qui in sacra Scriptura implicite continentur, sed non omnino clare exprimuntur.

§. VI.

De sanctis Patribus.

67. Sancti Patres appellantur, qui vera fide, meritis, doctrina, & insigni sanctitate floruerunt. Loquimur autem de illis, ut Doctoribus in materia fidei, & morum; quod enim in aliis materiis scripserunt, neque est ad præsens, neque ad Theologum proprie attinet.

68. Dicendum est ex unanimi consensu sanctorum Patrum in expositione sacræ Scripturæ, vel circa honestatem operationis firmum sumi argumentum ad fidem, & mores. Assertio est communis Theologorum contra hæreticos, qui parvipendunt authoritatem sanctorum Patrum, sed ejus veritatem comprobarunt non semel suo exemplo Pontifices, & Concilia. Nam Concilium Nicænum primum vocem *homousion* statuit, quia eam a sanctis Patribus accepit. In Concilio Ephesino ex relatis Patrum sententiis Nestorius fuit damnatus; Concilium Tridentinum *sess.* 4. prohibet exponere sacram Scripturam contra sensum, quem tenuit, ac tenet sancta Mater Ecclesia, *aut etiam contra unanimem consensum Patrum.* Merito quidem; ipsi enim sunt sal terræ, & lux mundi ad condiendum populum electum in vera fide, & rectitudine vitæ.

§. VII.

De Theologis, & Canonistis.

69. Dicendum est 1. Unanimem consensum Theologorum toto Orbe difusorum in materia fidei, aut morum esse firmum argumentum, ita ut ei contradicere hæreticum, sive hæresi proximum sit. Quia nul-

lum

lum dogma reperitur omnium Theologorum consensu approbatum, quin idem Ecclesia doceat, & amplectatur; sed dogma approbatum ab Ecclesia firmum est, eique contradicere hæreticum: erg. idem de consensu communi Theologorum dicendum est.

70. Verum cum in aliqua materia sive scholastica, sive morali non omnes conveniunt, tunc quod probabilius apparet, est tenendum; & hoc erit firmum argumentum, licet probabilitatis limites non excedat.

71. Dicendum est 2. Concordem omnium Canonistarum sententiam in legum Ecclesiasticarum interpretatione adeo firmum præbere argumentum, ut ei refragari temerarium sit. Tum quia peritis in arte credendum est; tum quia cum Judices Ecclesiæ unanimem Canonistarum omnium sententiam amplectuntur, sine dubio Ecclesia, quæ ab ipsis regitur, & gubernatur, eam approbare videtur.

72. Nota: Quod dum agitur de rebus non solum ad fidem pertinentibus, sed etiam de rectitudine operationis, sive de honestate morum, authoritas Theologorum authoritati Canonistarum præferenda est. Ita D. Thom. quodlib. 11. *art.* 9. *ad* 1. ubi circa dubium an sit peccatum lethale comedere cum excommunicato, præfert sententiam Theologorum negantium placito Canonistarum affirmantium.

73. Verum dum agitur de legibus mere Ecclesiasticis, de censuris, & officiis, consuetudinibus, præbendis, & similibus, authoritas Canonistarum est præferenda. Quare D. Thom. quodlib. 9. *art.* 5. circa dubium an liceat simul habere plures præbendas, & an lex abrogetur per contrariam consuetudinem, dicit: *Hæc controversia juristis est relinquenda.* Item causæ omnes pro foro fori, seu pro foro externo ad Canonistas spectant; causæ vero pro foro Poli, seu pro foro conscientiæ proprie ad Theologos attinent.

§. VIII.

De *tribus ultimis locis.*

74. Tria posteriora loca, nempe ratio naturalis, seu Philosophia, autoritas peritorum in ea, & in jurisprudentia, & denique historia humana, numquam, nisi accedente particulari approbatione Ecclesiæ, & juxta gradum approbationis, possunt tribuere Theologo firmum argumentum ad fidem, & ad rectitudinem morum. Verum ei juvare multum queunt, si sobrio, rectoque fine, ad veritatem melius penetrandam, & falsitatem evidentius improbandam illis operam dederit. Famulantur enim Theologiæ sicut Ancillæ.

75. Philosophia igitur plurimum deservit ad intelligentiam Theologiæ, quare nemo sine Philosophia naturaliter Theologus evadere potest. Duo extrema in hac parte vitanda sunt. Aliud eorum, qui sola ratione naturali omnia probare intendunt, aliud illorum qui, ea spreta, suas conclusiones sola Scriptura sacra, & sanctis Patribus probare volunt. Utrumque est vitiosum. Ratione ergo naturali utendum est, ut ipsa duce conclusiones Theologiæ clarius percipiantur, ad quas licet non præbeat firmum omnino argumentum, tribuit tamen juxta gradum, vel certitudinis, vel probabilitatis, quam præsefert.

76. Jurisprudentia plurimum etiam Theologo deservire potest; est enim quædam Ethica naturalis, cujus prima præcepta sunt: *honeste vivere, neminem lædere, jus suum unicuique tribuere*, ad quorum observationem pene omnis Theologia ordinatur. Sed quia interminata voluminum, legum, sanctionum, & glossarum multitudine confusa est, solum in his, quæ usu reipublicæ Christianæ recepta sunt, prudens, & firmum argumentum Theologo tribuere potest.

77. Denique Historia humana maxime ecclesiastica non parum utilis est Theologo pro resolutione plurium occurrentium. Est enim quædam recopilatio eorum, quæ sæculis præteritis acciderunt, sine quorum instructione periculo errandi facile exponitur. Imo Theologus sine Historia humana mutus erit. Hinc aliqui alias perspicacis ingenii humana carentes eruditione extra aulam indocti videntur. Unde inepti reperiuntur ad disputandum cum Hæreticis, qui plus humanæ Historiæ, quam veræ Theologiæ vacant.

CAPUT II.

De *actibus humanis.*

Quamvis omnes actus humani sint mora-

les; pauci tamen callent naturam moralitatis: ideo illam ante alia breviter exponere congruum ducimus.

Punctum I.

De *moralitate.*

78. Inq. 1. Unde sumatur nomen moralitatis, seu moralitas? R. sumi a *more*, sicut humanitas ab homine. Quoniam repetitus modus libere operandi dicitur *mos*; unde actus humani repetiti appellantur *mores* boni, vel mali: solumque in illis reperitur moralitas formaliter; si autem alia dicuntur moralia, ut consilia, leges, jura, habitus, & objecta tantum sunt vel respective, relative, effective, aut terminative talia. Ubi enim non est actus liber, non adest moralitas formaliter. Hinc repetiti actus canum, aliorumque brutorum dicuntur *assuetudo*, non *mos*; neque morales, aut mores appellari valent ob defectum libertatis, & cognitionis finis, ex qua actus rationalium secernuntur ab actibus irrationalium. Nam agere propter finem ex ejus cognitione est proprium creaturæ rationalis. D. Thom. 1. 2. *q.* 1. *a.* 7.

79. Inq. 2. Quid sit moralitas? R. moralitas in communi est *respectus realis regulabilitatis, seu commensurabilitatis cum regulis rationis.* Ly *respectus realis* ponitur loco generis, quia in eo convenit moralitas cum potentiis, habitibus, & aliis respectivis, a quibus differt per sequentes particulas. Ex professo autem in hac definitione dicitur *cum regulis rationis*; non vero cum lege, aut præcepto, quia sunt aliqui actus, qui non præcipiuntur directe per aliquam legem, sed manent sub consilio, ut ingressus religionis; emissio voti castitatis, & similia.

80. Ex quibus sequitur 1. essentiam, seu naturam moralitatis consistere in quodam respectu transcendentali ad objectum, ut regulabile per rationem: quia sicut in entibus artificialibus ratio artefacti sita est in ordine ad regulas artis, ita in moralibus ratio moralitatis in ordine, seu relatione ad regula rationis.

81. Verum hujusmodi relatio non est prædicamentalis, quia relatio prædicamentalis non est genus ad contraria; moralitas autem est genus ad contraria, nempe ad bonum, & malum: igitur talis relatio non est prædicamentalis, sed transcendentalis: ad objectum quidem, non vero ad legem, quia furtum v. g. respicit, vel prohibetur per leges diversas specifice, quin ipsum in esse moris specifice distinguatur.

82. Sequitur 2. Moralitatem non esse ens rationis, ut putavit Vazquez: quia moralitas independenter a fictione intellectus est in actibus voluntatis, erg. nequit esse ens rationis, quod tantum habet esse objective in intellectu. Nec pariter est moralitas denominatio pure extrinseca, ut opinatur non sine fundamento Suarez; quia saltem actus voluntatis intrinsece sunt boni, aut mali, & consequenter morales, erg. moralitas non est denominatio extrinseca; *sed inhæret actioni*, ut docet D. Thom. 1. 2. *q.* 18. *a.* 4. *ad* 2.

83. Objic. 1. Moralitas in objectis est ens rationis, aut aliqua denominatio extrinseca, ergo etiam in actibus, cum debeant illis proportionari. Resp. negand. antec. quia moralitas objectiva propria, & proxima non est ens rationis, sed ratio quædam intrinseca objecto indistincta realiter ab ejus entitate, exprimens modum habendi se sub lege tanquam sub regula, cui vel consonat, vel disonat, in quantum terminat voluntatis actum, quæ cum realis sit, optime potest specificare, & terminare habitudinem actus realis.

84. Verum adhuc admisso, quod moralitas objectiva esset ens rationis, non bene infertur, quod similiter debeat esse ens rationis in actibus: quia actus, & objectum non exigunt proportionari in esse rei, sed in esse attingibili: ut patet in Logica, quæ per actum realem attingit objectum, quod est ens rationis.

85. Objic. 2. Idem actus potest transire de bono in malum, quin intrinsece mutetur: ergo moralitas non est aliquid intrinsecum. Antec. patet, tum in actu essus carnium continuati a feria 5. in feriam 6. qui cum sola mutatione extrinseca temporis, & legis transit de bono in malum. Et idem videre licet in pluribus exemplis. R. quod prædictus actus, & alii ejusdem rationis, licet in esse phisico non varientur, semper tamen variantur in esse moris: quia ante prohibtionem habent respectum ad objectum rationi consonum; sed post illam ad objectum rationi dissonum: qui quidem respe-

pectus sunt specifice diversi in esse moris.

86. Objic. 3. Quod actus sit prohibitus, vel non, unice dependet ex voluntate Legislatoris; sed hæc nihil intrinsecum ponit in nostris actibus, ut patet in magistratibus, officiis, & dignitatibus, quæ puræ denominationes extrinsecę sunt a voluntate ea conferentis: ergo. Respond. distinguendo minorem: nihil intrinsecum ponit in nostris actibus immediate, conced. min. mediante lege, & prohibitione, nego min. Supposita enim lege, aut prohibitione resultat in actibus humanis ille respectus conformitatis, vel deformitatis cum objecto prohibito, vel imperato, qui intrinsecus est, & non ponitur immediate a Legislatore, sicut accidit in magistratibus, officiis, & dignitatibus, quæ in sola denominatione extrinseca designantis consistunt.

87. Inq. 3. Quotuplex sit moralitas. Resp. moralitatem dividi adęquate in bonitatem, & malitiam, tamquam in duas species essentiales. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 18. *a.* 5. in *corpore* dicens: *Differentia boni, & mali circa objectum considerata comparatur per se ad rationem, scilicet, secundum quod objectum est ei conveniens, vel non conveniens: Unde manifestum est, quod bonum, & malum diversificant speciem in actibus moralibus, differentiæ enim per se diversificant speciem.*

88. Probatur ratione: Quia moralitas in communi contrahitur per actum conformem, vel diformem ad regulas rationis; sed contracta per actum conformem induit bonitatem; & per diformem, malitiam: ergo moralitas dividitur adæquate in bonitatem, & malitiam. Ex quo fit non dari actus indifferentes in individuo, nec tertiam speciem moralitatis, nempe indifferentiam, quæ sit vera, completa. & perfecta species, sed tantum imperfecta, incompleta, & negativa, eo quod licet secundum speciem, & objective sit indifferens, ut fricare barbam, levare festucam; in individuo tamen, si deliberate fiat, necessario contrahit bonitatem, aut malitiam. Si enim indeliberate procedant, sunt quidem actus hominis: sed non humani. D. Thom. *loc. cit. a.* 8. & 9.

Punctum II.

De libertate requisita ad moralitatem.

89. Inq. 1. Quid sit libertas? R. Est *facultas voluntatis, & rationis habens se ad utrumlibet.* Dividiturque primo in *actualem*, & *potentialem. Actualis* est quando reipsa, & in exercitio operatur homo cum indifferentia; *potentialis* vero dum elicitur operatio sine exercitio talis indifferentię, ut in amentibus, & ebriis. 2. Dividitur in libertatem *contradictionis*, & *contrarietatis*: libertas *contradictionis* consistit in eo, quod voluntas possit agere, & non agere: ut amare, & non amare: libertas autem *contrarietatis* sita est in eo, quod voluntas possit versari circa extrema contraria, ut amor, & odium.

90. Inq. 2. An libertas actualis, vel solum potentialis requiratur essentialiter ad moralitatem? R. Libertatem actualem formalem, sive virtualem, directam, aut indirectam esse omnino necessariam ad moralitatem actus: quia actus moralis debet esse regulabilis per legem, quippe ubi non est lex, nec prævaricatio; sed regulabilitas solum potest reperiri in actibus liberis: ergo libertas actualis, sive virtualis requiritur essentialiter ad moralitatem actus. Prob. min. quod est regulabile debet esse indifferens saltem in sua causa ad unum, vel aliud extremum amplectendum; si enim est necessario determinatum ad unum, per nullam legem potest regulari: ergo regulabilitas quæ est propria moralitatis, solum potest inveniri in actibus liberis formaliter, sive virtualiter. Ita D. Th. 1. 2. *q.* 1. *a.* 1. & *q.* 18. *a.* 9.

91. Oppones 1. Si vir, & fœmina amentes carnaliter se cognoscerent, talis actus esset moralis, cum peccaret de facto, qui eos conjungeret; licet non peccaret, qui duo pecora conjungeret; & tamen talis actus non esset actualiter liber: ergo absque libertate actuali datur actus moralis. R. neg. major. quia talis actus in amentibus non est moralis, ideo nec formaliter malus, sed tantum objective, & per hanc malitiam objectivam distinguitur talis congressus a congressu pecorum; & hæc est ratio cur iste congressus, qui nec objective est malus, possit sine peccato procurari, non vero alius.

92. Oppones 2. Homicidium, aut incestus factus ab ebrio sunt actus non liberi; & tamen sunt morales cum aliqua malitia, cum nullus possit de eis complacere: ergo sunt actus mali per solam libertatem potentialem, vel aptitudinalem. R. neg. min. quia homicidium perpetratum ab ebrio, si nullo modo est prævisum, non est peccatum, & consequenter nec actus moralis respectu illius ob defectum libertatis actualis, & prævisionis; quod autem nemo possit de tali homicidio complacere, oritur ex eo, quod tale homicidium est objective malum, sicut dictum est de congressu amentium. Et omnium horum ratio est: quia homicidium, copula, & alia hujusmodi semper manent sub prohibitione legis; licet a transgressione ejus excusentur amentes, & ebrii ob defectum prævisionis, aut cognitionis actualis, & libertatis requisitæ ad moralitatem. Unde justissime proscripta fuit ab Innocentio XI. propos. 15. quæ docebat: *Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

93. Inq. 3. An sufficiat ad moralitatem libertas contradictionis, an ulterius requiratur libertas contrarietatis? R. salvari moralitatem cum sola libertate contradictionis. Prob. rat. illa libertas sufficit ad moralitatem, quæ sufficit ad meritum; sed ad meritum sufficit libertas contradictionis, ut patet in Christo Domino: ergo etiam sufficit ad moralitatem. Deinde, semel quod actus non sit a natura determinatus, ut sit, vel non sit, potest lex illum ad extremum rationis determinare; sed hoc ipso est commensurabilis cum regulis moralitatis: ergo actus gaudens sola libertate contradictionis, potest esse formaliter moralis. Nec obest quod *Eccles.* 31. laudatur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*: erg. libertas contrarietatis videtur requiri ad moralitatem, & meritum. Nam ad hoc resp. quod ibi solum commendatur præcipue ad meritum libertas contrarietatis, utpote digna majori laude, non vero quia necessaria sit essentialiter ad illud, ut dictum est; cum similiter salvetur meritum cum sola libertate contradictionis.

94. Inq. 4. An libertas requiratur ad moralitatem, ut constitutivum illius, vel solum ut fundamentum? R. Libertatem non esse constitutivum moralitatis, sed solum fundamentum illius: quia ratio liberi, & ratio moris pertinet ad ordines diversos: erg. libertas non est forma constitutiva moralitatis. Ant. patet: quia ratio liberi pertinet ad ordinem phisicum naturæ, sicut gradus intellectivus; ratio vero moris pertinet ad ordinem moralem. Tum sic: sed quæ pertinent ad distinctos ordines, seu genera, phisicum videlicet, & morale non sunt formaliter idem: ergo neque libertas est idem formaliter cum moralitate. Deinde: antequam intelligamus moralitatem in actibus, intelligimus libertatem, hoc est voluntatem libere velle, aut nolle quod ei ab intellectu proponitur: ergo licet libertas requiratur essentialiter, ut fundamentum moralitatis, non tamen est ipsa moralitas.

95. Objic. 1 Posita libertate in actu, ponuntur proprietates moralitatis, nempe esse dignum laude, aut vituperio: ergo ponitur etiam ejus essentia. R. Quod proprietates moralitatis, ut præmium, aut supplicium, præsupponunt essentialiter libertatem illamque comitantur, non vero oriuntur ab ipsa tamquam ab essentia, sed solum tamquam a fundamento ipsius moralitatis: hæc enim contracta per bonitatem gignit actum dignum laude, & præmio; per malitiam, supplicio, & vituperio.

96. Objic. 2. Ideo odium Dei in amente, & motus primo primi de objecto peccaminoso non sunt bona, aut mala, quia non sunt libera: ergo libertas constituit esse morale. R. dist. antec. quia non sunt libera *præsuppositive* conc. min. *formaliter*, neg. min. & conseq. quia tales actus, & motus ideo non sunt boni, aut mali, quia deficit illis fundamentum moralitatis, nempe libertas: non quia hæc sit forma constitutiva moralitatis, & malitiæ: libertas igitur invariata manens eodem modo respicit objectum, sive consonum, sive disonum regulis morum: quod evidenter probat non esse constitutivum moralitatis, sed quid præsuppositum ad illam.

Punctum III.

De voluntario.

97. Inq. 1. Quid sit voluntarium? R. Est *quod procedit ab intrinseco cum cognitione fi-*

finis: dividitur in voluntarium *necessarium*, & *liberum*. *Necessarium* est, quod procedit a voluntate determinata ad actum: v. g. amor, quo beati diligunt Deum, qui taliter a voluntate procedit, ut non possit ab eo cessare. Voluntarium *liberum* est, quod procedit a voluntate cum plena indifferentia, ut communiter accidit in actibus nostræ voluntatis. Deinde voluntarium liberum dividitur in *perfectum*, quod egreditur a voluntate cum plena cognitione; & in *imperfectum*, quod egreditur cum semiplena cognitione. Rursus aliud est voluntarium *formale*, ut actus ipse volendi, aliud *virtuale*, ut continuatio non interrupta ipsius actus formalis. Præterea aliud est voluntarium *phisicum*, ut cum aliquis per se ipsum operatur: & aliud *morale*, ut cum in nomine alterius quis operatur, ut in consilio, aut mandato. Aliud insuper est voluntarium *expressum*, ut volo deambulare, aliud *implicitum*, & *interpretativum*, quod quamvis expresse non intendatur; tamen ex facto, vel omissione illi imputatur: quod etiam indirectum appellatur, ut in muto, non obstante, non manifestante, cum tenentur loqui, obstare, & manifestare, & non faciunt. Et idem est in eo, qui ludo vacat, dum erat sacrum audiendum. Tandem aliud est *voluntarium in se*: ut dum volo largiri elemosynam: aliud voluntarium *in causa*: ut dum quis se inebriat, prævidens se in ebrietate blasfemias prolaturum.

98. Inq. 2. An voluntarium requiratur essentialiter ad moralitatem? R. affir. sic D. Thom. in 2. *dist.* 24. *art.* 2. *Ibi incipit genus moris, ubi incipit dominium voluntatis*. Prob. ratione: quia omnis actus moralis debet esse bonus, vel malus; sed ut sit bonus, vel malus debet essentialiter esse voluntarius: ergo voluntarium requiritur essentialiter ad moralitatem. Prob. minor. quia non imputatur voluntati actus, qui ab ipsa non egreditur, ut per se patet: ergo omnis actus, ut sit bonus, vel malus debet egredi a voluntate, & consequenter esse voluntarius.

99. Objic. Omissio peccaminosa est voluntaria; & tamen non egreditur a voluntate, cum sit privatio: ergo ut actus moralis sit malus, vel bonus non requiritur præcise, quod egrediatur a voluntate. R. quod omne peccatum necessario a voluntate debet procedere: quia ut inquit D. Aug. lib. *De vera Religione cap.* 14. *Aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est a voluntate commiti.* Omissio ergo, licet mera privatio sit, nequit esse peccaminosa absque alio actu voluntatis præcedente, vel concomitante, ratione cujus est volita, & suo modo egreditur a voluntate, constituiturque voluntaria, & moralis.

100. Inq. 3. An voluntarium, & liberum sit formaliter idem? R. neg. quia liberum ad sui consistentiam necessario exigit indifferentiam judicii, & facultatem ad posse agere, & non agere; voluntarium vero solum importat, quod procedat a voluntate cum cognitione finis, ut finis, hoc est, ut cognoscat proportionem mediorum cum eodem fine, in quo secernitur homo a brutis, sed præscindit quantum est ex se, quod actus sit liber, vel necessarius. Et hinc infertur omne liberum esse voluntarium, sed non econtra: quia voluntarium est quid superius, & latius, quam liberum; unde amor beatorum erga Deum est voluntarius, non vero liber: quod potiori ratione verum tenet de amore æterno, quo Personæ Divinæ infinite se diligunt.

Punctum IV.

De involuntario, & ejus causis.

101. Inq. Quid sit involuntarium? R. est *quod procedit ab extrinseco, vel sine cognitione finis*. Definitio est clara; ideo enim aliquid est involuntarium, vel quia procedit ab extrinseco, vel quia procedit ab intrinseco sine cognitione finis. Quatuor sunt causæ involuntarii nempe *violentia*, *metus*, *concupiscentia*, & *ignorantia*, de quibus quidquam sigillatim dici oportet pro involuntarii majori luce. Ex D. Thom. 1. 2. *q.* 6.

§. I.

De violentia.

102. Inq. 1. Quid sit violentum? R. est *quod procedit ab extrinseco, passo non conferente vim*. Unde duo requiruntur ad violentum: primum quod principium violentiæ sit extrinsecum, quia si esset intrinsecum, esset naturale. Secundum, quod violentiæ subjectum in eam non influat per

suam vim, aut virtutem, sed resistat positive. Violentia differt a coactione in eo, quod hæc proprie solum reperitur in viventibus, quia opponitur proprio voluntario; violentum autem etiam in non viventibus adest, ut in lapide sursum projecto. Conueniunt in eo, quod nec violentia, nec coactio simpliciter talis reperitur, ubi deficit resistentia positiva. Unde verus Martyr non patitur violentus, aut coactus, quia non resistit positive tormentis, nec tortoribus, esto eorum iniquæ actioni repugnet.

103. Inq. 2. An voluntas possit pati violentiam in suis actibus? R. neg. quia actus voluntatis essentialiter sunt voluntarii: ergo nequeunt esse violenti, aut coacti. Unde in velle, & nolle, aut in amore, & odio, a nemine potest cogi voluntas, quia sunt actus ab ipsa eliciti, proindeque essentialiter voluntarii. Potest autem pati violentiam a Deo quoad cessationem suorum actuum; quia potest Deus negare concursum, ad illos eliciendos, vel continuandos. Valet etiam voluntas pati violentiam, quoad actus ab ipsa imperatos, sed ab aliis potentiis eliciendos, ut ad oculos aperiendos, quos ipsa vult clausos, vel ad alias actiones corporeas. Adverte tamen non facile esse credendas fœminas dicentes sibi viros vim intulisse; sæpe enim sic Judices fallunt. At multo minus sunt credendæ quædam mysticæ falsæ, asserentes se a Dœmone ad inhonesta coactas fuisse; quia licet id methaphisice non repugnet, repugnat tamen modo ordinario Providentiæ divinæ, & honestati profectus spiritualis.

104. Ex dictis infertur nullum actum simpliciter violentum esse moralem, atque adeo neque bonum, neque malum, meritorium, vel demeritorium; quia tota moralitas, & ratio meriti, & demeriti fundatur supra rationem voluntarii, quod destruit violentum, cum causet involuntarium: qua ratione non erit validum baptisma v. g. violenter receptum.

§. II.

De metu.

105. Inq. 1. Quid sit metus? R. Est passio, *qua refugimus malum futurum, cui resisti non potest.* Ita D. Thom. 1. 2. q. 41. Metus alius est ab *intrinseco*, ut ab infirmitate, naufragio, incendio, & dicitur ab intrinseco, quia metuens ipse sibi talem obligationem imponit, ut periculum evadat; alius est ab *extrinseco*, nempe a causa libera ad aliquid cogente: qui subdividitur in metum *juste*, & *injuste* incussum. Metus justus est, cum quis minatur malum, quod juste inferre potest. Metus vero injustus, cum qui malum minatur, juste illum inferre nequit. Præterea alius dicitur metus absolute gravis, seu cadens in virum constantem; alius absolute levis, seu cadens in virum inconstantem. Primus est, qui rationabiliter potest commovere virum constantem. Pro quo quinque conditiones assignantur. 1. Ut malum, quod timetur, sit grave; ut mors, mutilatio, exilium, aut aliud dispendium grave famæ, honoris, divitiarum, vel in sua persona, vel in aliis conjunctis. 2. Ut non vane, & leviter id a timente existimetur. 3. Quod metum incutiens potens sit minas executioni mandare. 4. Ut minitans sit solitus ita exequi. 5. Quod tale periculum nequeat facile a timente vitari. Metus viri inconstantis per oppositum dicitur, cui aliqua ex dictis conditionibus defuerit. Denique alius est metus incussus ex fine extorquendi consensum, alius ex altero fine. Nota, quod metus est considerandus gravis, aut levis respective, nam metus levis respectu viri potest dici gravis respectu fœminæ, aut e contra.

106. Inq. 2. An actus facti ex metu gravi sint simpliciter voluntarii? R. affirm. Prob. ratione, quia id quod est juxta inclinationem efficacem voluntatis, & egreditur ab illa, est simpliciter voluntarium; sed projectio v.g. mercis in mare ex metu mortis est hujusmodi: ergo simpliciter est voluntaria; alias projectio mercis est nolita inefficaciter, quia est contra inclinationem conservandi merces: ergo involuntaria est, sed solum secundum quid. Itaque in illa projectione mercis triplex actus voluntatis reperitur: primus simplex amor conservandi merces. Secundus amor efficax conservandi vitam. Tertius est electio efficax projectionis mercium ad conservandam vitam, idest electio minoris mali ad evitandum majus. Unde actus, & contractus facti ex metu sunt voluntarii simpliciter, & involun-

luntarii solum secundum quid. Ita D. Th. 1. 2. *q.* 6. *art.* 6.

107. Obj. 1. Observatio mandatorum Dei ob metum inferni non est mixta ex voluntario, & involuntario, ergo non omnia, quæ fiunt ex metu afferunt involuntarium. Prob. ant. nam tunc non datur nolitio observationis mandatorum, quia si daretur, esset peccaminosa, contra id, quod a Trident. definitum est *sess.* 6. *Canon.* 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, anathema sit*: ergo. R. quod quando objectum per metum electum secundum se est bonum, ut in præsenti, in ejus electione non debet necessario procedere aliqua nolitio, & propterea observatio legis ob metum gehennæ non debet esse involuntaria ullo modo: assertum autem solum intelligitur de electione objecti, quod secundum se est malum, & tamen voluntas illud amplectitur ad evitandum majus malum. Si vero contingat, quod procedat aliqua nolitio circa opus præceptum, distinctione utendum est: nam hujusmodi nolitio vel terminatur ad opus, ut præceptum, in qua includitur hic actus, *si non esset infernus, non observarem legem*, & tunc ille affectus est improbus: vel terminatur ad opus præceptum, prout affert aliquid molestiæ, & laboris, & tunc observatio præcepti est bona; licet mixta ex voluntario, & aliquo involuntario, seu repugnantia partis inferioris.

108. Objic. 2. Metus gravis excusat a culpa violantem legem, & ita qui frangit jejunium, & omittit sacrum ex metu gravis damni non peccat; sed non alia ratione potest excusari a culpa, nisi quia talis fractio est involuntaria, ergo operatio facta ex metu gravi non est simpliciter voluntaria. R. Negando min. fractio enim illa simpliciter voluntaria est: sed ideo vacat a culpa, quia leges humanæ, & aliquæ divinæ, ut suis locis dicetur, non obligant cum periculo gravis damni.

109. Objic. 3. Plures contractus ex gravi metu facti sunt invalidi, ut matrimonium, professio religiosa, & alii, ergo metus causat involuntarium simpliciter. R. neg. conseq. Contractus illi voluntarii simpliciter sunt, ideo jure naturæ validi; jus vero positivum rationabiliter potuit illos irritare, & de facto irritat ob bonum reipublicæ, & ut plena libertas servetur, & injuria propulsetur.

§. III.

De concupiscentia.

110. Inq. Quid intelligitur nomine concupiscentiæ, quæ minuit voluntarium? R. quod intelligitur *vehemens passio appetitus sensitivi circa aliquod objectum delectabile.* Alia est *antecedens*, quia præcedit actum rationis, & voluntatis, & est causa illius, ut dum ex aspectu inimici accenditur ira ad vindictam: alia est *consequens*, quia consequitur actum voluntatis, & non minuit, sed auget voluntarium, ut recogitatio injuriæ sibi illatæ pro acerbiori vindicta.

111. Concupiscentia ergo antecedens licet augeat voluntarium imperfectum; attamen minuit voluntarium perfectum, & liberum, quia de ratione voluntarii perfecti est, quod procedat ex perfecta cognitione finis, & circumstantiarum, sed concupiscentia antecedens minuit hanc cognitionem finis, & interdum tollit, vel impedit eam, ut experientia liquet: videmus enim, quod ad incrementum, vel decrementum passionis etiam augetur, vel minuitur advertentia in finem, & proportionem mediorum cum illo, necnon in omnes circumstantias, quæ occurrunt, & talis passio ita potest crescere, & aliquando crescit, ut totaliter absorbeat usum rationis, & aliqui fiant amentes: ergo concupiscentia minuit, & aliquando tollit voluntarium perfectum liberum. Idemque dicendum est de quacumque passione vehementi.

112. Unde gravius peccat, qui deteriori vino, quam qui nobiliori se inebriat: quia in isto est major excitatio concupiscentiæ, & minus de voluntario perfecto, & libero, licet in alio sit magis de voluntario bestiali, & imperfecto.

113. Pro quo nota, triplicem esse gradum voluntarii. Primus est communis brutis, & rationalibus, ac consistit in eo, quod actus sit a principio intrinseco cum cognitione finis, vel objecti: qui actus absolute dicitur voluntarius, esto imperfectus. Secundus consistit in eo, quod actus sit cum cognitione etiam circumstantiarum objecti, & dicitur voluntarius perfectus. Ter-

tius in eo, quod actus fiat cum indifferentia, & omnimoda libertate, & dicitur voluntarius liber. concupiscentia igitur, lices sæpe acuat voluntarium imperfectum, ut patet in primo ebrio; minuit tamen voluntarium perfectum, & liberum, quia passio vehemens perturbat rationem, ita ut aliquando auferat libertatem, ut patet in amentibus v. g. ex tristitia. Ex quo provenit, quod concupiscentia antecedens minuat voluntarium perfectum, & consequenter peccatum. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 7.

§. IV.

De ignorantia.

114. Inq. 1. Quid sit ignorantia? R. Quod ignorantia in communi est *carentia cognitionis*. Verum prout in præsenti est *carentia scientiæ possibilis adipisci*: ad distinctionem nescientiæ, quæ est *carentia notitiæ eorum, ad quæ quis non tenetur*, ut an sydera sint paria. Quidquid dictum fuerit de ignorantia, applicari debet inconsiderationi, quæ est *carentia debitæ inspectionis*: oblivioni, quæ est *carentia debitæ recordationis*; & inadvertentiæ, quæ est *carentia debitæ considerationis*: sunt enim culpabiles, vel non, eodem modo, ac ipsa ignorantia juxta infra dicenda.

115. Inq. 2. Quotuplex sit ignorantia? R. Est multiplex; potest enim dividi, vel ex parte *subjecti*, vel ex parte *objecti*: vel ex parte *temporis*: vel ex parte *voluntatis, & culpæ*. Primo igitur dividitur ignorantia ex parte subjecti in *negativam, privativam, & positivam*. Negativa est *carentia cognitionis in subjecto inepto*; ut in lapide, & perpetuo amente. Privativa est *carentia cognitionis in subjecto apto ad illam*: ut ignorantia fidei in homine adulto. Positiva est *carentia cognitionis cum positivo errore*: quæ etiam appellatur *ignorantia pravæ dispositionis*. Ut si quis ignorat hunc contractum esse usurarium, habet ignorantiam privativam, vel puræ privationis; si vero ulterius putet contractum usurarium esse licitum, habet iguorantiam positivam, vel pravæ dispositionis. Privativa ignorantia potest esse, vel habitualis, vel actualis; dum vero est actualis proprius dicitur oblivio, inadvertentia, seu inconsideratio, quam ignorantia.

116. *Secundo.* Ex parte *objecti* dividitur in ignorantiam *juris, facti, & pœnæ*. Ignorantia juris est *carentia cognitionis legis, aut præcepti*. Ut si quis ignorat tali die esse præceptum jejunandi. Ignorantia *facti* datur, quando lex quidem scitur, sed ignoratur factum. Ut si quis sciens stare censuram contra occisores clerici, ignoret hunc, quem occidit, esse clericum. Ignorantia denique *pœnæ* est, quando scitur lex, ignoratur tamen pœna a lege imposita: ut qui sciret homicidium esse prohibitum etiam ab Ecclesia, ignorat tamen pœnam irregularitatis.

117. *Tertio* dividitur ignorantia ex parte *temporis* in ignorantiam *antecedentem, concomitantem, consequentem. Antecedens* est, & dicitur, quia antecedit consensum liberum voluntatis, & coincidit cum invincibili, qua deficiente, actus non fieret, ut occidens hominem judicans invincibiliter esse feram. Ignorantia *concomitans* est illa, que comitatur actum voluntatis, taliter, ut sine illa effectus eodem modo fieret: ut cum Joannes occidit inimicum, credens esse feram, quem tamen eodem modo occideret, si sciret esse inimicum: hæc ignorantia reducitur ad invincibilem, si aposuit diligentias debitas, & ad vincibilem, si ommisit. Dum est invincibilis, non est peccaminosa in se ipsa, quia non influit in homicidium: arguit tamen occidentem esse in peccato: quia est in præparatione animi ad occisionem inimici. Ignorantia *consequens* est carentia cognitionis consequens voluntatem: ut ignorantia præceptorum in eo, qui positive non vult edoceri.

118. *Quarto* dividitur ignorantia ex parte *voluntatis*, & *culpæ* in *invincibilem*, & *vincibilem. Invincibilis* est *carentia cognitionis, quæ, prudenti adhibita diligentia, acquiri non potuit*; & ideo inculpabilis est. Soletque appellari antecedens, & probabilis. Ignorantia *vincibilis* (quæ solet dici voluntaria, injusta, improbabilis, & consequens) est, quæ prudenti diligentia vinci potest.

119. *Ultimo* dividitur ignorantia vincibilis in *affectatam, crassam, & supinam*. Affectata est, *qua quis, data opera, & ex consilio vult ignorare, ut liberius peccet*: juxta illud Psalm. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Ignorantia *crassa*, & *supina*

na parum inter se differunt : *Crassa est, quando aliquis maxima desidia detentus, fere nullam diligentiam apponit, in addiscendo ea, ad quæ tenetur* : admodum quo homines crassi desides esse solent. *Supina est, quando parva adhibetur cura ad eam depellendam* : sicut qui in lecto supinus jacet, nihil, vel parum de rebus curans.

120. *Præterea*: alia est ignorantia, quæ *pure vincibilis* dicitur, & consistit in eo, quod quis apponat majorem diligentiam, quam ad depellendam *crassam*,& *supinam*; sed non tantam, ut res, & circumstantiæ exigunt, ut a peccato excusetur. Prob. ratione, quia ignorantia *crassa*, aut *supina* est quando modica, aut exigua ponitur diligentia ad discendum; sed potest aliquis peccare mortaliter apponendo majorem diligentiam, licet non eam, quæ necessaria est ad non peccandum mortaliter, ergo potest dari ignorantia mortaliter culpabilis, quin sit crassa, vel supina. Prob. min. Supponamus diligentiam necessariam ad mortaliter non peccandum debere esse ut decem : si quis tunc apponit diligentiam ut duo, vel tres, aliquam diligentiam apponit, sed adeo exiguam, ut pro nulla reputetur : & sic tunc peccabit ex ignorantia crassa, aut supina, si vero alter ponat diligentiam ut octo, etiam peccabit mortaliter, non tamen ex summa negligentia, quia fere accedit ad diligentiam necessariam ad non peccandum mortaliter, ergo hic, licet peccet, non bene dici potest peccare ex ignorantia crassa, aut supina, sed alia pure vincibili, & mortaliter culpabili. Unde dabilis est ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non sit crassa, aut supina.

§. V.

Quando ignorantia sit peccaminosa.

121. Inq. 1. An ignorantia causet involuntarium? R. 1. Ignorantiam invincibilem antecedentem causare involuntarium simpliciter respectu illius objecti, vel circumstantiæ, de quibus est ignorantia. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. Ratio patet, quia non datur voluntarium sine prævia cognitione ; sed ignorantia invincibilis antecedens tollit cognitionem objecti, vel circumstantiæ, ergo causat involuntarium simpliciter.

122. Resp. 2. Ignorantiam concomitantem non causare involuntarium, neque voluntarium, sed non voluntarium. Sic D. Thom. *ibidem* : & ratio est, quia nequit causare voluntarium, cum objectum sit omnino ignotum, & sine debito cognoscendi, nam si staret debitum, esset antecedens vincibilis : neque causat involuntarium, quia actus nec displicet, nec repugnat voluntati, ergo tantum efficit non voluntarium.

123. Resp. 3. Ignorantiam vincibilem minuere voluntarium ; affectatam vero illud regulariter augere ; quia ignorantia vincibilis minuit cognitionem, ergo minuit voluntarium ; sed quia affectata regulariter impedit cognitionem, ut liberius peccet,ideo regulariter auget voluntarium: diximus regulariter, quia si procedat ex motivo desidiæ, aliquantulum diminuit.

124. Inq. 2. An ignorantia vincibilis sit in se formaliter peccatum,& distinctum ab eo, cujus est causa? Supponitur 1. ignorantiam invincibilem non esse peccatum neque in se, neque in sua causa, vel effectu, quia ut dictum est, tollit voluntarium. Supponimus 2. ignorantiam vincibilem esse peccatum in sua causa, vel effectu, quia veritas catholica est dari peccata ignorantiæ, juxta illud Psalm. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris ;* sed hæc non sunt peccata ignorantiæ invincibilis, ergo vincibilis. Ergo ista est peccatum, saltem in sua causa, vel effectu : his suppositis.

125. R. Ignorantiam actualem vincibilem esse formaliter peccatum in se ipsa: & ratio est, quia omissio in actu secundo voluntaria actus debiti est in se formaliter peccatum; sed ignorantia actualis est omissio voluntaria in actu secundo actus debiti, nempe debitæ cognitionis, ergo est in se formaliter peccatum : quod quidem peccatum distinctum est ab illo peccato,cujus est causa ipsa ignorantia.

126. Pro cujus majori intelligentia nota: quod ignorantia potest prohiberi propter se, & etiam propter opus præceptum: quando ergo ignorantia prohibetur propter se, & ratione sui est distinctum peccatum oppositum per defectum virtuti studiositatis, pertinensque ad vitium negligentiæ: ut ignorantia mysteriorum fidei quan-

quando vero non prohibetur propter se, sed ratione operis præcepti, tunc ipsa ignorantia actualis non est peccatum distinctum ab omissione operis præcepti, ut ignorantia diei festi, quæ non est peccatum diversum ab omissione auditionis sacri. Et si scire velis, quandonam in particulari ignorantia est diversum peccatum, & prohibita propter se? Dicitur, quod semper, ac omittitur illa scientia, ad quam quis tenetur ratione sui officii, & status. Unde omnes tenentur scire mysteria fidei præcipua, leges communes ad mores pertinentes, nempe præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, & quæ concernunt sacramenta; præterea quisque tenetur scire leges, & statuta ad proprium statum, & officium pertinentia.

127. Ex quo patet Prælatum, Confessarium, judicem, advocatum &c. lethaliter peccare, quoties munera, & leges sui officii scire negligunt; non solum in ipsa negligentia, sed tot peccata committere, quot secuntur, aut sequi possunt ex illa ignorantia, quorum periculum proximum prævidetur in causa, aut prudenter, & moraliter timeri potest. Hæc præ oculis habeant Confessarii illi, qui vix summam moralem salutarunt, & sine discrimine omnium confessiones excipiunt, quorum culparum, & errorum solus Deus testis, & judex erit, reddens unicuique juxta opera sua.

128. Inq. 3. Quomodo cognoscetur, quod ignorantia sit vincibilis? R. Quoties in principio, vel toto operationis processu nulla subest cogitatio, advertentia, aut recordatio actualis, seu virtualis directa, vel indirecta, particularis, vel in confuso circa obligationem, si sit ignorantia juris, vel circa conditionem objecti, si sit ignorantia facti, esse ignorantiam invincibilem. Ratio est: quia seclusa omnino tali advertentia, non habet homo sufficiens principium, unde possit circa ea, quæ ignorat, discurrere, & inquirere; superat enim humanam diligentiam, expellere ignorantiam illius rei, cujus nulla prorsus ocurrit cogitatio, aut recordatio. Idque verum esse affirmamus, etiamsi cognoscatur totum objectum in esse phisico, non vero in esse morali: quia cognitio precise entitatis phisicæ non est sufficiens principium inquirendi circa moralitatem. Nota tamen esse quædam objecta, vel actus, nempe odium Dei, blasphemia, homicidium, & similia, quorum malitia est adeo per se nota, ut a nullo plene advertente entitatem, possit saltem sub dubio, vel scrupulo non adverti. Unde difficilius possunt excusari propter ignorantiam peccata, quæ sunt contra jus naturæ, quam alia, quæ versantur contra jus positivum. Non potest dari ignorantia invincibilis de existentia Dei.

129. Ex quibus infertur 1. Ignorantiam esse vincibilem, quoties circa obligationem, vel objectum in esse morali adest aliqua cogitatio, advertentia, vel dubium, & non apponitur diligentia sufficiens adinveniendam veritatem. Hæc autem diligentia debet esse gravis, & prudens, proportionata præceptorum dignitati, & naturæ negotii, aut objecti; ita ut major sit apponenda in materia juris naturalis, & divini, quam circa præcepta juris humani.

130. Infertur 2. Quod, dum ignorantia prohibetur per se, & ratione sui, est peccatum ignorantiæ oppositum virtuti studiositatis per defectum, aperiendum necessario in confessione; cum vero ignorantia prohibetur non per se, sed ratione alterius præcepti, peccatum commissum cum ipsa, vel propter illam, est unicum, & ejusdem speciei, ac si scienter committeretur: ut omissio auditionis sacri ex ignorantia vincibili est unicum peccatum, & ejusdem speciei, ac si scienter omitteretur.

PUNCTUM V.

De regulis moralitatis.

131. Inq. 1. Quot, & quæ sint regulæ moralitatis? R. Sunt duæ. Prima universalis extrinseca, & remota est lex æterna; divina scilicet mens, seu ratio Dei omnis rectitudinis indefectibile exemplar: secunda vero, proxima, intrinseca, & homogenea regula moralitatis est dictamen practicum rationis, seu conscientia: sic D. Thom. 1. 2. *q.* 71. *art.* 6.

132. Prob. ratione prima pars assertionis. Regula prima moralitatis debet esse indefectibilis in dirigendo actus morales in proprium finem, qui est Deus; sed nulla

na-

natura rationalis, nec creatura potest esse indefectibilis regula dirigens in Deum, sed solum lex æterna in mente divina existens: ergo sola hæc est firma regula moralitatis.

133. Secunda pars etiam probatur: nam illa est regula firma, & intrinseca moralitatis, per quam nobis intimatur lex æterna indefectibilis; sed hoc fit per dictamen practicum rationis, seu conscientiæ, teste Propheta Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* : ergo secunda regula moralitatis, & proxima est conscientia.

134. Inq. 2. Utrum de essentia moralitatis sit esse juxta, vel contra aliquam ex dictis regulis? R. affir. Ideo enim actus humani sunt boni, vel mali, quia per legem æternam, vel sunt præcepti, vel prohibiti. Quoniam omnis malitia est contra dictamen rationis; sed hoc dictamen est ipsa lex naturalis, ergo omnis malitia moralis est contra legem æternam, cujus participatio est lex naturalis in nobis. Prob. maj. Nam etiam illa, quæ intrinsece sunt mala, si contra dictamen rationis non sunt, peccata non sunt: ut patet in eo, qui ex ignorantia invincibili furatur ad elargiendam eleemosinam, qui ideo non peccat, quia non operatur contra dictamen rationis, quod est proxima regula moralitatis, erg. omnis malitia debet esse talis; quia est contra legem æternam, & naturalem, seu dictamen rationis. Idem est de bonitate.

135. Objic. 1. In odio Dei v. g. datur aliqua malitia ratione cujus prohibeatur per legem æternam, & naturalem, ergo datur aliqua moralitas, quæ non sit contra regulas assignatas. Ant. prob. nam aliquid est in odio Dei, vi cujus a Deo prohibeatur, quod minime in Dei amore reperitur; sed nihil aliud potest esse, quam aliqua malitia, erg. datur hæc ante legem æternam, & naturalem: & ideo solet dici de talibus, quod sunt prohibita quia mala, ergo hoc malum existit pro priori ad prohibitionem, & legem.

136. R. Odium Dei, & alia, quæ opponuntur juri naturali, esse mala pro priori ad legem æternam, illa prohibentem; non mala *formaliter*, sed solum *fundamentaliter*, consistens in eo, quod tales actus repugnant alicui prædicato divino v. g. odium Dei, bonitati divinæ : mendacium summæ veracitati: quæ quidem malitia fundamentalis est motivum sufficiens, ut prohibeantur. At vero malitia formalis horum actuum unice desumitur ex eo, quod lex æterna, & naturalis, quæ est ejus participatio, illam prohibeant. Unde dum dicimus, quod sunt prohibita, quia mala, solum mala fundamentaliter intelligi oportet; non vero formaliter: quia ut inquit Apost. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.*

137. Objic. 2. Actus consilii, & supererogationis sunt boni; & tamen non sunt tales per conformitatem ad aliquam legem, cum sint extra præceptum, erg. datur bonitas, & non secundum regulas assignatas. R. Quod opera consilii, & supererogationis, licet non cadant sub aliqua lege absolute, bene tamen ex suppositione, quod fiant: nam hoc ipso, quod homo operetur, debet suæ actioni præstituere rectum finem, & debitas circumstantias, ut bene fiat, licet nulla lege, aut præcepto teneatur ad operandum: & hac ratione diximus, non posse actus indifferentes dari in individuo, si deliberate fiant.

TRACTATUS SECUNDUS

DE REGULIS MORUM.

CAPUT I.

De *conscientia.*

PRoxima regula moralitatis est conscientia, quæ velut *cum alio scientia* dicitur, vel quia per eam scientia universalis ad particularem applicatur, vel quia per ipsam quis sibi scit, quid fecerit, vel sit faciendum. Unde etiam dicitur dictamen, sententia, aut scientia rationis. De hac agimus in præsenti cum D. Thom. 1. *p. q. 79. art.* 13.

Punctum I.

Notio, & divisio conscientiæ.

1. Inq. 1. An conscientia sit habitus, vel potentia? R. Nec est habitus, nec potentia; sed actus, quia habitus, & potentia nequeunt facile deponi; sed conscientia facile deponitur, ergo non est habitus, nec potentia. Est igitur actus synderesis, qui est *habitus primorum principiorum in operabilibus*, applicans principium universale ad particulare, ut patet in hoc silogismo: omne malum est vitandum; sed furtum est malum, ergo hoc furtum est vitandum. Ubi præmissa major est a synderesi, minor a ratione superiori, & conclusio a conscientia applicante regulam universalem ad particularem, ita D. Th. *ubi supra.* Non autem unus actus solus est conscientia, sed triplex, ut infra dicemus.

2. Inq. 2. Quid sit conscientia? R. Est *dictamen practicum rationis applicatum ad opus.* Vel est *Dictamen actuale rationis practicæ, ostendens quid hic, & nunc agendum est, vel omittendum.* Dicitur *dictamen*, seu *judicium actuale*: quia conscientia non est potentia, nec habitus, sed actus, ut diximus: additur *rationis practicæ*: quia conscientia intellectus, non voluntatis est actus: cum ejus propria munera sint testificari, judicare, redarguere, & reprehendere, quæ cognitionem dicunt. Verum non est actus intellectus speculativi; quia in contemplatione non sistit, sed practici, qui ad operandum dirigit: ad quod innuendum apponuntur cæteræ particulæ, ut intelligatur dictamen conscientiæ esse de opere exequendo, attentis circumstantiis occurrentibus.

3. Inq. 3. Quotuplex sit conscientia? R. Est multiplex; potest enim dividi ex parte temporis, ex parte obligationis, ex parte objecti, & ex partes actus. Igitur dividitur conscientia 1. ex parte temporis in *antecedentem*, & *consequentem. Antecedens* est, quæ dirigit operationem, & dictat, quid agendum sit. *Consequens* est, quæ dictat ea omnia, quæ egimus, de quibus tristamur, vel consolamur, de qua non agitur. 2. Dividitur conscientia ex parte obligationis in *præcipientem*, *consulentem*, & *permittentem. Præcipiens* est, quæ dictat aliquid agendum ex præcepto: *Consulens* ex consilio. *Permittens* est, quando dictat aliquid neque præcipi, neque prohiberi, sed utrumque posse.

4. Tertio dividitur conscientia ex parte objecti in *rectam*, & *erroneam.* Recta est, *quæ dictat rem, ut est in se*: nempe bonum ut bonum, & malum ut malum. Erronea illa dicitur, *quæ dictat rem aliter ac est in se*, scilicet bonum ut malum, & malum ut bonum. Item conscientia erronea dividitur in *invincibilem*, & *vincibilem. Invincibilis* est, cujus error moraliter prudenti studio superari non potest, & ideo non imputatur ad culpam. *Vincibilis* est, cujus error studio, & diligentia vitari potuit, & debuit, quare culpabilis est, qui sequendo hanc conscientiam operatur. Rursus conscientia erronea vincibilis subdividitur in culpabilem ex ignorantia affectata, & culpabilem ex ignorantia crassa, vel supina. Prima est, quando aliquis errat, data opera, volens ignorare, ut liberius peccet. Secunda est, quando quis errat ex desidia, & magna negligentia addiscendi ea, quæ tenetur scire.

5. Quarto dividitur conscientia ex parte actus, seu modi operandi in *certam*, *probabilem*, *dubiam*, & *scrupulosam.* Conscientia *certa* est, *quæ dictat certo, & sine formidine aliquid esse faciendum, vel omittendum*: & hoc invenitur tam in recta, quam in erronea, & sic non constituit speciem distinctam. Conscientia *probabilis* est, *quæ assentitur uni parti cum formidine alterius*: Ut cum quis ita existimat unam esse veram, ut timeat, ne contraria vera sit. Conscientia *dubia* est, *quæ perpensis rationibus utriusque partis, anceps remanet, & nulli parti revera assentitur.* Si vero in aliquam partem magis se inflectat, erit *suspicio.* Conscientia *scrupulosa* est, *quæ uni parti adhæret cum formidine contrariæ, orta ex levibus motivis, & rationibus.*

6. Ex quibus constat, quid & qualiter definienda sint opinio, dubium, scrupulus, & suspicio. Opinio est *assensus unius partis cum formidine alterius oppositæ.* Dubium est, *suspensio assensus circa objectum apprehensum.* Scrupulus est, *inanis apprehensio orta ex levi motivo, de eo, quod sit malum, quod revera non est.* Suspicio

est

est, *propensio quædam ad assentiendum ex levibus indiciis proveniens.* Similiter patet differentia inter ipsa: nam dubium excludit assensum utriusque partis: suspicio licet non excludat illum, magis tamen propendit in unam partem; at opinio assentitur determinate uni parti, licet cum formidine veritatis alterius. Scrupulus autem convenit cum opinione in eo, quod habet assensum unius partis, differt vero in eo, quod ex levi fundamento movetur ad assentiendum.

7. Constat etiam ex dictis divisionem conscientiæ traditam ex parte objecti, & actus esse bonam, Ratio est: quia illa est recta divisio, in qua membra dividentia adæquant divisum, & illud non excedunt; sed hujusmodi est prædicta divisio, ergo est bona. Prob. min. nam tot sunt membra, & species conscientiæ, quot sunt modi tendendi ad objectum; sed conscientia solum potest tendere ad objectum, vel certo, vel falso, vel probabiliter, vel dubie, aut scrupulose, erg. tot tantum erunt species, & divisiones conscientiæ: ergo conscientia adequate dividitur in certam, falsam, seu erroneam, probabilem, dubiam, aut scrupulosam.

Punctum II.

De actibus conscientiæ.

8. Inq. 1. Quot sint actus conscientiæ? R. Sunt tres: quia juxta diversam applicationem nostræ cognitionis ad ea, quæ agimus, habet diversos actus; si enim aplicatur cognitio ad ea, quæ fecimus, vel omissimus, conscientia dicitur *testificari* juxta illud ad Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Si vero applicatur cognitio ad ea, quæ facienda, vel ommittenda sunt, dicitur conscientia *ligare*, vel *instigare*, juxta illud ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide* (idest ex conscientia) *peccatum est.* Si autem applicetur cognitio ad ea, quæ facta sunt bene, vel male; tunc conscientia dicitur *excusare*, vel *accusare*, seu *remordere*, juxta illud ad Rom, 2. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, vel etiam defendentibus.* Nec ex hoc infertur, quod hi tres actus proveniant a conscientia, tamquam ab habitu, vel potentia, non enim sunt quid distinctum ab illa; sed quilibet ex ipsis est intransitive ipsa conscientia, quæ per ordinem ad diversa objecta, diversis his nominibus nuncupatur.

9. Objic. 1. D. Hieronim. super illa verba Ezechiel. 1. *Quatuor facies uni.* Vocat conscientiam synderesim, sed synderesis est habitus principiorum, ergo conscientia est habitus. R. Conscientiam denominari synderesim, quia causæ, & effectus per invicem nominantur, non autem, quia conscientia sit synderesis: ita D. Thom. 1. *p. q.* 79. *art.* 13.

10. Objic. 2. Conscientia manet in dormientibus; sed actus non manet in dormientibus, erg. non est actus, sed habitus, vel potentia. R. Conscientiam manere in dormientibus, sicut alii actus, dum non retractantur, dicuntur manere moraliter in illis; & ita dicimus manere conscientiam in sua causa, quæ est synderesis. Unde constat, quod conscientia non est synderesis, nec alius habitus, aut potentia, sed actus.

11. Inq. 2. An conscientia sit actus intellectus, vel voluntatis? R. Conscientiam esse actum intellectus: quia conscientia dicitur vera, erronea, probabilis; sed error, scientia, & opinio pertinent ad intellectum, erg. etiam conscientia. *Confirm.* Conscientia dicitur a conscire, seu scire cum alio, & ejus munera sunt testificari, judicare, redarguere, & reprehendere; sed hæc dicunt cognitionem: ergo conscientia est actus intellectus.

12. Objic. 1. *ad Timot.* 1. dicitur: *De corde puro, & conscientia bona*; sed bonum pertinet ad objectum voluntatis: erg. conscientia in actu voluntatis consistit, non vero intellectus. R. Conscientiam appellari bonam, vel malam *regulative*, eo modo, quo etiam intellectus practicus dicitur bonus in Psalm. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*; quia regulat opera bona; cum ergo conscientia sit actus intellectus practici, dicitur bona, vel mala regulative: neque bonum, ut bonum est objectum ejus, sed attingit illud sub ratione veri practici, sub qua ratione ad intellectum, non ad voluntatem pertinet.

13. Obj. 2. Si conscientia esset actus intellectus, qui haberet meliorem cognitionem, gauderet meliori conscientia; sed hoc est falsum: cum passim videantur homi-

mines alias docti, pravæ conscientiæ, erg. hæc non est actus intellectus. R. Quod qui habet meliorem cognitionem practicam, gaudet utique meliori conscientia, non vero, qui pollent meliori cognitione tantum speculativa: in hac enim non consistit conscientia, sed in cognitione practica: unde non mirum, quod plures inveniantur docti speculative, & alias sint depravatæ conscientiæ.

Punctum III.

De conscientia recta.

14. Inq. 1. An conscientia recta semper obliget? R. negat. Quia conscientia recta dictare potest aliquid per modum præcepti, aut per modum consilii: si hoc secundo modo dictet, certum est, non obligare: consilium enim ad ea, quæ sunt perfectionis spectat; minime vero, quæ sunt necessitatis. Sed notandum est discrimen inter bonum, & malum, dum a conscientia proponitur: bonum enim, aut per modum præcepti, aut per modum consilii dictari valet; at malum semper sub præcepto prohibetur pro diversitate materiæ.

15. Inq. 2. An peccet, qui agit contra conscientiam rectam præceptivam? R. affir. Quia agere contra legem æternam est peccatum; sed conscientia recta est participatio legis æternæ, per conscientiam enim rectam nobis intimatur lex illa divina, erg. qui agit contra conscientiam rectam, peccat. Nota non esse distinctum, & speciale peccatum agere contra conscientiam rectam; ut qui in die jejunii non jejunat, minime committit duplex peccatum, alterum contra conscientiam rectam dictantem jejunium, & alterum contra præceptum illud imperans; quia intimatio legis æternæ non est diversa lex ab ea, quæ intimatur; sed potius ejus complementum, cum nulla lex habeat vim obligandi absque promulgatione.

16. Inq. 3. An qui agit contra conscientiam rectam dictantem aliquid esse malum, peccet mortaliter, an vero venialiter? R. sub distinctione: quia vel conscientia dictat esse peccatum mortale, aut veniale, & tunc re ipsa certum est graviter peccare, vel leviter, prout a conscientia proponitur. Si vero tantum dictat esse malum in communi, aut in confuso, procul dubio operari tunc contra conscientiam est peccatum mortale: nam qui ita operatur contra conscientiam, amplectitur virtualiter omnem malitiam, quæ potest in objecto reperiri; sed in tali objecto cognito in confuso inveniri potest malitia mortalis, ergo complectitur malitiam mortalem, & consequenter peccat lethaliter: *Confirm.* Qui deliberate se exponit periculo peccandi graviter, peccat graviter; sed qui agit contra conscientiam dictantem aliquid esse peccatum in confuso, se exponit huic periculo: cum in illa malitia absolute proposita æque appareat malitia gravis, ac levis: ergo peccat graviter.

17. Objic. Objectum non potest tribuere actui majorem malitiam, quam in se continet; sed objectum apprehensum in confuso malum non continet malitiam gravem: ergo qui amplectitur tale objectum, non peccat graviter. Minor prob. quia objectum eo modo apprehensum præscindit a malitia gravi, & levi: ergo in se non continet malitiam gravem. R. neg. minor. & ad ejus probationem dicimus: quod licet objectum dictum non contineat malitiam determinate gravem; illam tamen non excludit, sed sub illa malitia in confuso non minus continetur malitia mortalis, quam venialis: unde qui sic operatur utramque amplectitur, & consequenter virtualiter vult illam malitiam gravem, quæ in tali objecto confuse continetur: quod certo peccatum lethale est. Et hoc verificatur, etiam si objectum ex natura sua sit leve.

18. Inq. 4. Quale peccatum sit, & in qua specie hic actus: *volo agere in omnibus contra conscientiam*? R. talem actum esse unicum peccatum, & consequenter habere determinatam speciem malitiæ; quia esto objectum sit universale, & commune, modus tamen tendendi in illud, est specialis, quod sufficit ad tribuendam particularem speciem actus: & sic verum, & bonum in communi sunt objecta intellectus, & voluntatis; & tamen quia circa illa speciali modo tendunt, accipiunt ab eis speciem determinatam. *Confirm.* hic actus *Volo in omnibus honeste vivere*, habet determinatam, & specificam bonitatem, ergo similiter actus illi contrarius: *Volo in omnibus agere contra dictamen conscientiæ*, ha-

habebit determinatam malitiam.

19. Inq. 5. Cujus habitus vitiosi sit prædictus actus? R. ad nullum vitium pertinere: quia ipsa inclinatio naturalis voluntatis ad bonum, & repugnantia ad malum obstat, ut generetur talis habitus vitiosus. Nec etiam actus ille: *Volo in omnibus honeste vivere*, elicitur ab aliqua virtute, sed ab inclinatione naturali voluntatis ad bonum rationis: quia ubi adest naturalis inclinatio completa ad bonum rationis, habitus locum non habet. Sed pro praxi nota ex D. Thom. 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. *ad* 9. *Quod ratio quando apprehendit aliquid ut malum, semper apprehendit illud sub aliqua ratione mali*: puta, quia *contrariatur Divino præcepto*, vel *quia est scandalum, vel propter aliquod hujusmodi, & tunc ad talem speciem malitiæ reducitur talis voluntas.* Idem est de actibus bonis.

20. Inq. 6. An teneamur ex præcepto naturali conformari conscientiæ rectæ? R. affirm. nam conscientia recta est ipsa lex naturalis dictans aliquid esse nobis agendum, vel omittendum, ergo ex præcepto naturali cordibus nostris impresso, tenemur conscientiæ rectæ conformari. Unde legitime infertur, magis adstringere propriam conscientiam, quam aliam legem humanam: quia conscientia obligat ex vi præcepti divini naturalis, præceptum autem divinum naturale plus obligat, quam quælibet lex humana.

21. Inq. ultimo An hoc præceptum naturale operandi secundum propriam conscientiam sit a Deo dispensabile? R. neg. Quia proprie dispensare in aliquo præcepto, est, quod manente præcepto, ejus obligatio relaxetur; sed manente conscientia non potest Deus facere, ut non obliget, quia alias esset sibi contrarius; dum ex una parte præcipit sequi conscientiam, & ex alia tolleret obligationem ex vi dispensationis, erg. præceptum sequendi conscientiam non est dispensabile: & hoc intelligendum est, tam de conscientia recta, quam de erronea.

Punctum IV.

De conscientia erronea.

22. Inq. 1. Quid sit conscientia erronea? R. Est *dictamen practicum rationis falso judicans, bonum ut malum; & malum ut bonum*: alia est invincibilis, altera vincibilis, ut supra diximus.

23. Inq. 2. An sit peccatum discordare a conscientia erronea. R. affir. Quia nemo potest sine peccato discordare a conscientia recta, ergo neque ab erronea. Patet conseq. Ideo non potest primum, quia conscientia recta proponitur, ut lex præcipiens aliquid faciendum, aut fugiendum; sed etiam conscientia erronea nobis proponitur, ut lex dictans; licet falso, aliquid faciendum, aut fugiendum, erg si discordare a prima est peccatum, etiam erit discordare a secunda. *Confirm.* Si aliquis crederet, præceptum Proconsulis esse præceptum Imperatoris, contemnendo præceptum Proconsulis, contemneret præceptum Imperatoris, erg. quando conscientia erronea proponit aliquid ut præceptum Dei; tunc idem est, contemnere dictamen rationis, ac præceptum Dei. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *ad* 2.

24. Objic. 1. Conscientia nequit obligare ad id, quod est contra legem Dei; sed conscientia erronea aliquando est contra legem Dei: ut quando dictat esse mentiendum pro salute, aut vita proximi, ergo in isto casu nequit obligare. R. Conscientiam posse obligare ad id, quod alias est contra legem Dei, quando talis lex ignoratur: leges enim non aliter obligant, nisi prout sunt in judicio practico intellectus: cum ergo tunc non sit in illo lex divina prohibens mendacium, & alias sit illa lex, licet falso apprehensa, orta ex divina naturali jubente sequendum esse dictamen conscientiæ, obligat per accidens mentiri ad vitam proximi servandam.

25. Objic. 2. Deus nequit esse author conscientiæ erroneæ: erg. illam non tenemur sequi. R. Quod in conscientia erronea datur duplex judicium, primum, quo aliquid judicamus præcipi, quod re vera non præcipitur; & hujus judicii, utpote falsi, Deus non est author: secundum, quo practice judicamus obediendum esse legi divinæ intimatæ per dictamen erroneum conscientiæ, & istius judicii, utpote veri, Deus author est. Veritas enim talis judicii non consistit in adæquatione cum re secundum se sumpta, sed prout dictatur a conscientia.

26. Objic. 3. Deus nequit esse sibi con-

trarius; sed si mandaret sequi conscientiam erroneam, esset sibi contrarius, erg. prob. min. Deus nobis præcipit ob nullam causam esse mentiendum; sed hæc sunt sibi contraria, erg. si Deus præciperet sequi in isto casu conscientiam erroneam, esset sibi contrarius. R. Quod in legibus a Deo immediate datis nulla potest esse contrarietas, etiam materialis; at in legibus, quas sibi ratio humana præscribit, potest esse contrarietas materialis ob diversa judicia practica; non vero erit formalis; cum semper conformentur legi naturali præcipienti sequendum in omnibus esse dictamen conscientiæ: in quo conveniunt omnia præcepta, cum ligare non possint, nisi ut a rationis dictamine proponuntur.

27. Nota differentiam inter conscientiam erroneam invincibilem, & vincibilem; quod licet utraque obliget ad operandum secundum earum dictamen, aliter tamen, & aliter; nam invincibilis, supposito errore, obligat tantum ad eam sequendam; sed vincibilis obligat primo, juxta aliquos, ad faciendam sufficientem diligentiam ad sui depositionem. Sed, ut clarius loquamur, provenit talis obligatio ex præcepto naturali adhibendi sufficientem diligentiam ad veritatis acquisitionem, & expulsionem erroris. At supposito, quod non deponatur error, obligat ipsa conscientia ad eam sequendam: quia hoc ipso, quod perseveret, est regula proxima directiva operationis. Unde aliud est, ad quid teneatur, qui habet conscientiam erroneam, aliud ad quid ipsa obliget. Tenetur quidem, qui habet conscientiam erroneam ad illam deponendam: ipsa vero conscientia non obligat ad deponendam semetipsam, sed obligat ad eam sequendam, donec deponatur.

28. Inq. 3. Quid agere debeat, qui ex conscientia erronea utrumque contradictionis extremum judicat esse peccatum? R. Quod si conscientia erronea sit vincibilis adest obligatio ad eam deponendam, ut proxime dictum est. Si vero cum ipsa operetur, peccat quamlibet partem sequendo. Nec ex hoc infertur, quod necessario peccet, hoc quippe solum est ex suppositione: quia potest, & debet errorem deponere, cum ignorantia sit vincibilis, & voluntaria. Si autem, nec per se, nec per alium virum doctum, quem debet consulere, potest se a tali errore expedire, tunc debet eligere, quod minus malum apparet. v. g. mulier, cui commissa est infirmi cura, judicat peccare omittendo sacrum, & simul peccare deserendo infirmum, tenetur omittere sacrum, & non deserere infirmum; supposito, quod non habeat, quem consulat, idem est de pastore ovium. Sed si adeo sit perplexus, ut post adhibitam diligentiam, adhuc agnoscere nequeat, quid sit minus malum, tunc debet pœnitere de sua ignorantia vincibili, & per pœnitentiam redditur invincibilis: quia peccatum præteritum ad alia peccata compellere nequit; cum in nostra voluntate sit præcavere futura, de præteritis pœnitendo. At si quis eo perplexitatis deveniat, ut neque aliquo ex modis relatis possit devincere errorem, neque ei occurrat de eo pœnitere, tunc jam erit conscientia erronea invincibilis, de qua statim.

29. Si igitur aliquis ex conscientia erronea invincibili judicet utramque contradictionis partem esse peccatum, ut in exemplis appositis, tunc dicimus posse eligere sine peccato partem, quam maluerit: tum ne admittatur perplexitas simpliciter, & casus, in quo hominem peccare absque sua culpa necessum sit, quod apud omnes absurdum est. Tum etiam, quia licet ille actus sit absolute liber libertate phisica, quatenus fertur in objectum cognitum ut malum; non tamen est liber moraliter, seu in ordine ad culpam vitandam, cum quavis parte electa, peccatum necessario committatur. Nec refert, quod feratur in objectum cognitum ut malum: quia non fertur in malum, ut possibile vitari: libertas autem moralis in actu petit necessario tendere in objectum malum, in quantum sub ratione mali est vitabile; alias non libere in illud tenderet.

30. Inq. 4. Quæ existentia requiratur in judicio erroneo vincibili, ut ejus operatio sit peccatum? R. Non requiri existentiam actualem, sed sufficere virtualem, quæ datur cum actualis formalis non est interrupta per actum contrarium, nec per longum tempus; ita ut ex vi talis judicii erronei aplicetur voluntas ad opus: v. g. qui ex conscientia erronea vincibili judicat, esse furandum ad eleemosinam largiendam, & ex hoc errore operatur, peccat,

cat, quia talis error inducit in furtum; si vero immemor prædicti erroris operetur, ita ut nec virtualiter perseveret, in hoc casu non peccat abstinendo se a furto, & ratio est, quia tunc error nullo modo influit in omissionem.

Punctum V.

De gravitate, & specie peccati ex conscientia erronea.

31. Inq. 1. An sit gravius peccatum agere contra conscientiam erroneam vincibilem, vel juxta illam? R. 1. Quod cæteris paribus gravius peccat, qui agit contra conscientiam vincibiliter erroneam, quam qui operatur juxta illam, quia agens contra eam, scienter operatur, qui vero eam sequitur, peccat ex ignorantia; sed ignorantia minuit peccatum, erg. gravius peccat, qui agit contra conscientiam. R. 2. Quando cætera non sunt paria, non posse certam prescribi regulam, nam aliquando erit gravius peccatum sequi conscientiam erroneam: aliquando vero contra eam agere, secundum gravitatem, vel levitatem materiæ, quam judicat præceptam, vel prohibitam. Quia obligatio conscientiæ non est alia ab obligatione præcepti, quod apprehendit; sed quo gravius est præceptum apprehensum, gravior est illius transgressio, erg. tunc erit gravius peccatum agere contra conscientiam, quando præceptum ab ipsa falso propositum fuerit gravius, & tunc levius, quanto fuerit leve. Sit exemplum: Dictat conscientia sub præcepto mentiendum esse hic, & nunc ad salvandam vitam proximi: si omittis, gravius peccas, quam si ageres contra conscientiam mentiendo: quia mentiendo peccares tantum venialiter contra præceptum non mentiendi; omittendo vero mendacium, peccares mortaliter contra præceptum charitatis subveniendi proximo. Econtra vero, si dictat te debere furari ad elargiendam eleemosinam pauperi, gravius peccas furando, quam omittendo furtum: quia in primo agis contra justitiam, & in secundo casu contra misericordiam: & gravius est præceptum justitiæ, quam misericordiæ. Quandoque etiam accidere potest esse ejusdem gravitatis agere contra conscientiam, ac agere juxta illam: ut si quis erronee judicaret dari præceptum justitiæ obligans furari ad solvendum debitum creditori: tunc sive agas contra conscientiam, sive non, contra justitiam operaris: unde æqualiter peccas, sive fureris, sive non.

32. Inq. 2. An peccata contra conscientiam rectam specie differant a peccatis contra conscientiam erroneam? R. negand. Quia diversitas applicationis non variat objectum in esse specifico; sed conscientia, sive recta, sive erronea solum se habet per modum applicationis voluntatis ad objectum prohibitum, proponendo illud ut malum, erg. sive objectum proponatur vere malum, sive falso apprehensum, non variatur in suo esse specifico: & consequenter actus peccaminosi non distinguuntur specie: nec in confessione necesse est explicare, an peccaverit ex conscientia recta, an ex erronea, nisi forte ratione censuræ, restitutionis, aut peculiaris circumstantiæ id fieri debeat.

33. Inq 3. Ad quam speciem malitiæ, & culpæ quantitatem reducitur peccatum contra dictamen conscientiæ erroneæ? R. Reduci ad illam, quæ falso apprehenditur: quia tota malitia operationis contra conscientiam erroneam consistit in eo, quod discordat a dictamine illius, ergo tanta, & talis erit malitia, qualis a conscientia errante depingitur. Quare si quis judicat erronee esse peccatum mortale contra religionem expuere in Ecclesia, peccabit mortaliter contra religionem expuendo, & sic de aliis.

34. Sed hic duo notari debent: *Primum*, quod si conscientia erronea dictet esse veniale, quod revera est mortale, tunc distinctione opus est: nam vel talis conscientia est vincibilis, & tunc erit peccatum mortale, quia ignorantia vincibilis non excusat a culpa; si vero fuerit invincibilis, tunc agere contra illam solum erit veniale: quia ignorantia inculpabilis excusat: nec plus malitiæ contrahit actus, qui adversus eam agit, quam quæ ab eadem conscientia proposita fuerit. *Secundum*, quod si quis detentus in carcere judicat peccare mortaliter sacrum non audiendo, hic nullo modo peccat illud omittendo: quia nequit esse peccatum absque libertate; sed hic non habet libertatem, ad audiendum sacrum, ergo nec

peccat mortaliter illud omittendo. Nec obstat dictamen erroneum conscientiæ : quia tunc dictamen erroneum est causa peccati, quando applicatur ad opus, vel influit in operationem ; sed tale dictamen tunc non influit in prædictam omissionem, quæ solum provenit a causis extrinsecis : ergo nequit constituere omissionem illam peccaminosam : unde tale dictamen in prædicto casu solum est falsum speculative, non vero practice, vel moraliter.

35. Inq. 4. Quomodo deponenda est conscientia erronea? R. Sub distinctione: nam si conscientia erronea absque ratione probabili, sed temere, & imprudenter formata sit, ut si quis falso apprehenderet, expuere in Ecclesia esse grave peccatum ; tunc ad libitum deponi potest, satisque est advertere ad falsitatem judicii erronei, illudque deponere formando conscientiam de innocentia operationis. Si vero conscientia erronea concepta est rationabiliter, hoc est, ex aliqua causa, & ratione sufficienti, tunc necessaria est, ut deponatur, ratio contraria probabilior, & efficacior : nam si minus efficax fuerit, non potest elidere rationem illam, per quam error conceptus fuit.

36. Inq. 5. Qualem diligentiam adhibere debet ille, qui vult conscientiam erroneam deponere? Pro solutione dubii nota duplicem esse diligentiam : una est ordinaria, & moralis, ut expendere rem apud se, consulere viros doctos, & quando ad hoc non est recursus, etiam preces ad Deum fundere, jejuniis, eleemosinis, aliisque piis operibus lucem a Deo exposcere, præsertim pro rebus difficilibus, & quæ ad salutem animæ concernunt. Altera est extraordinaria, summa, & exactissima, quæque adhibet media insolita, ut Provincias peragrare ad consulendos viros doctos, & ab eis veritatem inquirere, & similia.

37. Hoc supposito. R. Hominem affectum conscientia erronea vincibili teneri adhibere diligentiam ordinariam, & moralem, ut deponat errorem, & si illam omittit, non satisfacit suæ obligationi : quia quilibet tenetur, quantum in se est, vitare peccatum, & periculum peccandi ; sed qui non adhibet diligentiam ordinariam, & moralem, non facit quantum in se est, & moraliter potest, erg. iste amat periculum, & peribit ex sua negligentia in illo. Si vero tali diligentia ordinaria adhuc error non vincitur, nec deponitur, tunc judicandus est invincibilis, & consequenter minime imputabilis. Secunda diligentia, & extraordinaria necessaria non est, nisi in negotiis insolitis, & extraordinariis : quia superat moraliter humanam facultatem. Sed nota, quod diligentia ordinaria assignata non debet esse æqualis in omnibus, & pro quolibet negotio, sed juxta qualitatem, gravitatem, & dignitatem illius : & ita hoc metiendum est arbitrio prudentis, qui rerum, & personarum qualitate perspecta, attentis occurrentibus circumstantiis, quæ diligentia sit hic, & nunc moralis, & sufficiens ad modum prudenter operandi, & quam alii viri timorati, & cordati pro similibus negotiis præstare solent.

Punctum IV.

De qualitate actus eliciti ex conscientia erronea.

38. Inq. An actus elicitus ex conscientia erronea invincibili sit bonus bonitate positiva, & meritoria? Supponimus talem actum non esse malum positive, ac proinde esse bonum negative : quia conscientia erronea invincibilis, ut diximus, excusat a peccato : unde difficultas solum est de bonitate positiva, & meritoria. Circa quod duplex versatur gravissima sententia, nostra autem est negativa : nempe, quod actio procedens ex conscientia erronea invincibili non est bona bonitate positiva, & intrinseca, nec meritoria. Prob: 1. D. Tham. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *ad* 1. ubi dicit: *Ad primum ergo dicendum, quod sicut* Dionysius dicit *in* 4. *cap. de divin. nom. Bonum causatur ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum.*

39. Prob. rat. desumpta ex hac authoritate : nam ut aliqua actio sit bona bonitate positiva, & intrinseca debet habere non solum bonum finem, sed etiam bonum ob-

objectum conforme legi æternæ; sed actio procedens ex conscientia invincibili, licet sit bona ex parte finis, non respicit objectum bonum, & conforme legi æternæ: erg. talis actio non est bona bonitate positiva, & intrinseca, ac proinde nec meritoria. Major, & minor sunt D. Thom. & consequentia est legitima.

40. Prob. alia rat. Conscientia erronea invincibilis non potest facere operationem bonam positive, erg. operatio procedens a tali conscientia non est positive bona. Prob. antec. Conscientia, quæ non est recta, non potest facere operationem rectam, erg. neque bonam; quia rectum, & bonum idem sunt in moralibus; sed conscientia erronea non est regula recta, ut ex se patet, erg. non potest regulare operationem rectam, seu positive bonam.

41. Objic. 1. Si quis ex conscientia erronea invincibili apprehendat bonum, ut malum, & illud operetur, proculdubio ille peccaret v. g. audire sacrum, erg. econtra, qui invincibiliter apprehendit malum, ut bonum. V. g. mendacium ad salutem proximi, & ex tali errore mentitur, bene operatur, ergo mendacium illud erit bonum bonitate positiva, & intrinseca, sicut auditio sacri erit mala in tali errore malitia positiva, & intrinseca. R. Concedendo antec. & negand. conseq. Disparitas satis apparet ex authoritate laudata D. Thomæ: nam ut operatio sit bona positive, debet esse bona ex omni causa; aut autem sit mala, sufficit, quod in una deficiat. Unde cum objectum sit causa potissima, & principium moralitatis, & in primo casu apprehendatur ut malum, & in secundo sit intrinsece malum, inde est, quod in utroque casu actio est mala, in primo positive, & formaliter; in secundo tantum materialiter, quia ob errorem invincibilem excusatur a culpa: non vero assequitur bonitatem positivam.

42. Sed dices, ergo qui bona fide adorat hostiam non consecratam a Sacerdote Catholico celebrante propositam, non elicit actionem positive bonam. R. conc. conseq. Nam adoratio illa est revera actus idololatriæ, licet materialis: excusatur tamen ob bonam fidem, & errorem invincibilem; sed quia est de objecto intrinsece malo, propterea nequit illi communicare bonitatem positivam.

43. Replicabis, ergo imprudenter agit, qui illam hostiam adorat? R. disting. conseq. Imprudenter agit *intrinsece, & revera* conced. conseq. *Extrinsece, & quoad nos*, nego conseq. Ut enim ageret prudenter positive, & intrinsece, deberet operatio in se ipsa esse conformis regulæ primæ, quia prudentia utpote virtus intellectualis indeffectibiliter attingit verum, nec potest regulare judicium falsum, & erroneum, sicut nec virtus moralis valet elicere, aut dirigere actum vitiosum. Excusatur autem ab imprudentia positiva, sicut a culpa, quia operatur secundum regulas apparenter prudentiæ: unde solum potest appellari imprudens negative.

44 Eminentissimus Cardinalis Goti *tom. 2. tract. 2. q. 4. n. 13.* asserit, eum, qui in hoc casu adoraret hostiam non consecratam, prudenter operari, quia in illo casu omnes viri prudentes existimant hostiam esse consecratam, nec prudenter possunt sibi persuadere oppositum. Et ideo, inquit ille, in praxi regulat honestam adorationem honestate prudentiæ, & religionis. Sed oppositum probabilius judicamus ab intrinseco rationis, & ex vi consequentiæ doctrinæ.

45. Objic. 2. Ex D. Bern. *lib. de Dispens. & Præcep. cap. 14.* ubi inquit: *Et quidem laude dignam dixerim, vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono, ipsa bona voluntas*, erg. ex mente D Bernardi operatio circa objectum non bonum potest esse laudabilis, bona, & meritoria. R. D. Bern. *loc. cit.* aperte docere nostram assertionem: exigit enim ad operationem bonam positive duo necessaria: charitatem in intentione, & in electione veritatem: unde cum in opere non bono deficiat veritas electionis, deficit etiam bonitas positiva operationis. Sed quia illa voluntas, & intentio sunt circa rectum finem placendi Deo, propterea, inquit, non fraudari condigna remuneratione: quod & nos libenter asserimus: actus namque concomitantes opus materialiter malum, possunt esse boni, & honesti positive, ut intentio placendi Deo, obediendi, & actus aliarum virtutum: quia cum opus materialiter non habeat malitiam formalem, nequit illam refundere in hos actus.

PUN-

Punctum VII.

De Confessario pœnitentis accedentis cum conscientia erronea.

46. Inq. Qualiter se gerere debeat Confessor cum illo, qui conscientia erronea laborat? R. 1. Quod si ignorantia sit vincibilis, certum est apud omnes teneri Confessarium veritatem manifestare pœnitenti, antequam illi impendat absolutionem: quia, cum illa conscientia non excuset a culpa, quamdiu illa laborat, erit in statu peccati mortalis, consequenterque incapax absolutionis.

47. R. 2. Quod si ignorantia sit invincibilis, licet apud Authores etiam graviores non parvum reperiatur dissidium; probabilius tamen judicamus debere Confessarium aperire veritatem, monendo illum in doctrina sana, ad evitandum omne peccatum etiam materiale, si velit pœnitentem absolvere. Nam vel Confessarius cognoscendo errorem invincibilem pœnitentis, judicat admonitionem suam profuturam, vel nocituram; sed in quocumque eventu tenetur Confessarius aperire veritatem, erg. semper tenetur ex suppositione absolutionis. Prob. min. Quia si judicat profuturam admonitionem, apud omnes est certum debere illum admonere: si autem judicat nocituram, non potest prudenter judicare de sufficienti dispositione pœnitentis, erg. non potest illum absolvere. Prob. min. Quia ut Confessarius prudenter judicet pœnitentem accedere recte dispositum, necessario requiritur judicium de eo, quod pœnitens velit scire, & adimplere legem, seu obligationem sibi propositam a Confessario, erg. si hæc voluntas deficiat, non potest Confessarius efformare judicium prudens de recta dispositione pœnitentis, erg. non potest illum absolvere.

48. Ex quo infertur, quod Confessarius tenetur monere intra confessionem suos pœnitentes sine discrimine, & acceptione personarum, de restitutione pecuniæ, famæ, & honoris, de contractu simoniaco, vel usurario, de impedimentis matrimonii caute, & de omnibus illis, quæ scire, & facere tenentur pro qualitate sui status, muneris, & dignitatis, priusquam illis absolutionem impendat.

49. Objic. 1. Præceptum correctionis fraternæ non obligat, dum nullus expectatur fructus; imo tacere debemus, si ex correctione augerentur peccata, erg. idem tenetur facere Confessarius, si timet eumdem effectum ex sua admonitione. R. neg. conseq. Quia inter forum externum, & internum magna adest disparitas: quapropter Parochus, Pastor, & Confessarius plura in foro exteriori dissimulare possunt, dum majora prævident incommoda ex admonitione secutura, vel nullum profectum sperant; Confessarius vero sedens pro tribunali, audiens confessionem, munus judicis, & magistri exercet, cui incumbit instruere pœnitentem, causam agnoscere, & sententiam ferre, ut debite suo muneri satisfaciat: quod minime compatitur cum dissimulatione.

50. Objic. 2. Potest accidere casus, in quo Confessarius debeat dissimulare, & absolutionem impertiri, ergo in aliquo eventu tenetur Confessarius non admonere pœnitentem, & illum absolvere. Prob. antec. Accedit fœmina, quæ invalide contraxit matrimonium ob impedimentum dirimens, ortum ex copula cum consanguineo mariti in primo, aut secundo gradu habita: agnoscit Confessarius nullitatem matrimonii, & ignorantiam invincibilem fœminæ: si admoneat, certo timet secutura gravia inconvenientia, nempe interficiendam esse a marito, aut alia scandala: insuper urget necessitas suscipiendi sacramentum, & alias fœmina est in animi præparatione ad faciendum omne id, quod ex sua parte potest, & debet, erg. saltem in hoc casu debet Confessarius dissimulare, & absolvere pœnitentem.

51. R. Quod in hoc casu, qui raro accidere potest, dictat prudentiæ virtus, quod Confessarius caute, & magna circumspectione procedat, ne ejus admonitione laqueum paret, & venenum pro medicina propinet. Unde in his angustiis monere non debet, sed illam absolvere, si paratam ex sua parte inveniat, & quamprimum possit dispensationem solicitare, ut matrimonium perficiatur juxta modum, quem graviores Authores præscribunt. Si autem non urgeat præceptum confessionis, aut Confessarius timet prudenter, quod fœmina admonita de veritate, non servabit

bit continentiam, tunc differenda est etiam absolutio.

52. Nota pro claritate hujus doctrinæ, quod semper ac est in potestate pœnitentis remedium ponere, ne tot mala sequantur, & a peccato abstinere; debet Confessarius aperire veritatem, ut in concubinariis, usurariis, simoniacis, in possessoribus rei alienæ, in non jejunantibus, & similibus. Si vero non sit in potestate pœnitentis vitare mala imminentia, & pericula, ut in casu proposito: tunc Confessarius debet non admonere, ne reus sit mali futuri. Et si urgeat præceptum confessionis, tunc absolvere poterit, si cæteræ adsint dispositiones, imposita pœnitentia, vel præcepto, ut determinato tempore redeat ad confitendum eodem cum Confessario, ut illuminetur, & dispensatio executioni mandetur.

CAPUT II.

De conscientia probabili.

SUb conscientia probabili sermo nobis erit etiam de probabilismo, duobus præteritis sæculis adeo proclamato; sed jam ab Scholis fere eliminato, & partim juste proscripto.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio conscientiæ probabilis.

53. Inq. 1. Quid sit conscientia probabilis? R. Est *dictamen practicum rationis, quo intellectus gravi fundamento judicat hoc sibi licere, vel non licere.* Differt ab opinione in eo, quod opinio versatur circa veritatem objecti, conscientia autem circa bonitatem operationis. Conveniunt tamen in ordine ad divisionem: quapropter quod dictum fuerit de divisione opinionis, applicari valet conscientiæ probabili.

54. Inq. 2. Quotuplex sit opinio, seu probabilitas? R. Est multiplex. Nam *primo* dividitur opinio in probabilem *ab intrinseco*, & probabilem *ab extrinseco.* Illa est, quæ nititur ponderе rationum; ista vero, quæ habetur ex authoritate Doctorum. *Secundo* dividitur in *probabilem*, *probabiliorem*, & *leviter probabilem. Probabilis* est, quæ gravi nititur fundamento. *Probabilior*, quæ graviori ratione fulcitur. *Leviter probabilis*, quæ levibus innititur rationibus. Insuper dividitur in *practicam*, & *speculativam. Practica* est, quæ respicit bonitatem operationis attentis circumstantiis, & bene perpensis. *Speculativa* vero, quæ judicat de objecto secundum se, & præcisive a circumstantiis. Dividitur etiam in *tutam*, *tutiorem*, & *minus tutam.* Opinio *tuta* est, qua quis licite operatur. *Tutior* potest tripliciter sumi: vel absolute, comparative, aut adversative. *Tutior absolute* idem est ac tuta, de qua immediate diximus. *Tutior comparative* est, quæ propinquior est observationi legis. Ut recitare matutinum ante Missam tutior est, quam ejus omissio; licet celebratio ante matutinum tuta sit, vel immunis a peccato lethali. *Tutior adversative* est, quando opinio opposita non est tuta. Ut in verbis Apost. 1. *ad Corint.* 7. 9. *Melius est nubere, quam uri.* Ubi ly *melius* intelligitur *adversative*: quia *uri* non est bonum, sed potius malum. Unde opinio tutior in hoc sensu appellatur, in qua nulla transgressio esse potest, etiam materialis; opposita vero ejus *minus tuta* appellatur, in qua potest dari transgressio, saltem materialis, & ideo non est tuta.

55. Datur etiam opinio *tutior a falsitate*, & *tutior a peccato*: tutior a falsitate est opinio probabilior: tutior a peccato est opinio securior: ut opinio adstruens necessitatem contritionis perfectæ ad sacramentum pœnitentiæ est tutior a peccato: at ejus contraria est tutior a falsitate, quia longe probabilior. Adest pariter opinio tutior *extensive*, & *intensive*, ut in dicto exemplo patet, prima enim opinio dici valet *tutior extensive*, at secunda dici potest *tutior intensive*, hoc est tuta absolute.

56. Inq. 2. An omnis opinio probabilis speculative sit probabilis practice? R. negat. Quia rationes, quæ possunt fundare opinionem speculative probabilem, multoties insufficientes sunt, ut reducatur ad praxim, propter circumstantias, & incommoda, quæ hic, & nunc occurrere valent, ut apparet in opinione asserente omnia verba consecrationis calicis non esse necessaria: quæ licet speculative sit probabilis, practice improbabilis est: quia circa valorem sacramentorum, non quod probabile est, sed quod in praxi tutius, se-

qui debemus: Unde Innoc. XI. hanc propositionem primam damnavit: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.*

57. Inq. 3. Utrum opinio probabilior sit idem, ac tutior? R. neg. Quia utraque a diversis principiis oritur: opinio probabilior sumitur ex majori accessu ad veritatem, & a gravioribus fundamentis; opinio vero tutior ex majori recessu a periculo peccandi, tametsi rationibus firmioribus non muniatur. Unde multæ sunt opiniones probabiliores, quæ tutiores non sunt. Opinio, quæ docet diebus festivis integrum esse audiendum sacrum sub lethali, tutior est; non probabilior. Et aliæ plures.

58. Inq. 4. Utrum authoritas unius Doctoris sufficiat, ut aliqua sententia probabilis sit? R. neg. Patet ex propositione 27. damnata ab Alex. VII. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet rejectam esse a Sede Apostolica.* Ratio est: quia ut opinio sit probabilis duplex principium probabilitatis concurrere debet, scilicet, ratio, & authoritas; sed sententia, quæ ab uno fertur Authore, ratione, & authoritate regulariter caret; alias plures Patronos haberet, erg. non sufficit unus Doctor ad probabilitatem opinionis.

59. Non tamen damnatur in dicta propositione asserere, quod vir doctus firma ratione ductus potest facere sententiam practice probabilem, quando talis doctrina nondum fuit ventilata, neque communi sensui Doctorum opponitur: maxime si fuerit Doctor adeo celebris, ut ejus sola authoritas multorum rationibus præferatur: qualis est N. Doctor Angelicus, qui unus pro decem millibus computatur ab eodem Alex. VII.

60. Insuper authoritas Parochi, aut Confessarii, vel alterius similis sufficiens est, ut rudes, & imperiti efforment conscientiam practice probabilem circa operationes regulariter occurrentes, de quibus sincere instrui cupiunt. Idem dicendum est de puero patrem interrogante, dum nequit adire Parochum, vel Confessarium, qui potest tuta conscientia sequi consilium parentis: non quia Parochus, vel pater efficiant opinionem practice probabilem simpliciter, & absolute talem, aut respectu universitatis; sed solum secundum quid, & respectu ad aliquem particularem idiotam.

Punctum II.

An liceat sequi opinionem probabilem.

61. R. 1. Posse quemlibet, dum tenetur operari, sequi licite sententiam practice probabilem: quando facta sufficienti diligentia, pro parte opposita alia probabilior, vel tutior non apparet: quia in moralibus non semper est possibile habere certitudinem perfectam, & mathematicam, sed sufficit certitudo moralis de bonitate actionis; sed hæc habetur per opinionem practice probabilem, dum ex opposito alia probabilior, & tutior non adest, ergo cum hujusmodi opinione potest quilibet licite operari. Unde Alexand. VIII. inter 31. propositiones proscripsit hanc n. 3. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* Oppositum docentes dicuntur *Rigoristæ*, & eorum systhema appellatur *rigorismus*.

62. R. 2. Posse licite amplecti sententiam probabiliorem, quæ favet libertati, relicta tutiori minus probabili, quæ favet legi; v. g. sententia asserens lapsum in peccatum mortale, habita copia Confessarii teneri sub præcepto statim confiteri, tutior abs dubio est; sed quia opinio opposita est probabilior, potest quilibet licite illam amplecti: quia homo non semper tenetur eligere id, quod a periculo peccandi magis recedit, si non sit consonum rationi, & veritati, ut patet in exemplo apposito, ergo potest homo sequi sententiam probabiliorem, quæ favet libertati, relicta tutiori, quæ favet legi. Contrarium tenentes nuncupantur *Tutioristæ*.

63. Objic. 1. In dubiis tutior pars est eligenda juxta regulam sæpe repetitam in jure; sed quamvis opinio favens libertati sit probabilior, non tollit periculum; cum opposita tutior sit, ergo hæc, & non illa eligi debet.

64.

64. R. Quod dupliciter potest aliqua opinio esse *tutior*, ut supra diximus, nimirum tutior a peccato materiali, & tutior a falsitate: opinio vero probabilior est tutior a falsitate, quia est verosimilior, & magis propinqua veritati; licet non sit tutior a peccato materiali. Dum ergo possibile fuerit, eligenda est opinio, quæ tutior sit ab utroque extremo: interdum autem sufficit eligere tutiorem a falsitate, & regula illa juris *tutior pars est eligenda*, explicanda est per hanc aliam: *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius*: quod autem probabilius est, utique verosimilius est. In his ergo quæstionibus quod primo loco intellectus quærit, est veritas; quod verum est, tutum est, & quod est verius, tutius quoque est in his, quæ sunt necessaria necessitate præcepti. Inter duas autem propositiones tutas, non semper tenemur eligere tutiorem, hoc enim consilii est, non præcepti. Ad id, quod subditur, respondetur periculum esse remotum, quod vitare non tenemur. Nec hoc applicari potest in defensionem probabilismi, ut ex infra dicendis palam fiet.

65. Objic. 2. D. Aug. relatus in cap. *Si quis autem de pœnit. dist.* 7. inquit: *Tene certum, dimitte incertum.* Et pene idem docet *lib. contra Donatum cap.* 3. per hæc verba: *Efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, certum peccatum est*; sed omnis opinio licet probabilior secum affert incertitudinem peccati, maxime in conspectu tutioris, erg. non est sequenda.

66. R. disting. minor. Omnis opinio affert incertitudinem levem conced. min. gravem neg. min. Pro cujus luce triplex certitudo distinguenda est, nempe Phisica, metaphisica, & moralis. Phisica est, quæ experimento nititur, vel evincitur argumentis, quæ rem naturaliter aliter se habere non posse demonstrant. Metaphisica est, quæ rationibus adeo evidentibus fulcitur, & veritatem ita firmam esse ostendit, ut neque divina virtute aliter se habere queat. Moralis certitudo est, quæ motivis fallibilibus nititur: & est duplex: altera, quæ fides humana appellatur, ut esse Romam, & Hierosolymam: hęc certitudo moralis omnem formidinem prorsus excludit. Alia autem est certitudo moralis, quæ conjecturis, & rationibus talibus nititur, quæ hominem securum reddunt, & anxietatem excludunt, non tamen omnem formidinem expellunt. Et hæc certitudo moralis est propria opinionis.

67. Hæc igitur certitudo excludit periculum non logicum, aut metaphisicum, sed morale, admittit vero formidinem levem. Ex quibus patet claritas distinctionis. Non enim quælibet opinio, nec quælibet certitudo movet intellectum, aut sufficit pro regimine conscientiæ, sed opinio gravi fundamento nixa, quæque certitudinem affert probabilem, seu moralem, excludentem omnem gravem incertitudinem. Quare sententia D. Augustini intelligenda est juxta materiæ diversitatem. Utique in salutis negotio certa incertis omnino præferenda absolute sunt. Cæterum non hinc sequitur, quod in omnibus actionibus metaphisicam certitudinem habere debeamus, cum hæc sæpe haberi nequeat. Eam ergo certitudinem assequi debemus, quam materiæ conditio fert, & eam amplecti securitatem, quæ possibilis est humanæ imbecillitati. Securiorem vero, tutioremque partem eligere in omnibus actionibus, onus est supra humanam conditionem.

Punctum III.

De probabilismo.

68. Inq. 1. Quid sit probabilismus? R. Est *systema docens usum licitum opinionis æque, vel minus probabilis in favorem libertatis, relicta opposita æque, vel magis probabili in favorem legis.* Probabilismus enim non est opinio utcumque, sed electio opinionis laxioris, minus tutæ, & probabilis; ex quo bene perpenso satis innotescit ejus inanitas, & fœditas. Qua ratione tamquam filius nothus caret certo patre: quidam enim illum tribuunt Medinæ Dominicano, quidam Terillo Jesuitę, & quidam alteri incognito Genitori. Eadem incertitudine laborat tempus, quo in lucem prodiit, seu in Scholas invectus est. Alii quippe ejus ortum putant fuisse circa annum 1577. Alii prius, alii posterius illum assignant.

69. Nota autem aliud esse operari cum opinione probabili, aliud longe diversum operari juxta probabilismum. Primum est proprium hominum, quia opinione potius quam evidentia regimur, & guber-

namur, quod etiam aliquando Angelis, & ipsi Reginæ Angelorum accidisse satis colligitur ex *Daniel.* 10. ubi legitur, quod Angelus Persarum non parum restitit Angelo populi Dei; & *Lucæ* 2. ubi habetur puerum Jesum remansisse in Jerusalem beatissima Virgine per rationes probabiles prudenter judicante, illum cum aliis incedere, *existimantes autem illum esse in comitatu.* Unde opinio probabilis ab initio mundi suam trahit originem, minime vero probabilismus, ut ejus Patroni intendunt.

70. Inq. 2. An probabilismus sit ab Ecclesia proscriptus? R. Non esse universaliter proscriptum: quia Ecclesia maxima circumspectione procedit in damnatione propositionum universalium, quæ non ad fidem, sed ad mores spectant. At partim proscriptus est, ut patet ex 45. propositionibus damnatis ab Alex. VII. & 65. ab Innoc. XI. ex quibus licet non omnes, saltem plures sunt filiæ legitimæ probabilismi. Et novissime a Clem.XIII. proscriptæ fuerunt ann. 1761. decem theses, seu conclusiones in favorem probabilismi ab ejus sequacibus inepte publicatæ. Igitur quamvis Ecclesia adhuc ultimam sententiam non protulerit contra probabilismum; satis tamen ostendit se illum semper detestari, & improbare. Verum est non fuisse damnatas singulas dictas theses in particulari, sed respective, & acervatim.

71.In.3.An possit quis amplecti opinionem minus probabilem in favorem libertatis, quando adest alia opposita probabilior contraria? R. neg. Hæc resolutio est conformior spiritui Ecclesiæ, consentaneaque sacris Canonibus, qui passim docent, in dubiis viam tutiorem esse eligendam: semper tenendum esse, quod securius, & certius est. *Cap. Juvenis de spons. & cap. ad Audientiam de homic. cap. Significasti* 2. *eod. tit.* & alibi sæpe. Est doctrina propria SS. PP. ut patet ex Chrisostomo *hom.* 44. *in Matth.* D. August. *lib.* 1. *contra Academicos cap.* 4. *D. Thom. loco proxime laudato, & 3. p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 2. ubi ait: *Dicendum, quod ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo.*

72. Prob. ration. Nam ut conscientia sit regula recta operandi, debet efformare judicium moraliter certum de honestate operationis; sed qui opinionem sequitur minus probabilem, & minus tutam in concursu probabilioris, & tutioris, non potest efformare tale judicium, erg. hujusmodi opinionem non potest quis licite amplecti; sed probabilior, & tutior amplectenda est. Prob. min. Judicium moraliter certum nequit haberi, dum adest timor prudens, & rationalis de malitia operationis; sed in operante cum opinione minus probabili, & minus tuta adest, vel debet adesse timor prudens, & rationalis de malitia operationis: quia solidiora fundamenta opinionis probabilioris, & tutioris illum necessario adstruunt, erg. qui sequitur opinionem minus probabilem, & minus tutam, nequit efformare judicium prudens de honestate operationis, & consequenter nequit illam amplecti in concursu probabilioris, & tutioris.

73. Confirm. 1. Qui sincere quærit veritatem, & nequit illam evidenter invenire, debet amplecti illud, quod proximius est veritati, & bonitati; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, & minus tutam in conspectu probabilioris, & tutioris non amplectitur, quod proximius est veritati, & bonitati, ut ex se patet, ergo illicitum est operari cum tali opinione.

74. Confirm. 2. Qui relicta opinione probabiliori, & tutiori, sequitur minus probabilem, & minus tutam, exponitur manifesto periculo peccandi: sicut manifesto mortis periculo se committit, qui vescitur cibis, quos probabilius judicat esse veneno infectos, ubi salutares occurrunt, erg. hujusmodi opinionem non potest quis licite amplecti.

75. Inq. 4. An in concursu duplicis opinionis æque probabilis liceat complecti, quę favet libertati, relicta altera, quæ favet legi? R. neg. prob. *ex cap. Juvenis de spons.* ubi dicitur: *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus*; sed stante duplici opinione æque probabili, dubium est, quænam sit vera, erg. quæ favet legi, & non alia favens libertati amplectenda est. *Confirm.* quælibet operatio in moralibus, quantum possibile sit, debet recedere a falsitate, & a malitia, seu peccato; sed utraque opinio æque probabilis, licet æque recedat a falsitate, non æqualiter recedit a peccato,

to, ut ex se patet, cum illa, quæ legi favet, sit proximior observantiæ legis, erg. ista, & non illa amplectenda est. Hæc est doctrina genuina sæpe tradita a D. Thom. præcipue *Quodlib. 8. q 6. art. 13.*

§§.

Diluuntur argumenta contraria.

76. Objic. 1. Qui probabiliter operatur, prudenter operatur; sed qui sequitur opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, probabiliter operatur, erg. talis prudenter operatur, erg. licitum erit sequi talem opinionem. Prob. min. Opinio minus probabilis etiam in concursu probabilioris gravibus nititur fundamentis, gravique fulcitur authoritate Doctorum, ergo probabilis est. Sicut aurum inferioris qualitatis est verum aurum etiam in concursu auri melioris, aut purioris.

77. R. neg. maj. Quia tunc est verum, quod qui probabiliter operatur, prudenter operatur, quando non adest alia opinio æque, vel magis probabilis in favorem legis, hac enim concurrente, imprudenter operatur, qui juxta æque, vel minus probabilem in favorem libertatis operatur; exponit namque se periculo fractionis legis. Imo minor est falsa, quando altera opinio est longe probabilior: tunc enim fundamenta opinionis minus probabilis eliduntur per opposita longe probabiliora, & amittunt pondus, quod alias in eis apparebat, nec remanet vere probabilis. Uno verbo: quomodo potes operari prudenter agnoscens fundamenta æque, vel graviora; quibus judicas talem operationem esse illicitam, aut contra legem?

78. Nec juvat in oppositum paritas auri inferioris qualitatis, quod in concursu auri purioris non desinit esse aurum. Nam certum est utrumque aurum esse: at duplex opinio opposita nequit utraque esse aurum, ut ex se patet. Unde cum una ex illis necessario sit falsa, solum operatur prudenter ille, qui veriorem, seu ratione meliori fulcitam sibi eligit, sicut in concursu veri, & falsi auri solum ille prudenter operatur, dum ignorat, quale sit verum, qui eligit, quod verosimilius est aurum.

79. Objic. 2. Lex non sufficienter promulgata non obligat, sed dum adsunt opiniones probabiliter suadentes operationem minus tutam esse licitam, lex non est sufficienter promulgata, ergo non obligat. R. neg. minor. Supponimus enim adesse opinionem probabiliorem existentiæ legis. Quomodo autem est possibile tibi legem non esse sufficienter promulgatam, aut haberi ignorantiam ejus, quando tu ipse judicas probabilius esse, quod existat? Unde licet DD. disputent de existentia legis, si tamen affirment, & tu cum eis sentias, probabilius esse, quod extet, inexcusabilis manes.

80. Objic. 2. Si semper debet sequi opinio probabilior, & tutior, grave onus imponeretur hominibus contra illa verba Christi Domini: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*: *Matth.* 11. erg. non datur obligatio amplectendi talem opinionem. Prob. ant. Nam valde difficile est, etiam apud Doctos, discernere, quæ opinio sit probabilior, cum sæpe videamus Doctores Doctoribus opponi, ergo onus valde grave imponeretur hominibus, si semper, quæ probabiliora sunt, deberent sequi.

81. R. Nos non asserere semper quærendam esse opinionem vere probabiliorem, sed debere amplecti illam, quæ hic, & nunc verosimilior apparet; & hic est sensus quæstionis interrogantis, an in conspectu probabilioris possit amplecti opinio minus tuta, & minus probabilis. Supponendo aliam probabilem, alteram probabiliorem: præsertim cum rustici facile se possint expedire ab onere interrogando Parochum, vel Confessarium. Non dicimus opiniones, dum urget operatio, statera esse ponderandas, ut probabilior eligatur, sed eligi debere quæ probabilior apparet.

Punctum IV.

De opinione a Confessario eligenda in administratione sacramenti pœnitentiæ.

82. Inq. 1. An Confessarius valeat ministrare sacramentum pœnitentiæ cum opinione tantum probabili suæ approbationis, aut jurisdictionis? Non posse extra casum necessitatis: quia absque necessitate exponeret sacramentum periculo nullitatis;

sed hoc est prorsus illicitum, erg. non potest. Prob. maj. Quando jurisdictio est tantum probabilis, sicut probabile est, quod illam habeat, ita etiam est probabile, quod illam non habeat, ergo exponitur sacramentum periculo nullitatis.

83. Confirm. Nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 1. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore &c-*, ergo cum de jurisdictione disputatur, agatur de re maxime spectante ad valorem sacramenti, illicitum est uti jurisdictione tantum probabili in conferendo sacramento pœnitentiæ.

84. Objic. Hoc ipso, quod jurisdictio sit probabilis, est certa; sed cum jurisdictione certa licitum est absolvere, cum sacramentum nulli periculo exponatur, ergo licitum est uti opinione probabili jurisdictionis. Prob. maj. Quia juxta plures, & graves Authores quando quis absolvit cum jurisdictione probabili, & datur error communis, Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, erg. tunc est certa jurisdictio.

85. R. Tunc ad summum dari jurisdictionem probabiliter certam, & in opinione illorum Doctorum; sed quia ex alia parte adsunt gravissimi Theologi negantes illam certitudinem, remanet sacramentum cum valore tantum probabili, & expositum nullitati, & hoc est, quod damnatur ab Innocentio. Nec Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, quando solum est error communis sine titulo colorato. Nec aliud constat in sacris Canonibus, ubi duo precise exiguntur, scilicet error communis, & titulus coloratus.

86. Diximus cum opinione *tantum* probabili; si enim adsit probabilior pro jurisdictione, tunc poterit Confessarius illam exercere: ut patet in delegato, qui mortuo delegante, cum opinione probabiliori, quod non expirat jurisdictio delegata, eam exercere licite valet.

87. Inq. 2. An Confessarius possit se conformare cum pœnitentis opinione, quando hæc sibi apparet minus probabilis? R. neg. Quia talis opinio nequit licite amplecti a pœnitente, ut supra diximus, ergo nec a Confessario. Nec potest Confessarius ob eamdem rationem se conformare cum opinione pœnitentis æque probabili in favorem libertatis in concursu alterius æque probabilis in favorem legis. Solum ergo dum pœnitens vere doctior esset Confessario, affirmaretque sincere suam opinionem probabiliorem absolute, & communiter haberi opinione Confessarii, potest hic deponendo rationabiliter suam opinionem se conformare cum opinione pœnitentis, & illum absolvere.

88. Notet autem Confessarius, dum excipit confessiones, ne sit nimis anxius pro eligendis opinionibus, præsertim dum pœnitentes bona fide accedunt, ibi enim haud facile est discernere, quæ opinio probabilior sit: & ideo per prius debet se disponere acri, diligentique studio moralis Theologiæ, ut facile ibi se expediat ab angustiis, & difficultatibus occurrentibus. Debet igitur Confessarius sedulo vacare gravioribus Authoribus, ut possit seligere opiniones probabiliores, & sanam doctrinam suis ovibus tradere, viamque Dei in veritate docere. *Nam si cœcus cœcum ducat ambo in foveam cadunt*; uti legitur in Evang.

Punctum V.

Quam opinionem eligere debeant judex, advocatus, & medicus:

89. Dicendum est 1. Judicem non posse in civilibus sententiam ferre juxta opinionem minus probabilem: constat ex propositione 2. damnata ab Innocencio XI. *Probabiliter judico, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Igitur judex tenetur amplecti in judicando sententiam probabiliorem. Et probatur ratione: quia judex tenetur reddere unicuique secundum merita causæ, erg. debet judicare pro meliori causa, & probabiliori opinione.

90. Similiter est certum non posse judicem accipere pecuniam pro ferenda sententia in favorem unius partis, quando jura sunt æqualia, ut patet ex propositione 26. damnata ab Alexandro VII. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Debet itaque judex, quando jura sunt paria rem inter partes dividere, si a nulla possideatur. Si autem divisibilis non sit, debet partes componere prudentiori modo,

do, quo jura exigunt, ita ut nulla detrimentum patiatur. Ratio omnium est, quia judex ex officio tenetur jura partium illæsa servare, & reddere unicuique secundum merita juris, alias justitia esset venalis, & arbitraria, & maxima damna reipublicæ promanarent.

91. Dicendum est 2. Advocatum non posse defendere causam civilem secundum opinionem minus probabilem cognitam ut talem, relicta probabiliori. Prob. ration. Judex nequit proferre sententiam, nisi secundum opinionem probabiliorem, erg. advocatus non potest defendere causam, nisi probabiliorem. Prob. conseq. Quia indubitabile est, advocatum patrocinantem causam cooperari sententiæ judicis: ad hunc enim finem ordinantur ejus allegata, ergo si judex non potest ferre sententiam, nisi secundum opinionem probabiliorem, ut certum est, neque advocatus potest defendere causam, nisi probabiliorem.

92. Dicere autem clientem, & advocatum habere jus ad exponenda judici sua fundamenta, est futile effugium: nam licet habeant jus ad id faciendum extrajudicialiter; non vero in judicio cum maximo damno, & præjudicio partis oppositæ, & aliquando clientis ignorantis, quorum damnis cooperatur advocatus, ut expresse dicit D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. *in corp.* Ubi resolvit advocatum teneri ad restitutionem, quando defendit causam injustam, eo quod suo consilio, & patrocinio cooperatur ad illam. *Manifestum est autem*, inquit, *quod advocatus auxilium, & consilium præstat ei, cujus causæ patrocinatur*, erg. juxta D. Thom. Idem est patrocinari causam, ac præstare auxilium, & consilium.

93. Tenetur ergo advocatus non admittere indiscriminatim causas, ut quidam assolent, sed illas tantum, de quibus habet certitudinem moralem, vel opinionem probabiliorem, non dubias, aut levi fundamento munitas, ex quibus plurima odia, & dispendia oriuntur, quorumque causa moralis est, si suos clientes certiores non faciat de meritis sui juris, & de stylo assueto Tribunalium. Si jura sint paria, & nullus possidet, valet advocatus, monita parte de periculo, causam defendere.

94. Dicendum est 3. In causis criminalibus posse judicem, & advocatum patrocinari causam secundum opinionem minus probabilem in favorem rei, maxime in causa sanguinis: prob. ex *regul.* 11. *de Regul. jur. in* 6. *Cum sunt jura partium obscura, reo potius favendum est, quam actori.* Sed cum adest opinio, & si minus probabilis, jura obscura sunt, ergo talis causa potest patrocinari. Ratio etiam id suadet: quia ad proferendam sententiam capitalem probationes debent esse luce clariores, *ex text. in G. sciat codic. de probation.* Sed tales non sunt, quando circa causam militant sententiæ probabiles contrariæ, erg. licebit tunc proferre sententiam, & consequenter patrocinari causam, secundum opinionem minus probabilem.

95. Dicendum est 4. Non posse medicum applicare medicamentum minus probabile, relicto probabiliori, & esse homicidii reum, si mors inde ægroto sequatur. Probatur ratione: Nam omnis homo, ut prudenter operetur, debet eligere opinionem probabiliorem: erg. potiori jure medicus. Prob. conseq. Tum quia ex vi sui officii tenetur providere meliori modo, quo possit, saluti infirmi, & vitare mortis periculum, quod non faceret utendo medicina minus probabili, relicta probabiliori. Tum quia ex positione talis medicinæ sequitur, vel sequi potest infirmo grave damnum; & in omnium sententia, dum imminet damnum tertii, non potest amplecti opinio minus probabilis, relicta probabiliori.

96. Communis est etiam sententia, docens teneri medicum applicare infirmo medicamentum certum, relicto incerto; quia charitas, & justitia hoc exigunt, ut prospiciatur proximorum saluti certiori medicina, si adsit; si vero non adsint certa, poterit, & tenetur applicare probabilia, quæ nocitura minime sint. Quia tunc non exponit infirmum periculo; sed potius probabili spei salutis: & licitum est uti opinione probabili, quando alia in oppositum non adest. Non autem est licitum causa experiendi medicinam, an salutaris, vel nociva sit, illam ęgrotis conferre; de quorum salute desperatur; quia non est licitum experimentum quærere, & scientiam acquirere cum periculo mortis alterius. Et hoc verum est, licet non adsit remedium proba-

babile ad salutem infirmi ; quia tali casu tutius est relinquere ægrotum naturæ , & creatori , quam exponere illum medicinæ, de qua ignoratur , vel dubitatur, an profutura, vel nocitura sit, vel possit mortem accelerare. Si medicus indulget periculis, hoc non est curare , sed si volunt dicere verum , occidere , ut dic. in Can. *Absit dist.* 30.

§§.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

97. Ex dictis sequitur 1. Illicitum esse sequi opinionem tenue probabilem , vel probabiliter probabilem extra casum gravis necessitatis , sive extremæ. Quod constat ex propositione 3. proscripta ab Innocentio XI. nempe : *Generatim dum probabilitate , sive intrinseca , sive extrinseca quantumvis tenui , modo a probabilitatis finibus non exeatur , confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

98. Seq. 2. Neminem posse universaliter amplecti illud proloquium : *Qui probabiliter operatur , prudenter operatur.* Nam ut prudenter quis operetur , non probabiliter utcumque , sed certitudine morali de honestate suæ actionis debet operari : vel quia opinione probabiliori , vel tutiori , vel sola , & unica probabili movetur. Ex quo etiam patet non posse eligi , vel simul , vel divisive modo unam, modo alteram opinionem , licet quælibet appareat æqualis probabilitatis : quia hoc esset pro libito operari , & constituere suam voluntatem regulam operationis , facereque arbitrariam pro suo velle Theologiam moralem.

99. Sequitur 3. Non licere Theologo, vel Confessario consilium dare secundum opinionem minus probabilem , & minus tutam : quia Consiliator gerit vices Christi D. , & debet loqui sermones Dei, & viam rectam edocere , ne ex illis sit, quos Apostolus indicat : *Prurientes auribus* , 2. *ad Timoth.* 4. Similiter illicitum est varios adire Doctores , ea intentione , ut non quod probabilius est , sed quod sibi magis placet , consilient. Nam hoc esset imitari Balac , qui sæpius Balaam interpellavit , ut ab eo responsum acciperet juxta depravati cordis concupiscentiam.

100. Sequitur 4. Easdem opiniones, quas quis amplecteretur in articulo mortis , debere amplecti in vita , licet articulus mortis aliquando variet casum. Tum, quia eadem est lex pro articulo mortis, eademque regula morum , ac pro decursu vitæ. Tum, quia eadem obligatio datur vitandi peccatum extra , ac intra periculum mortis , erg. easdem opiniones sequi debemus in vita , ac in morte. Diximus *articulum mortis variare casum:* non quia sit diversa obligatio legis pro tunc ; sed quia in illa hora respicitur lex distincto aspectu : & hic est sensus legitimus responsi S. M. N. Theresiæ, quæ consulta a P. Gratiano : *Utrum offensus in hora mortis teneatur reconciliari offensori?* inter alia respondit hæc aurea verba *tom.* 2. *epist.* 36. *n.* 2. *Quanto a las contiendas , que dice de las opiniones , me he holgado , que V. P. haya sustentado lo mejor. Que aunque esos padres ternan bastantes razones ; mas terrible cosa es aquella hora , no hacer lo mas seguro.* Ac si diceret : quod licet offensus propter dolorem imminentem , & imbecillitatem humanam non teneatur illico ad admittendam externam reconciliationem in vita, nec tunc opportunum esset proponere illi : at in illa hora , quæ est ultima vitæ , *terribile* est , non facere quod securius. Propter eamdem rationem confessio per interpretem , quæ non jubetur præcepto divino , nec ecclesiastico , debet fieri in articulo mortis ex præcepto propriæ charitatis. Et his similia , quæ pro illo articulo obligant , alias non obligatura.

CAPUT III.

De conscientia dubia , & scrupulosa.

PLura , quæ ad conscientiam dubiam attinent , in suis locis opportune tradentur ; propterea in præsenti pauca prælibabimus.

PUNC-

Punctum I.

De natura, & divisione conscientiæ dubiæ.

101. Inq. 1. Quid sit conscientia dubia? R. est *qua perpensis rationibus utriusque partis anceps remanet, & nulli adhæret.* Sic definitur conscientia dubia objective, quatenus intellectus suspensus manet circa objectum, seu rem, de qua dubitatur. Subjective enim non datur proprie conscientia dubia, quia conscientia est judicium practicum rationis; ideo solum lato modo quit subjective appellari conscientia dubia.

102. Dubium accipitur dupliciter: uno modo communiter pro omni cognitione non certa, & sic opinio, quæ formidinem habet partis oppositæ, includit dubium. Secundo accipitur dubium magis stricte pro cognitione omnino ancipiti ad utramque partem, quod contingit ex defectu scientiæ, & medii sufficientis ad veritatem inveniendam, & propter hoc non fuit in Christo Domino, ut inquit D. Thom. 3. *p. q.* 18. *art.* 4. *ad* 1.

103. Inq. 2. Quotuplex sit dubium? R. Quod solet a pluribus dividi dubium in *positivum*, & *negativum. Positivum* est, quando pro utraque parte æquales rationes dubitandi occurrunt. *Negativum* vocant, dum nulla se offert dubitandi ratio. Sed revera in hoc casu potius ignorantia, seu nescientia, quam dubium appellari debet. Neque enim dubito, sint ne sydera paria, vel imparia, sed penitus ignoro, vel nescio.

104. Dubium ergo positivum, quod verum dubium est, dividitur in *dubium juris*, & *dubium facti*. Dubium *juris* versatur circa jus, vel legem, ut cum dubitas, an sit lex, vel præceptum jejunii tali die. Dubium *facti* est, cum dubitatur utrum aliquid sit factum: v. g. si tali die jejunasti, recitasti, aut solvisti debitum.

105. Deinde dividitur dubium in *speculativum*, & *practicum*. *Speculativum* est dubitare in communi, an liceat hoc, vel aliud agere v. g. utrum liceat in die festo pingere. *Practicum* est dubitare de hac operatione in particulari, an liceat hic, & nunc v. g. an liceat mihi hoc die festo pingere. Dum quis dubitat, an incurrerit censuram, aut irregularitatem est dubium speculativum. Deinde dubitare utrum liceat illi celebrare, est dubium practicum. Aliqui videntur confundere dubium cum opinione probabili, sed distinctione utendum est. Nam si loquamur de opinione ut sic, sine dubio discriminatur, siquidem per opinionem assensus uni parti præstatur; in dubio vero manet judicium anceps, & suspensum inter assensum, & dissensum. Si autem loquamur, dum adsunt duæ opiniones æque probabiles circa idem objectum, tunc datur dubium positivum, quia intellectus manet pendulus, *propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem. Et ista est dubitantis dispositio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Sunt verba D. Thom. *q.* 14. *de Verit. art.* 1.

Punctum II.

Quomodo se gerere debeat, qui laborat conscientia dubia?

106. Dicendum est 1. Quod, stante dubio speculativo de lege, vel de honestate actionis, potest quis licite operari, deponendo illud: quia compatibile est rectum, & practicum judicium de honestate operationis cum dubio speculativo; siquidem istud versatur circa objectum in communi, illud autem circa operationem in particulari: ut patet in milite subdito dubitante de justitia belli, qui tamen practice potest, & debet formare judicium practicum, quod sibi liceat, & teneatur obedire Principi imperanti, cui incumbit prospicere de justitia belli: per quod prudenter deponitur dubium illud speculativum.

107. Dicendum est 2. Quod operari ex conscientia practice dubia est peccatum ejusdem speciei, & qualitatis; quale esi dubium, sive lethale, sive veniale: ut si dubius de hodierno jejunio, illud frangis, committis idem peccatum, ac si sciens, & volens illud frangeres. Dubius de mendacio, proferens illud, si absque præjudicio sit, leviter peccat, eo modo ac si sciens mentiretur.

108. Prob. ration. Ad operandum licite debet cognosci bonitas objecti, sed qui dubitat, non cognoscit bonitatem objecti, circa quod operatur, erg. operari cum dubio practico est peccatum.

Confirm. Ad male operandum sufficit cognoscere sub dubio malum, quod operatur, operans cum dubio legem Dei contemnit, cum interpretative faciat hunc actum: *Hoc volo facere, sive sit contra legem Dei, sive non*; sed ita operari cum virtuali divinæ legis contemptu est peccatum, erg. operari cum conscientia practice dubia peccatum est.

109. Inq. Quomodo deponenda sit conscientia dubia, ut licite operemur? R. Quod ad conscientiam dubiam deponendam aliqua ratio gravis inquiri debet: pro illius autem assecutione sequentes quatuor regulæ diligenter sunt observandæ.

110. *Prima.* Animi sinceritas, desiderium, & studium ad veritatem comparandam: & tunc præsumitur adesse, quando, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, aut gloriæ Dei quæruntur. Contra autem veritas non sincere inquiritur, quando opiniones propriæ libertati, & commodo faventes, illique Doctores nimis indulgentes consuluntur.

Secunda. Consideranda est materiæ gravitas, conditio personæ, circumstantia temporis, & effectus, etiam ex operatione secuturi, præ oculis habendi sunt. Nam juxta qualitatem materiæ major, aut minor diligentia adhibenda est. Neque omnes tenentur ad eamdem.

Tertia. Satis est rusticis, & ignaris consulere Parochum, Confessarium, vel pium virum ad deponenda sua dubia, quando nulla ratio solida occurrit de pravitate operationis. Homo autem doctus debet consulere Doctiores, aut æquales; non vero tenetur adire omnes, sed quos alias in gravi negotio consuleret.

Quarta. Expectanda est circumstantia temporis: nam si urget negotium, & moram non patitur, tunc, quod minus malum appareat, debet eligere; sed si utrumque extremum æqualiter proponitur, divino imploratо auxilio, eligere debet actum, qui minus cupiditati favet, aut juri proximi favorabilior est. Aliqua igitur ex his regulis deponendum est dubium maxime practicum, priusquam quis operetur.

111. Si autem non urgeat operari debemus procedere juxta doctrinam D. Th. qui 1. 2. *q.* 96. *art.* 6. *ad* 2. dicit: *Si enim dubium sit, debet, vel secundum verba legis agere, vel Superiorem consulere.* Per quæ verba excluditur usus epikeiæ in casu obligationis dubiæ; licet possit habere locum, dum lex redditur nimis onerosa, aut contrarie deficit.

Punctum III.

De intelligentia regulæ:

Melior est conditio possidentis.

112. Inq. An ad deponendam conscientiam dubiam faveat illa regula: *Melior est conditio possidentis?* R. 1. Tenere dictam regulam in materia justitiæ pro foro externo; pro interno autem juxta quantitatem dubii, ut in tract. de præscriptione, & restitutione fusius patebit. Quod teneat pro foro externo, liquet ex regula 65. *de reg. jur. In pari causa potior est conditio possidentis.* Ratio id ipsum suadet, quia possessor habet duplex jus; aliud dubium proprietatis, aliud certum possessionis; sed duplex jus superat unicum jus dubii alterius, erg. in dubio potior est conditio possidentis.

113. Hanc regulam admittunt in præsenti absolute pro materia justitiæ, etiam doctrinæ severioris patroni, licet postea agentes de præscriptione, ac restitutione, illam restringant ad forum tantum externum, ita ut pro interno solum faveat pro rei medietate, vel juxta proportionem dubii.

114. R. 2. Dictam regulam non tenere ultra materiam justitiæ ad deponendam conscientiam dubiam in favorem libertatis. Prob. juxta sacros Canones *cap. Dominus, de secund. nupt. cap. Ad audientiam*, & *cap. Significasti de homic.*, & aliis locis, *in dubiis pars tutior est eligenda*, erg. non tenet regula de possessione.

Idem docet D. Thom. in 4. *dist.* 38. *q.* 1. *ad* 6. ubi inquit: *Si dubitet quomodo se vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.*

115.

115. Prob. rat. Qui in dubio legis non sequitur partem tutiorem, discrimini, vel periculo peccandi se exponit; sed qui se exponit periculo peccandi illicite operatur, erg. illa regula: *Melior est conditio possidentis*, non deservit ultra materiam justitiæ ad deponendam conscientiam dubiam in favorem libertatis; sed potius altera: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Dixi *in favorem libertatis*; nam in favorem legis semper abs dubio deservit.

§. I.

Diluuntur argumenta contraria.

116. Objic. 1. Ideo in materia justitiæ tenet prædicta regula, quia dubitans est in possessione v. g. prædii; sed in aliis materiis dubitans de lege, aut voto, etiam est in possessione suæ libertatis, ergo si regula illa tenet in materia justitiæ, etiam in aliis materiis tenere debet.

117. R. dist. min. Dubitans de lege, aut voto est in possessione dubia suæ libertatis, conced. min. Est in possessione certa, neg. min. & conseq. Nam in materia justitiæ non dubitatur de possessione, sed de proprietate, proindeque possessio certa est, & apud omnes nota, in materia autem aliarum virtutum dubitatur de possessione contra legem: nam idem est disputare, an detur lex, ac dubitare, an libertas possideat jus operandi: qua ratione si cum illo dubio operetur, exponitur periculo agendi contra legem.

118. Instabis: Utens titulo possessionis, etiam exponitur periculo violandi justitiam: privat enim dominio illum, ad quem forte prædium v. g. re ipsa pertinet; & nihilominus favet illi titulus possessionis, erg. idem dicendum est in aliis materiis. R. Quod possessor in materia justitiæ nulli periculo, nec materiali violandi dominium alterius exponitur: tum propter possessionem certam, & indubitatam, qua non gaudet dubitans de lege. Tum quia protegitur utroque jure canonico, & civili, & conservatur in sua possessione, & dominio: propter bonum enim commune reipublicæ ad vitandas lites, & perturbationes, ne incerta manerent dominia rerum, peroptime statuerunt adjudicari proprietatem possessori, dum obscura, vel dubia sunt jura, ut contingit in præscriptione: quod non reperitur decrevisse in aliis materiis præter justitiam.

119. Objic. 2. Regula illa melior est conditio possidentis locum tenet in materia obedientiæ, erg. etiam in aliis materiis ultra justitiam. Prob. ant. Subditus tenetur obedire Superiori, cum dubitat de honestate præcepti; sed hoc non alia ratione, nisi quia Superior habet possessionem juris, ut sibi obediatur, quo in dubio privari non debet, erg. in materia obedientiæ tenet illa regula, erg. etiam in aliis materiis extra justitiam.

120. R. neg. min. Subditus enim non tenetur præcise obedire Superiori ex titulo possessionis; sed ratio formalis est authoritas legitima, & potestas Prælati ad præcipiendum, quapropter subditus non debet in examen vocare mandatum Prælati, sed debet proprium judicium eidem subjicere: hæc est via tuta respectu subditi, facilius enim est subditos falli in judicando Prælatorum mandata esse injusta, quam Prælatos in jubendo honesta. Si autem velis subditum teneri obedire Prælato ratione possessionis, potius probat dictam regulam admitti posse in aliis materiis ultra justitiam in favorem legis, aut præcepti, quod libenter concedimus. Semper enim, ac datur simile dubium, lis est inter legem, & libertatem, inter Deum, & hominem. Unde cum potior debeat esse causa Dei, & legis; pro Deo, & lege ferenda est sententia, & supponenda possessio.

§. II.

Corollaria.

121. Ex dictis sequitur 1. Quod illa regula *in dubiis tutior pars est eligenda* extra materiam justitiæ esse de præcepto: quia sacri Canones verbis præceptivis utuntur, dum illam exprimunt, pœnam gravem imponunt iis, qui tali regulæ non obtemperant: ut patet *ex cap. Illud, de Cleric. excom. minist.* Ubi jubetur deponi Episcopus, qui in dubio, an esset excommunicatus, a sacris non abstinuit.

122. Sequitur 2. Quod dubitans de lege, præcepto, aut voto, vel de potestate Prælati, & similibus, debet edimplere, nisi dubium deponere possit ex rationalibus motivis: quia in dubiis tutior pars est eligenda, ne periculo peccandi se exponat.

123. Sequitur 3. Optime conciliari inter se in materia justitiæ illas tres regulas juris. *In dubio melior est conditio possidentis. In dubiis tutior pars est eligenda. In dubio favendum est reo, potius quam actori.* Quia possessor est pars tutior, habet enim in sui favorem duplex jus, & plus requiritur ad auferendum aliquid ab aliquo, quam ad relinquendum habenti. Rursus possessor in omni materia dubia est reus: nam reus dicitur a *re*, quæ petitur ab eo, & ipse numquam petit, sed ab ipso postulat actor, ergo favendum est possessori, sicut & reo. Similiter eadem ratione reus est pars tutior: quoniam dum versatur dubium inter reum, & actorem, tutius est absolvere, quam damnare dubium reum: ex duobus enim malis necessariis, tutius est minus eligere. Minus autem malum est reum absolvere, quam innocentem damnare.

124. Nota, quod Confessarius audiens pœnitentem se accusare operatum esse cum dubio, quia cum non haberet rationes certas, & evidentes ad dubium deponendum, se gessit in operatione cum aliqua perplexitate, non statim judicet illum operatum esse cum dubio, ideoque peccase; nam si pœnitens timoratæ sit conscientiæ, reperiet non operatum fuisse sine aliqua prudenti ratione, quæ sufficit, ut dicatur operationem non fuisse factam cum dubio, licet cum aliqua perplexitate, aut anxietate. Et ne ulterius conscientia erronea peccet, instruat illum, esse longe diversum operari cum aliqua perplexitate, ac cum dubio.

PUNCTUM IV.

De conscientia scrupulosa.

125. Inq. 1. Quid sit scrupulus? R. Est *quædam levis suspicio peccati, ex levibus orta fundamentis.* Per quam definitionem distinguitur scrupulus a conscientia recta, quia hæc est judicium rectum; ab erronea, quæ similiter est judicium, esto ab errore ortum; a dubia, quia hæc est suspensio intellectus, & denique ab opinione, quia hæc oritur ex gravibus fundamentis. Constat etiam ex hac definitione scrupulum consistere principaliter in actu intellectus, & secundario in actu voluntatis: cum ex parte intellectus importet illam suspicionem, seu falsam existimationem: & ex parte voluntatis timorem cum animi anxietate. Unde a S. Antonino dicitur scrupulus; *Vacillatio quædam cum formidine.* Derivatur scrupulus a scrupo, seu lapillo, quæ in calceo latens, molestiam infert. Ex quo usurpatur scrupulus pro molestia, & anxietate animi, orta ex levi fundamento.

126. Inq. 2. Quæ sit causa scrupulorum? R. Varias esse causas hujus molestæ infirmitatis, ex quibus aliæ intrinsecæ, aliæ vero sunt extrinsecæ, & hæ ultimæ possunt esse naturales, vel supernaturales, & præcipuæ sunt sequentes. Prima est imbecillitas capitis, quam homines apprehensivi patiuntur. 2. Defectus judicii discretivi. 3. Melancolia, aut complexio terrestris ad timorem propensa, qualis est in naturis humidis, ac frigidis. 4. Nimius amor proprius, quo vellent in omnibus commode, & secure procedere. 5. Acumen ingenii in inveniendis rationibus dubitandi, & ignorantia dissolvendi. 6. Occulta superbia, ob quam aliquis non vult se submittere judicio, & directioni alterius. 7. Pusillanimitas, & dejectio animi, ob quam quis non audet timores contemnere. Omnes hæ sunt causæ intrinsecæ, & naturales. 8. Sugestio Dœmonis, ut bonum spirituale hominis impediat. 9. Consortium cum scrupulosis, vel lectio alicujus libri ab incauto, & minus intelligenti. 10. Denique voluntas Dei, qui sæpe permittit animas scrupulis vexari, vel ad puniendas peccata, præsertim superbiam, vel ad instruendum hominem, ut sciat compati, & dirigere alios afflictos: vel ad excutiendam tepiditatem, vel ut se caveant a periculis, vel denique ad majus hominis meritum.

127. Inq. 3. Quibus remediis cons-

cien-

cientia scrupulosa medenda sit ? Pro responsione notandum est, Confessarium debere cognoscere ægritudinem pœnitentis, priusquam applicet remedia: cognoscet autem spiritualis medicus pœnitentem hac laborare infirmitate, quando non in uno, aut altero casu transeunter habet scrupulum, sed cum viderit eum sæpius existimare sine fundamento esse peccatum, quod re vera non est, & hoc sive in una materia, sive in pluribus. Unde non debet Confessarius judicare statim prima, ac secunda vice pœnitentem esse scrupulosum, quia licet quandoque sit anxius, forte est justa, & rationabilis anxietas.

128. Notare etiam debet Confessor, duo esse genera horum infirmorum, quidam enim torquentur tam circa futura, quam præterita, & presentia; alii vero præcise circa præterita, nihil curantes de futuris: quapropter his mederi difficillimum est. His suppositis:

129. R. Quod præcipuum scrupulorum remedium est obedientia humilis, prompta, & cæca erga Confessarium spiritualem, & doctum: sanitas enim hujus infirmitatis maxime sita est in obedientia, sine illa enim impossibilis est hujus morbi sanatio. Eligat igitur scrupulosus virum doctum, & pium, cui prompte, & humiliter in omnibus obediat, & huic unice fidem præstet, non cursitet alios, quia, experientia teste, multiplicitas medicinæ, & medicorum infirmos occidit.

130. Secundum remedium est humilitas, & continuatio devotæ orationis. 3. Exercitium virtutum, præsertim fidei, spei, & charitatis. 4. Solicita cautio a peccatis, etiam venialibus. 5. Fugere otium, ita ut Dœmon semper scrupulosum occupatum inveniat. 6. Si radix scrupulorum sit melancholia, aut humor viliosus, moderatum, & honestum exquirat solatium, aut medicamentum. D. Antonin. *p.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. §. 10.

PUNCTUM V.

De Confessario scrupulosi.

131. Inq. 1. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum scrupulosis ? R. Quod munitus charitate, & patientia similes ægrotos suaviter, & benigne pertractet, ne afflicto afflictionem addat: non tamen permittat sæpius de scrupulis alloqui, neque ipsum importune adire, & molestissimis interrogationibus vexare. Si videat pœnitentem vehementer scrupulis cruciari, jubeat, ut nihil reputet esse mortale, nisi quod manifeste, & certo mortale ipsi videatur: imo interdum potest esse aliquis adeo scrupulosus, ut nisi jurare possit commisisse mortale, non debeat credere, nec confiteri. Advertat etiam, ut non curet satisfacere omnibus scrupulis, sed plures contemnat, aut irrideat, breviterque aliquibus respondeat: nullam tamen reddat rationem, cur ita jubeat, aut judicet, ne scrupulosi, ipsas rationes examinando, novis anxietatibus se implicent. Observet insuper, ne plures confessiones generales eis permittat, sed, una vel alia rite peracta, severe eisdem vetet, de præteritis in posterum cogitare. Ad summum ter, aut quater audiat aliquod præteritæ vitæ peccatum, deinde ostium elapsæ vitæ omnino claudat, silentiumque perpetuum imponat.

132. Si pœnitentes scrupulis vexantur circa doloris defectum, Confessarius suadeat illis certum esse, habuisse sufficientem dolorem: quia præsumptio pro illo stat: cum ex una parte non ignorent ad validam confessionem esse necessarium dolorem supernaturalem, & ex alia peccata exhorrescant, & divina præcepta observare studeant. Si vero angantur de consensu suggestionum, vel de spiritu blasfemiæ, præcipiat deponere practice dubium, vel scrupulum, despiciendo vanas apprehensiones, quia ut in plurimum similis anxietas, & dubitatio in eis est imprudens, & inanis. Unde si forte esset verus consensus, excusabitur per accidens a confessione ob conscientiæ scrupulosæ privilegium, & maxime si fiat prudenter Confessarii consilio.

133. Quando pœnitens cruciatur scrupulis circa divinum officium, dubitans, an prætermiserit hos, vel illos Psalmos, tunc Confessarius debet illi suadere, non teneri, nec debere illos repetere: quia sufficiens causa est deponendi scrupulum, incepisse, imo & finisse talem horam, aut officium, & idem dicendum est, quando

do dubitat de necessaria attentione, & intentione ad debite recitandum, seu rite celebrandum, aut consecrandum. Si autem dubium esset, non de parte horæ canonice inceptæ, sed de tota hora, tunc videndum est, an sæpius tali dubio laboret, an non? Si primum, ut in aliis scrupulis habendus est; si secundum, tenebitur utique recitare, nisi aliqua rationabili causa deponat dubium. Est tamen aliquando efficax, & salubre remedium, ut Confessarius præcipiat scrupulosis recitare flexis genibus horas canonicas, de quibus dubitant. Hoc remedium, experientia teste, pluribus mederi compertum est: quia cum scrupulosi non semel amori sui inordinato abundent, laborem effugiunt, & timore hujus medicinæ Confessorem adire metuunt, & ita per seipsos curant scrupulis satisfacere. Unde evenit, quod brevi tempore, in consulto Confessore, illis occurrant, & denique ab eorum cruciatu liberentur. S. Antonin. ibi.

134. Inq. 2. Quomodo medendum erit illis, qui circa præterita valde scrupulis vexantur, de peccatis vero in posterum vitandis parum curant? R. Quod illi potius laxi, quam scrupulosi habendi sunt. Unde eis difficile remedium adhiberi valet: quare ipsis prudens Confessarius suadeat, ut frequenter ad confessionem devote accedant, ac majori diligentia, & fervore munia, & officia sui status adimpleant: nihilominus si revera scrupulosi circa præteritorum confessionem inveniantur, idem dicendum est de eis, ac de aliis scrupulosis. Videlicet, quod post integram confessionem, sufficienti diligentia factam, non tenentur repetere, aut confiteri nisi illa peccata, quæ certo sciunt in confessione manifestata non fuisse.

135. Pro coronide hujus puncti observa: confessionem generalem non omnibus convenire; quibusdam enim est necessaria, quibusdam utilis, quibusdam vero nociva. Est necessaria illis, qui in occasione proxima, aut in inveterata consuetudine peccandi diu vixerunt, vel aliqua peccata gravia in præteritis confessionibus scienter tacuerunt, vel ex defectu doloris, aut propositi, aliove ex capite nullas confessiones egerunt. Est utilis illis, qui pro majori puritate animæ, aut securitate conscientiæ, seu humilitate, vel quando ordines recipiunt, aut ad religionem, vel ad alium statum transeunt, omnia ante actæ vitæ peccata sacramento subjicere volunt. Est denique nociva scrupulosis, qui novis confessionibus novos scrupulos gignunt, ac nutriunt.

Punctum VI.

An liceat agere contra conscientiam scrupulosam.

136. Inq. 1. An quando scrupulus dictat aliquid esse peccatum, liceat agere contra illum, adhuc eo pungente, & perseverante? R. affir. Quia scrupulus non tollit determinatum assensum de honestate operationis, erg. eo non deposito, potest licite operari. Prob. antec. scrupulus consistit in eo v. g. quod aliquis determinate judicans officium divinum persolvisse, suspicatur ex levibus indiciis, an integre, vel an recta intentione illud recitaverit, ergo scrupulus non tollit assensum determinatum de honestate actionis.

137. Notari tamen oportet, quod scrupulus converti solet in judicium erroneum determinatum: & tunc, si invincibile fuerit, poterit licite, & tenebitur cum illo operari, ut supra diximus de conscientia erronea invincibili; si vero vincibile fuerit, erit illicitum, eo non deposito, operari; & de hoc judicio erroneo intelligendus est textus *in cap. Per tuas, de simonia.* Ubi quidam ordinatus ab Episcopo, qui dicebatur simoniacus, permittitur ministrare in suscepto ordine, non tamen ad alium promoveri, donec deponat errorem ex scrupulo ortum. Idem dicendum est, si scrupulus transeat in dubium; tunc enim deponi debet, ut quis licite operetur: quo sensu intelligendus est textus in *cap. Inquisitione, de senten. excomm.* Ubi uxori habenti scrupulum de valore matrimonii conceditur exigere debitum conjugale, explosa conscientia levi, aut scrupulosa.

138. Inq. 2. An non solum sit licitum agere contra scrupulos, sed etiam aliquando obligatorium? R. affirm. Quia

scru-

scrupulos fovere, solet afferre notabile damnum, non solum corporis, sed etiam animæ, erg. prob. ant. quia scrupulosus ob vehementiam suarum inanium apprehensionum spiritus vitales atterit, cærebrum debilitat, periculo amentiæ se exponit, ad proprium munus obeundum se inutilem reddit, & denique a sacramentis suscipiendis se retrahit, erg. exponitur gravi periculo corporis, & animæ, erg. ob vitanda talia incommoda debet audacter operari contra suos scrupulos. Credimus tamen plerumque excusandos esse a culpa scrupulosos, qui abigere scrupulos non nimis curant: quia impetus hujus spiritualis ægritudinis adeo vehemens esse solet, ut judicium obnubilet, & libertatem adimere aliquibus videatur: & ideo cum illis agendum est, tanquam cum gravi morbo laborantibus. Ad prudentiam ergo Directoris pertinet uti sale, oleo, & vino, prout qualitas morbi, & infirmi expostulaverit.

139. Advertas autem, quod licet scrupuli afferant aliquando prædicta incommoda, afferunt etiam plures utilitates, inter quas 1. est juvare ad emundandam conscientiam. 2. Facere hominem cautum, & solicitum in obsequio Dei. 3. Reddere illum humilem, & timoratum. Denique deserviunt ad magnum meritum, & ad purganda peccata. Et aliquando assumuntur a Deo, ut media ad consequendam æternam salutem illius, qui angores, & cruciatus scrupulorum patitur. Ut patet in quadam moniali cruciata hac continua infirmitate, pro cujus solatio, & levamine precabatur alia, cui respondit Dominus: *Desine, filia, hoc enim convenit illi, ut salvetur.*

TRACTATUS TERTIUS

DE LEGIBUS

POst notitiam regulæ intrinsecæ moralitatis, viam facimns ad explorandam ejusdem regulam extrinsecam, nempe legem. Est enim lex suprema justitiæ regula, æquitatis norma, agendique mensura: qua ratione actus humani gaudent bonitate, aut malitia per conformitatem, vel deformitatem ad legem, de qua est præsens sermo.

CAPUT I.

De essentia, & conditionibus legis.

Compertum est omnibus dari pro recta creaturæ directione aliquam legem: sive ita appelletur a legendo, sive ab eligendo, sive proprius a ligando, quia ligat ad sui observantiam. Unde supposita existentia, ad ejus essentiam declarandam progredimur cum D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *& seq.*

PUNCTUM I.

Natura, & conditiones legis.

1. Inq. 1. Quid sit lex? R. Est *ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui reipublicæ curam gerit promulgaoa.* Dicitur *ordinatio rationis*: lex enim in recto consistit in actu intellectus, qui dicitur imperium, connotando voluntatem imperantis, ut docet D. Thomas *loc. cit.* Dicitur deinde *in commune bonum ordinata*: per quod differt a præcepto, quod ab bonum particulare ordinari potest; non ita lex, quæ semper ad bonum commune ordinatur. Differt etiam per illas particulas lex a consilio, aut petitione, quæ ad bonum particulare ordinari valent, cum tamen lex commune bonum semper intendat. Et etiam, quia petitio, & consilium possunt ab inferiori, & æquali exhiberi; lex vero non nisi a Superiore communitatis, ut patet ex sequenti particula.

2. *Ab eo, qui reipublicæ curam gerit:* hoc est, qui gaudet jurisdictione in communitatem politicam; non enim ad statuendam legem sufficit potestas dominativa, sive æconomica, ut est illa, quam habet pater in filios, dominus in servos, & maritus in uxorem, sed requiritur potestas publica respectu communitatis politicæ, ut est urbs, provincia, aut regnum,

gnum. Denique dicitur in definitione, quod sit *sufficienter promulgata*: non enim sufficit, quod superior aliquid per legem præcipiat, nisi obligatio signis exterioribus communitati manifestetur, & intimetur, appliceturque per promulgationem.

3. Inq. 2. Quot sint conditiones legis? R. Quinque communiter assignari *ex D. Thom. loco supra cit.* 1. quod toti communitati imponatur; lex enim bonum non particulare, sed commune, & universale respicit. 2. quod ab habente legitimam, & perfectam potestatem procedat. 3. quod ex natura sua sit perpetua; si enim pro aliquo tempore tantum imponatur, potius naturam præcepti, quam legis vendicat. 4. Quod ex se, & primario ad bonum commune ordinetur; nam licet præceptum etiam remote, & ultimate in commune bonum dirigatur: tamen distinguitur a lege, quia ad id non ordinatur primario sicut lex. 5. quod sufficienter promulgetur. Aliæ tres qualitates, seu conditiones assignantur pro lege humana. 1. Quod religioni congruat; hoc est, quod sit conformis legi divinæ. 2. quod disciplinæ conveniat, id est, quod legi naturali non dissonet. 3. quod saluti proficiat, hoc est, quod ordinetur ad utilitatem hominum. Ad has reducuntur aliæ qualitates, ut quod sit honesta, justa, & moraliter possibilis fragilitati humanæ, ut ex D. Isidoro docet *D. Thom.* 1. 2. *q.* 95. *art.* 3.

Punctum II.

De divisione legis, & de jure gentium.

4. Inq. 1. Quotuplex sit lex? R. Est multiplex. Primo enim dividitur *in divinam, & humanam. Divina est, quæ provenit a Deo. Humana, quæ fertur ab homine.* Deinde lex divina subdividitur in *æternam, naturalem, & positivam. Lex æterna est divinæ mentis imperium promulgatum, quo creaturæ omnes in suos fines a Deo supremo Principe ordinantur in æternitate.* Hæc lex æterna potest sumi active, & ex parte Dei, & sic in Deo est æterna: potest etiam accipi passive, pro ipsa directione passiva creaturarum, & in hoc sensu temporanea est. Hæc autem lex æterna distinguitur virtualiter ab idea divina, & etiam a providentia, quia idea reperitur in Deo per modum exemplaris rei faciendæ. Providentia vero est aliquid consequens ad legem æternam, & ex se non inducit obligationem: lex autem æterna est in Deo per modum rationis gubernantis, quæ promulgata fuit in Verbo divino in æternitate.

5. Lex divina *naturalis*, prout in Deo, coincidit cum lege æterna, quatenus significat ipsam convenientiam, aut disconvenientiam extremorum ad invicem circa veritates mere naturales practicas, ut justitiam esse servandam, mendacium esse vitandum: quapropter hæc lex divina naturalis est, quæ jubet ea, quæ sunt per se bona, & vetat ea, quæ sunt per se mala; & per hoc distinguitur a lege divina positiva, quæ prohibet multa, quæ per se non sunt mala. Lex igitur divina jubens ea, quæ per rationem mere naturalem cognosci possunt, agenda, vel fugienda, est *naturalis.*

6. Lex divina *positiva* est illa, quæ ex Dei beneplacito procedit, ut ab hominibus observetur. Subdividitur in legem *veterem, & novam.* Lex vetus est *imperium a Deo derivatum, & promulgatum Populo Israelitico, ut eum præpararet ad legem Christi Domini.* Hæc lex vetus continebat tria genera præceptorum, nempe *moralia, ceremonialia, & judicialia. Moralia*, quæ in Decalogo continentur, semper obligant. *Legalia, seu judicialia, & ceremonialia* desierunt post adventum Christi Domini, cujus erant figuræ, & umbræ; ideoque per *consumatum est* ejusdem summi Sacerdotis abrogata sunt, & ultimate, & perfecte in die Pentecostes.

7. Lex divina *nova* est lex evangelica, nempe *lex gratiæ*, eo quod non solum jubet, sed ad observanda præcepta vires per gratiam confert. Lex vetus erat timoris, lex nova amoris. Unde dicitur, quod *lex vetus cohibet manum: nova animum.* Hæc lex solemniter promulgata fuit, quando Spiritus sanctus igneis linguis super Apostolos descendit, & post istam generalem publicationem vim legis obtinuit, omnesque obligavit, ad distinctionem legis veteris abrogatæ, quæ solum

lum Israelitas obligabat.

8. Denique dividitur lex in *affirmativam, & negativam.* Affirmativa est, quæ præcipit aliquid faciendum, ut amare Deum. Negativa est, quæ prohibet aliquid operandum, ut non furari. Hinc oritur regula generalis: quod *leges negativæ obligant semper, & pro semper: affirmativæ autem obligant semper, sed non pro semper.*

9. Inq. 2. Quid sit jus gentium? R. Est *quædam lex universalis recepta apud omnes gentes, nec à natura, nec à determinato Principe lata, sed usu, & consuetudine ab omnibus fere gentibus introducta.* Ut discretio gentium, regnorum divisio, sedium occupatio, bella, captivitates, servitutes, postliminium, fœdera, contractus, & similia. Differt jus gentium à jure naturali, & civili, ut const. *ex l. 1. ff. de just. & jure*, ubi jus dividitur in *naturale, gentium, & civile.* Est tamen valde conforme juri naturæ, & ob hanc conformitatem jus gentium dicitur esse aliquo modo naturale homini, secundum quod est rationalis, in quantum derivatur à lege naturali per modum conclusionis, ut *ait D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 4. ad 1.*

PUNCTUM III.

De lege humana naturali.

10. Inq. 1. Quotuplex sit lex humana? R. Est triplex, videlicet: *naturalis, canonica, & civilis.* Lex naturalis humana, seu ex parte hominis est *participatio legis æternæ, seu divinæ naturalis.* Vel *quædam intimatio passiva æternæ legis, creaturæ rationali facta.* Nam quod in lege æterna active reperitur, per legem naturalem passive à nobis participatur. Ex illa enim lege æterna, quæ est in mente divina, derivatur in nos quodam lumen, & recipitur passive in nobis, ut active dirigat nos, ostendens quid faciendum, vel fugiendum sit. Quæ quidem lex, aut lumen infunditur simul cum anima; intimatur autem, & promulgatur hominibus in instanti morali usus rationis juxta illud *Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

11. Hæc lex naturalis distinguitur ab ipsa natura rationali, & ab intellectu, quandoquidem dicitur impressa, & inserta mentibus, quod nec de natura rationali, neque de potentia intellectuali verificari potest. Differt etiam a synderesi, & conscientia; quia synderesis est *habitus cognoscens prima principia operabilia*: Conscientia est *dictamen intellectus, quo lex applicatur*: ipsa vero lex naturalis est *ordinatio rationis a Deo nobis impresa*, cognita per synderesim, & applicata per conscientiam. Non tamen est potentia, nec habitus proprie dictus, neque actus; sed propositiones universales intellectus practici, præcipientes bonum, & vetantes malum. Ex quo plane infertur legem naturalem versari circa omnes actus virtutum, & vitiorum, illos præcipiendo, vel approbando, hos vero prohibendo.

12. Inq. 2. An ea, quæ de jure naturæ sunt, possint ab aliquibus invincibiliter ignorari? Pro resolutione hujus dubii notandum est præcepta juris naturæ ad tres clases posse reduci: quædam enim sunt præcepta communissima, quasi prima principia per se nota: *Ut bonum est faciendum: malum est fugiendum*: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: ad quæ reducuntur præcepta Decalogi absolute accepta. Alia sunt præcepta legis naturæ, quæ se habent, ut conclusiones proximæ ex prædictis principiis evidenti, & facili discursu deductæ. Ut illa tria præcepta, supra quæ fundatur jus civile, nempe *honeste vivere, neminem lædere, jus suum unicuique tribuere.* Alia denique, quæ sunt conclusiones remotiores a primis principiis, indigentque majori luce, & discursu, ut ex illis inferantur: ut sunt præcepta circa contractus, usuras, matrimonium, temperantiam, & similia. Quibus suppositis.

13. R. Non posse dari ignorantiam invincibilem circa præcepta primi, & secundi generis; circa præcepta vero tertii generis, vel circa conclusiones remotiores dari posse talem ignorantiam. Prima pars est expressa *D. Thom.* & ratio est: quia hujusmodi præcepta, vel sunt ipsa prima principia per se nota, vel ita cum ipsis connexa, ut oppositum sit dissonum rationi naturali, erg. de illis nequit admitti ignorantia invincibilis. Ignorantia, quæ apud Ethnicos invaluit, præceptorum naturalium

lium primi, & secundi generis, culpabilis & vincibilis fuit, ut adoratio plurium Deorum, adulteria, furta, & alia peccata contra naturam: & hoc accidebat, inquit D. Thom. propter hoc, quod aliqui habebant depravatam rationem ex passione, seu ex consuetudine, vel habitus corruptos, quod non excusabat illos a peccato.

14. Secunda pars, nempe posse aliquando dari ignorantiam invincibilem circa præcepta tertii generis, seu circa conclusiones remotiores a primis illis principiis, & a præceptis Decalogi, probatur: quia non omnes adulti satis idonei sunt ad operosum discursum impendendum, ut deducant veritates, ex laudatis præceptis remote profluentes, vel ob defectum scientiæ, quæ eorum statui non congruit; vel propter hebetudinem mentis, vel defectum educationis, ergo in talibus potest dari ignorantia invincibilis, aut excusabilis, ut in quibusdam contractibus usurariis, aut etiam in ipsis præceptis Decalogi, aliqua circumstantia velatis, ut in furto, aut mendacio accidere valet. D. Thom. 1. 2. *q.* 94. *a.* 6. *in corp.*

15. Notent tamen diligenter Confessarii, quod si accedat pœnitens cum peccatis contra præcepta juris naturæ, instruat illum in futurum, & circa præterita se gerat, ac si in eis numquam intervenisset ignorantia invincibilis; non enim facile constat, quando adest vincibilis, aut invincibilis; intelligat tamen idiotas, & simplices posse aliquando excusari a peccato propter ignorantiam. Quod non mirum, cum inter ipsos Doctores, & sapientes jurgia sint, & dissidia circa hujusmodi præcepta.

Punctum IV.

De lege humana positiva.

16. Inq. 1. Quid sit lex humana positiva? R. Est *Principis humani imperium ad bonum commune ordinatum, & sufficienter promulgatum.* Dividitur in *ecclesiasticam, & civilem. Ecclesiastica* est, quæ a superioribus ecclesiasticis imponitur. Dicitur *canonica* a voce græca *canon*, quæ regulam latine significat. Unde jus canonicum idem est, ac jus regulare, & ejus determinationes *canones* appellantur, idest regulæ. Et licet hac ratione etiam jus civile canonicum possit appellari, cum regulis constet; verum usus obtinuit, ut solum jus ecclesiasticum canonicum nuncupetur.

17. Lex civilis est, quæ a potestate seculari imponitur, appellatur autem *civilis*, quia afficit cives, ad quorum gubernationem, & tranquillitatem ordinatur.

18. Inq. 2. Quæ sint volumina juris canonici? R. Sunt primo: *Decretum* a Gratiano compilatum ex variis Conciliis, & Patrum testimoniis. Dividitur in centum supra unam distinctiones: & triginta, ac tres causas. Post ultimam sunt septem distinctiones de pœnitentia, & aliæ tres causæ. Ac tandem quinque distinctiones de consecratione. Secundum volumen appellatur *Decretales*, quinque libris dispositum, & constans diversis responsis, statutis, ac præceptis Pontificum, & Conciliorum. Tertium dicitur *Liber sextus Decretalium*, quia easdem continet materias in aliis quinque libris. Quartum appellatur *Clementinæ*, quæ sunt variæ Pontificum decisiones collectæ a Clem. V. Et extravagantes Joannis XXII. Et aliæ extravagantes communes diversorum Pontificum. Quintum est *novum Bullarium*: in quo sunt motus proprii, & Bullæ aliorum Pontificum. Et insuper omnes aliæ, quæ in dies expediuntur.

19. Hæc omnia jura canonica vim legis habent, totamque Ecclesiam obligant præter decretum Gratiani, quod licet aliqui velint, obligationem inducere; verius tamen est oppositum, & solum obligare decreta in eo contenta respective, taliter, ac si fuerint Conciliorum generalium, aut summorum Pontificum, totam Ecclesiam obligabunt, si provincialium, provinciam suæ jurisdictionis. Si dicta SS. Patrum, exhortationem continent, non obligationem: quia solum summus Pontifex, Concilium generale, aut provinciale, vel Prælati Ecclesiarum habent facultatem condendi leges canonicas. Eadem ratione carent vi legis decisiones Rotæ. Sic autem hoc gravissimum tribunal appellatur, quia judices, qui ad illud concurrunt, assignantur per dies in quadam rota ad modum, quo horæ in rota horologii, ita ut tres hodie, & tres crastina, & sic de cæteris usque ad duodecim doctissimos diversa-

rum

rum nationum, ex quibus componitur, ad lites decidendas per turnum, seu alternatim assistant. Alii ajunt sic vocari a quadam rota, quæ in illo loco erat olim.

20. Inq. 3. Quæ sint volumina juris civilis? R. Quod dividitur in leges imperatorias, sive jus commune, sive *Cæsareum*, & in leges regias, seu jus *regium*. Continet jus civile omnes leges imperatorias authoritate Justiniani recopilatas in quinquaginta libris Digestorum, seu Pandectarum. Dividitur in tres partes principales, videlicet, *Digestum*, *Codicem*, & *Instituta*. Insuper Digestum subdividitur in *Digestum vetus*, Digestum *novum*, & *infortiatum*. Secunda pars est *codex*, quem etiam Justinianus compilavit, in quo continentur tres antiquiores codices, scilicet codex *Gregorianus*, *Hermogenianus*, & *Theodosianus*, & dividitur in duo corpora, unum retinet nomen *codicis*, & continet novem libros; aliud appellatur *volumen*, quod tres libros ultimos codicis usque ad duodecimum continet, & Autenticas, & Novellas.

21. Ultima pars dicitur *Instituta*, seu institutiones Justiniani, & est Compendium, aut summa totius juris civilis Cæsarei, jussu ipsius Imperatoris pro tyronibus instituendis compositum a Triboniano, Theofilo, & Dorotheo peritissimis juris consultis. Dividitur in quatuor libros: 1. agit de personis. 2. de rebus, & de modo illas acquirendi. 3. de contractibus, & obligationibus. 4. denique de actionibus.

22. Circa leges regias, ommissis aliorum regnorum juribus, dividitur jus Hispanum in quinque partes. Prima continet leges *fori*, quas compilavit S. Isidorus in volumen appellatum *Fuero* del *juzgo*: ad quod leges styli reducuntur, & continet antiquiores Hispaniæ leges, ex quibus tantum obligant illæ, quæ probantur esse in usu, ut dicitur l. 1. *Tauri*. Secunda continet leges *Partitarum*, ita appellatæ, quia in septem partes dividuntur. Compositæ fuerunt a Rege Alphonso IX. Sapientissimorum virorum diligentia, & labore; continent fere omnes materias, & leges juris Cæsarei, & aliqua decreta juris canonici: observantur in Hispania a tempore Catholicorum Regum Ferdinandi, & Isabellæ, qui l. 1. *Tauri* decreverunt, in his Hispaniæ Regnis per leges Partitarum judicari. Tertia pars continet *Ordinamentum regale*, post partitas compositum, & habet octo libros, est que in viridi observantia. Quarta *leges Tauri*, quæ in civitate de *Toro* a Regibus Catholicis sunt ordinatæ, & observantur. Quinta dicitur *Nova Recopilatio* legum, seu Pracmaticarum dispersarum, quæ jussu Regis Philip. II. compilatæ sunt. Et novissime jussu Philip. IV. amplior compilatio facta est.

23. Inq. 4. An, quando deficiunt leges propriæ in Hispania, debeant observari in Tribunalibus leges Cesareæ? R. Alii affirmant, alii negant. Potest tamen conciliari utraque sententia asserendo, quod licet leges Cesareæ non obligent ad sui observantiam in Hispania, in quantum sunt leges Imperatoris; obligant vero in quantum sunt valde conformes juri naturali, & quædam doctrina a peritissimis in jure communi exarata. Ratio primi est, quia Imperator nulla gaudet jurisdictione in Hispanos, nec in cæteros sibi non subditos. Secundi ratio est, quia, deficientibus propriis legibus, debet judex ferre sententiam, non ad suum arbitrium; sed conformiter ad jus naturale juxta sapientium responsa, exposita in jure Cæsareo. Et ita observari ex consuetudine in Tribunalibus Hispaniæ testantur non pauci.

§. I.

Quod jus præcipue observandum sit?

24. Quando datur manifesta oppositio inter jus civile, & canonicum, tunc quodlibet jus in suo foro observandum est: nempe canonicum in foro ecclesiastico: civile vero in sæculari. Ita glossa *in cap. Possessor*: *v. sed utrum*, *de regular. in* 6. Ratio est: quia cuilibet Superiori in suo foro est obediendum.

25. Sunt nihilominus aliquæ materiæ, in quibus omnino attendendum est jus canonicum, licet civile illi adversetur. Primo in foro conscientiæ, vel ubi versatur periculum animarum; nam tunc leges civiles censentur correctæ a jure ca-

canonico, & ita accidit in materia præscriptionis cum mala fide, in contractibus non justis, & similibus.

26. Secundo jus canonicum est attendendum dum agitur de rebus spiritualibus, ut de juramento, matrimonio, & aliis, & etiam circa personas, & res ecclesiasticas, & delicta punienda ab ipsa Ecclesia: nam circa hæc, nisi fuerint ab Ecclesia approbatæ leges civiles, non inducunt obligationem. *Cap. Quæ in ecclesiarum, & cap. Ecclesia S. Mariæ 10. de constit.* Tertio præferendum est jus canonicum in causis miserabilium personarum. Denique dum agitur de æquitate naturali, & vitando nimio rigore.

27. Si autem inter diversas partes juris canonici manifesta apparet contradictio, tunc standum est posteriori decisioni, vel constitutioni, quia bene potest judicare Legislator expedire bono communi novam condere legem, & abrogare priorem. Si vero jura non sint manifeste contraria, quantum fieri possit, concordanda sunt, & explicandæ leges priores per posteriores, aut econtra. Contrarietas enim legum concordari debet per congruam interpretationem, salva verborum proprietate, a qua sine necessitate recedendum non est, nisi aliud suadeat mens Legislatoris, quæ præcipue attendenda est etiam contra significatum proprium verborum: Siquidem verba intentioni deserviunt. Ita D. Tho. cum D. Isidor. 1. 2. *q.* 96. *art.* 6.

§. II.

Quomodo legendæ, & scribendæ citationes utriusque juris.

28. Prima pars decreti Gratiani sic solet citari: *Distinc.* 89. *c. Indicatum*, id est distinct. 89. Canone, vel capite, quod incipit *Indicatum*. Secunda pars sic: *C. si homicidium* 23. *q.* 6. id est *canone qui incipit: Si homicidium, causa vigesima tertia, quæstione sexta.* Si vero textus habeatur in tractatu de pœnitentia, nota, quod in causa 33. q. 3. inseritur tractatus de pœnitentia, qui continet septem distinctiones, quæ insuper dividuntur per canones: qui textus ommissa causa 33. sic solent citari; *de pœnit. dis.* 3. *In tantum*, idest, ut habetur de *pœnitentia, distinctione tertia, canone qui incipit, In tantum.* Aliquando vero ommittitur initium canonis, & ponitur numerus v. g. *canon.* 33. idest Canone trigesimo tertio.

29. Tertia pars decreti, intitulatum de Consecratione, solet citari *de consecratione, dist.* 1. *Nocte sancta*, idest *de consecratione, distinctione prima, canone* cujus initium est, *Nocte sancta.* Solet etiam poni prius initium canonis, & postea numerus distinctionis, sive econtra, quod nihil refert.

30. Decreta Gregorii IX. hoc modo citantur. *C. Damnamus, de sum. Trinit.* hoc est, *capite quod incipit: Damnamus. Titulo de summa Trinitate.* Aliquando ponitur etiam primo loco titulus, & postea initium capituli, ut *de sent. excommun. Nuper*: lege, *titulo de sententia excommunicationis, cap. Nuper.* Sed prior citandi modus est magis usitatus. Quandoque additur particula *extra*, aut *X.* v. g. prout habetur extra de restitutione expoliat. ad significandum ea, quæ citantur esse extra Gratiani decretum.

31. Liber sextus Decretalium citatur eo modo, quo quinque libri antecedentes, solum addendo *in* 6. Idem observandum est in Clementinis, cum sola additione *in Clement.* vel *Clement. unic.* Cum autem Clementinæ quandoque appellentur Extravagantes: eo quod vagentur extra sex libros Decretalium, solent etiam citari admodum aliarum Extravagantium v. g. ita Clemens V. in Extravag. *Exivi.*

32. Extravagantes Joannis 22, quæ sunt viginti constitutiones in quatuordecim titulos distributæ, solent citari cum nomine Papæ, nempe Joannis 22. ad differentiam extravagantium communium, & citando initium constitutionis cum addito *Extravagant.* v. g. Ut Joannis 22. Extrav. *Quia quorundam.* Lege: Ut inquit Joannes 22. in Extravaganti: quæ incipit: *Quia quorundam.*

33. Extravagantes communes, quæ in quinque libros dividuntur, libri in titulos, tituli in capita, citantur eo modo, quo textus Decretalium, cum sola additione *Extravag.* v. g. *Extrav. Unigenitus de pœnit. & remiss.* lege: in Extravagan-

ganti, quæ incipit. *Unigenitus*, titulo de *pœnitentiis, & remissionibus*. Hi sunt præcipue modi citandi jus canonicum, possunt nihilominus aliquando variari, sed ex dictis facile intelligi valent.

§. III.

Modus citandi jus civile.

34. Digestum, seu libri Pandectarum ita citantur *l. Si quis vi. §. differentia ff. de acquir. poss.* hoc est: lege, quæ incipit, *Si quis vi.* Paragrapho, qui incipit, *differentia, in digestis*, titulo de acquirenda possessione. Quandoque ad significandum digestum reperies *D. loco duplicis ff.* quod etiam solet apponi in principio, sed hoc de materiali est.

35. Eodem modo citari solent leges Codicis ponendo *C. l. ff. v. g. l. in testament. C. de testament.* hoc est; lege in testamento, in Codice, titulo de testamentis. Quod si fiat citatio *l. unic.* significatur titulum illum non habere nisi unicam legem. Item si dicatur *l. fin.* significatur lex finalis illius tituli. Idem si ponatur *§. fin.* Si autem addatur numerus libri, designatur liber decimus, vel undecimus, vel duodecimus Codicis: nam separatim collocantur a novem prioribus libris, in quibus quærenda est citatio, dum non apponitur numerus libri.

36. Novellæ, seu authenticæ sic solent citari: *C. Sed tamen Novell.* 129. *de Sam. coll.* 9. legitur: Capite, quod incipit *Sed tamen*, Novella 129. titulo de Samaritis. Collatione 9. Quandoque pro Novell. scribitur Authent. & tunc solet ita citari: *Authent. Ut facta novæ constit. §. Sancimus.* Nempe: in Authentica, titulo, ut factæ novæ constitutiones, paragrapho incipiente *Sancimus*.

37. Libri Fœudorum ita citari solent. *In lib. Fœud. de prob. fœud. alien. per Frid. §. Callidis insuper*: nempe in libris fœudorum titulo de prohibita fœudi alienatione per Fridericum, paragrapho incipiente, *Callidis insuper*. Quandoque paragraphus ponitur primo loco. Institutiones demum Justiniani ita citantur *§. fære instit. de rer. divis.* hoc est, paragrapho sic incipiente, titulo *de rerum divisione*.

PUNCTUM V.

De promulgatione legis.

38. Inq. 1. Quid sit promulgatio legis? R. Est *intimatio exterior, communitati solemniter facta, qua subditi possint, moraliter loquendo, venire in cognitionem legis.* Hæc promulgatio est conditio necessaria, ut lex vim completam obligandi habeat; est enim quædam applicatio legis ad homines, & notificatio ipsius legis: imo non sufficit, quod particularibus personis denuntietur, sed requiritur, quod intimatio fiat communitati, per quod differt a præcepto. *Unde in c. In istis*, dist. 4. dicitur: *Leges tunc constitui, dum promulgantur*, id est, tunc constitui in suo esse completo obligandi. D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. *in corp.*

39. Inq. 2. An promulgatio legis debeat fieri in singulis Provinciis, ad hoc ut obligandi vim habeat? R. neg. quia id non est de substantia legis; supposita quippe solemni promulgatione in Curia, habet lex quidquid requiritur, ut obliget, erg. sufficit promulgatio facta in Curia, quin requiratur fieri in singulis Provinciis. Nisi hoc exprimatur a Legislatore; tunc enim ejus menti standum est. Unde lex Tridentini circa matrimonia clandestina, & leges imperatoriæ non obligant, nisi in singulis saltem provinciis promulgentur, quia ex ipsis constat, non aliter velle Legislatorem subditos obligare. At, sic non exprimente Legislatore suam voluntatem, promulgatione solemni facta in Curia, obligat lex absolute. D. Thom. *ibi. ad* 2.

40. Imo statim incipit obligare omnes, qui illius notitiam moraliter certam, etiam in regionibus longinquis, sive per litteras, sive per divinam revelationem habent: quia lex, quando solemniter in Curia promulgatur, in suo esse integro constituitur, erg. ex tunc obligat, licet ignorantes invincibiliter ab ejus transgressione excusentur. Quod intelligi debet de omni lege, sive civili, sive ecclesiastica præter leges Cæsareas.

41. Objic. Ubi jus canonicum, vel regale nihil disponit circa aliquam rem, servandum est jus commune: *Cap. Si in*

adjutorium dist. 10. *& seq. Cap.* 1. *de novi operis nuntiatione*; sed circa hoc nihil disponit jus canonicum, nec regium Hispanum, erg. standum est juri communi: atqui jus commune decernit, quod post promulgationem in Curia, debeat lex promulgari in singulis provinciis, ut habetur in Authent. *Ut factæ novæ constit. Coll.* 5. *quæ est* 66. *inter Novell. Justiniani*: erg. debet publicari lex in singulis provinciis, ut vim obligandi habeat.

42. Resp. neg. major. & textus oppositi non probant esse necessarium servari jus commune, licet equum sit, & justum amplecti, & per imitationem sequi dispositionem juris communis, ubi particulare nihil disponit, cum sit approbata a viris doctissimis, & valde conformis rationi; quod probat quidem convenientissime sancitum esse a jure civili: non tamen necessario semper debere fieri, cum omnes fateantur posse Legislatorem obligare subditos ad legem per solam promulgationem factam in Curia, si ita exprimat in ipsa lege. D. Thom. *ibid. a.* 4. *ad* 1.

43. Nota valde distinctam esse promulgationem legis ab ejus divulgatione, nam illa est de ratione legis, quæ sufficienter salvatur per hoc, quod communiter publicetur, hæc vero petit, quod diffundatur per aures singulorum, sed ad rationem legis non requiritur: ex quo fit, post sufficientem, & generalem promulgationem solemniter factam, legem ex se obligare singulas personas, etiam eas, ad quarum notitiam non pervenit; licet ignorantes invincibiliter ab illius violatione excusentur, ut dictum est.

Punctum VI.

De acceptatione legis.

44. Inq. 1. An lex justa a legitimo Principe lata pendeat ad sui valorem ab acceptatione populi? R. negat. de Principe ecclesiastico constat; summus enim Pontifex, non a populo, sed immediate a Christo Domino habet potestatem legislativam, ut patet ex *Matth.* 16. *Tibi dabo claves*, & ex Joan. 21. *Pasce oves meas*, erg. independenter a populi acceptatione gaudent Prælati ecclesiastici potestate ferendi leges, ad eas que subditos obligandi.

45. Objic. 1. *Ex cap.* 3. *dist.* 4. *Ubi dicitur* ex sententia D. Aug. *Leges constituuntur, dum promulgantur; confirmantur, cum moribus utentium applicantur*, ergo non sunt confirmatæ usque dum usu, & acceptatione amplectuntur.

46. R. Leges per usum, & acceptationem populi firmari; non jure, sed facto: quia non recipiunt ab illa vim obligandi: roborantur tamen, & conservantur in suo vigore per usum, & executionem, ne per consuetudinem contrariam, vel non usum, vim obligandi amittant. Itaque leges constitutæ sunt in suo esse per solemnem promulgationem, & nihil amplius requirunt, ut obligationem in subditos inducant.

47. Objic. 2. Quia multæ sunt constitutiones pontificiæ, quæ de facto non obligant, quia non sunt a populo acceptatæ: Imo, licet acceptatæ sint in una provincia, non in alia, erg. requiritur acceptatio legis ecclesiasticæ ad ejus valorem.

48. R. Conced. anteced. & neg. conseq. quia licet verum sit stare plura decreta Pontificum, quæ per non usum, vel per non acceptationem jam non obligant; hoc non procedit, quia illarum vis obligandi dependeat a populi consensu, sed quia per desuetudinem robur amiserunt. Vid. cap. 1. de *constit. in* 6. Etenim sicut consuetudo contraria legi tollere potest legem jam receptam, ita non usus, vel desuetudo legis potest illius obligationem impedire: & in tali casu, possunt presentes non observare tales leges absque culpa; ista tamen non caruerunt illi primi violatores, per quorum non usum desuetudo introducta est.

49. Aliud igitur est non acceptare legem; aliud valde diversum non esse receptam, vel esse rejectam. Primum semper est peccatum. Secundum potest esse sine peccato præsentium, ut ex dictis liquet.

50. Idem est dicendum de Principe sæculari, videlicet nec legem civilem a populi acceptatione pendere, sed obligare omnes, supposita ejus promulgatione. Prob. ratione: quia semel quod Princeps

sit

sit superior legitimus, habet potestatem regendi justis legibus populum, erg. iste tenetur obedire, & consequenter acceptare leges justas. *Confirm.* quia non minor, sed major est vis legis ad obligandum subditos, quam præcepti, sed ut præceptum justum superioris obliget, non requiritur consensus, vel acceptatio subditi, quin potius ad illud acceptandum tenetur, erg. idem dicendum est de lege.

51. Objic. 1. Reges receperunt a populo mediate, vel immediate potestatem legislativam, erg. credendum est, illam recepisse sub conditione acceptationis, ne populus obligaretur invitus, ut sic a gravamine Principum facilius liberaretur.

52. R. Neg. ant. quia verius est potestatem Regum esse immediate a Deo, sicut & Pontificum, juxta illud Sapientiæ. *Audite Reges, quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo.* cap. 6. & alibi sæpe in sacra Scriptura: & S. Aug. lib. de Civit. Dei ait, *Non tribuamus dandi Regni, & Imperii potestatem nisi Deo vero.* Nam supposita successione, vel electione Regis humano modo facta, ipse Deus confert illi potestatem regnandi, & justa decernendi. *Prov.* 2.

53. Objic. 2. Lex debet in bonum reipublicæ ordinari, illique prospicere; sed si populus resistit legibus a Principe latis, non conveniunt bono communi, quia absque tumultu plebis, & magna perturbatione vix possunt stabiliri, erg.

54. R. Populum injuste perturbari, quando Princeps juste, & legitime præcipit, nec perturbatio populi tollit, talem legem secundum se ad bonum commune conducere: aliquando tamen expediens erit legem suspendere, si videat Legislator ob illius sanctionem subditos perturbari. Poterit tamen in suo dictamine permanere, ut lex a se lata observetur, ne ejus potestas contemnatur, quod prudentis Principis arbitrio, non judicio populi ignorantis, relinquendum est.

55. Inq. 2. An populus peccet non acceptando legem Superioris legitimi absque justa causa? R. affirm. Constat ex *propos.* 23. *damnata ab Alex. VII. Populus non peccat, etiam si absque justa causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Merito proscripta est doctrina hæc, utpote seditiosa, perturbativa, imo & destructiva regiminis Principum. Solum igitur locum tenet, quando in aliquo regno adest consuetudo, vel conventio, ut non condantur leges absque consensu, & acceptatione subditorum. Tunc vero non erit regimen Monarchicum, sed Aristocraticum, aut Democraticum, ut fertur de Anglia, ubi ad condendas leges concurrunt optimates reipublicæ, & etiam aliqui de plebe.

56. Unde dubitans an lex sit acceptata, aut usu recepta, debet illam observare, quia possessio stat pro lege; supponitur enim dari legem, & solum de illius acceptatione dubitari.

Punctum VII.

De appellatione a lege.

57. Inq. 1. An liceat appellare a lege? R. Quod, si Legislator inferior sit, licitum est appellare ex justa causa de illius lege ad Superiorem: quia supposita causa justa, cuilibet licet uti remedio appellationis. Si autem Legislator sit Princeps supremus, non adest locus appellationi; hæc enim solum de inferiori ad superiorem interponi valet. Tunc igitur tantum potest fieri humilis supplicatio, ut Princeps, audita causa supplicationis, suspendat legem, si ei expediens visum fuerit.

58. Inq. 2. An toto illo tempore, quo supplicatio interponitur, peccent subditi contra legem operantes? R. affirm. quia lex obligat eo ipso, quod lata sit, & promulgata independenter a populi acceptatione, erg. per supplicationem non suspenditur ejus obligatio; cum supplicatio non habeat effectum suspensivum, sicut appellatio. Peccant ergo illius transgressores, nisi lex observari non possit absque scandalo, & per epikeiam, seu benignam interpretationem voluntatis Principis, possint ab obligatione excusari.

59. Attamen si Princeps audiens supplicationem populi, taceat, & observationem ejus non procuret, nec instet, quod de facto lex observetur, ex tunc legem abrogare censetur: quia si haberet animum obligandi sua lege, insisteret utique, & ad ejus obligationem

urgeret. Hoc autem intelligendum est, nisi ex conjecturis colligatur, silentium Principis non oriri a voluntate abrogandi, nec dirigi ad tollendam legem, sed ut prudenter, & suaviori modo eam firmari faciat, vel quia plus non valet, & propterea permittit mala, ut majora devitet.

60. Unde lex sufficienter promulgata obligat ad sui observantiam, etiam si dura, & difficilis videatur. Ratio est, quia supponitur legem impositam esse justam, ergo licet sit gravis, & difficilis, est ei obediendum. Superior enim habet potestatem obligandi per legem intra latitudinem justæ materiæ, & ita dixit Ulpianus *l. Proposit. ff. Qui, & a quibus*: *Quod quidem perdurum est, sed ita lex scripta est. Et glossa in cap. Ex part. 2. de offic. Delegat. licet durum sit, Superioris mandato obediendum est.*

CAPUT II.

De potestate ferendi leges.

AGitur in hoc capite de his tantum, in quibus residet potestas legislativa de jure ordinario, circa quod certæ possunt assignari regulæ, non de illis, in quibus ex delegatione reperitur. Quia cum delegatio ex mera voluntate delegantis pendeat, potest conferri ad placitum delegantis.

PUNCTUM I.

De potestate legislativa civili.

61. Inq. 1. An detur in hominibus potestas condendi leges civiles? R. affirm. constat ex illo *Prov. 2. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Idem* patet ex Apost. *ad Rom.* 13. & tanquam de fide est definitum in Conc. Const. *sess.* 8. *& ultima.* Prob. ration. quia ad conservationem boni communis requiritur publica potestas, qua communitas gubernetur: *Nam ubi non est Gubernator, corruet populus*; sed nequit gubernator communitatem, nisi mediis legibus, gubernare, ergo certum est dari in hominibus potestatem condendi leges, quibus populus possit gubernari; *ita D. Thom. lib. 1. de regim. princip. cap. 1. & 2.*

62. Inq. 2. An potestas legislativa civilis conveniat Principi immediate a Deo? R. Omnes asserunt dictam potestatem habere Principes a Deo juxta dicta supra n. 52. Nam licet omnes homines sint in natura æquales, nulli enim dedit natura supra alterum potestatem, conveniens tamen fuit ipsi naturæ rationali, quod hæc potestas resideret in his, in quibus esset cura multitudinis, *ut ait D. Thom. 1. 2. q. 90. a. 3.*

63. Ex hoc naturali principio oritur discrimen regiminis civilis. Nam si potestas legislativa residet in Principe, appellatur regimen *Monarchicum*. Si in Optimatibus populi, nuncupatur regimem *Aristocraticum*. Si vero in ipso populo, dicitur regimen *Democraticum*. Ex quibus primum regimen est perfectius. Habent igitur Principes regendi potestatem a Deo, quia supposita electione a respublica facta, Deus illam potestatem, quę in communitate erat, Principi confert. Unde ipse nomine Dei regit, & gubernat, & qui illi resistit, Dei ordinationi resistit, ut dicit Apost. loco supra laudato.

64. Inq. 3. In quibus resideat potestas condendi leges civiles? R. In primis potest Imperator ferre leges pro omnibus provinciis suę gubernationi subiectis; quia est in illis supremus dominus, supremam habens potestatem subditos regendi. Deinde quilibet Rex in suo regno habet potestatem legislativam, qua possit statuere leges obligantes suos subditos, propter rationem supra traditam. Idem dicendum est de aliis Principibus supremis, qui superiorem non agnoverunt in temporalibus, quocumque nomine, aut titulo appellentur.

65. Certum est etiam Reginam hæredem regni, & dominam illius, sive gubernatricem habere hujusmodi potestatem ferendi leges pro suo regno; & licet aliqui dubitent, quod si matrimonio

est

est ligata, num persineat ad maritum potestas legislativa, vel saltem ad utrumque, nihilominus probabilius judicamus, jus gubernandi regnum ad solam Reginam hæredem pertinere, nisi ipsa velit talem potestatem communicare marito, ut fecit illa Heroina Elisabeth, Ferdinandi Catholici uxor.

66. Denique habent potestatem legislativam omnes civitates, & respublicæ exemptæ, quæ nullum supremum dominum, & absolutum cognoscunt. Quia ipsę civitates hoc ipso, quod supremo dominio gaudeant, se gubernare possunt, & consequenter condere leges, quę necessariæ sunt ad rectam gubernationem. Alię vero civitates non exemptę carent tali potestate, nisi ex consuetudine, ex privilegio, vel concessione Principis, cui subjectę sunt, id obtineant. Poterunt tamen aliqua statuta condere, seu conventiones facere inter se, quibus in vi contractus obligentur; & imponere aliqua pręcepta ad nutum Principis revocabilia, quibus cives obedire teneantur, sicut paterfamilias in sua domo.

Punctum II.

De potestate condendi leges ecclesiasticas.

67. Inq. 1. An detur in Ecclesia potestas condendi leges? R. affirm. Assertio est de fide contra Lutheranos, qui Ecclesiam, non rempublicam, aut statum distinctum a civili, sed *collegium* in statu civili astruunt, vel fingunt, sed rejecta eorum voluntaria cœcitate, prob. doctrina catholica ratione: quia Ecclesia est perfectissima communitas ad finem spiritualem ordinata, ergo requirit perfectissimum regimen, nempe monarchicum, consistens in eo, quod in uno tamquam in supremo capite reperiatur universalis potestas eam regendi, & condendi leges fini spirituali congruentes.

68. Inq. 2. In quibus resideat potestas ferendi leges ecclesiasticas? R. In primis reperitur in summo Pontifice, qui supposita electione eam accipit immediate a Christo Domino juxta ejus promissionem *Matth.* 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis.* Et *Joan.* 21. *Pasce oves meas.* Porro hanc supremam potestatem non contulit Dominus D. Petro pro seipso tantum, sed etiam pro successoribus ejus; alias non providisset Ecclesię, quam supra firmam petram fundare voluit. Igitur suprema potestas condendi leges pro tota Ecclesia est in Pontifice, tamquam in supremo Legislatore, & oppositum est hęreticum.

69. Deinde residet hæc potestas pro suis Ecclesiis, & Dioecesibus in Episcopis, sive eam acceperint immediate a Christo Domino, sive a summo Pontifice, de quo nihil certum, & parum conducit ad intentum. Episcopi enim succedunt Apostolis in Episcopatu, consecratione, jurisdictione, & potestate pro sua Ecclesia, & hoc competit eis jure ordinario, & ex vi sui muneris. Unde possunt condere leges pro suo Episcopatu, inconsulto Papa, in Synodo, & extra Synodum. Non tamen valent, quę ad fidei declarationem pertinent, statuere. Nec assignare impedimenta matrimonii, officium divinum mutare, clericis tributa imponere, Episcopatus unire, vel duos de uno facere, nec quadragesimale jejunium variare. Viros pręclaros in canone sanctorum ponere, aut canonizare, nec alterare, quæ repugnant privilegiis, & constitutionibus universalibus, & cum dictis limitationibus, & aliis similibus, quę in jure habentur, intelligendum est illud proloquium: *Quod potest Pontifex in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi.* Idem est de Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis respectu suarum Ecclesiarum.

70. Domini Cardinales ratione suę dignitatis possunt in Ecclesiis suorum titulorum leges ferre: quia in eis habent jurisdictionem episcopalem, seu ordinariam. Legati summis Pontificis, seu Nuntii Apostolici in Provincia suę Legationis pollent potestate condendi leges perpetuas. Abbates exempti, Archidiaconi, & alii similes habentes jurisdictionem quasi episcopalem, simili gaudent potestate.

71. Concilia generalia authoritate Papę congregata, & confirmata possunt statuere leges obligantes totam Ecclesiam:

siam : & colligitur *ex Act. Apost.* 15. ubi Apostoli in primo Ecclesiæ Concilio congregati statuta perpetua pro tota Ecclesia sanxerunt. Concilia Provincialia, vel Synodalia gaudent etiam potestate leges condendi pro suis Provinciis, aut Diœcesibus. Declarationes sacræ congregationis Cardinalium factæ authoritate Pontificis, & latæ authentica declaratione, probabilius habent vim legis. Præterea Capitula Ecclesiæ Cathedralis possunt in Sede vacante ferre leges habentes vim obligandi, donec a successore Episcopo, vel ab ipso Capitulo in alia sede vacante revocentur : quia succedunt dicta Capitula Ecclesiæ Cathedralis (non Collegiatæ) in administratione temporali, & spirituali totius Diœcesis.

72. Denique in Congregationibus religiosis, in quibus datur jurisdictio spiritualis a Pontifice concessa, reperitur etiam potestas legislativa. An autem hæc resideat apud patrem Generalem, Provincialem, vel alios Prælatos, pendet ex particularibus constitutionibus cujusque religionis. In nostra solum potest Capitulum generale leges ferre ex dispositione Constitutionum 3. *part. cap.* 4. §. 4. Quod non tollit singulos Prælatos posse præcepta imponere obligantia in conscientia, eo modo, & forma, qua in singulis religionibus taxatur. Oportet autem præcepta formalia esse per pauca, ne loco remedii laquea parentur, & ne dulcedo regiminis rigore amarescat.

CAPUT III.

De obligatione, quam lex ex natura sua inducit.

CUm de ratione legis sit obligare subditos ad sui executionem, videndum est, qualis sit ipsa obligatio in lege positiva humana, nam de divina, & naturali nemo ambigit obligare in conscientia.

PUNCTUM I.

De obligatione legis humanæ.

73. Inq. 1. An omnis lex humana obliget in conscientia? R. affirm. Const. *ex Apost. ad Rom.* 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Unde concludit Apost. debere subditos obedire Superioribus, *non solum propter iram, sed propter conscientiam.* Princeps enim, aut Superior juste imperans, nomine Dei imperat juxta illud : *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 1. *Per me reges regnant, & legum Conditores justa decernunt. Prov.* 8.

74. Ex hac doctrina infertur nullam dari legem vere talem, quæ vim obligandi in conscientia non habeat, ac proinde non esse vere legem, aut præceptum, si non imponat obligationem in conscientia, saltem ad pœnam : quia si lex est justa, & rationabilis, procedit a Superiore, ut tali imperante, & jubente, erg. ut imponente obligationem : quia impossibile est præceptum esse justum, & quod illi parere subditi non teneantur ; quapropter, ut supra diximus, lex a ligando dicitur : quia ligat subditorum conscientias ad ipsius observationem.

75. Objic. 1. Jus gentium est vere lex, sive pertineat ad legem naturalem, sive ad positivam ; & tamen non obligat in conscientia ad observandum ea, quæ sunt statuta per ipsum, ut homines in bello captos in servitutem redigere, bella movere adversus occupantes terras proprias, & alia, quæ non obligant in conscientia, erg. non est de ratione legis obligare in conscientia.

76. R. Quod jus Gentium quoad enumerata, & alia similia, solum est lex permissiva respectu victoris, reducendi scilicet victum in servitutem, quod ad placitum renuntiare potest. Sed si velit stare juri, nullus potest eum turbare, & in hoc sita est tota vis obligandi juris Gentium. Sicut privilegia, quæ secundum aliquos, sunt vere leges, possunt renuntiari, si sint personæ singulares, & tamen obligant alios, ne perturbent utentes privilegiis sibi concessis.

Ob-

77. Objic. 2. Dantur in religionibus plures constitutiones, quæ non obligant in conscientia, ut D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. refert de constitutionibus Prædicatorum, & ex nostris patet 1. *part*, *cap.* 1. *n.* 7. erg. non est de ratione legis obligationem inducere in conscientia.

78. R. Constitutiones religionum, quæ vere leges fuerint, obligant in conscientia ad culpam, vel ad pœnam in eis taxatam, si vero aliquæ dentur, quæ neque ad culpam, neque ad pœnam obligent, reductive pertinent ad legem, & sunt quædam directiones institutæ ad bonum commune. Advertas etiam adhuc de legibus, quæ ad solam pœnam obligant, fere nunquam violari nisi aliqua culpa intercedente, vel propter negligentiam, vel passionem, aut alium affectum inordinatum. Ut ibidem ait D. Thom.

79. Inq. 2. An leges injustæ obligent in conscientia? R. Quod per se non obligant, per accidens vero queunt obligare. Primum patet, si enim sunt certo injustæ, quia procedunt a non habente legitimam potestatem, vel quia jubet aliquid illicitum, minime obligant, ut ex se liquet. Verum per accidens possunt obligare, ut si lex communiter putaretur justa, & non esset contra bonum naturale, aut diuinum: ut ait D. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 4.

80. Inq. 3. An leges alias justæ a Principe tyranno latæ obligent in conscientia? R. Principem posse dici tyrannum, vel gubernatione, vel usurpatione. Si primo modo sit tyrannum, leges ejus obligant in conscientia: quia est legitimus Superior. Si fuerit tyrannus per usurpationem regni, & sit in pacifica possessione, etiam ejus leges abs dubio observandæ sunt: quia licet a pripcipio regnum tyrannice acquisierit, jam possidet potestatem regnum gubernandi. Si autem leges ferat, dum actualiter aggreditur, & persistit in usurpatione regni non sibi competentis, populo arma adhuc adversus eum stringente, tunc sicut caret legitima potestate, ita nullius roboris sunt illius leges, nec ullus tenetur eas observare.

81. Nota tamen, quod quando respublica, licet involuntarie, & quia non potest tyrannum repellere, arma deponit, eumque regno potiri permittit, non peccare tyrannum leges in bonum commune ferendo: quia licet respublica coacte, & involuntarie consentiat in usurpatione tyrannica, hac supposita, concedit illi facultatem, ut leges congruentes ad sui conservationem, & tranquillitatem ferat; hoc autem non tollit illum peccare usurpando, & retinendo regnum, usque dum illud licite possideat.

Punctum II.

Unde colligendum sit leges sub gravi, vel levi obligare.

82. R. Obligationem legis ex voluntate Legislatoris pendere; & voluntas Legislatoris ex ejusdem verbis colligenda est. Si exprimat se velle obligare ad pœnam, & non ad culpam; aut obligare quoad unam partem, & non aliam, illius intentioni standum est. Verba autem, quæ imperium, aut præceptum indicant, communiter sunt sequentia; *jubeo*, *mando*, *præcipio*, *impero*, *prohibeo*, *volumus*, *decernimus*, *statuimus*, *non liceat facere*, *omnes teneantur*, *aut obligentur*, & omnia quæ præceptum important, vel in actu exercito continent. Alia autem verba, quæ non explicant intentionem obligandi, sed simplicem voluntatem: *ut rogamus*, *hortamur*, *monemus*, *suademus*, & similia, non habent vim præcepti, nec afferunt obligationem in conscientia.

83. Obligatio igitur gravis, aut levis legis, vel præcepti nequit sufficienter colligi ex sola intentione Legislatoris, neque ex sola materia præcepta, neque ex solis verbis, sed venanda est ex his omnibus, & ex pœna imposita transgressoribus, & etiam ex consuetudine regionis, in qua lata est lex: nam consuetudo, præsertim timoratorum, optima interpres legum est. Unde si verba Legislatoris exprimant præceptum in materia gravi, vel imponat pœnam similiter gravem, recte deducitur velle inducere obligationem gravem, quia lex ex genere suo, supposita materiæ gravitate, gravem imponit obligationem: nisi aliunde de opposita intentione Legislatoris expresse constet.

84. Inq. 1. An Legislator humanus valeat præcipere materiam levem sub gravi? R. Non posse Legislatorem humanum efficere, quod lex ab eo lata circa materiam levem, quæ omnibus inspectis sit talis, obliget ad mortale; quia materia levis in se incapax est gravis obligationis, & alias nequit provenire ex intentione mandantis: eo quod tale mandatum esset prorsus injustum, & inutile, Diximus, *si omnibus inspectis sit materia levis*: quia si plurimum conducit ad finem intentum a Legislatore, tunc potest præcipi sub gravi obligatione.

85. Inq. 2. An possit præcipi materia gravis sub culpa levi? R. affirm. Quia tota legis obligatio ex Legislatoris voluntate pendet. Unde licet materia sit capax majoris obligationis, potest a Legislatore coarctari, ut ad levem tantum culpam obliget, Et ideo in pluribus religionibus dantur leges, solum ad culpam levem obligantes, esto circa gravem materiam versentur. Ut regula nostra primitiva, quæ gravissimas materias continet, ut abstinentiam perpetuam a carnibus, jejunia septem mensium, solum obligat sub veniali, ut asseritur in nostris constitutionibus 1. *p. cap.* 1. *n.* 6. Quam esse vere legem, dubitari non potest, cum sit ab habente potestatem illam condendi lata, & confirmata a sede Apostolica.

86. Objic. 1. Legislator humanus nequit præcipere materiam levem sub gravi, erg. nec gravem sub levi. R. Quod si materia consideretur levis ex omni capite, non est capax obligationis gravis; attamen, si ex aliqua parte multum conducat ad finem honestum, potest a Legislatore præcipi, aut prohiberi sub gravi: qua ratione in religionibus res ex natura sua leves prohibentur sub gravi a Prælatis, ut ingressus cellularum; sicut econtra, ob rationabile motivum plura ex se gravia possunt præcipi, & de facto præcipiuntur sub levi, ut dictum est.

87. Objic. 2. Obligatio sequitur ut proprietas naturam legis, erg. licet sit in potestate Legislatoris legem condere, vel non, semel tamen ab ipso condita, non est in ejus potestate, quod non obliget, erg. nec quod taliter obliget, nisi juxta quantitatem materiæ. R. Quod licet obligatio in genere sit de ratione legis, quod vero sit tanta, vel tanta, ad illius rationem non exigitur: verum est, quod in phisicis non est in potestate agentis impedire passionem, aut intensionem, quam exigit necessario ex intentione naturæ; cæterum in moralibus, quæ ex operantis libertate pendent, potest ipse ob rationabilem causam taxare, & facere, quod sint obligationis levis ea, quæ alias gravis erant capacia.

Punctum III.

Unde coligenda sit materiæ gravitas?

88. R. Pro cognoscenda gravitate materiæ tres regulæ communiter assignantur. *Prima*: Quando res præcepta multum conducit ad caritatem Dei, aut proximi ex genere suo graviter obligat; econtra si actus imperatus parum ad talem finem conducit, tantum erit materia levis. Ex qua regula sequitur, leges humanas, quæ Deum credendum, sperandum, amandum, colendum, aut proximi dilectionem, justitiam, atque legum divinarum observantiam præscribunt, ex genere suo graviter obligare.

89. *Secunda*: Leges, aut præcepta, quæ leves materias jubent, inspici debent, non ex sua materia dumtaxat, sed ut comparata ad bonum commune, & finem earumdem legum. Finis legis ecclesiasticæ est salus æterna animarum. Finis proximus legis monasticæ est trium votorum observantia. Finis legis civilis est pax, & tranquillitas civium. Quæ ergo summopere huic fini conducunt, graviter obligant, etiamsi absolute, & ex natura sua res leves essent. Quæ vero parum in hunc finem conferunt, levis materia computatur. Ex qua regula sequitur, quod licet canales purgare, vel vicos civitatis verrere, arma portare, & similia sit ex se materia levis, possunt cadere sub præcepto graviter obligante, quia multum possunt conducere, ne aer corrumpatur, & ad sanitatem, & tranquillitatem, & pacem. Similiter, ut puncto præcedenti diximus, aliqua ex se levia, ut ingressus cellularum, graviter prohibentur in religionibus, quando plurimum conducunt ad majorem observantiam, & perfectionem. In dubio autem an parum, vel multum materia impera-

ta

ta ad finem Legislatoris conducat, standum est in favorem Superioris, & judicandum legem obligare graviter.

90. *Tertia regula*: Quando materia de se gravis est divisibilis, tunc licet afferat secum obligationem gravem, admittit tamen parvitatem materiæ, ut in furto, detractione, & aliis. At vero, quando indivisibilis est materia gravis præcepti, tunc non potest dari parvitas, sed semper est grave peccatum quælibet fractio illius deliberata: quia tota ratio formalis illius speciei integra, & indivisibilis in qualibet materia, etiam minima, reperitur: ut in hæresi, desperatione, odio Dei, juramento assertorio, blasphemia, simonia, jejunio naturali ad Eucharistiam, luxuria, contemptu formali legis, aut Legislatoris, infidelitate, materiis, & formis sacramentorum, in ætate requisita ad Ordines, & professionem in religione, & similibus.

91. Notari oportet, quod quando materia divisibilis est, non est inspicienda ipsa solitarie accepta, sed comparative ad subjectum, & ad præceptum; nam datur materia, quæ absolute spectata, semper gravis evadit, ut furtum decem aureorum, quod respectu omnium gravis materia censenda est; econtra materia levis est etiam per se respectu omnium furtum unius assis: & dicimus *per se*: quia per accidens potest esse materia gravis ratione damni. Similiter omissio decem psalmorum est materia gravis etiam respectu ejus, qui ex præcepto teneretur recitare totum Psalterium; sed omissio unius salutationis angelicæ est levis respectu omnium. Igitur inter has duas materias, aliam absolute gravem, aliam absolute levem, datur media, quæ bene dicitur *respectiva*: quia respectu unius præcepti levis judicatur, & gravis respectu alterius: ut omissio duorum Psalmorum respectu unius horæ canonicæ minoris est materia gravis, & respectu imperantis totum Psalterium erit levis. Similiter in materia justitiæ furtum, quod respectu divitis esset leve, respectu pauperis potest esse grave, & sic de aliis.

PUNCTUM IV.

Quomodo materia levis per continuationem, & contemptum fiat gravis?

92. R. Quotiescumque materiæ parvæ moraliter uniuntur, constituunt materiam gravem, sicut plures parvæ quantites unitæ efficiunt magnam quantitatem; tunc autem materiæ parvæ habent moralem unionem, & efficiunt gravem materiam, quando uniuntur vel *in ordine ad præceptum*, vel *in ordine ad diem*, vel *in ordine ad effectum*, vel denique *ad subjectum*. Declaratur exemplis: *In ordine ad præceptum*, ut qui in officio divino ommitteret in singulis horis materiam parvam, quæ junctæ gravem efficerent. *In ordine ad diem*, ut qui in die jejunii sæpius cibum sumeret in parva quantitate, vel qui in die festo laboraret per plures morulas, quæ continuantur moraliter ratione temporis, & diei. *In ordine ad effectum*, ut quando plures conveniunt ad furandam rem alienam unius domini singuli in parva quantitate, uniuntur enim in effectu, hoc est, in nocumento rei gravis. *In ordine ad subjectum*, ut quando unus a pluribus aufert parvas quantitates, quæ uniuntur in subjecto, quod retinet rem alienam in magna quantitate. Et ita peccant graviter venditores, qui plures in materia parva defraudant, quando ex omnibus materia gravis coalescit.

93. Discontinuantur autem moraliter materiæ ratione diversi diei, distincti præcepti, aut distincti subjecti, aut effectus. *Ratione diversi diei*, ut si in diversis jejunii diebus modicum quis cibum accipiat: vel diversis diebus festivis parum temporis laboret: nam etsi in omnibus una materia gravis coalesceret; tamen ob diversitatem diei discontinuantur, & non uniuntur moraliter. *Ratione distincti præcepti*, ut si tenearis eodem die ad jejunium, auditionem sacri, & horas canonicas: si parvam quantitatem in quolibet ommittas, solum committis peccatum veniale, quia licet in die conveniant, ex diversitate præceptorum discontinuantur. *Ratione diversi subjecti*, ut si plures, nulla conventione præcedente, parum ab eadem vinea, vel prædio auferunt: quia licet

cet uniantur in effectu, discontinuantur in subjectis, quæ supponuntur nullatenus influere in furtum alterius. *Ratione effectus* discontinuantur, quando plures a pluribus parva surripiunt.

94. Sed inq. An si quis votum emittat recitandi semel, aut iterum salutationem angelicam, vel dandi parvam eleemosynam, & toto anno illud omitteret; uniantur moraliter illæ materiæ ad constituendum unum grave peccatum? R. Quod si dies est assignatus pro termino præfixo obligationis (quod in votis personalibus semper præsumitur, nisi aliud ex intentione constet) illæ materiæ non continuantur moraliter ad constituendam materiam gravem: quia est onus diei, & in illo die finitur. Si autem dies non sit assignatus pro termino obligationis (quod in votis realibus frequenter contingit, ut in voto dandi eleemosynam singulis diebus) tunc materiæ illæ parvulæ continuantur moraliter: quia non finitur illo die obligatio, sed transit in crastinum: unde in ultima omissione constituente cum aliis materiam gravem graviter delinquitur.

95. Secus est, si promissio facta sit in honorem alicujus diei, quia tunc sicut est onus diei, transacto die, cessat, quod ubi non constat de intentione voventis, semper præsumitur, quando expresse nominatur talis dies. Ut si quis promissit jejunare singulis sabbatis, vel dare eleemosynam. Si quis habeat plura vota de diversis, & ex motivo proximo distincto, & singula in materia parva transgreditur, non peccat mortaliter, quia parvitates illæ non uniuntur moraliter, sed quælibet ex illis est separata, & distincta.

96. Etiam ex contemptu materia levis potest fieri gravis. Contemptus potest esse, vel rei præceptæ, vel legis, vel ipsius Legislatoris. Contemptus, sicut & inobedientia potest esse duplex: *materialis*, seu *generalis*, & *formalis*, seu *specialis*. Contemptus, & inobedientia *generalis* datur in quolibet peccato, quod sicut est fractio legis, ita est inobedientia, & contemptus ipsius legis, quod est generale omnibus peccatis. Contemptus vero *specialis*, præter fractionem legis, importat motivum parvipendendi legem, vel Legislatorem ut talem, ut dum quis non vult obedire legi, quia parvi illam æstimat, & ex motivo parvipendendi ipsam legem, & sic ex formali deæstimatione legis ipsius, & consequenter Legislatoris. Et sic contemptus formalis cum inobedientia formali coincidit, quia hæc consistit in eo, quod est nolle obedire præcepto, eo quod præceptum est. Unde contemptus hic includit specialem inobedientiam in confessione detegendam. Vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *a.* 2.

97. Hinc fit, quod contemptus formalis legis, ut lex est, vel Legislatoris, ut tales, sive sit divinus, sive humanus in quacumque parva materia, semper est peccatum lethale; & quidem si divinus sit Legislator, & lex divina, vel naturalis, patet: quia parvi pendere majestatem Dei, illiusque præcepta contemnere in quacumque materia, blasphemia est, & grave peccatum. Quoad Legislatorem humanum probatur: quia contemptus Superioris, ut Superior est, ejusque legis, ut lex est, in Dei contemptum redundat juxta illud: *Qui vos spernit, me spernit*, erg. erit peccatum mortale in quacumque materia.

98. Si autem quis violet præceptum, vel legem non ex contemptu ipsius legis, aut Legislatoris, sed ipsius rei præceptæ: tunc non est contemptus formalis, sed materialis, & peccavit secundum gravitatem materiæ. Similiter si quis nolit obedire Superiori propter indignationem, seu repugnantiam ad ipsum, vel propter contemptum ipsius, non ut Superior, sed ut talis persona, v. g. quia indoctus, aut imprudens, non erit contemptus formalis. Raro itaque committitur peccatum formalis contemptus, cum vix unquam despiciatur Superior, ut talis. Ex frequentia tamen transgressionis legis potest induci dispositive contemptur virtualis, seu interpretativus, ut inquit Ang. Doct. 2. 2. *q.* 186. *artic.* 9. *ad* 3.

PUNC-

Punctum V.

De obligatione legis pœnalis.

§. I.

Divisio legis pœnalis.

99. Inq. Quotuplex sit lex pœnalis? R. Duplex, nempe *pure pœnalis*, *& mixta ex pœnali*, *& præceptiva*. Lex *pure pœnalis* dicitur, quæ utitur verbis solam pœnam taxantibus: ut qui talia arma portaverit, ea amittat. Et licet utatur verbis præceptivis, nempe *jubemus*, *mandamus*, si tamen Legislator exprimit se nolle ad culpam immediate obligare, etiam erit pure pœnalis, ut patet in nostris constitutionibus, & aliarum religionum. Lex pœnalis *mixta* est, quæ includit præceptum, & pœnam, ut si dicat: *præcipimus*, vel *prohibemus*, ne *hoc*, vel *illud fiat sub tali pœna*.

100. Pœna alia est *positiva*, scilicet, quæ actionem, vel passionem importat: ut flagellatio. Alia *privativa*, quæ in privatione alicujus boni præcise consistit, ut excommunicatio. Alia est *mixta expositiva*, & *privativa*, ut est illa, quæ partim actionem, vel passionem includit, partim privationem boni: ut solutio tantæ pecuniæ, renunciatio beneficii. Ex his pœnis aliæ sunt *spirituales*, quæ bonis spiritualibus ad finem supernaturalem conducentibus privant; ut sunt censuræ, & irregularitates. Aliæ *temporales*, quæ solum circa temporalia exercentur: ut exilium, aut carcer. Insuper aliæ sunt *latæ sententiæ*, aliæ *ferendæ*. *Latæ sententiæ* dicuntur, quia statim, ac actus exercetur, incurruntur: Et accidit, quando lex utitur his verbis: *qui hoc fecerit*, *sit excommunicatus ipso facto*, *ipso jure*, *protinus*, aut *statim*. Tunc dicitur pœna *ferenda*, quando in lege habetur: *Qui hoc fecerit*, *excommunicetur*, *suspendatur*, aut *tali pœna plectatur*.

§. II.

Resolvitur dubium.

101. Inq. 1. Quomodo obligent leges pœnales? R. 1. Leges, quæ sub pœna excommunicationis majoris *ipso facto* incurrenda, seu *latæ sententiæ* sanciuntur, obligare sub peccato mortali: quæ vero sub pœna excommunicationis minoris, obligare, vel ad mortale, vel ad veniale juxta gravitatem materiæ. Ratio est, quia excommunicatio major non incurritur, nisi ob peccatum mortale; excommunicatio minor incurritur etiam ob peccatum veniale.

102. Similiter sub mortali obligant leges latæ sub pœna irregularitatis, suspensionis, & interdicti, quando interdictum, & suspensio sunt censuræ majores. Item leges sub aliis pœnis spiritualibus degradationis, depositionis, & aliarum, quando sunt *latæ sententiæ*. Idem est de prædictis pœnis, quando sunt *sententiæ ferendæ*, taliter, quod delinquens debeat absque ulla monitione illa pœna puniri. Si autem monitionem requirat, & materia non sit gravis, tantum sub levi obligat.

103. R. 2. Leges mixtas, quæ assignant pœnas temporales, & simul præcipiunt, obligare sub peccato mortali ex genere suo, supposita gravitate materiæ, quia talis lex includit præceptum, & pœnam, erg. ad culpam, & ad pœnam.

Confirm. Quia per hoc, quod addatur pœna in lege, non minuitur vis obligandi; sed potius augetur, & roboratur, erg. lex mixta continens præceptum, vel pœnam, obligat secundum quantitatem materiæ, tam ad culpam, quam ad pœnam.

104. Objic. 1. Sufficit Legislatori humano ad suum regimen imponere pœnas temporales, ergo hoc ipso, quod eas imponat, videtur non obligare ad æternas.

R. Sufficere forte Legislatori pœnam, si illam solam assignaret per legem, tamen eo ipso, quod adjunxit præceptum, etiam voluit obligare ad culpam, ad quam sequitur pœna æterna. Sed quia hæc parum timoratos pluries non terret, voluit eos, etiam per pœnas temporales coercere.

105.

105. Objic. 2. Consuetudo, quæ legis est legitima interpres, ita videtur interpretari has leges pœnales, præcipue civiles, de quarum transgressione vix ullus format scrupulum conscientiæ, sed omnes judicant se solum ad pœnas in eis taxatas obligari, erg. non obligant in conscientia.

R. Quod si re vera staret consuetudo jam præscripta, quod lex aliqua pœnalis ad pœnam, & non ad culpam obligaret, tunc ex hac parte, qui illam violaret, lethaliter non peccaret: quia per talem consuetudinem esset derogata illa lex, quoad obligationem in conscientia. Cæterum quamdiu de tali consuetudine non constat, standum est pro lege, ejusque obligatione.

106. R. 3. Leges etiam pure pœnales, dum materia, & pœna sunt notabiles, obligare in conscientia sub gravi, quia, ut supra diximus, nulla est vera lex, quæ non obliget in conscientia, erg. dum versatur circa materiam gravem, obligat sub gravi, nisi aliud exprimat ipsa lex, aut Legislator.

107. Imo transgressor legis imponentis pœnas graves, nedum peccat graviter contra obedientiam, & justitiam legalem, sed etiam contra caritatem erga seipsum, ac suam familiam, vel suos, si quos habeat, quia exponitur noto periculo gravis damni proprii, & suorum ex solutione pœnæ gravis. Quod verum est, etiam si adesset consuetudo legitime præscripta, quod aliqua lex pœnalis ad pœnam tantum, & non ad culpam obligaret: tunc enim licet non peccaretur præcise in transgressione legis; tamen peccaretur graviter contra caritatem propriam, & suorum ob dictum periculum, cui exponitur. Unde in nostra sententia similes transgressores duplex specie peccatum commitunt.

108. Dices: Si omnes leges ecclesiasticæ, & civiles obligarent sub gravi, totus mundus peccatis gravibus repleretur, cum leges, præsertim civiles, sint fere innumeræ; hoc videtur valde durum, erg, non est dicendum. R. Nos non asserere omnes leges obligare sub gravi, sed solum illas, quæ concernunt materiam gravem, & imponunt gravem pœnam. Convenit quidem, quod leges humanæ, obligantes sub gravi, sint perpaucæ, ne multiplicentur peccata gravia, & alias multitudo generatim plus terretur pœna, quam culpa. Unde non omnes leges indiscriminatim, nec omnia in eis contenta obligant semper sub gravi.

109. Hæc doctrina est expressa D. Tho. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 2. ubi ait: *Non omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam, vel statuti, obligantis ad certam pœnam. Sicut in lege civili non facit semper dignum pœna mortis corporalis transgressio legalis statuti, neque in lege Ecclesiæ omnes ordinationes, vel publica statuta obligant ad mortale.*

110. Si lex esset alternativa, vel disjunctiva v. g. *nemo extrahat frumenta è Patria, vel si extraxerit, solvat centum aureos*, solum adest obligatio ad unum ex duobus, vel ad non extrahenda frumenta; vel ad solvendos aureos. Nam ad ejus observantiam sufficit unam partem implere; sicut ad veritatem propositionis disjunctivæ sufficit unam partem esse veram, & in alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri ex regul. *Juris* 70. Quod neutram partem vellet observare, violator esset legis, & reus peccati.

111. Inq. 2. An leges tributorum, & vectigalium obligent in conscientia? R. affirm. Constat ex Apostolo *ad Rom.* 13. ubi inquit: *Ideo, & tributa prestatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipso servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum tributum: cui vectigal vectigal.* Tum etiam, quia sunt leges præceptivæ, & justæ fundatæ in contractu naturali, & oneroso, quo Principes subditorum utilitati invigilant, & deserviunt, ergo obligant sub gravi in conscientia; nec de hoc dubitare fas est.

112. Denique leges, sive præcepta, quæ imponuntur a Rectoribus aliquarum Universitatum, seu Collegiorum *sub pena prestiti juramenti*, solum obligant juxta gravitatem materiæ. Unde si materia fuerit gravis, erit peccatum grave non adimplere juramentum; si levis, leve. Unde in *Clem. Exivi. de verb. sign.* dicitur: eum, qui vovit servare certam regulam, & contenta in ipsa, solum obliga-

gari ad eorum observationem justa materiæ qualitatem ; sed major est obligatio voti , quod fit Deo , quam juramenti, quod fit hominibus, erg. solum obligat juxta gravitatem materiæ. Idem dicendum est de statutis aliquorum collegiorum , quorum observatio juratur a collegis. Juratur enim eorum observantia , pro ut est usu , & consuetudine recepta.

§. III.

De pœna subeunda a transgressoribus.

113. Inq. 1. Quomodo teneatur transgressor legis ad pœnam , in ea taxatam? R. 1. Quod pœnæ spirituales *latæ sententiæ* incurruntur *ipso facto* ante sententiam judicis: ut censuræ , & irregularitates. Similiter pœnæ inhabilitantes in posterum , sive sint canonicæ , sive civiles. Idem est de impedimentis matrimonii. Idem de pœnis conditionalibus, ut si Parochus culpabiliter intra annum non ascendat ad Sacerdotium , & Episcopus non consecretur intra sex menses , privantur ipso facto beneficio , & episcopatu. Etiam pœna conventionalis, quæ sit moderata , & non reprobata a lege , debet ante sententiam judicis solvi a violatore contractus.

114. R. 2. Pœnas temporales , quæ consistunt in privatione juris acquisiti, aut quod acquiri cœptum est , & illas, quæ aliquam actionem ad sui expoliationem requirunt, non incurri ante sententiam judicis , saltem declaratoriam criminis , etiamsi lex dicat : *ipso facto* incurri. Ratio est , quia lex non debet esse nimis rigida , sed suavi , aut morali modo observabilis ; sed quod homo se privet bonis a se possessis , non auditus in judicio , est nimis rigidum , & moraliter inobservabile , ergo non est dicendum , hunc esse Legislatorum intentum. Itaque nullus tenetur se privare voce activa , & passiva , nec beneficiis , aut officiis , dignitatibus , aut aliis bonis possessis ante sententiam judicis. Eadem ratione Sacerdos solicitans in confessione, non privatur illico jure celebrandi.

115. R. 3. Teneri reum solvere pœnam moderatam post sententiam judicis, aqua non sit appellatio : quia pœna moderata , & proportionata delicto justa est: ergo tenetur eam subire : si autem pœna est ex illis , quas reus exequi non potest absque specie crudelitatis , ut pœna capitis , mutilationis , aut sumere venenum , nec judex potest præcipere , nec reus sibi inferre : quia licet pœna sit justa quoad substantiam , injusta , & crudelis est quoad modum. Tenetur tamen reus ad talem pœnam concurrere indirecte , nempe obediendo ministris justitiæ , ascendendo scalam , ut suspendatur, applicando guttur , ut juguletur, & manum porrigendo , ut abscindatur : quia talis cooperatio necessaria est , ut sententia exequatur. *D. Th.* 2. 2. *q.* 69. *a* 4. *ad* 2.

116. Deinde non tenetur regulariter reus ad solvendas pecunias, nec ad exilium exequendum , nisi præcipiatur : quia executio est actio propria judicis , vel ministrorum ejus. Denique non tenetur ad solvendam pœnam , contra eum in lege latam , si in judicio veritatem negavit : nisi ex sua negatione damnum alteri inferat ; quia non tenetur ex officio fateri veritatem , sed ex justitia legali, & non ex commutativa , ex qua solum oritur obligatio restitutionis ; sed tenetur ad damnum ex sua negatione veritatis secutum.

117. Inq. 2. An teneatur judex applicare reo pœnas a lege taxatas ? R. Si judex est Princeps supremus , valet remittere , aut minuere de eis ex causa ostensionis pietatis , vel nobilitatis rei , aut ex alia rationabili. Verum caveat Princeps , ne ex nimia indulgentia improbi audaciores fiant. Judex autem inferior nequit minuere , & minus augere pœnas legis , nisi aliqua circumstantia sic fieri deposcat. Non enim est legis dominus, sed custos , unde graviter peccabit , si notabiliter minuat pœnas præfixas a lege. At si eas augeat cum gravi præjudicio rei , ad restitutionem etiam obstringitur. Circumstantiæ , quibus commissum est delictum , juvare possunt ad ejus pœnas augendas , vel moderandas , ut si fuit perpetratum cum magna sævitia ; vel econtra , cum imperfecta deliberatione.

118. Inq. 3. An judex , qui absque causa omittit applicare pœnas a lege taxatas , ad restitutionem teneatur ? R. negat.

gat. Quia pœna etiam pecuniaria non debetur fisco, aut alteri nisi post sententiam judicis, ergo ista etiam injuste non prolata, non debetur illa. Sic tenet etiam Concina de pœnis fisco, aut alteri applicandis in tractatu de restitutione, licet in præsenti oppositum tucatur. Vid. tom. 2. pag. 429. n. 75.

119. Inq. 4. An sententia data, possit illam judex reformare, aut mutare? R. negat. Quia sententia semel data, & promulgata jam transit in rem judicatam, & functus est judex officio suo. Neque potest illam declarare authoritative, sed tantum doctrinaliter, sicut quilibet alius Doctor, quia finitum est judicium. Judex autem supremus valet, etiam authoritative, id efficere.

Punctum VI.

De lege fundata in præsumptione.

120. Inq. 1. Quotuplex sit præsumptio? R. Est duplex: nempe *præsumptio periculi*, & *præsumptio facti*. Præsumptio periculi est, quæ præsumit periculum, damnum, aut fraudem, &, hoc supposito, procedit ad cavendum illud per leges: appellatur etiam *præsumptio* præsuppositionis, vel *præsumptio juris*: præsumit enim, quod ut in plurimum accidit, ideoque non proprie, sed late præsumptio dicitur. Præsumptio *facti*, seu *definitionis* est, quæ judicat, & determinat ita esse in hoc, & aliis casibus, & ex hac præsumptione procedit ad aliquid decernendum.

121. Inq. 2. An leges, seu præcepta fundata in præsumptione obligent in conscientia? R. Leges, seu præcepta, quæ fundantur in *præsumptione facti*, non obligant in conscientia, præciso scandalo, quando fallit. Quia omnis lex justa solum intendit obligare, supposita veritate; sed dum fallit præsumptio, non datur veritas, erg. tunc non obligat in conscientia, quidquid sit de foro externo. Quare licet judex præcipiat Cajo, ut cohabitet cum uxore, & debitum reddat; quia juxta allegata, & probata validum judicat matrimonium: Cajus, sciens certo subesse impedimentum dirimens, non tenetur, imo non potest debitum reddere, quia cum matrimonium nullum sit, sententia nititur falsæ præsumptioni. Præcipit judex, ut pecunias solvas Petro, qui per falsos testes probavit, te illas debere: si revera non debeas, solvere non teneris propter eandem rationem; & sic de aliis.

122. Objic. 1. Tridentinum irritans matrimonium clandestinum nititur præsumptioni de fraudibus, aut fallaciis; & tamen non valet tale matrimonium, licet nulla interveniat fallacia, aut dolus, erg. 2. Idem Concilium, præsumens non adesse sufficientem deliberationem, irritat professionem factam ante decimum sextum annum expletum, & nihilominus non valeret professio, etiam si daretur perfecta deliberatio in aliquo particulari. 3. Sixtus V. in bulla contra judiciarios præsumit pactum occultum cum Dæmone; & tamen licet tale pactum non adsit; incurrunt pœnam denunciationis tales judiciarii de futuris contingentibus. 4. Decreta Pontificia contra Confessarios solicitantes fundantur in præsumptione, quod dicti Confessarii non recte sentiunt de fide; & nihilominus, licet sciens solicitationem certo cognosceret Confessarium solum ex passione solicitare, & non quia male de fide sentiat, teneretur ad illum denuntiandum, erg. licet presumptio deficiat, obligat lex fundata in tali præsumptione.

123. Resp. cum distinctione præsumptionis supra tradita, leges fundatas in præsumptione periculi semper obligare, & istius generis sunt leges laudatæ in objectionibus, in illis enim casibus lex non fundatur in præsumptione proprie dicta; sed in vero, prudentique judicio de his, quæ frequenter accidunt: & ideo semper verificatur, licet in particulari damnum, aut fraus minime reperiatur. Unde Legislator prudenter judicans semper subesse periculum, statuit legem pro omnibus casibus, licet sciat posse aliquando per accidens sine tali damno actus exerceri. Et hæc est præsumptio *periculi*, seu *juris*. At in præsumptione *facti* contrarium evenit; quia procedit ex suppositione, quod ita res accidit, sicut præsumit: & ideo lex illa intelligitur sub conditione: *Si ita factum contingat*. Igitur, deficiente conditione, ne-

ces-

cessario deficit lex : Conclusio autem procedit de hac secunda præsumptione, quæ proprie præsumptio est ; non de prima , quæ lato modo præsumptio dicitur.

Punctum VII.

De lege irritante.

124. Inq. 1. An dentur leges irritantes ? R. Affirm. Quia potest Legislator humanus statuere leges obligantes in conscientia , ita quod actus facti contra earum ordinationem sint omnino nulli, etiam in foro interiori. Expedit enim multoties bono communi , quod aliquæ actiones, & contractus non solum sint illiciti , verum etiam irriti , & nulli ; unde lex dicitur irritans , quando non solum actum prohibet , sed etiam nullum efficit , & declarat.

125. Inq. 2. Quotuplex sit lex irritans ? R. Est duplex. Alia *ipso facto* , ut professio religiosa ante legitimam ætatem, Alia , quæ in futurum præcribit irritandum , ut plures contractus , qui a jure rescinduntur post sententiam judicis. *Deinde* ; alia est *explicita* , ut cum actus expresse declaratur invalidus : alia *implicita* , ut cum aliqua solemnitas , aut conditio assignatur pro forma contractus. *Preterea* , alia est *pœnalis* , quæ in odium transgressoris actum nullum decernit ; alia *pure irritativa* , quæ absque pœna irritat actum. Lex irritans matrimonium ob aliquod crimen , vel collationem simoniacam beneficii est pœnalis , quia in pœnam delicti irritat actum. Lex autem irritans testamenta est pure irritativa , & non pœnalis. Omnis lex irritans semper est odiosa , ideoque in benigniorem partem interpretanda , quia odia sunt restringenda.

126. Inq. 3. An omnis lex prohibens sit irritans ? R. negat. Est communis Theologorum sententia : quia aliud est prohibere , ne aliquid fiat ; aliud valde diversum irritare , ne valide fiat , & potest unum ab alio separari , ut patet in matrimonio valide , & non licite contracto ab habente votum simplex castitatis , vel religionis. Unde *in cap. ad Apostolicam , de regul.* dicitur : *Multa fieri prohibentur , quæ tamen facta tenent.* Quando Legislator vult esse nullum actum , quem prohibet , ultra prohibitionem addere consuevit clausulam irritantem , ut in jure canonico , & civili sæpe videtur.

127. Quando in lege assignatur talis solemnitas pro forma , semper intelligitur de forma substantiali , sine qua actus irritus est. Nulla enim res sine sua forma subsistere potest. Idem est , quando lex concedit delegato ad aliquem actum facultatem , quam non habebat , ut ea utatur sub tali conditione , aut solemnitate , aut quando formam assignans, tollit facultatem aliter actum faciendi ab eo , qui alias talem facultatem non habebat ; actus aliter facti sunt nulli , & irriti.

128. Sed si solemnitas , vel conditio, sub qua præcipitur actus , vel delegatur facultas ad actum , habeatur in jure pro forma accidentali , intelligendum est , illam conditionem assignari eodem modo, ac est in jure. Unde, si in jure talis conditio , aut forma fuerit accidentalis , validus erit actus , licet illa non apponatur : Ut si delegatus ad absolvendum, *satisfacta parte* , sine satisfactione partis absolvat , valida est absolutio , quia in jure talis conditio habetur pro forma accidentali. Idem accidere valet in matrimonio , a procuratore sine denunciationibus contracto.

129. Quando irritatio legis sequitur ad actum jam factum , non reddit illum irritum , sed irritandum per judicis sententiam , ut si irritatur contractus , non soluta gabella , manet validus , licet illa non solvatur , donec per sententiam judicis rescindatur ; quia ut res pœnalis computatur. Si vero irritatio antecedat, vel committetur actum , & non sit pœnalis , statim sortitur effectum , ut in matrimonio proprie clandestino , in testamento absque solemnitate , & similibus. Si vero sit pœnalis , in pœnam videlicet transgressionis , vel in odium transgredientis , etiam ipso facto manet nullus contractus , si incapax fuerit postea rescindendi , ut matrimonium , & religiosa professio. Si autem rescindibilis fuerit per judicem , ut contractus emptionis , & venditionis , & alii , licet fiat

contra formam, a lege irritante præscriptam, non censetur irritus, nisi post sententiam judicis.

130. Inq. 4. An omissio conditionis, aut solemnitatis requisitæ a lege irritante, reddat actum nullum in utroque foro? R. affirm. quia tales leges non fundantur in præsumptione facti, sed in præsumptione periculi; sed hæc semper adest, erg. leges in ea fundatæ, obligant in utroque foro. Quapropter testamentum minus solemne, alienatio bonorum Ecclesiæ, electio facta absque consensu capituli, & alia hujusmodi nulla sunt, non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. Unde nequit Legatarius compensare se de legato sibi relicto in testamento minus solemni. Omissio formæ substantialis non admittit parvitatem materiæ: nam forma substantialis tota in indivisibili consistit. Unde professio religiosa est nulla ante decimum sextum annum completum, etiam ob defectum modici temporis.

131. Lex statuens pœnas contra transgressores, si intendit punire animum, tunc transgressor subjacet pœnæ, licet actus sit nullus: ut patet in sacerdote excommunicato sacramentaliter absolvente, qui pœnam irregularitatis incurrit, licet absolutio sit nulla. Et in eo, qui absque dispensatione contrahit cum consanguinea, pœnæ excommunicationis subjacet, licet matrimonium sit nullum. Quando vero lex irritans non intendit punire animum, sive temeritatem, sed actum ipsum, transgressor non incurrit pœnam, quia quando hæc imponitur pro actu, intelligenda est pro illo, qui vere est talis; & non est vere talis actus, qui per legem est nullus. Unde Prælati excommunicantes sine forma præscripta, & solemnitate assignata *cap.* 1. *de sent. excom. in* 6. non incurrunt pœnas, pro ipsis ibi impositas.

Punctum VIII.

De obligatione legis dubiæ.

132. Plura dubia occurrere possunt circa diversas leges particulares; sed quia ad proprios tractatus spectant, hic solum de generalibus dubiis circa leges agimus.

133. Inq. 1. Quotuplex sit dubium circa operationem? R. aliud *practicum*, ut cum quis hic, & nunc operatur contrà legem, non deposito dubio, & iste in communi sententia semper peccat, quia exponitur periculo formalis transgressionis legis: Aliud est mere *speculativum*, & est compatibile cum practico, licet possit remanere sine isto, quando nimirum dubium practicum deponitur per aliquam rationem solidam, & prudentem, quia judicat licere hic, & nunc operari, adhuc stante dubio speculativo. Sed difficultas gravis est, quando liceat deponere dubium contra legem, de qua dubitatur.

134. Inq. 2. Quotuplex sit dubium circa legem? R. Est quintuplex 1. ex parte legis: Ut si dubites, an lex posita sit, aut promulgata. 2. Ex parte rei præceptæ: Ut quando certus es de lege, aut præcepto, dubitas vero, an res mandata justa sit. 3. Ex parte Legislatoris: ut cum dubitas, an sit legitime electus, vel de potestate illius. 4. Ex parte adimpletionis, ut cum dubius es, an impleveris legem justam. 5. Denique ex parte inceptionis, aut cessationis legis; ut cum dubitas, an tempus advenerit, quo incipiat lex obligare, vel præterierit tempus obligationis. Quibus suppositis.

135. Inq. 3. An in dubio legis observari debeat? R. 1. quod in dubio an lex sit lata, aut promulgata, debet observari. Licet assertio maneat sufficienter probata ex dictis in tractatu de conscientia dubia, suadetur etiam evertendo præcipuum fundamentum sententiæ oppositæ. Ideo juxta sententiam contrariam non obligaret lex dubia, quia possessio stat pro libertate, & melior est conditio possidentis; sed hæc ratio non tenet. Probatur minor: quia possessio ex parte libertatis non est certa; sed quando possessio non est certa, non est melior conditio possidentis: ergo ratio contraria non tenet. Probatur major, possessio, de qua alii affirmant, alii negant, non est certa, sed litigiosa; sed talis est possessio libertatis contra legem dubiam, cum plures, & graviores Authores illam impugnent, ergo non est certa, &

con-

consequenter non favet illa regula, *melior est conditio possidentis*; sed potius alia, *in dubiis tutior pars est eligenda.*

136. Ex quo sequitur, quod in dubio an lex lata, & promulgata extendatur ad hoc, vel illud subjectum, vel ad hunc, vel alium casum, propter diversas circumstantias occurrentes, debet etiam observari: ut certus de lege jejunii, dubitans autem, an ratione alicujus circumstantiæ excusetur, debet jejunare, nisi infirmitas, labor; aut alia justa causa illum eximat ab obligatione. Eodem modo dubius, an abrogata sit lex, vel dispensatus in ea, tenetur ad illius observantiam. Similiter sciens legem esse latam, & promulgatam, dubitans vero, an sit recepta, adimplere illam debet, quia in his omnibus lex certo possidet.

137. Resp. 2. Quod si dubium sit, non ex parte legis, sed ex parte rei preceptæ, an justa sit, utilis, aut necessaria, obligat ad sui adimpletionem. Ut miles dubitans de justitia belli, vel subditus etiam cum opinione probabili de injustitia præcepti, tenentur Superiori legitimo obedire: quia nec ad militem, nec ad subditum pertinet judicare de mandato Superioris. Quod intelligendum est, præciso periculo infamiæ, & damni tertii, quia in hoc casu (loquendo de subdito respectu Prælati) magis expedit obedire Deo, quam hominibus, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5.

138. Resp. 3. Quod dubitans circa potestatem Superioris, ut, an sit rite electus, vel confirmatus; similiter de adimpletione legis, ut clericus dubitans, an persolverit officium divinum, aut partem illius: Item an tempus advenerit, seu præterierit, in quo lex obligat: ut qui dubitat, an viginti, & unum annos impleverit, seu contra, an ætas senilis advenerit, & aliis similibus, omnes isti tenentur ad legem observandam, secundum regulam generalem. *In dubiis tutior pars est eligenda.*

139. Hinc infertur, quod dubitans de hora duodecima noctis, & comedens, vel bibens, non potest crastina die missam celebrare, neque Eucharistiam sumere, & idem est de eo, qui dubitat, an aliquomodo jejunium naturale fregerit, tum quia lex de sumptione Eucharistiæ in jejunio naturali semper obligat; non enim pro hoc, vel illo die, sed generaliter loquitur: *Nemo accedat non jejunus ad hoc sacramentum*, ergo possessio hujus legis semper est pro omni tempore. Tum quia dubius de jejunio naturali accedens ad Eucharistiam periculo se exponit, ergo nullo modo est licitum. Tum denique, quia in hoc dubio potissimum debet tutior pars eligi ob reverentiam tanti sacramenti.

Punctum IX.

An periculum gravis damni, vel mortis excuset ab obligatione legis.

140. Pro resolutione præsentis difficultacis recolenda sunt, quæ diximus circa metum gravem tract. 1. a. n. 99. eadem enim est difficultas circa metum, ac periculum: an scilicet obliget lex cum metu, aut periculo gravis damni: circa quam varia sunt placita Doctorum, sed veriorem, & communem sententiam triplici conclusione exponimus.

§. I.

Resolvitur dubium.

141. Prius tamen nota, quod licet metus reverentialis dicatur etiam a plerisque metus gravis; verum pro præsenti disceptatione raro, aut vix admiti valet, nisi simul adjungantur minæ, aut verum periculum gravis damni.

142. Dicendum est 1. Leges canonicas, aut civiles regulariter non obligare cum periculo mortis, aut gravis damni. Prob. ratione: quia conservare vitam, famam, & similia est de jure naturali, ergo non potest præcipi lege humana, quod vitæ, aut ejus conservationi obstet, absque urgentissima causa, quæ raro, & non regulariter adest. *Confirmatur*: quia homo non tenetur obedire homini in his, quæ ad conservationem corporis spectant, ut docet D. Thom. *ubi supra.*

143. Dicendum est 2. Obligare aliquando legem humanam etiam cum periculo mortis, aut gravis damni, quando id expediens fuerit ad bonum commune: ratio est, quia Legislator habet potesta-

tem præcipiendi id, quod expedit ad conservationem reipublicæ; sed ad hoc quandoque est necessarium, quod aliquis se exponat periculo mortis, aut gravis damni, ergo potest sic obligare. Illustratur exemplis. Est civitas obsessa, & periclicatur multitudo, præcipit Dux pręliari, tenentur milites etiam cum periculo vitæ obedire. Tibi pręcipit portam defendere, teneris etiam cum periculo mortis, quia conservatio civitatis tuo particulari commodo debet pręponderare: grassatur pestis per urbem, pręcipitur tibi ministrare infirmis, aut sacerdoti sacramenta illis impartiri; tenentur assignari ministerium implere, etiam cum vitę dispendio, & sic de aliis.

144. Verum est, quod licite potest quilibet ex charitate, vel ob motivum alterius virtutis se exponere periculo mortis. Unde juste condemnatus ad mortem, & si posset fugere, potest etiam non fugere, & mortem patienter sustinere. Potest etiam quis peste infectos visitare, inservire, sacramenta ministrare, licet non teneatur, nec ex mandato Superioris, nec ex officio, ut Parochus. Licite vales donare in naufragio tabulam alteri cum periculo propriæ vitæ. Potest etiam quisque castitatis amore abstinere a secreta curatione, aut a matrimonio necessario vitæ servandæ, & sic de aliis. Quæ omnia intelligenda sunt, cum non sit persona multum bono communi necessaria, & fiant ex motivo virtutis.

145. Dicendum est 3. quod etiam lex divina, & naturalis aliquando obligat cum gravis damni, aut mortis periculo; aliquando tamen non obligat cum tali præjuditio. Primi generis sunt ea, quæ ab intrinseco sunt mala, ut mentiri, fornicari, perjurare, blasfemare, & similia: hæc enim omnia obligant in conscientia, ne fiant etiam cum periculo vitæ. Et similiter transgressio legis divinæ, aut humanæ facta in derisum, aut contemptum religionis, aut alterius virtutis. Ut carnes comedere die prohibito, aut jejunium frangere, si ob contemptum religionis, aut legis ad id cogaris: quia ab intrinseco est malum agere propter hos fines. Quapropter celebratur fortitudo Eleazari, qui elegit potius gloriosam mortem subire, quam carnes porcinas contra legem manducare: & septem Machabeorum, qui ad vitandum religionis contemptum, mortem gloriose pro lege subierunt. 2. *Machab.* 6. & 7.

146. Secundi generis, nempe, quod lex divina, vel naturalis aliquando non obligat cum periculo vitæ, patet in David, qui in extrema necessitate manducavit panes propositionis laicis prohibitos. 1. *Reg.* 12. quod approbatur a Christo Domino, eo exemplo discipulos defendens a calumniantibus, quod contra præceptum divinum de observatione sabathi laborarent in sabatho, spicas colligentes ad sustentationem. *Matth.* 12. Similiter non occidere alium est de jure naturæ; & tamen potest invasor injustus occidi ob defensionem propriæ vitæ: idem est de præcepto non furandi, quod cedit in extrema necessitate; secretum denique naturale potest revelari ob periculum mortis.

147. Igitur regula generalis sit: quando, id quod præcipitur, est hic, & nunc utilius bono communi, aut religionis, quam vitam particularis conservari arbitrio prudentum, lex obligat cum periculo mortis; alioquin, non obligabit cum tanto dispendio. Quia bonum commune præponderare debet bono particulari, ergo quoties bono communi expedit, ut subditus se exponat periculo mortis, debet obedire. Econtra Superior non habet jus imperandi cum gravi detrimento subditi, nisi in ordine ad conservationem boni communis, nec est dominus vitæ, sicut Deus, ergo nisi conveniat bono communi, quod subditus morti se exponat, id non poterit imperare.

§. II.

Solvuntur argumenta.

148. Objic. 1. Contra primam conclusionem. Omnis lex justa ordinatur ad bonum commune; sed id, quod expedit bono communi, obligat etiam cum detrimento particulari, ergo lex justa obligat cum detrimento vitæ. Resp. quod licet lex justa ordinetur ad bonum commune; non tamen in omni casu exigit bonum commune prodigere vitam particularis pro illius observantia, nec obligat

gat cum detrimento gravi; ut patet in jejunio, abstinentia a carnibus, auditione sacri, quæ in omnium sententia non obligant cum notabili præjudicio salutis.

149. Objic. 2. Lex clausuræ obligat moniales, licet laborent gravissimo morbo, cujus remedium foras invenirent, licet mors sequenda certa sit absque tali remedio, ergo lex justa obligat etiam cum periculo mortis. R. Moniales teneri non egredi a monasterio, etiam si certo scirent propter ægritudinem ibi absque remedio morituras: tum quia majoris momenti est clausura monialium ad decorem, & honestatem, proindeque ad bonum commune, quam vita particularis, ne aditus pateat multoties frangendi clausuram cum magno detrimento totius status virginalis.

150. Hoc scite prævidit, ac penetravit illuminata doctrix, & prudentissima Virgo Seraphica Mater Theresia, quæ rescribens Patri Gratiano circa translationem cujusdam monialis infirmæ dicit: *Aunque yo tenia licencia de nuestro Padre General, que se la pedí, para que quando á alguna hiciese mal la tierra. se pudiese mudar á otra: despues he visto tantos inconvenientes, que si no fuese por provecho de la Orden, no me parece se sufre; sino que es mejor se mueran unas, que no dañar á todas. Tom. 2. epistola 35. n. 2.* Pius V. indulsit monialibus egredi a Monasterio ob mortis periculum tribus casibus. 1. est incendium, ad quem reducitur inundatio, & incursio hostium. 2. est lepra, seu alius morbus contagiosus. 3. est pestis. Alii tres sunt consuetudine introducti cum facultate legitima. 1. si deferatur monialis, ut præsideat alteri monasterio. 2. Ratione delicti, quod in proprio monasterio nequeat congruenter puniri. 3. Translatio conventus ad alium. Extra hos casus non valent moniales a clausura exire

151. Objic. 3. Abstinentia a carnibus obligat Carthusianos cum periculo mortis, ergo lex humana potest obligare etiam cum periculo mortis. R. Quod, si Carthusianus non haberet alios cibos, teneretur vesci carnibus ad sustentationem vitæ; attamen dum aliis cibis vesci potest, lex, aut consuetudo abstinendi a carnibus adeo viget apud illos religiosissimos Patres, ut merito præponderare credatur vitæ cujuscumque particularis. Multum enim interest bono communi, & explendori illius religionis, quod abstinentia adeo sacra cum toto rigore conservetur, & ne detur aditus ejus relaxationi ob particularis personæ damnum.

Punctum X.

De actibus ad legem implendam requisitis.

152. Inq. 1. Qui actus requirantur pro legis adimpletione? R. Quod requiritur, & sufficit appositio voluntaria rei præceptæ; sic enim habetur voluntas, & intentio ponendi libere rem præceptam, quæ quidem necesaria est ad legem implendam, qui actus, quo lex impletur, debet esse humanus; ut autem sit humanus, ab intentione agendi, vel omittendi procedere debet, igitur semper, ac verificetur appositio libera rei præceptæ, fit satis legi, aut præcepto. Quidam ajunt præcepta negativa impleri posse absque ullo actu, imo sine intentione, & libertate, ita Concina in præsenti; verum licet adsit differentia inter præcepta negativa, & positiva, quod ista actum, illa omissionem ad sui impletionem deposcant; nihilominus sine libertate nullum præceptum vere impletur. Aliud est non frangere præceptum, aliud implere præceptum: ad primum nullus actus requiritur in his præceptis, ad secundum vero requiritur omissio libera actus prohibiti; alias etiam lapides implerent præceptum v. g. non furandi.

153. Unde, qui omnino coactus apponeret actum a lege præceptum, non satisfaceret præcepto, ut qui violenter detentus audiret sacrum, minime impleret præceptum de sacro audiendo, idem est suo modo de eo, qui omnino oblitus omitit furtum, qui licet non furetur, non implet tamen præceptum. Præcepta igitur negativa nullum actum externum ad sui impletionem requirunt, imo illum prohibent: attamen sine libertate non implentur, ita ut adsit meritum. *Dices*: ergo, qui nunquam cogitavit de non furando, aut occidendo transgreditur hæc præcepta. R. neg. conseq. quia ad violan-

landa præcepta, etiam negativa, requiritur aliquis actus, saltem interior, ea violandi, quo deficiente, non datur transgressio. Ubi enim non est voluntas, non est transgressio, nec adimpletio formalis: omnino igitur oblitus, nec transgreditur, nec adimplet formalitater præcepta.

154. Inq. 2. An, qui ex metu gravi ponit rem præceptam satisfaciat præcepto? R. affirm. quia metus non tollit libertatem, nec voluntatem. Unde pueri, qui metu flagellationis missam audiunt, præceptum eam audiendi adimplent. Verum est, quod si quis haberet hunc animum: *nisi immineret pœna, non adimplerem præceptum*, peccaret graviter, quia voluntas, non implendi præceptum, est prava. Cæterum, si hoc solum haberet habitualiter, quia ita est dispositus, quod, nisi pœna immineret, non impleret præceptum, non peccat, quia habitibus nec meremur, nec demeremur. Unde iste actus, *si non esset infernus, peccarem*, est malus. Iste autem, *non pecco, quia est infernus*, est bonus.

155. Inq. 3. An eodem actu possint plures leges impleri? R. quod in materia justitiæ ad distincta debita solvenda requiruntur distincti actus, sive entitative, sive virtualiter, ut si debeas Petro centum ex contractu, & totidem ex furto, teneris ad solvenda ducenta, sive distinctis actibus, sive eodem virtualiter distincto. Si debes applicare duas Missas ex justitia, non potes eodem actu eas solvere.

156. Possunt tamen unico actu impleri plura præcepta extra justitiam, si cadunt supra eandem materiam, sic satisfit unica Missæ auditione præcepto diei dominicæ, & alterius festi occurrentis: Eodem jejunio, eademque abstinentia a carnibus fit satis præcepto quadragesimali, & quatuor temporum; atque idem est, quando vigilia alicujus sancti incidit in feria sexta, quia hæc præcepta cadunt supra eamdem materiam, & ex eodem motivo.

157. Si vero præceptum superveniens procedit ex diverso motivo, licet cadat supra eamdem materiam, deposcit regulariter distinctum actum, quia sic communiter mandantes intendunt novum onus imponere. Ut si habeas votum jejunandi, & imponat tibi Confessarius jejunium, debes duplici die jejunare. Pariter, si tibi jubeat Confessarius bis, aut ter sacrum audire, non sati facis auditione, ad quam teneris diebus festis, nisi jubeat, ut Missam audias omni die per mensem, aut annum; tunc enim non teneris aliam dictis festis audire. Si dubitetur de intentione mandantis, & nequeat consuli, judicandum est novum actum exigere, quia tutior pars est eligenda.

158. Inq. 4. An eodem tempore possit pluribus præceptis satisfieri? R. vel actus sunt compatibiles, vel non; si primum, potest, ut horas canonicas, vel pœnitentiam a Confessario impositam recitare, dum auditur Missa, quia attentio ad pœnitentiam, seu horas recitandas compatibilis est cum attentione ad Missam. Si Confessarius imponat duas, vel tres Missas audiendas, debent audiri diverso tempore, juxta consuetudinem Ecclesiæ: si secundum, nequeunt eodem tempore impleri plura præcepta; ideoque, non satisfacit præcepto audiendi sacrum, qui simul sua peccata confitetur.

159. Qui pluribus titulis, ut ex voto, pœnitentia imposita, & ratione festi tenetur audire Missam, & non advertens ad hæc diversa debita, rem præceptam apponit eodem tempore, censetur debito urgentiori satisfacere, quod in hoc casu est præceptum sanctificandi festa. Quando concurrunt duo præcepta, si utrumque observari nequeat, superius est observandum. Qui non valet totum præceptum observare, & sit divisibile, ad partem tenetur.

Punctum XI.

De intentione ad legem implendam requisita.

160. Inq. 1. An pro lege implenda requiratur intentio eam adimplendi? R. negat. quia intentio implendi præceptum est actus obedientiæ formalis, qui licet sit optimus, & consulendus, non tamen exigitur a Superioribus. Nisi expresse jubeant aliquando finem extrinsecum, puta jejunare ad pluviam petendam, vel ob aliam necessitatem; tunc enim ipse finis est pars materiæ præceptæ, & debent

bent subditi se conformare cum fine, & intentione præcipientis. Regulariter vero sufficit ponere libere opus præceptum, ut cuicumque legi, aut præcepto fiat satis. *Ita D. Thom.* 1. 2. *q.* 100. *a.* 9. & 10.

161. Inq. 2. An si quis immemor diei festi, aut præcepti, vel cum animo non implendi pro tunc præceptum, audiat Missam primo mane, teneatur subinde aliam audire? R. neg. quia supponitur libere positum opus præceptum, ergo re ipsa satisfecit præcepto. Hæc est communior, & probabilior sententia, quidquid inficietur de more Concina in præsenti, rejiciens hanc quæstionem inter illas, quas vanas, & frivolas appellat. Sed casus revera frequens est, non solum inter personas scrupulis agitatas, sed etiam devotione, & discretione pollentes. Contingit enim non semel, quempiam audire Missam primo mane, ex sola devotione, animo non satisfaciendi tunc præcepto, intendens aliam postea audire; in quo nulla apparet stultitia. Deinde autem, mutato animo, propter aliquam occupationem, vel aliam causam, inquirit ille, an satisfecerit præcepto.

162. Respondetur ergo, revera satisfecisse præcepto: quia voluntarie, & libere posuit auditionem sacri: tenetur autem revocare animum, & ponere intentionem adimplendi cum illa auditione; peccaret enim mortaliter, si in voluntate perseveraret, non adimplendi præceptum toto tempore apto ad illud exequendum: non quia operatur contra præceptum audiendi sacrum; sed quia agit contra præceptum naturale prohibens animum non adimplendi præceptum: si vero non recordetur postea illius animi, nullum peccatum committit.

163. Hæc doctrina asseritur a Concina in tractatu de voto, ibi enim dicit, quod si votum reale præstitum est reipsa, inscio, imo invito vovente, hic solum tenetur pœnitere de sua resistentia præterita, non vero ad promissum denuo solvendum, ergo a fortiori hoc videtur dicendum in casu præsenti. Vid. tract. xxv. a n. 10.

164. Objic. Si quis centum deberet Petro, & ex pura liberalitate totidem daret, teneretur postea centum debita ex justitia solvere; quia dare ex liberalitate, & solvere ex justitia est longe diversum, ergo idem de lege, aut præcepto. Resp. negand. consequentiam: quia licet aliqui authores asserant non teneri solvere eum, qui ignorans debitum, centum gratiose dedit creditori; cæterum verius est oppositum, quia speciale est in debitis ex justitia requiri intentionem satisfaciendi debito: cum enim justitia petat æqualitatem inter rem, & rem, nequit fieri adæquatio per unam rem cum illa, quæ duplici titulo debetur, vel ex mera liberalitate donatur.

165. Inq. 3. An aliquæ leges, & præcepta etiam divina naturalia possint adimpleri per actum ex se bonum, licet malo fine vitiatum? R. affirm. Patet in præceptis correctionis, & eleemosynæ, pietatis, temperantiæ, & similium. Nam semel quod apponatur opus præceptum, adimpletur obligatio, licet alias finis pravus vitiet actum: & ratio omnium est, quia finis præcepti non cadit sub præcepto, quod intelligitur de fine extrinseco. Nec leges jubent modum virtutis, sed ipsam virtutem, ut omnes tenent cum D. Thom. *ubi supra*. Non enim Legislatores præcipiunt regulariter, ut *hoc fiat propter illud*, sed, *ut hoc fiat*: In quo differt præceptum charitatis ab aliis, quia respicit immediate ex se ultimum finem divinum, & sic impleri non potest cum prava intentione finis creati, deposcit enim actum, non solum moraliter, sed etiam formaliter bonum, & meritorium, ut ex se patet.

166. Objicies 1. *Non dubium C. de leg. contra legem ff. Cod. tit.* dicitur: *Is in legem delinquit, qui legis verba amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem*: Sed intentio, & voluntas legis est facere bonos, ergo delinquit contra legem, qui per actum malum legis mandatum adimplet. Respond. duplicem esse finem legis: *intrinsecum*, videlicet, & *extrinsecum*. Intrinsecus est proprius illius virtutis, cujus motivo præcipit: ut finis intrinsecus jejunii est temperantia. Finis autem extrinsecus est quilibet alius additus a Legislatore: ut in exemplo jejunii potest esse elevatio mentis in Deum, vel refrenatio cupiditatum, vel placatio divinæ vindic-

te,

tę, ut in Ninivitis. Qui ergo libere ponit actum pręceptum a lege, adimplet intentionem, & finem intrinsecum legis, quod snfficit ad satisfaciendum legi, aut pręcepto; licet alias ob circumstantiam vitiosam non obtineatur finis extrinsecus legis, non necessarius ad ejus adimpletionem.

167. Inq. 4. An peccet contra legem, qui impedimenta ad eam observandam voluntarie apponit? vel apposita non removet, dum commode, & sine gravi damno potest? R. affirm. quia Legislator, qui mandat finem, etiam jubet apponi media ad talem finem necessaria; sed non apponere impedimenta, vel ea removere, cum commode possint, sunt media necessaria ad finem, ergo, qui ponit impedimenta, vel ea non removet, si commode possit, peccat contra legem. Unde, qui se inebriat, prędvidens se hominem occisurum, peccat etiam contra justitiam, & prędceptum prohibens homicidium: qui cum facile possit, non curat absolvi ab excommunicatione tempore, quo instat prędceptum communionis Paschalis, peccat contra illud. Similiter, qui vacat ludo, vel studio tempore, quo audire sacrum, vel officium recitare tenetur, non excusatur a peccato. Idem dicimus de clerico ejiciente breviarium in mare tempore navigationis.

168. Sed notandum est, quod licet clericus projiciens breviarium in mare, violet legem recitandi non solum in ipsa projectione, sed etiam in omissionibus tota navigatione secutis; attamen si vere, & ex corde pœniteat, jam non peccat in ulterioribus omissionibus, quia licet influat phisice in illas, non vero moraliter: quia recitatio non est illi moraliter possibilis, cum non habeat aliud breviarum, ut supponitur. Et idem philosophandum est circa alia similia, ut circa infirmitatem voluntarie assumptam, & laborem non necessarium causa effugiendi prœceptum.

CAPUT IV.

De subjecto, & materia legis humanæ.

HAbita notitia de natura legis, de potestate illam ferendi, & obligatione, quam inducit, sequitur nunc agendum de subjecto, & materia in quibus suam vim exerceat.

PUNCTUM I.

De subjecto legis humanæ.

169. Inq. 1. An Princeps teneatur suis legibus? Tria supponimus 1. quod in lege datur vis *directiva*, quæ respicit culpam, & *coactiva*, quæ applicat pœnam. 2. Quod materia legis quandoque est communis tam subditis quam Principi; quandoque solis subditis conveniens. 3. Quod Legislator aliquando est Princeps supremus habens regimen monarchicum, & de isto est difficultas; nam cæteri requirentes assensum Procerum, vel Communitatis ad condendam legem, abs dubio tenentur, sicut alii subditi, suis legibus obedire; etiam quoad vim coactivam; quia est pars, licet spectabilior, Communitatis: quibus suppositis.

170. Resp. Principem supremum teneri quoad vim directivam, non coactivam, legibus a se latis, quarum materia etiam ipsi congruit. Prob. 1. ex D. Ambrosio *lib.* 5. *epist.* 3. ad Valentin. Imper. dicens: *Quodcumque præcepisti aliis, præcepisti etiam tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Prob. 2. ex D. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad* 3. ubi post quam retulit textus juris canonici, & ex Evangelio, concludit: *Unde quantum ad Dei judicium, Princeps non est solutus a lege quantum ad vim directivam ejus.* Tenetur igitur legibus suis Princeps, quoad conscientiam: ita ut si illas violet sine dispensatione justa in materia gravi, peccet graviter.

171. Prob. ratione: quia Princeps subjicitur huic obligationi jure naturali; æquitas enim naturalis, & munus Principis postulat conformitatem inter caput, & membra ejusdem corporis, ne aliud doceat verbo, & aliud exemplo, ergo tenetur, sicut subditi, quoad vim directivam ad leges a se latas. Non vero subjicitur illis quoad vim coactivam, quia nemo potest cogere se ipsum, ut ait D. Th. loco citato: omnes vasalli a fortiori tenentur legibus sui Principis quoad utramque vim directivam, & coactivam.

172.

172. Inq. 2. Qui teneantur legibus summi Pontificis in materia spirituali? R. omnes Christi fideles pro toto orbe terrarum. Unde hæretici obligantur legibus ecclesiasticis, & peccant transgressores earum, quia hæretici velint, nolint, sunt subditi Pontificis: per baptismum enim ingressi sunt ecclesiam, ejusque membra effecti, subindeque legibus ecclesiasticis astringuntur. Ex quo plane infertur, matrimonia contracta ab hæreticis cum impedimento dirimente, etiam jure ecclesiastico, esse nulla, & invalida. Unde si ad veram fidem convertantur, illorum matrimonia sunt renovanda, impetrata prius legitima dispensatione. Nec valet dicere, quod hæretici resistunt ecclesiæ, Pontifici, ac ejus legibus, quia non resistunt *jure*, sed tantum *facto*: quo efficiunt graviora sua peccata. Ut dicitur *cap. ult. de consuetud.*

173. Ex opposita ratione Judæi, Saraceni, Pagani, & Cathecumeni non obligantur legibus ecclesiasticis, ut patet ex *cap. Gaudemus, de divort.* ubi allegatur illud Apostoli. 1. *ad Corinth.* 5. 12. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt judicare?* Si vero Judæi, aliive infideles subsint potestati temporali Ecclesiæ, ut accidit Romæ; tunc obligantur servare leges, ipsis impositas; non minus, ac tenentur obedire legibus alterius Principis secularis, in cujus territorio morantur.

Punctum II.

An religiosi exempti teneantur legibus, aut statutis synodalibus.

174. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit exemptio? R. est *eductio*, seu *liberatio alicujus de potestate alterius.* Est duplex, nempe *personalis*, & *localis.* Illa afficit personam ubique; ista vero locum. Regulares autem exemptos utraque gaudere exemptione est commune inter Authores. Nisi aliquis eorum fungatur officio Parochi; nam eo ipso subjicitur, sicut cæteri Parochi, statutis synodalibus, & legibus Ordinarii circa munia Parochialia: tenetur etiam assistere Synodo Diœcesanæ, ad quam exempti (Capitulo Generali subjecti) concurrere non tenentur, ut constat ex Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. *de reformat.*

175. Inq. 2. An regulares exempti debeant observare leges, & statuta synodalia, aut provincialia? R. 1. debent ea observare in omnibus casibus, qui sunt expressi in jure: sic in Concilio Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 12. decernitur: Ut censuræ, & interdicta ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, & observentur. Item, ut dies festi, quos in Diœcesi sua Episcopus servandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur. Idem est de aliis casibus expressis in jure, in quibus regulares ad eorum observantiam tenentur, & accurate observant, venerando Episcopos tanquam Principes, Patres, & Doctores Ecclesiæ: sunt etenim.

176. R. 2. Religiosos exemptos non teneri legibus, & statutis synodalibus, aut provincialibus præter casus in jure expressos. Prob. ex *cap.* 1. *de Privilegiis in* 6. Ubi dicitur, regulares non teneri parere Episcopis, *salvis casibus aliis, in quibus jurisdictioni Episcoporum subesse canonica præcipiant instituta.* Ergo ad alia statuta non tenentur.

177. Prob. ratione: quia regulares exempti sunt a jurisdictione Ordinarii, & solum summo Pontifici, & propriis Prælatis immediate subjecti, ergo ligari nequeunt legibus synodalibus, aut provincialibus: cum nullum agens possit agere extra suam spheram. *Confirm.* 1. Quia omnes clerici vocati ad Synodum, ubi de toto Clero agitur, tenentur adesse, ea ratione in jure assignata, quia cum teneantur legibus in ea sancitis, debent ipsarum notitiam capere, & ad alios derivare, ergo regulares exempti cum non teneantur adesse, signum est, non ligari statutis ibi sancitis. *Confirm.* 2. Quia Concilium Tridentinum dicens regulares exemptos teneri ad observandum censuras, & festa synodalia; eo ipso judicat eos liberos a cæteris statutis episcopalibus in jure non expressis; si enim judicaret illos ad omnia teneri, superfluum foret præcipere eis observantiam duorum, ergo non tenentur ad alia in jure non expressa; sicut a simili, quia

idem Concilium *sess. 23. cap. 15. de reform.* decrevit, quod regulares teneantur se præsentare Episcopo pro audiendis confessionibus sæcularium, eo ipso non tenentur præsentare se pro audiendis confessionibus regularium ex vi Concilii.

178. Objicies: Regulares exempti sunt partes, & membra communitatis Dioecesanæ, ergo saltem ex hoc principio naturali tenentur quoad vim directivam observare sicut aliæ compartes leges, & statuta synodalia: hoc enim postulat uniformitas partium, Resp. Quod non omnia membra habent eundem actum, neque partes etherogenæ petunt uniformitatem: imo non possunt illam habere: alias essent homogeneæ, hoc est, ejusdem rationis, aut muneris. Civitas autem, seu Diœcesis est corpus etherogeneum constans partibus diversæ rationis, & officii, ut sunt regulares, & seculares nobiles, & plebei. Et licet regulares, præsertim reformati, abstineant perpetuo a carnibus, & sæculares illis laute vescantur, nihil deforme notatur in corpore. Idem cernitur in nobili, qui liber est a lege tributorum, quibus plebei gravantur: non alia ratione, nisi quia nobiles sint exempti; igitur cum regulares sint exempti a legibus synodalibus, neque quoad vim directivam illis astringuntur.

179. Maxime cum regulares teneantur ex vi sui status ad proprias leges, & alia onera graviora, ut ad jejunia, & alias observantias, propter quas merito concessa est eis exemptio a statutis synodalibus, ut obediant mandatis summi Pontificis, & suorum Prælatorum, conformantes se, non in his, quæ sunt peculiaris Dioecesis, aut civitatis, sed in eis, quæ omnibus fidelibus sunt communia, ut membra nobiliora Ecclesiæ. Neque utuntur sua exemptione cum scandalo, aut offensione aliorum: tum, quia nobilis absque ullo scandalo utitur sua libertate a fœdis, & lege tributorum, idem est de privilegiato: tum quia regulares optime norunt monitum Apostoli ad Titum: *in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Sed aliud est non teneri ex vi strictæ obligationis, & aliud ratione decentiæ, aut consuetudinis, si alicubi vigeat. Vid. Bened. XIV. *de Synod. Diœces. lib. 13. c. 4. n. 6.*

Punctum III.

An clerici teneantur observare leges civiles?

180. Supponimus 1. Clericos jure divino esse exemptos a potestate seculari quoad ea, quæ spiritualia, & mere ecclesiastica sunt: quia a Christo Domino est in Ecclesia potestas independens a seculari ad omnes causas, quæ ad regimen ecclesiasticum pertinent. Supponimus 2. Ecclesiasticos gaudere privilegio fori, quod in quatuor consistit 1. quoad loca: quod videlicet Ecclesiæ gaudent immunitate a secularis justitiæ perturbatione. 2. quoad personas, quæ etsi delinquant contra leges civiles, puniantur tantum a judice ecclesiastico, non vero a sæculari. 3. quoad bona temporalia, sive ecclesiastica, sive patrimonialia, quæ libera sunt a tributis, & oneribus civilibus. 4. quoad causas, & controversias, ut non trahantur ad tribunal sæculare.

181. Hæc amplissima privilegia, & immunitates, licet a pluribus judicentur convenire ecclesiasticis immediate a Deo: verius tamen sentiunt alii, clericos illis gaudere pia liberalitate Principum Christianorum, fundata in æquitate naturali: ita D. Thom. *ad Rom. 13. lect. 1.* ad illud: *Ideo tributa præstatis*: inquit, *ab hoc tamen debito liberi sunt clerici ex privilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet.* Quibus verbis docet immunitatem clericorum non esse immediate de jure divino, sed ex Principum privilegio; quod valde consonum est rationi, & æquitati naturali. Tum propter dignitatem status ecclesiastici: tum quia clerici sunt Doctores, & Pastores sæcularium.

182. Supponitur 3. Nomine clerici comprehendi in præsenti omnes religiosos: quia omnes æquo gradu potiuntur iisdem privilegiis, unde sentire debent idem commodum, vel incommodum.

183. Dicendum est 1. Clericos teneri quoad vim directivam ad observandas leges civiles, quæ non disonant statui clericali, aut immunitati ecclesiasticæ. Hæc re-

resolutio est communior inter Doctores, sed variant in assignando originem hujus obligationis; & ratio illius congruentior est hujusmodi: Nam leges civiles, quæ non dedecent statuti clericali, nec lædunt immunitatem ecclesiasticam, approbantur per Canones, & recipiuntur ab ipsa Ecclesia, ergo obligant clericos quoad vim directivam. Antecedens patet ex *cap.* 1. *de novi oper. nuntiat.* ubi dicitur: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Illis videlicet, quæ communem concernunt reipublicæ utilitatem, neque sacris Canonibus, aut immunitati ecclesiasticæ repugnant.

184. Prob. etiam *ex cap. Innotuit, de Arbitr.* Ubi non solum causa canonica secundum leges deciditur; sed etiam prior sententia ab ecclesiasticis judicibus, non secundum leges lata, nulla denunciatur: quod aperte supponit leges in eo casu obligare. Idem probant etiam decreta sacrorum Canonum, ut in *cap. De capitulis. dist.* 10. *& in cap. Quoniam*: Ergo clerici tenentur ad servandas leges civiles quoad vim directivam, quoties non repugnant immunitati ecclesiasticæ, ex eo, quod per sacros canones approbantur, & quasi canonizantur quoad hunc effectum. Sed hoc intelligendum est de legibus in communi loquentibus: abstrahendo a clericis, & laicis, nam si determinate disponant circa res, aut personas ecclesiasticas, tunc approbatæ non sunt ab Ecclesia, & sic non obligant. Nec similiter leges municipales, seu statuta oppidorum particularium, nisi adsit consuetudo in contrarium, quia non sunt leges communes, nec approbatæ a Pontifice.

185. Ex dictis sequitur, quod, si clericus agat contra leges civiles, peccat graviter, & tenetur restituere, si quid contra illas accepit, ut si vendit triticum, oleum, aut vinum ultra prætium a lege taxatum. Tenetur etiam observare leges circa ædificia hoc, vel illo modo construenda, quod testamenta tali forma conficiantur, quod hæredes sic, vel sic constituantur, quod arma vetita non portentur, & alia hujusmodi, quæ dignitati ecclesiasticæ, aut immunitati non contradicunt, sed potius congruunt, cum sint rationi naturali conformes. Nam clericus non desinit esse civis, & vasallus Regis, ex eo quod sit clericus; imo clerici sæculares, & regulares debent esse, ut generaliter sunt, vasalli fideliores suo Principi.

186. Dicendum est 2. Clericos non teneri ad observandas leges civiles quoad vim coactivam, hoc est, non teneri ad pœnam in eis taxatam, quia quoad hanc partem non sunt approbatæ a sacris Canonibus, imo sunt reprobatæ: ac proinde, si clerici transgressores fuerint legum civilium, poterunt puniri a judice ecclesiastico, minime vero a sæculari; iste enim non habet potestatem jurisdictionis coactivam in clericos.

Punctum IV.

Quomodo pueri, & amentes teneatur legibus humanis?

187. Inq. 1. Quibus legibus teneantur pueri, & amentes? R. Nullum excusari, ut non comprehensum in lege naturali, & divina. Nam istæ obligant ex natura sua omnes absque ulla limitatione, excusantur tamen a culpa, qui ob defectum usus rationis, amentiam, oblivionem, aut ignorantiam invincibilem non habent sufficientem advertentiam, & libertatem circa talia præcepta. Ex quo fit, peccare graviter consulentem, aut ministrantem ipsis in actionibus prohibitis, quamvis illi a culpa excusentur illas efficiendo: unde eos movere, aut concitare ad blasphemandum, perjurandum, alios lædendum, aliamve actionem turpem, aut malam objective, erit peccatum mortale.

188. Econtra, si a lege non comprehendantur, non erit illicitum eos provocare ad actiones alias transgressivas legis. Unde non peccas in die jejunii pueris cœnam ministrando, aut ipsis ante usum rationis carnes: quia non concurris ad opus, quod eis sit prohibitum, & sicut ipsi non peccant, nec materialiter, nec aliquid, quod sit objective malum, efficiunt, ita nec tu illud volendo, vel in tali actione ministrando.

189. Itaque pueri post usum rationis te-

tenentur observare leges ecclesiasticas, & peccant graviter illas transgrediendo, sicut puberes. Unde parentes si non moneant de tali obligatione, aut si carnibus vesci, vel Missam non audire permittant, rei sunt ejusdem peccati: quia puer post usum rationis capax est obligationis humanæ, sicut est capax obligationis divinæ naturalis, ergo quando lex absque exceptione, aut designatione temporis profertur, censetur velle eos comprehendere. Et sic de præcepto confessionis annuæ adest expressum in *cap. Omnes utriusque sexus*. Ubi præcipitur omnibus fidelibus, cum ad annos discretionis perveniunt, confiteri. Circa præceptum vero communionis relinquitur tempus assignandum prudentiæ Parochi. Usus autem rationis regulariter, expleto septimo anno, advenire judicatur. Sed in dubio an venerit, judicandum est, advenisse, illo impleto, & non advenisse, si ad septenium puer non pervenerit.

190. Diximus, pueros teneri legibus ecclesiasticis post usum rationis, quod intelligi debet quoad vim directivam, seu per obligationem ad culpam gravem; nam quoad vim coactivam, seu ad pœnam in lege taxatam non vult Ecclesia eos cogere; unde si præceptum ponitur sub pœna excommunicationis, aut alterius censuræ, pueri ante pubertatem violantes illud, non incurrunt censuram, & merito, quia pueri potius verberibus, quam censuris puniendi sunt. Excipe censuram latam ob percussionem clerici, quam incurrit quilibet habens usum rationis, quamvis semper ab Episcopo absolvi possit, ac illam, quæ adest contra ingredientes clausuram monialium.

191. Inq. 2. An amentes legibus teneantur? R. sub distinctione: Nam illi, qui in quadam sola materia tales sunt, legibus astringuntur in cæteris, in quibus sui compotes existunt; & idem est de patientibus lucida intervalla; qui non excusantur a legum observatione tempore serenitatis, licet quoad pœnas eis applicandas majori semper commiseratione digni sunt, ob læsionem organi, & debilitatem phantasiæ, & rationis.

192. Sed perpetuo amentes perpetuo sunt excusati, sive comprehendantur sub lege, ut aliqui volunt, sive non, ut alii sentiunt, quod parum refert ad intentum. Omnes enim convenire debent in eo, quod non teneantur observare leges humanas, nec sit illicitum ministrare illis carnes, & lacticinia in diebus abstinentiæ, aut cœnam in die jejunii: sunt enim perpetuo infirmi. Omnes etiam consentiunt, quod non liceat illos post septennium, sicut nec infideles adultos ad monasteria monialium introducere. Et quamvis doceant communiter Doctores, & cum illis Concina in præsenti, ante id tempus non esse hoc illicitum; nos vero illicitum dicimus; quia nec Bulla prohibens distinguit tempora, nec ex tali ingressu quidquam utilitatis, sed aliquid mali, vel periculi religioni, aut particularibus evenire possit. *Vid. Lambert. Inst.* 29. *n.* 24.

Punctum V.

De legibus, quibus astringuntur vagi, peregrini, & advenæ.

193. Inq. 1. Qui dicantur vagi, peregrini, & advenæ? R. Vagi sunt, qui nullibi domicilium habent: peregrini, qui discedunt a proprio loco animo redeundi ad suum domicilium: advenæ, qui uno loco habent domicilium, & in alio ad tempus habitant, ut scholastici in Universitate.

194. Inq. 2. An vagi teneantur legibus locorum, per quæ transeunt? R. affirm. Quia, cum non habeant domicilium fixum, ibi sortiuntur forum, ubi reperiuntur; alias exleges, vel sine lege essent. Idem est de peregrinis, & advenis, cum accedunt ad aliquem locum animo ibi permanendi perpetuo. Statim enim tenentur legibus talis loci; quia jam non peregrini, & advenæ, sed incolæ sunt illius loci.

195. Similiter, qui animo ibi manendi majori parte anni ad aliquem locum accedunt, ut scholastici ad studia, vel mercatores ad sua negotia, tenentur legibus, & consuetudinibus illius loci, quia acquirunt quasi domicilium, sortiunturque forum, & Parochiam ejusdem loci.

196. Inq. 3. An quando leges eędem sunt in proprio loco, ac in alio, quo accedunt, peregrini, & advenæ eisdem astringantur. R. affirm. Quia nulla adest ra-

ratio illos excusandi , cum in suo loco eadem datur lex , quæ velut in alio continuatur.

Nemo ambigit advenas, & peregrinos teneri legibus locorum circa omnes contractus , eorumque conditiones , & solemnitates , & etiam ad leges latas in commodum illius loci , ut si disponant , ne merces , triticum , aut arma ex loco extrahantur , sive ne peregrini ultra tot dies ibi commorentur , aliter non posset populus se defendere, aut gubernare. Idem de solutione tributi , aut gabellæ , si quæ imposita sunt pro transeuntibus , aut vendentibus, vel ementibus.

197. Inq. 4. An advenæ , & peregrini , qui transeunt , vel perveniunt ad locum , ubi per unum , aut duos dies morantur , teneantur legibus illius loci? R. affirm. Prob. authoritate D. Ambrosii apud. S. Augustinum *epist.* 118. quæ refertur in *cap. Illa. dist.* 20. *Cum Romam venio, sabbathum jejuno, cum Mediolani sum, non jejuno : sic , & tu ad quamcumque Ecclesiam veneris , ejus morem serva , si cuiquam non vis esse scandalo , neque quemquam tibi.* Unde dicit Glossa *citato cap.* ortum duxisse illum versiculum : *Dum fueris Romæ , Romano vivito more. Cum fueris alibi , vivito sicut ibi.*

198. Deinde prob. ratione : Quia leges immediate afficiunt locum , seu territorium , & ratione illius personas ibi existentes , ad instar interdicti localis : ergo hoc ipso peregrinus , & advena tenentur legibus illius loci , per quem transeunt. Unde transgressor talium legum potest puniri a Legislatore , vel judice ejusdem loci.

199. Objic. 1. *in cap. A nobis , de sent. excom. decernitur* : Non subjici censuræ advenas , & peregrinos , quia non obligat nisi subditos , ergo. R. in dicto cap. sermonem esse de sententia , aut præcepto , quod solum ligat subditos , non vero de lege , quæ ad omnes , qui in loco sunt , extenditur : nam , ut diximus , afficit immediate locum. Præceptum autem solum respicit personas.

200. Objic. 2. Sacerdotes græci transeuntes per Ecclesiam latinam possunt celebrare modo proprio suæ patriæ , ergo non tenentur ad leges proprias alterius Ecclesiæ. R. Concilium Florentinum ad pacem utriusque Ecclesiæ melius fovendam indulsisse , imo , & jussisse Latinis, & Græcis celebrare ubique juxta morem suæ Ecclesiæ , sed hoc non probat intentum argumenti.

201. Objic. 3. Episcopus non potest ordinare , aut confirmare dictos peregrinos , transeuntes per suam Diœcesim , nec illorum vota , aut juramenta dispensare, ergo neque illos ligare legibus suis municipalibus : quia si non habet jurisdictionem ad illa munera , neque ad inducendam obligationem per suas leges , ergo quoad leges synodales tales peregrini erunt immunes. R. Peregrinos , & advenas , si per unum diem in aliquo loco commorentur , teneri legibus , præceptis, & consuetudinibus talis loci , non solum civilibus , sed etiam episcopalibus : & ratio est , quam supra dedimus , quia leges immediate afficiunt locum , & consequenter personas morantes in tali loco; at vero , ut Episcopus possit obire illa munera in argumento nominata , insuper requiritur domicilium , aut quasi domicilium , & neutrum habent peregrini , solum per unum , aut duos dies in loco commorantes.

202. Ex dictis infertur , quod advenæ , & peregrini , dum transeunt per locum , ubi dies festus est , ad alium , ubi non est dies festus , expectare ad sacrum audiendum non tenentur , licet ibi se detineant , ut equo pabulum , aut sibi cibum sumant , præciso scandalo. Tenentur vero audire sacrum , si in eodem pernoctarunt , & commode possunt , aut si festum sit in toto territorio , quod percurrere usque ad meridiem debent. Præcepta vero negativa , ut abstinendi a carnibus , semper impleri debent , quia hæc nullam exposcunt moram.

203. Inq. 5. An peregrini , & advenæ teneantur servare leges suæ patriæ, a qua absunt ? R. negat. Est expressum *cap. Ut animarum , de constit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. hæc decernit : *Statuto Episcopi , quo in omnes , qui furtum commisserunt , excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra Diœcesim committentes, minime obligari noscuntur , cum extra territorium jus dicenti, non pareatur impune.* Et ratio est, quia leges , ut diximus supra , afficiunt locum,

cum, & ratione illius personas, ergo dum peregrini sunt extra suam patriam, non subjiciuntur legibus illius. Excipiuntur duo casus, in quibus tenentur legibus suæ patriæ. Primus est, si ibi delinquant per se, vel per mandatum, vel si aliquid facere intra territorium teneantur, & non fiat: qua ratione clerici tenentur obedire Episcopis præcipientibus existentiam in propriis Ecclesiis, etiamsi extra Diœcesim degant: & excommunicationi subjacebunt, si ab illo imposita sit, quia delictum, nempe non assistentia, intra Dioecesim consumatur. Secundus est, ratione rei sitæ intra territorium, ut si in patria sit lex, ne vendatur domus, aut ager, nisi sub tali forma, aut solemnitate, ad talem legem obligaris, licet extra patriam existas, quia ratione rei sitæ sortiris forum illius loci.

204. Inq. 6. An si quis discedat a proprio loco, in quo est dies festus, ad alium, in quo dies festus non est, teneatur prius audire sacrum, si commode potest? R. affirm. Quod etiam intelligitur de peregrino pernoctante in tali loco, licet iste non teneatur expectare Missam per notabile tempus: non enim lex municipalis obligat immorari, ibi transeuntes; sed quod, si ibi morentur, adimpleant legem. Unde minor causa sufficit in peregrino, vel transeunte, quam in cive, vel incola, ut discedat ante auditionem sacri.

205. Si quis exeat a loco proprio, ubi viget præceptum jejunii, ad alium, ubi non viget, debet in primis abstinere a carnibus, quod est apud omnes certum: deinde dicimus, ut probabilius, non posse sumere jentaculum, nisi labor, aut alia justa causa illum excuset; quia antequam exeat, ligatur præcepto jejunii. At si in loco, ubi non obligat jejunium, maneat quis usque ad quartam, vel quintam horam vespertinam, poterit ibi vesci carnibus; sed cum venerit ad locum, ubi observatur jejunium, non valet coenare, nec carnibus vesci. Econtra, si in loco, ubi non viget jejunium, fuisti primo mane, & reliquum tempus ubi obligat, debes jejunare toto die, nisi rationabilis causa te excuset.

206. Inq. 7. An sit licitum discedere a proprio loco, ubi obligat præceptum jejunii, auditionis sacri, vel alterius similis animo deliberato effugiendi obligationem harum legum? R. negat. Quia nemini sua fraus patrocinari debet, qua ratione Urbanus VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem in suo Brevi declarat: nullum esse matrimonium illorum, qui, animo contrahendi matrimonium clandestine absque domicilii mutatione, eo se transferunt, ubi Synodus Tridentina non viget; eo quod fraus, & dolus nemini favere debeant. Similiter Clemens X. in sua Bulla *Superna.* 21. *Junii ann.* 1670. prohibet, ne regulares absolvant advenas, & peregrinos a peccatis reservatis in sua Diœcesi, e qua discedunt, animo obtinendi absolutionem in alia Dioecesi, ubi non sunt reservata.

Punctum VI.

De materia legis humanæ.

207. Inq. 1. Quæ sit materia legis humanæ? R. Sunt actus humani, qui præcipi, aut vetari possunt, secundum quod expedit bono communi. Valet autem lex humana præcipere, aut vetare etiam ea, quæ lex naturalis, aut divina non præcipit, nec prohibet, ut patet in conditionibus matrimonii, & aliorum contractuum. Non tamen potest præcipere actus heroicos, nisi raro, vel ex aliqua suppositione, ut castitatem perpetuam eis, qui volunt in sacris ordinari. D. Th. 1. 2. *q.* 96. *a.* 2.

208. Inq. 2. An lex humana possit præcipere omnes actus virtutum, aut prohibere omnia vitia collective? R. neg. Quia lex humana non debet esse nimis onerosa, nimis autem onerosum est omnia vitia collective vitare, aut omnes virtutes exercere. *Dices.* Lex naturalis, & divina omnia vitia collective prohibet, omnesque virtutes præcipit, ergo idem poterit efficere lex humana. R. neg. conseq. Quia Legislator divinus simul cum legibus præstat vires, & auxilia ad eas servandas, quod non valet facere Legislator humanus. D. Thom. *ibi. a.* 3.

209. Inq. 3. An actus indifferentes præcipi, aut vetari possint? R. *Secundum se* nulli legi subjiciuntur, quia prout sic, nec sunt humani: sed *in individuo*, aut *deliberati* possunt præcipi,

aut

aut vetari, quia sic jam sunt humani. Unde licet exire in campum, vel deambulare sint actus secundum se indifferentes; prohibitio illorum potest conducere ad finem Legislatoris, & tunc gravitas transgressionis ex fine intento a Legislatore venanda est.

210. In his, quæ dicta sunt, conveniunt lex canonica, & civilis; differunt vero ex parte materiæ. 1. quia materia legis canonicæ est spiritualis concernens modum eficiendi reverenter sacramenta, regimen Ecclesiæ, & bonum spirituale animarum. Materia autem legis civilis est temporalis, ut ex se patet. Ex quo differunt 2. quia materia canonicæ est præstantior, quam civilis; spiritus enim præstantior est corpore. 3. in eo, quod transgressiones legis civilis considerantur, & puniuntur, ut delicta contra humanam justitiam: transgressiones vero legis canonicæ, ut peccata præcipue contra Deum, ejusque cultum, & religionem.

PUNCTUM VII.

An actus interni sint materia legis humanæ?

211. Quæstio hæc præcipue militat circa potestatem canonicam, seu ecclesiasticam, ut quæ ad altiorem finem proxime ordinatur, ideo de ista potius, quam de civili sermo erit in præsenti, licet quod de una dictum fuerit, alteri applicari poterit.

212. Inq. 1. An Legislator humanus possit præcipere, aut prohibere directe actus mere internos? R. neg. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. *& alibi.* Prob. ratione D. Thomæ: De his tantum potest lex ferri, de quibus Legislator potest judicare; sed de actibus pure internis nequit Legislator humanus judicare, cum sint per se occulti, omnino insensibiles, & nullo modo probabiles, ergo nequeunt præcipi lege humana, nec prohiberi. Unde *in cap. Tua nos.* De simonia, dicitur: *Nobis solum datum est de manifestis judicare.*

213. Confirmatur: Quia, ut docet D. Thomas loco proxime citato, mensura debet esse conformis mensurato; sed lex est mensura actuum, quos præcipit, ergo sicut ipsa est sensibilis, & externa, ita etiam actus imperati per ipsam debent esse externi, & sensibiles.

214. Objic. 1. Superior ecclesiasticus recipit potestatem judicativam a Christo Domino, qui non solum in actus externos, sed etiam in internos habet jurisdictionem, quam tradidit Ecclesiæ per illa verba *Matth.* 16. *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis*: quæ universalia sunt, ergo poterit legem ferre, & judicare actus mere internos.

215. R. Probare argumentum potuisse Christum Dominum talem potestatem suis ministris tribuere; cæterum non probat, ita de facto tribuisse: solum enim constat, Ecclesiam uti tali potestate in ordine ad gubernationem externam, quod signum est neutiquam esse necessariam ad regimen Ecclesiæ: nam licet ejus potestas spiritualis sit, residet tamen in hominibus, qui sensibiles sunt, & sensibili modo operantur. Quapropter licet Christus Dominus potuerit instituere sacramenta in rebus spiritualibus, congruentissime tamen ea instituit in rebus sensibilibus, quia Ecclesia sensibilis est, & sensibiliter gubernatur.

216. Objicies 2. *in Clement. de hæreticis §. verum.* Excommunicantur Inquisitores, qui odio, vel amore aliquid faciunt, vel facere omittunt. Et Canon.: *Si quis, distinct.* 30. *ex Concil. Granatensi cap.* 8. Anathematizatur, qui jejunat in die Dominica in contemptum hujus diei; sed amor, odium, & contemptus sunt actus mere interni, ergo potest Ecclesia præcipere actus mere internos.

217. R. In exemplis appositis, & aliis similibus, quæ opponi videntur, non incurri censuram, nisi actus internus aliquo signo exteriori manifestetur, & fiat sensibilis per actum externum. Et addimus, quod dicti actus exteriores, & alii similes possent optime prohiberi, ex quocumque animo fierent, & eo ipso indirecte prohibetur actus interior amoris & odii: unde prohibere actus exteriores *ex hoc animo procedentes*, potius est restrictio, quam extensio potestatis: ut cernitur, quando in lege apponitur: *Si quis suadente Diabolo, si quis scienter, si*

quis temerarie, vel ex contemptu, hoc aut illud operetur, sit excommunicatus.

218. Objicies 3. Ex P. Concina *tom. 6. pag. 234. n. 16.* Ubi deserens communiorem sententiam Thomistarum, & asserens, quod Legislator ecclesiasticus potest lege directiva præcipere actus mere internos in casibus, in quibus expediens judicaverit id opportunum esse ad salutem æternam, dicit: *Confirmat hæc omnia Ecclesiæ mos, seu praxis, qua non raro interiores actiones modo præscripsit, modo vetavit. Innocentius XI. hanc propositionem, quæ in ordine 10. est, proscripsit: Non tenemur proximum actu interno diligere,*

219. R. verbis ipsius P. Concinæ eodem loco *num. 20.* qui primo dicit: *Dissidium potius de voce, quam de re est.* Deinde concludit: *Verum si res penitius inspiciatur, vix quidquam Ecclesia præcipit, quod non sit cum exteriori regimine aliquo modo conjunctum.* Sane debuit Concina rem penitius inspicere, prius quam suam sententiam aperiret, illamque cum more, & praxi Ecclesiæ confirmaret. Si vix quidquam Ecclesia præcipit, quod non sit conjunctum aliquo modo cum exteriori regimine; ubinam Ecclesiæ mos, & praxis in oppositum? Si autem dissidium potius est de voce, vox D. Thomæ, ejusque Scholæ præ alia extranea auscultari meretur.

220. Igitur respondemus, morem, & praxim Ecclesiæ semper fuisse in suo regimine gubernare modo humano, & sensibili in foro externo, nec unquam, quod sciamus, actum mere internum præcepit, vel prohibuit. Nam si aliquem prohibere opportunum esset, ut cogitat P. Concina, maxime hæresis interna, vel simonia mentalis, quas hucusque Ecclesia non proscripsit speciali præcepto: licet eas maxime perhorrescat. Justissime autem proscripsit decimam propositionem continentem doctrinam falsam circa actum internum dilectionis proximi, *declarando* omnes teneri præcepto divino diligere proximum, non solum per actum externum, sed etiam internum. Idem potest dici de actibus fidei, & aliis similibus; sed aliud est *declarare*, aliud *præcipere.*

221. Inq. 2. An Legislator humanus possit præcipere per se actus internos connexos cum externis tamquam forma, causa, pars, vel effectus eorum? R. affirm. Quia Legislator præcipit, aut prohibet per se actus humanos, erg. præcipit per se, quidquid requiritur ad hoc, quod actus sit humanus; sed ad hoc, quod actus sit humanus, requiritur actus internus, ergo æque præcipitur, dum præcipitur actus humanus. Unde cum Ecclesia præcipit recitare officium divinum, non præcipit tantum sonitum vocis ad instar volucrum, sed vocem humanam, compositam ex pronuntiatione, & ex attentione, vel saltem intentione, ergo præcipiens per se hoc compositum humanum, æque præcipit partes ejus, nempe actum internum, & externum: idem est in auditione sacri, & aliis.

222. Similiter Legislator humanus potest præcipere per se actum internum, alias non connexum per se; sed per accidens cum actu exteriori, quando præcipitur, ut finis intentus ab ipso Legislatore: quia tunc est pars præcepta talis actus interior, & alias maxime expediens ad suum regimen, & bonum commune: Ut cum Superior præcipit jejunium, aut preces fundere ex fine placandi Deum, vel obtinendi pacem: tunc iste finis cadit sub præcepto, ergo etiam intentio ejus, qui est actus internus. Et universaliter ex quocumque motivo honesto præcipiatur, aut prohibeatur actus externus, indirecte præcipitur, vel prohibetur actus interior. Ut quando in *Clement. 1. de statu Monach.* excommunicantur Benedictini accedentes ad Curiam animo accusandi Prælatum. Ubi animus internus, accidentaliter conjunctus cum accessu externo ad Curiam, prohibetur, & punitur a lege ecclesiastica.

223. Inq. 3. An Legislator humanus possit prohibere actus exteriores occultos, qui probari non valeant? R. affirm. Quia tales actus licet per accidens sint occulti ob defectum testium; per se tamen, & ex natura sua manifesti sunt: ergo possunt præcipi, vel prohiberi. Qua ratione incurritur censura, & irregularitas pro hujusmodi actibus externis, quantumvis occultis.

224. Objic. Non potest Legislator prohibere, quæ non potest judicare, ergo.

R.

R. Distinguendo antec. non potest prohibere, quæ non potest judicare *per se*, concedo : quæ non potest judicare *per accidens*, nego. Itaque actus mere interni non possunt judicari per se a Legislatore humano, quia ex natura sua sunt occulti ; econtra vero actus externi per se possunt judicari, quia sunt sensibiles, licet per accidens deficiat probatio testium.

CAPUT V.

De cessatione, & interpretatione legis.

PUNCTUM I.

De legis cessatione.

Inq. 1. Quot modis possit cessare lex? R. Quatuor modis. 1. Per cessationem causæ finalis. 2. Per abrogationem. 3. In parte per interpretationem. 4. Denique per dispensationem. Sed quia dantur speciales difficultates circa dispensationem, eam remittimus ad caput sequens, & in hoc de reliquis agemus.

225. Inq. 2. Quotuplex sit finis legis? R. Est duplex, alius *intrinsecus*, alius *extrinsecus* : finis *intrinsecus* est honestas actus, dum versatur in materia virtutis: ut in jejunio honestas temperantiæ. Finis *extrinsecus* est, qui per materiam præceptam intenditur a Legislatore : ut si per jejunium intendat placare Deum. Finis extrinsecus est etiam duplex : alius *generalis*, ut facere bonos, quod est proprium omnis legis ; sed de isto non loquimur in præsenti, quia non cadit sub lege. Alius est finis extrinsecus *particularis*, qui per se intenditur, & exprimitur a Legislatore, ut in exemplo jejunii pro Deo placando. Hic finis cadit sub præcepto, & potest esse unus tantum, vel plures, si plura intendantur, & tunc finis adæquatus ex omnibus coalescit.

226. Inq. 3. Quot modis valet cessare finis legis? R. Dupliciter ; *negative*, nempe si observatio legis reddita est inutilis: vel *contrarie*, scilicet cum observatio legis esset nociva, & perniciosa. Potest etiam finis cessare *in communi*, hoc est pro omnibus ; vel in *particulari*, hoc est in tali casu, vel isto homine.

227. Certum est, quod lex cessat, elapso tempore, pro quo lata est, sive sit res præcepta materia virtutis, sive alias indifferens. Pariter quando dantur plures fines a Legislatore intenti, uno durante, non cessat lex, etiam si cæteri deficiant; non enim cessat adæquatus finis.

228 Inq. 4. An cessante fine legis adæquato in communi cesset ipsa lex? R. affirm. Quia lex respicit bonum commune, & ad totam communitatem ordinatur, ergo, si respectu communitatis deficit finis adæquatus, redditur inutilis lex, ac proinde sine vigore : unde si vovisti non ingredi talem domum, aut transire per talem locum, quia ibi est periculum lapsus, ob fœminam ibi commorantem, si ipsa alibi se collocet, cessat finis, & causa talis voti, & consequenter obligatio illius, erg. idem de lege philosophandum est. Ut si lex prohibeat contrahere, vel communicare cum civibus extraneis ob inimicitias, bella, aut pestem grassantem ; cessante bello, inimicitia, vel peste, cessat adæquatus finis illius, proindeque ipsa lex.

229. Inq. 5. An tunc lex cesset ipso facto, vel expectanda sit declaratio Legislatoris, vel contraria consuetudo? R. Legem cessare eo ipso, quod finis cesset absque declaratione Principis : Nec requiritur consuetudo contraria ; sed, quod publice certo constet de cessatione finis adæquati legis. Imo in exemplo voti supra posito, vel pœnitentiæ tibi impositæ, ne transeas per talem locum ob fœminam ibi degentem, si certo tibi soli constet eam mutasse alio habitationem, cessavit absolute votum, & prohibitio illuc transeundi.

230. Si autem dubium sit, an cessaverit finis adæquatus legis, observanda est, & nisi judicetur probabilius in communi cessasse, nemo potest contra legem agere ; si vero finis legis tantum pro aliquo tempore cessat, solum pro illo tempore obligatio illius suspenditur. Denique, quando materia legis divisibilis est, & secundum unam partem redditur inutilis, debet observari secundum aliam quæ utilis manet, licet nequeat separari.

231. Inq. 6. An cesset lex, quando solum in particulari finis ejus adæquatus negative, seu privative deficit? R. negat. ita D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. ubi inquit: *Id, quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id, quod communiter accidit, & non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere.* Prob. ratione, quia vere nunquam cessat, nec cessare potest finis adequatus legis in particulari, manente lege in communi, si quidem finis adæquatus legis prohibentis nocte *arma ferre*, non sunt rixæ, vel dissensiones de facto obventuræ, sed vitare periculum, quod frequenter adest in tali portatione; sed licet in hoc casu particulari non detur tale periculum, semper verificatur communiter adesse, ergo semper remanet finis legis in suo vigore. Ideoque obligat, etiam si in casu particulari periculum non immineat.

232. Objic. 1. finis legis est ratio, & anima ipsius, ergo cessante fine in aliquo eventu, lex moritur, & deficit. 2. cessante fine in communi, cessat lex pro tota communitate, ergo cessante in particulari, cessat pro hoc in dividuo in particulari.

233. R. Ad utramque objectionem: quod numquam potest cessare finis legis in particulari, manente in communi: quia lex non respicit casus particulares, sed bonum commune; quo remanente, semper remanet finis, & anima legis, & consequenter ejus obligatio. E contrario aperiretur latissima janua, ut unusquisque pro suo affectu judicaret finem legis, etiam divinæ naturalis, in hoc, aut in alio casu cessare, possetque ejus onus facile excutere.

Punctum II.

De abrogatione legis humanæ.

234. Inq. 1. Quid sit abrogatio? R. Est *abolitio obligationis legis*; & dividitur in *negativam*, & *positivam*: *negativa* est, qua lex antiqua aboletur, absque eo, quod nova sanciatur. Hæc potest esse *formalis*, & *virtualis*. *Formalis* est, quando lex nova expresse revocat præcedentem. *Virtualis*, quando per novam legem præcipitur aliquid incompossibile cum priori: idem intellige de revocatione.

235. Inq. 2. An Legislator possit valide abrogare suam legem? R. affirm. & licite quidem, dum ita expediens judicaverit bono communi. Quia tota vis obligandi, totumque robur, quod lex habet, pendet ex voluntate Legislatoris, ergo potest eam revocare, quando expediens judicaverit. Sed magna circunspectione procedendum est in abrogatione, revocatione, aut in mutatione legum, quia non est facienda novitas in legibus, ut inquit D. Thom. nisi propter maximam, & evidentem utilitatem, ex novo statuto provenientem.

236. Si abrogatio legis fiat per novam legem supervenientem, abs dubio requiritur eadem promulgatio, ac pro condenda lege: quia nova lex absque promulgatione non habet vim obligandi; si vero abrogatio sit pure negativa, licet expediens sit illam promulgare, tamen non requiritur præcise promulgatio: quia sic abrogare, non est condere legem, sed tollere.

237. Tunc lex generalis censenda est revocata, quando nova aliquid incompossibile jubet cum priori, licet in tali lege abrogante nulla mentio præcedentis fiat. Leges tamen particulares, seu municipales non revocantur per generalem, nisi in ista mentio specialis illarum fiat, quia generi per speciem derogatur; sed non econtra. Et hoc tenet, etiam si addatur, *Non obstante quacumque consuetudine, aut lege particulari.*

238. Inq. 3. An inferior possit abrogare legem superioris? R. negat. Quia abrogatio legis est actus jurisdictionis, quam inferior contra statuta superioris nequit exercere. Superior vero valet quamcumque legem inferioris revocare, seu abrogare, sicut Generalis præcepta Provincialis, & iste Prælati immediati mandata ex rationabili causa potest mitigare, suspendere, aut revocare: inferior potest suas leges abrogare, sicut Episcopus leges Diœcesanas, quamvis confirmatę sint, seu approbatæ a Pontifice confirmatione accidentali. Si vero approbatæ fuerint confirmatione substantiali, nullatenus poterit eas abrogare. Confirmatio *substantialis* tunc datur, quando inferi-

or petit a Superiore confirmationem suarum legum, ut eis adjiciat majorem firmitatem, & stabilitatem cum clausula prohibente earum mutationem, aut alterationem. *Accidentalis* est, quando inferior petit a Superiore confirmari suas leges ad majorem splendorem, & dignitatem absque clausula inhibente variationem.

Punctum III.

De interpretatione legis.

239. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit interpretatio? R. Est *declaratio verborum legis.* Dividitur in *authenticam*, *usualem*, & *doctrinalem. Authentica* est illa, quæ fit a Legislatore exercente munus Legislatoris. Nam talis interpretatio vere habet rationem legis, proindeque requirit promulgationem. Unde solum potest fieri ab habente jurisdictionem legislativam. *Usualis* est, quæ habetur ex communi usu, & consuetudine, & ideo usus, & praxis communis est melior interpretatio legum. *Doctrinalis* est, quæ habetur ex viris doctis, & peritis, quæ licet non habeat vim legis, si unanimiter conveniant, nequit sine imprudentia rejici, quinimo si faveat legi, consensus eorum nequit licite postponi; si vero faveat libertati, prudenter valet admitti: cum sensus communis Doctorum maximi teneri debeat; si autem dissideant, probabilior pars est eligenda.

240. Inq. 2. An lex divina, aut naturalis possit ab aliquo authentice interpretari? R. negat. quia conditor illius est Deus, cui omnes subduntur. Eadem ratione inferiores non possunt modo dicto interpretari leges Superioris. In rebus autem facillimis, & minoribus credendum est, eos tali potestate, a Superiore concessa, fungi: cum difficile sit passim recurrere ad Principem.

241. Quando Legislator prohibet interpretationem suæ legis, nemo potest illam interpretari, etiam doctrinaliter, quia talis prohibitio exposcit aliquem effectum, sed non est prohibere interpretationem authenticam, ergo doctrinalem. Ut patet in prohibitione Pii IV. in Bulla confirmatoria Concilii Tridentini, qua omnibus prohibetur, ne glossas, annotationes, scholia, ullamve interpretationem circa Concilii decreta edere audeant.

242. Interpretationis doctrinalis hæ sunt præcipuæ regulæ. *Prima*: attendenda est mens, & Legislatoris intentio, illa nimirum, quæ cadit sub lege. Unde si de mente Legislatoris constet, illi standum est, quamvis aliud significent verba legis. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 120. *a.* 1. *Secunda*, in dubio mentis Legislatoris verba legis accipienda sunt juxta eorum proprietatem, & usitatam intelligentiam: & hoc verum est, sive lex sit odiosa, sive favorabilis; quia nec una restringi, nec alia ampliari debet, plusquam patiuntur verba in propria significatione accepta.

243. *Tertia*: Quando verba legis sunt æquivoca, vel ambigua, materia legis ponderanda est: nam *Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissime accipietur, quæ rei gerendæ aptior est, l. 66. ff. de Reg. jur.* Etiam explicandus est sensus ex antecedentibus, & consequentibus verbis, & aliis legibus, in quibus verba consimilia reperiuntur. Præcipue hauriri potest sensus legitimus ex proemio, & principio legis, ibi enim apponi solet finis, & causa ob quam fertur. Item ex ratione, qua utitur Legislator, quia ratio in ipsa lege contenta, licet non sit lex, multum confert ad declarandum mentem ejus, rectamque interpretationem.

244. *Quarta*: Lex positiva non semper extendi debet ob paritatem rationis ad casus in ipsa non comprehensos: quia solum obligat ex voluntate illam ferentis, qui potuit velle unum præcipere, & non alterum; aliquando tamen identitas rationis illam ad alios casus extendit. Ut in correlativis, in quibus ob identitatem rationis, dispositum de uno, disponi censetur de alio; ideoque si eximitur vir ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, etiam uxor eximitur ab illa obligatione respectu viri adulteri. Si liberatur sponsa ab obligatione sponsalium ob absentiam sponsi sine licentia sponsæ, idem debet dici de sponso ob similem absentiam sponsæ: Et idem est de aliis correlativis. Similiter in æquipara-

tis, & connexis, & etiam in illis, quæ sub altero continentur. Unde cui conceditur esus carnium, etiam conceditur esus lacticiniorum. Cui prohibentur ova, & lacticinia, etiam carnes prohibentur.

245. *Quinta*: Omnis lex pœnalis stricte debet interpretari, nec fieri extensio ad casus in illa non expressos, quamvis forte graviores. Unde censura lata contra facientes, non comprehendit mandantes, & consulentes, nisi in ea exprimantur; econtra lex favorabilis late est interpretanda, ideoque potest extendi, & accipi etiam in sensu civili, quod non contingit in lege pœnali, in qua verba sumi debent in sensu tantum proprio, & naturali.

Punctum IV.

De epikeja.

246. Inq. 1. Quid sit *epikeja*? R. *Epikeja*, seu *epikia*, quæ est emendatio legis, aut exceptio casus particularis, appellatur etiam *æquitas*, quia per quamdam æquitatem in tali casu lex desinit obligare, potestque difiniri: *Justitia misericordiæ dulzore temperata.* Unde proprie non est justitia, sed virtus dirigens justitiam, & quasi *superior regula humanorum actuum*, ait D. Thom. *loc. cit. art. 2. ad 2.*

247. Inq. 2. An locum habeat epikeja in casu conscientiæ dubiæ? R. non licere uti epikeja ad deponendam conscientiam dubiam, nec quando dubitatur de lege, etiam si adsit opinio probabilis in conspectu probabilioris circa causam sufficientem ad eximendum a lege: probatur ex D. Thom. 1. 2. *q.* 69. *art.* 6. *ad* 2. ubi docet: *Si enim dubium sit, debet, vel secundum verba legis agere, vel Superiorem consulere.* Prob. ratione, quia non dubitatur de lege, sed de causa excusante, erg. possidet lex, erg. hæc debet observari.

248. Inq. 3. Quomodo, aut respectu quarum legum habeat locum epikeja? R. Virtutem epikejæ habere locum, non solum respectu legis humanæ, sed etiam aliquarum legum divinarum, & naturalium: quia epikeja locum habet in casu singulari, qui deficit a regula communi legis; sed a regula communi, nedum legis humanæ, sed naturalis, & divinæ possunt plures casus deficere, ergo tunc locum habet ipsa epikeja. Illustratur exemplis: de jure naturali est non occidere hominem, quem possum tamen occidere, si injuste me occidere tentaverit. Secretum servare, subvenire extreme indigenti sunt de jure naturali, & nihilominus non semper obligant. Item de lege divina positiva judicavit David per epikejam licere sibi comedere panes propositionis in casu necessitatis. Et Machabæi putaverunt posse præliari in die sabbathi ob periculum, quod ipsis imminebat.

249. Ut autem detur locus epikejæ, non sufficit, quod lex deficiat tantum *negative* in casu particulari; sed debet deficere *contrarie*; ita ut lex reddatur nociva, aut valde onerosa, sive bono communi, ut in exemplo adducto a D. Th. loco citato de præcepto posito in civitate obsessa, prohibente aperire portas illius: nam si plures cives ab hostibus invasi ad eam accederent, liceret portas aperire, ob bonum commune civitatis ex vita civium, qui eam defendere possent. Sive esset damnosa tantum bono particulari: ut in exemplo illius, qui apud me ensem deposuit, cui possum, & debeo negare depositum, si sciam ipsum illo abusurum ad me, vel alium innocentem occidendum: ut ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 120. *art.* 1.

250. Diximus etiam posse uti epikeja, & agere contra verba legis, dum fuerit valde onerosa: quia sicut jugum Christi suave est, & onus ejus leve, debet etiam suavis esse lex, quæ possit sine magna difficultate executioni mandari, erg. dum occurrit casus magno incommodo vestitus, prudenter creditur, nolle Legislatorem illum cum tanto rigore comprehendere: qua ratione leges humanæ regulariter non obligant cum periculo gravis damni in vita, honore, fortuna, aut re familiari.

CAPUT VI.

De dispensatione legis.

PLura circa dispensationem diversarum obligationum in suis particularibus materiis exponenda sunt, nunc autem solum de dispensatione legum in communi nobis est agendum. Aliqua tamen, quæ ad alios tractatus pertinent, per connexionem doctrinæ obiter saltem silentio præteriti nequeunt.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio dispensationis.

251. Inq. 1. Quid sit dispensatio? R. Dispensatio secundum proprietatem nominis est *justa rerum distributio*: Verumtamen, prout ad præsens attinet, est *juris alicujus relaxatio facta ab habente legitimam potestatem.* Differt 1. dispensatio ab interpretatione authentica, quia hæc est declaratio legis, illa vero exemptio a lege: differt etiam ab interpretatione doctrinali, quia hæc est actus meræ doctrinæ absque jurisdictione; dispensatio autem est actus jurisdictionis. 2. Differt ab irritatione, quia hæc est actus potestatis dominativæ, illa potestatis legislativæ. 3. Differt a permissione, nam hæc non tollit obligationem, sicut dispensatio. 4. Differt a commutatione, quia hæc subrogat unam obligationem pro alia; illa absolute ab ea liberat. 5. Differt ab absolutione, sicut inferius a Superiore: omnis enim dispensatio est absolutio, sed non econtra; nam absolutio a peccatis, & censuris non est proprie dispensatio.

252. Sexto. Differt a simplici licentia ad operandum, quia agere cum licentia non est contra legem, sed potius observare illam: unde qui eam concedit, non relaxat legem, ut in dispensatione accidit. 7. Differt a derogatione, & abrogatione: nam derogatio est cessatio partis legis, & abrogatio totius respectu omnium; dispensatio autem est exemptio a lege respectu aliquorum, ipsa manente quoad cæteros in suo robore. 8. Denique differt a privilegio, tum quia hoc non semper est contra jus, sed pluries præter jus, tum quia privilegium est ex se permanens; dispensatio vero est semper contra jus, & nullatenus ex natura sua permanens.

253. Inq. 2. Quotuplex sit dispensatio? R. Est multiplex. 1. Dividitur in *totalem*, quæ totam aufert legis obligationem; & in *partialem*, quæ solum tollit partem obligationis. 2. dividitur in *prohibitam*, *necessariam*, & *permissam*. *Prohibita* est, quæ illicite conceditur. *Necessaria* est, quando ex negatione magnum oriretur scandalum, vel cum utilitas, vel necessitas valde gravis occurrit. *Permissa* dicitur, cum adest causa sufficiens, sed non adeo urgens, ut absque incommodo prætermitti non valeat. 3. Dividitur in *tacitam*, & *expressam*: illa est, quæ signis aliquibus exhibetur: ista, quæ verbis, aut signis expressis conceditur. Nulla sunt verba in jure determinata pro dispensatione concedenda, nec requiritur, quod exhibeatur in scriptis, nisi in jure expresse caveatur oppositum.

254. Nota, quod cum dispensatio exorbitet a jure, sitque illius vulneratio, est odiosa; proindeque non extendenda, sed limitanda, & cum omni rigore verba illius debent accipi: nisi materia sit adeo pia, ut dispensatio reputetur favorabilis. Sed aliud est loqui de potestate dispensandi, aliud de ipsa dispensatione. Potestas enim etiam delegata, cum non sit contra jus, sed favor, & beneficium nulli nocivum, juxta communem sententiam late est interpretanda.

255. Dispensatio tacita, seu virtualis tunc censetur dari, quando Superior certus de impedimento præcipit actum, qui sine dispensatione exerceri non potest: ut si Pontifex sciens Petrum esse irregularem, confert ei beneficium; aut si Episcopus agnoscens te incurrisse irregularitatem, quam dispensare valet, ad ordines te promoveat, quia non est præsumendum, quod Superior velit se, & subditum agere contra legem.

256. Ratihabitio de futuro, seu præsumptio voluntatis non sufficit ad dispensationem tacitam, sed requiritur voluntas præcedens ad actum; quia ad eximendum a lege debet dari voluntas actualis, sicut ad ligandum per legem talis voluntas requiritur; atqui voluntas futu-

tura non est, sed erit, ergo non sufficit ad tacitam dispensationem. Planum quippe est, non sufficere, ut illegitimus ordinetur, sive ut quis cum consanguinea contrahat, præsumere Papam dispensaturum.

257. Objic. Ut subditus licite operetur, sufficit judicare, Prælatum ita pro tunc velle (quod dicitur operari cum licentia tacita) erg. idem videtur dicendum de dispensatione tacita. R. negando conseq. quia simplex licentia petita in lege non est vulneratio, sed impletio legis: supponimus enim legem non prohibere actum absolute, nec fieri absque licentia expressa, sed præcipere, ne fiat sine licentia, ideoque fieri valet aliquando cum licentia tacita: sed dispensatio est vulnus legis, quæ absolute prohibet actum, qua ratione stricte est interpretanda, requirit que voluntatem actualem Superioris sufficienter manifestatam.

258. Similiter sola taciturnitas Prælati, qui videt subditum contra legem agere, & tacet, non sufficit ad tacitam dispensationem: quia taciturnitas Prælati ex se non manifestat consensum, sed permissionem, & ad summum est indicium dubium actualis consensus; sed in dubio consensus Prælati non adest dispensatio, erg. taciturnitas sola Prælati non sufficit ad tacitam dispensationem. Maxime si taciturnitas oriatur ex pusillanimitate, aut ex prævisione repugnantiæ subditi, vel ex voluntate majoris mali vitandi, quibus casibus, & similibus certius est solum permissive se habere, proindeque non dispensare, quamvis taceat, & dissimulet.

Punctum II.

An lex naturalis, & divina dispensabilis sit?

259. Supponimus 1. Aliqua esse de jure naturali, & divino præsupposito consensu voluntatis humanæ, ut vota, juramenta, matrimonia, promissiones, contractus, & cætera hujusmodi. Alia, quæ præcisive ab omni consensu sunt ex natura sua bona, aut mala, ut amor Dei, & proximi, blasphemia, mendacium.

260. Supponimus 2. Quod dispensatio prout in præsenti, alia erit propria, & directa: alia impropria, & indirecta. Prima datur, quando aliquis solvitur a lege, ista manente in suo vigore quoad alios. Secunda, quando datur mutatio materiæ, circumstantiæ, aut conditionis.

262. Supponimus 3. Nullam potestatem humanam posse dispensare in lege naturali; quia nullus inferior dispensare potest in lege Superioris; sed lex naturalis superior est omni potestate humana, erg. nulla illam dispensare valet. Quibus stabilitis.

262. Dicendum est 1. quod lex naturalis nullam admittit dispensationem propriam. Ita *D. Thom.* 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. Ubi docet: omnia præcepta Decalogi esse omnino indispensabilia. Prob. ratione: Nam omnia præcepta legis naturalis dirigunt homines, ut ordinate se gerant circa Deum, circa se ipsos, & circa proximum; sed hic ordo nullam admittit dispensationem propriam, ut ex se patet, erg. nec lex naturalis illam admittit.

263. Confirm. quia omnis actio opposita legi naturæ est intrinsece mala, erg. nequit approbari a Deo, qui, ut pote summe bonus, nequit velle, nisi bonum, nec potest negare se ipsum, ut inquit Apostolus.

264. Objic. Deus reipsa dispensavit, ut Abraham occideret filium suum, & idem fecit cum Samsone, ut se ipsum necaret, & in aliis hujusmodi videtur, dispensasse, erg. lex naturalis admittit dispensationem. R. quod in dictis, & similibus exemplis adest mutatio materiæ, non dispensatio propria: nam occissio hominis prohibetur a lege naturali fieri authoritate privata: non tamen si fiat authoritate publica, vel divina. Unde cum Abraham intenderet occidere filium, & Samson interfecit se ipsum, non propria authoritate, sed ex mandato Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis, nulla intervenit propria dispensatio, sed solum mutatio materiæ. Et idem est de aliis exemplis, quæ apponi solent, ut de expoliatione Egyptiorum ab Hæbreis, quibus Deus transtulit dominium, ut acciperent, ut propria, bona Egyptiorum.

265. Dicendum est 2. Non posse summum Pontificem directe dispensare in le-

ge

ge divina. Prob. rat. quia Pontifex ex se non habet hanc potestatem, ut est planum; alias neque ex Dei concessione: quia non constat eum talem potestatem a Deo accepisse: nam textus: *Quodcumque ligaveris super terram*, non probat facultatem dispensandi in lege divina: alioquin evinceret, posse Pontificem dispensare in omnibus præceptis juris divini; quod nec opposita sententia audet admittere: neque apparet ratio, cur, si in aliquibus posest, in omnibus non possit, erg. in nullo proprie potest.

266. Objic. Potest summus Pontifex dispensare in votis, in matrimonio rato non consumato, in matrimonio spirituali inter Episcopum, & Ecclesiam; item in residentia Episcoporum, item in ministro ordinis, & confirmationis, ut sit alius Sacerdos præter Episcopum, ac tandem pluries dispensavit in integritate Sacrificii missæ, ut in solo pane celebraretur juxta aliquos Authores, ergo potest Pontifex dispensare in lege divina.

267. R. quod priora enumerata præcepta, sive naturalia sint, sive divina fundantur in consensu voluntatis humanæ: qua ratione admittunt dispensationem indirectam ob mutationem materiæ, & relaxando consensum, & ejus obligationem: quod efficit Pontifex nomine Dei, & ut gerit vices illius ad rectum regimen Ecclesiæ. In ordine autem, & confirmatione non est Episcopus jure divino minister necessarius, sed ordinarius, ideoque potest Pontifex dispensare, ut alius valeat conferre ordines, & confirmationem. In integritate sacrificii verius est, non posse Pontificem dispensare. Quapropter plures Doctores negant talem dispensationem unquam præstitisse, sed, si aliquando id fecerunt Pontifices, sententiæ, quam probabiliorem reputarunt, dicendum est, adhæsisse.

Punctum III.

De potestate dispensandi in lege humana.

268. Inq. Quotuplex sit potestas dispensandi? R. est duplex: alia *ordinaria*, & est illa, quæ alicui competit ex vi sui muneris, & officii; alia est *delegata*, illa nempe, quæ habetur ex concessione habentis eam jure ordinario.

269. Inq. Quis gaudeat potestate ordinaria dispensandi in lege? R. omnis, qui legem tulit, successor ejus, & æqualis in dignitate habet potestatem dispensandi in lege a se condita, & etiam quicumque superior fuerit in eadem linea: Ratio est, quia obligatio legis a voluntate Legislatoris dependet, erg. sublata voluntate, tollitur obligatio legis. Itaque omnes illi, de quibus supra diximus, posse leges condere, & eas abrogare, possunt similiter in illis dispensare, quia, qui potest majus, potest minus.

270. Ex quo sequitur 1. summum Pontificem posse dispensare in omnibus legibus canonicis, & ecclesiasticis, a quolibet Legislatore sancitis, etiam in illis, quæ latæ sunt ab Apostolis, ut erant particulares Prælati, & Episcopi Ecclesiarum, ut in jejunio quadragesimali, observatione festorum diebus dominicis, & in lege de non ordinando bigamo, quia summus Pontifex superior est Apostolis in potestate. Non vero potest dispensare in legibus ab Apostolis traditis, quas acceperunt a Christo D. tamquam ab Authore principali: ut sunt omnes, quæ pertinent ad formas, & materias sacramentorum, & ad illorum usum, & sacrificii oblationem, in quibus solus ipse Legislator divinus dispensare valet. *Ita Cano lib. 2. cap. 18. ad 4.*

271. Sequitur 2. Episcopos posse dispensare in omnibus legibus Episcopalibus, & Diœcesanis independenter a clero, & capitulo, exceptis casibus expressis in jure, nempe in his, quæ cedere possunt in præjudicium Ecclesiæ, vel capituli: quia Episcopus est Legislator respectu legum episcopalium. Et hoc verum est, licet adhuc non sit consecratus, dummodo sit electus & confirmatus: quia dispensatio non est actus ordinis, sed jurisdictionis. Eamdem potestatem habet capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sede vacante; quia succedit Episcopo quoad jurisdictionem.

272. Sequitur 3. Archiepiscopum, & Episcopum omnesque ordinaria jurisdictione pollentes, posse in sua Diœcesi, & ter-

territorio, & non extra, dispensare in legibus Concilii Provincialis, dummodo non sint reservatæ ab ipso Concilio: quia ita habet consuetudo legitime introducta, ut quilibet possit in sua Diœcesi gaudere potestate necessaria ad regimen suorum subditorum. Videas tamen Bened. XIV. *in Syn. lib.* 13. *cap.* 5. *n.* 8.

§. I.

De potestate inferioris ad dispensandum in lege Superioris.

273. Inq. 1. Quandonam, & in quibus legibus concesserit Pontifex Episcopis dispensandi facultatem? R. in casibus sequentibus. *Primo*, si lex Superioris utitur his verbis: *præcipimus, donec in eo dispensetur*; ut *in cap. Postulatis, de cleric. Excommunic.* ubi dicitur. Excommunicatum non posse retinere beneficia, *nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum.* Quæ verba, ne sint superflua, diriguntur ad Episcopum. Et si aliquando in jure exprimuntur Episcopi, ad quos dirigitur potestas dispensandi, ut in *Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *Liceat Episcopis*, ad tollendam omnem ambiguitatem nominantur.

274. *Secundo*, in rebus parvi momenti, & frequenter occurrentibus, & in illis, quæ graviter non obligant, & licet ita obligent, passim tamen eveniunt, ut in jejuniis, abstinentiis, observatione festorum, officio divino, votis non reservatis, in quibus Episcopus habet facultatem dispensandi ex justa causa: quia esset nimis durum pro rebus frequentibus, aut levioris momenti ad Superiorem semper recurrere.

275. *Tertio*, in legibus Pontificis, quæ non pro tota Ecclesia, sed pro aliqua provincia, aut civitate feruntur: quia induunt conditiones legis particularis alicujus Dioecesis, cujus dispensatio ad Rectorem ejus pertinet. *Quarto*, potest etiam Episcopus dispensare in legibus generalibus de impedimentis matrimonii, votis reservatis, irregularitatibus, aut aliis hujusmodi, quando non adest facilis additus ad Pontificem, & urget periculum in mora: quia id exposcit æquitas juris, & prudens regimen.

276. *Quinto*, in casibus, in quibus est consuetudo, ut inferior possit dispensare in lege Superioris; quapropter ubi talis consuetudo viget, ut Parochus dispenset in jejuniis ecclesiasticis, & observatione festorum, poterit suis ovibus dispensationem impertiri. Attendatur autem, an vere sit consuetudo legitime introducta, & circa quæ præcepta, ne quilibet pro suo libito fingat consuetudinem, ubi revera non adest.

277. Inq. 2. An quando Superior non reservat expresse dispensationem suæ legis, possit inferior in ea dispensare? R. negative; nisi ex aliis capitibus talis facultas inferiori proveniat: quia inferior non habet potestatem in Superiorem, ergo neque in legem ejus. Ut patet ex *cap. Cum inferior, de Majorit. & obedient. Clementina. Ne Romani, de Elect.* Ubi cavetur inferiorem non posse Superioris jura mutare, nisi ex ipsius consensu.

278. Objic. A censura lata in corpore juris, & non reservata potest quilibet inferior absolvere, ex cap. *Nuper, de sent. Excom.* Sed hoc ideo est, quia jus remittit absolutionem inferiori eo ipso, quod illam non reservavit, ergo dum Superior dispensationem legis sibi non reservat, censetur committere inferiori.

279. R. Esse disparem rationem inter facultatem dispensandi, & absolvendi: nam absolutio a censuris necessaria est ad recipienda sacramenta, & ad alia bona spiritualia perfruenda, ideo Pontifex concessit facultatem absolvendi inferioribus, non tamen dispensandi in legibus extra casus supra assignatos propter oppositam rationem, quia non requiritur dispensatio legis ad consequenda bona spiritualia.

280. Si dubium occurrat, an casus indigeat dispensatione, exclusa necessitate, servanda est lex, aut recurrendum ad Superiorem, nisi ex aliis capitibus dubium prudenter deponatur. Et idem est dicendum, quando dubitatur, an causa sit sufficiens: quia possessio stat pro lege.

281. Quilibet Prælatus, habens potestatem dispensandi, potest cum dispensatione aliquam commutationem adjungere, imo sæpe expedit, & securius est: ut si ille, qui dispensatur, dives sit, eleemosina congrua potest ei imponi: semperque atten-

tendi debet, ut opus impositum pro commutatione sit proportionatum materiæ legis, ut si petatur dispensatio pro laborando die festo, imponatur aliqua eleemosyna pro lumine, aut vasibus Ecclesiæ conservandis, vel reparandis. Vid. Bened. XIV. *de Synod. lib. x. c. 9. & lib. 13. c. x. num. 29.*

§. II.

De potestate delegata dispensandi in legibus.

282. Inq. 1. Quotuplex sit potestas delegata? R. Est duplex, nempe *simpliciter, & secundum quid.* Prima adest, quando delegatur sine limitatione temporis, aut personæ. Secunda, quando datur cum limitatione temporis, vel personæ v. g. per annum, aut pro talibus personis tantum, ut facultas audiendi confessiones, per duos annos, vel solum pro hominibus, aut Sacerdotibus, non pro aliis.

283. Igitur, qui habet potestatem ordinariam dispensandi, potest eam aliis delegare, ut ea utantur, juxta formam ab ipso præscriptam, ideoque facultas delegata Episcopis a Tridentino *sess. 24. cap. 6.* ut valeant absolvere ab hæresi occulta per se ipsos, & non per suos Vicarios, ita observanda est, ubi talis facultas adhuc viget.

284. Inq. 2. An delegatus possit subdelegare facultatem sibi delegatam? R. negat. nisi aliud a Superiore declaretur: quia tantum est minister, & executor illius, qui potestatem habet ordinariam. Excipitur delegatus Papæ, & alterius Principis supremi, qui potest talem facultatem subdelegare in his, quæ expresse non prohibentur sibi a Superiore. Idem intellige de delegato ab alio inferiore ad universitatem causarum, & quando delegatus inferioris Ordinarii habet ab illo expressam facultatem ad illam delegandam, quia isti omnes obtinent potestatem quasi ordinariam.

285. Potestas dispensandi amplianda est in delegato, quando ei est generaliter facta circa personas dispensandas absque expressione alicujus: uti se habet omnis potestas ordinaria, & illa, quæ respicit delegatum dispensaturum, & non cedit in præjudicium alterius, quia est favorabilis juri, & bono communi; attamen si talis potestas est in favorem certæ personæ, vel huic concedatur, ut eligat dispensatorem (prout in Bulla Cruciatæ conceditur) tunc est limitanda, & stricte interpretanda, sicut ipsa dispensatio, quia est odiosa juri communi. Nisi in aliquibus casibus favorabilis judicetur, ut quando conceditur a proprio Principe in publicam utilitatem, vel est inserta in corpore juris; aut datur toti communitati, seu reipublicæ, vel quando dispensatio est debita, & similibus.

286. Inq. 3. Respectu quorum possit dari dispensatio? R. solum potest exerceri in subditos, quia est actus jurisdictionis. Unde omnes, qui possunt jure ordinario in lege Superioris dispensare, intelligendi sunt respectu suorum subditorum: quare Episcopi possunt dispensare subditos suæ Diœcesis tantum, Generales respectu totius religionis, Provinciales in sua provincia, Prælati immediati in suo monasterio, & Vicarii in eorum absentia secundum consuetudinem, & praxim cujusque religionis.

287. Prælati autem regulares valent dispensare ex justa causa cum suis subditis in rebus levibus, & frequenter contingentibus propriæ regulæ, & constitutionum, non tamen poterunt in perpetuum dispensare cum aliquo, nec parvo tempore cum tota communitate, quia hi sunt casus extraordinarii, & reservati Superioribus. Quæ vero causæ sufficiant, ut Prælati cum religiosis dispensent, vel in legibus Pontificis, vel in propriis observantiis, illorum prudentiæ remittendum est.

288. Inq. 4. An Legislator, & quilibet alius, habens facultatem dispensandi cum altero in lege, voto, & juramento, possit similiter secum dispensare? In quo certum est, posse ipsum indirecte, & mediate secum dispensare: quod dupliciter fieri potest, vel quatenus ipse dispensat cum communitate, cujus est pars, & ita manet etiam ipse dispensatus: vel tribuendo alteri facultatem, ut cum eo dispenset. Difficultas tantum est, an Superior immediate possit se dispensare a legis observantia eo modo, quo subditos dispensat? R. affirm.: quia non re-

pugnat aliquem in se ipsum exercere actum jurisdictionis puræ voluntariæ : sed dispensatio est actus jurisdictionis puræ voluntariæ, quia neque est coactiva, nec contentiosa inter partes, nec per modum sententiæ cum cognitione causæ, quæ requirunt distinctionem personalem : ergo potest quilibet ea uti in se ipso, secumque dispensare in his, in quibus potest cum aliis.

289. Nemo tamen potest se absolvere a censuris, & peccatis, quia talis absolutio, vel est actus jurisdictionis contentiosæ, ut in censuris : vel per modum judicii, & sententiæ, ut in sacramento pœnitentiæ; at dispensatio, de qua loquimur, est actus jurisdictionis pendentis a voluntate conferentis, nec exposcit personarum distinctionem.

Punctum IV.

De causa requisita ad validam, & licitam dispensationem.

290. In præsenti possumus agere de Legislatore superiori, & etiam de inferioribus in lege Superioris dispensantibus: sive hoc habeant ex jure ordinario, sive per simplicem delegationem : an nimirum requirant causam proportionatam ad validam, & licitam dispensationem impendendam? Quod pro majori claritate diversis paragraphis expendemus.

§. I.

An Legislator valide possit dispensare sine causa in sua lege?

291. Supponimus 1. inferiores non posse valide dispensare sine causa in lege Superioris, quia nullus inferior habet potestatem immutandi legem Superioris, nisi eam acceperit pro aliquo casu, in quo urget rationabilis, & prudens causa, erg. hac sublata, non solum illicita, sed etiam invalida est dispensatio ab inferiore facta in lege Superioris. Unde subditus sciens non habere justam causam, & postulans dispensationem ab inferiori, peccat graviter, sicut ipse dispensans in lege Superioris, quia cooperatur peccato dispensantis: quod non accideret, si dubitans de causa se submitteret judicio ejusdem dispensantis. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2.

292. Suponimus 2. Nullum Legislatorem humanum posse dispensare valide sine causa in his, quæ pertinent ad legem naturalem, & divinam propter eamdem rationem. Unde dissidium solum vertitur ad leges humanas respectu earum Conditoris.

293. Dicendum est, quod Legislator, vel ejus superior, vel æqualis in dignitate potest dispensare valide in sua lege absque causa. Hæc conclusio adeo communis est nunc inter Canonistas, & Theologos, ut vix ullus oppositum teneat præter P. Concinam, qui contrarium intendit, sed minime probat. Eam indicat D. Thom 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Ipsam docet ejus legitimus interpres Cajetanus *ibi q.* 97. *art.* 5. dicens: *Inter has autem extremas opiniones media occurrit, quæ sola vera est*: scilicet, *quod Princeps potest ad libitum se, & subditum aliquem eximere a lege communi jam promulgata.* Idem docet Soto *lib.* 1. *de just. q.* 6. *a.* 3. ubi dicit : *In his autem, quæ meri sunt positivi juris, dispensatio sine causa a peccato non excusatur, veruntamen dispensatio tenet.* Id ipsum tenet Silvester verb. *dispensatio*, & omnes discipuli legitimi D. Thom. communi consensu eam amplectuntur. Verum P. Concina assertionem junioribus tribuit, & quasi a junioribus ortam improbat. *Tom.* 6. *lib.* 1. *de jure. diss.* 6. § 4.

294. Prob. tamen ratione 1. quia ad validam dispensationem solum requiritur potestas legislativa, & authoritas supra legem : sed hæc datur in Superiore legem condente, ut ex se patet, erg. dispensatio sine causa ab ipso facta in propria lege valida est. 2. Lex in fieri, & conservari pendet a voluntate Legislatoris, erg. poterit valide tollere illam, vel quoad aliquos, vel quoad omnes. 3. Absolutio censuræ data sine causa ab authore censuræ valida est, erg. idem est est dispensatione.

§. II.

§. II.

Refelluntur argumenta.

295. Objic. 1. Ex P. Concina redarguente juris peritos, qui Pontificis voluntatem esse dispensationis regulam pro suis legibus tenent. *Et has Jurisperitorum*, inquit, *imprudentes, ineptasque potestatis Pontificiæ ultra justos limites amplificationes omnes collegit Martinus Lutherus, easque catholicis exprobravit*, ergo non potest Papa dispensare valide sine causa in sua lege,

296. R. neg. conseq. Lutherus, suique sequaces oblatrant contra veritatem. Hæretici garriunt in potestatem Pontificis, erg. hæc non est asserenda? Infelix consequentia! Imprudentes, ineptæve potestatis Pontificiæ ultra justos limites amplificationes minime sunt approbandæ, sed in eo, quod Pontifex, aut quilibet Princeps possit valide in sua lege sine causa dispensare, nulla imprudens amplificatio apparet; imo ipsos hæreticos idem asserere, & tenere de suo Principe respectu propriæ legis non dubitamus.

297. Objic 2. Ex congregatione Novem virali improbante dictam dispensationem. R. Falsum esse, quod præfata congregatio negat valorem prædictæ dispensationis; ad summum enim dicit ad Pontificem: *Nec putemus licere dispensare in legibus, nisi urgenti de causa, & necessaria.* Sed hoc nihil probat, nec est ad rem, omnes enim asserunt *non licere*. Aliud autem est *licere*, aliud *valere*.

298. Objic. 3. Ex Concil. Trid. *sess. 25. cap. 18.* Ubi decernit, non esse præstandas dispensationes sine causa, neque absque ejus cognitione, & summa maturitate; & aliter factas appellat *subreptitias*. R. admiratione dignum est, qualiter M. Soto ignoraverit caput Concilii, in quo ipse adfuit, & fulgore doctrinæ non parum refulsit. Non minus est mirandum, quod nullus Theologus legerit verba Concilii, quibus adeo fidit argumentum reportasse victoriam, & dispensationem Pontificis in sua lege sine causa esse *subreptitiam*, id est nullam.

299. Sed dato, & non concesso, Concilium statuere, quod arguens intendit, potest ne tollere a Papa potestatem, quam habet? Num Concilium est supra Papam? Num irritare, seu annullare quit, quod in sua propria lege Pontifex disposuerit? Nec potest, nec vult. Nam ipsum Concilium declaravit omnia decrevisse, *salva semper authoritate sedis Apostolicæ*. Hæc est veneratio, qua Concilium loquitur de authoritate Pontificis, docens omnes, quomodo loqui, & scribere de illa debeant. Si autem hæretici aliter faciunt, ignoscat illis Deus, quia nesciunt, quid faciunt.

300. Et ut clarius videat verba Concilii nullatenus suæ favere intentioni, inquirimus ab eo: an omnis dispensatio *sine cognitione causæ*, & absque *summa maturitate* præstita invalida sit? Si negat, habemus intentum: nempe quod valida est dispensatio sine causa, & ejus cognitione. Si affirmat, ergo licet revera adsit causa, nulla est dispensatio absque ejus cognitione: quod apud omnes est falsum. Cogitur ergo asserere, quod Concilium non loquitur in sensu ab ipso intento, vel quod omnis dispensatio facta sine cognitione causæ est nulla.

301. Facilius est, & verius explicare cum submissione, & veneratione textum Concilii, dicendo: non loqui de summo Pontifice respectu legis mere ecclesiasticæ, circa quam habet plenariam potestatem (idemque est de omni Legislatore respectu propriæ legis) sed loqui de legibus canonicis, quæ aliquid juris naturalis, & divini includunt. Et in his dispensatio sine causa est invalida, ut dicunt PP. Salmanticenses cum omnibus Theologis, & Jurisperitis.

302. Sed adhuc objurgantur, *quia, ad Concilii Tridentini decretum nec verbum reponunt*, dicit arguens. *Tria responsa, quæ ex probabilistis referunt Salmanticenses supra, ut evidenter vana rejicimus.* Attende modestiam, *ut evidenter vana*, inquit, cum sint adeo vera, ut aliter nequeat interpretari textus sine injuria ipsius Concilii, & authoritatis summi Pontificis. At si referunt tria responsa ad textum Concilii, qua veritate dicitur, nec unum verbum ipsos reponere ad Concilii Tridentini decretum? Addit:

dit : *De patrum authoritate altum apud eos silentium.* Perdocti Salmanticenses optime norunt, SS. Patres nusquam dubitas se de potestate Pontificis in sua lege, sed ubique eam reverenter coluisse.

303. Objic. 4. *Nullam esse dispensationem absque justa causa concessam, testantur communi consensione Patres omnes.* R. quod nec unus reperitur S. Pater, qui testetur nullitatem dictæ dispensationis. S. Bernardus *lib. 3. de considerat.* oppositum expresse testatur : nam paulo ante verba a Concina producta, ita ad Eugenium Papam fiducialiter loquitur : *Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis : sed utrum & debeatis, quæstio est.* Quid clarius, & luculentius!

304. Nec secundus locus ejusdem S. Doctoris de *præcepto*, & *dispensatione* aliquid ei favet : Ibi enim agebatur, an Abbates poterant dispensare in regula S. Benedicti, vel immutare eam PP. autem Salmanticenses cum omnibus Theologis docent Prælatos regulares immediatos non posse valide dispensare sine causa in regula, & constitutionibus suæ religionis, ea ratione, quia inferior dispensat invalide sine causa in lege Superioris. Ex quo minime infertur conditorem legis non posse in ea valide sine causa dispensare.

305. Objic. 5. Ex principiis Angelici Doctoris loco supra citato *evidenter* infertur nullitas prædictæ dispensationis, erg. R. neg. antec. non parva irrogatur injuria doctissimo Cayetano, meritissimo Soto, cæterisque præclarissimis Thomistis, qui adeo cæcutientes putantur, ut non viderint evidentiam hujus illationis: quin potius oppositum dissertis verbis asserant. Sed re vera ex doctrina Angelici nihil evidenter infertur.

306. Dicimus ergo, quod ex principiis laudatis D. Thomæ, potius infertur validam esse dispensationem sine causa a Principe datam in sua lege, quam oppositum ; quia D. Thomas ait : *Si autem absque hac ratione* (causa) *pro sua voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens.* Sed stat dispensationem esse infidelem, & imprudentem, & tamen validam, erg. Probatur minor tum quia stat, derogationem legis sine causa esse infidelem, & imprudentem, & nihilominus manere validam, erg. idem de dispensatione. Tum quia dispensatio sine cognitione causæ est infidelis, & imprudens; & tamen, si causa adsit, est valida, etiam ab inferiori facta in sententia communi, erg. quod dispensator sit infidelis, & imprudens in dispensatione, non tollit validam esse dispensationem, ergo ex principiis D. Thomæ non infertur evidenter nullitas dictæ dispensationis ; imo potius infertur clare validam esse, ut propugnant PP. Salmanticenses.

307. Probare tandem intendit Concina suam assertionem a ratione dicens : *Dispensatio sine causa data est injusta, ergo nulla. Consequentia*, ait, *videtur evidens, non minus, ac necessaria.* R. submisse, quod licet antecedens esset undequaque verum, consequentia nec vera est, nec infertur. D. Thomas dispensationem sine causa datam non appellat injustam, sed infidelem, aut imprudentem. Concesso tamen antecedenti, negatur consequentia. Derogatio legis sine causa est injusta, & tamen non est nulla. Absolutio censuræ sine causa ab authore censuræ est injusta, & nihilominus non est nulla. Contractio matrimonii ab sponsato cum alia est injusta, & tamen non est nulla, sed valida. Neque omnis emptio, aut venditio injusta est nulla, ergo consequentia enthimematis non solum non est evidens, aut necessaria, sed potius notha, aut illegitima. Quia aliud est actionem esse illicitam, aliud esse invalidam : solum autem est invalida, quando fit contra legem irritantem, vel a non habente authoritatem, quod non verificatur in Legislatore dispensante in sua lege. Nec in re adeo clara immorati essemus, nisi P. Concina contra plures Doctores, & præsertim contra per doctos Salmanticenses, adeo acriter urgeret. Non defendimus eos, ubi forsan dormitaverunt, imo sæpe illos corrigimus : at ubi bene scripserunt, cur defendendi non sunt ? Bened. XIV. dicit, quod de hac veritate *nemo ambigit* ; Concina autem non solum ambigit, sed objurgat, ac declamat contra Salmanticenses, qui eam optime propugnant ; & defendendi non sunt?

Nul-

Nulla equitatis ratio id sustinere valet. Vid. Bened. XIV. *in Synod. lib.* 13. *c.* 5. *num.* 7.

§. III.

Quale sit peccatum dispensare sine causa in propria lege?

308. Dispensare sine causa etiam in lege propria esse peccatum, omnes docent cum D. Thom. 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. An vero sit grave, aut leve ex genere suo, est non parva difficultas inter Authores. Alii enim putant, & quidem probabiliter, quod aliquoties ita dispensare non sit peccatum grave, nisi adsit scandalum, aut aliorum præjudicium, vel aliud damnum extrinsecum: quia Legislator es conditor, & dominus suæ legis, ergo sine gravi deordinatione valet illam aliquoties relaxare.

309. Dicendum tamen est dispensare in re gravi sine causa adhuc in propria lege esse peccatum lethale ex genere suo: quia tunc peccatum est lethale ex genere suo, quando intra latitudinem suę speciei pertingit ad grave; sed dispensare sine causa in re notabili pertingit ad grave intra latitudinem suæ speciei. Prob. min. quia sic dispensans non solum lædit justitiam legalem, & distributivam in re notabili, sed etiam declaratur reus acceptionis personarum a *D. Thoma ubi supra ad* 2.

310. Diximus in *re notabili*, quia in rebus levioris momenti dispensare sine causa in lege propria omnes tenent non esse peccatum grave. At in re notabili violare justitiam esse grave peccatum nemo debet ambigere; cum justitia ex genere suo, seclusis aliis, intra suam speciem graviter obliget.

311. Ex quo plane infertur, quod petens dispensationem scienter sine causa in re magni momenti peccat graviter, inducit enim Superiorem ad rem sibi graviter illicitam; econtra autem non peccat graviter dubitans de sufficientia causæ, ut supra diximus. Verum quando bona fide ex parte petentis, & dantis dispensatio fuit concessa, & subinde constat causam non adfuisse, nescio quomodo illa licite uti possit, ut quidam affirmant: quia bona fides particularis excusat a culpa, quamdiu adest, sicut ignorantia invincibilis; non tamen dat actui valorem, nec bonitatem.

312. Objic. Contra principalem assertionem, Legislator est conditor, & custos suæ legis, erg. sine gravi piaculo, vel peccato poterit in illa prout libuerit dispensare. R. neg. consequentiam, imo & antecedens, quia licet Legislator sit conditor legis, post quam illam promulgavit, jam non est absolute dominus, sed custos; alias posset licite dispensare in illa sine causa, quod nemo astruit, esto de gravitate culpæ ita dispensantis sit dissidium.

313. Inq. An sit licitum uti dispensatione sine causa obtenta? R. cum distinctione: nam loquendo de ipso Legislatore, qui se ipsum dispensavit, illicitus est usus dispensationis, sicut illicita fuit ipsa dispensatio: & cum semper pendeat ab ejus voluntate, debet illam revocare, consequenterque peccat ejus usu, & prosecutione.

314. Loquendo vero de subdito, probabile est licite uti posse dispensatione sine causa obtenta, præciso scandalo, aut alterius damno: quia vere non peccat contra legem, a qua exemptus est, licet fortasse peccaverit petendo dispensationem; semel tamen dispensatus jam non peccat: quia nec tenetur se conformare cum aliis, nec ipsi incumbit dispensationem revocare.

315. Nihilominus dum certo constat de nullitate causæ, probabilius judicamus, non licere usum illius: tum quia dispensationem ex se illicitam suo facto approbat: tum quia sine causa cæteris non se conformat: tum denique quia scandali causa est aliis, qui noverint usum dispensationis sine rationabili causa obtentæ. Non tamen ea utens incurrit pœnas latas contra violatores legis, a qua vere est absolutus, utpote valide dispensatus. Quod a fortiori tenet, quando inferior sine causa, licet bona fide, dispensat in lege Superioris. Cognito enim errore, nequit dispensatus uti dispensatione.

§. IV.

De causa ad validam, & licitam dispensationem.

316. Inq. 1. Quotuplex sit causa eximendi aliquem a lege? R. triplex causa ocurrere potest, *certa*, *sufficiens*, & *necessitans*. *Certa* est, quæ per se liberat ab obligatione legis, ut infirmitas, quæ dum est actualis, & gravis, non indiget dispensatione, ut a jejunio, & auditione sacri excuset: idem intelligas, quando probabilius timetur notabile detrimentum salutis ex adimpletione legis. Si autem dubium sit præjudicium, causa, vel excusatio, recurrendum est ad Superiorem, aut lex observanda, ut docet D. Thom. Causa *sufficiens* est, quæ nec urget Superiorem ad dispensandum, nec ex se eximit ab obligatione, sed sufficit, ut dispensatio rationabiliter concedatur. Unde minus requiritur, ut quis a lege eximatur per dispensationem, quam per solam causam: alias frustranea esset potestas dispensativa. Causa *necessitans* dicitur, qua existente, Superior tenetur dispensare, ut postea videbimus.

317. Igitur causa sufficiens judicatur, quæ cum lege proportionem habet, taliter, quod pro gravioribus gravior, pro levioribus levior requiritur: & ideo generalis regula vix assignari valet, & prudentum judicio expendenda est. Illud præcipue attendi debet, quod dispensatio dirigatur ad bonum commune, sed non requiritur præcise, quod immediate bonum commune respiciat, sufficit enim, ut ad illud mediate ordinetur. Attendenda est etiam *pietas*, *utilitas*, & *necessitas* dispensationis, ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* & etiam dignitas petentis, & concedentis, tempus, & locus, & denique quoties observantia legum vergeret in damnum commune, vel particulare. Alias peculiares causas assignare pro diversis legibus ad suas materias opportunius spectat.

318. Inq. 2. An quando dubium est de causa sufficienti pro dispensatione alicujus legis, vel voti possit eam impendere Superior? R. quod si petens dispensationem dubius de causa, vel sufficientia illius, rem totam, ut est, exponat Superiori, manebit tutus in conscientia, obtenta dispensatione; nam ad petentem solum pertinet veritatem patefacere, & se judicio Superioris submittere; per quod potest practice dubia emergentia deponere, ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2.

319. Inq. 3. An sufficiat ad validam dispensationem, quod causa sufficiens re ipsa detur, licet a dispensatore non cognoscatur? Tria supponuntur ut certa. *Primum*, non requiri cognitionem judicialem causæ, licet in foro exteriori possit repelli dispensatio sine illa, nisi causa esset alias per se manifesta, vel posset probari per instrumenta sufficientia. *Secundum*, illicite procedere dispensantem sine cognitione causæ, licet re ipsa detur, quia ad minus imprudenter operatur. *Tertium*, posse in judicio revocari talem dispensationem: quia saltem est contra jus positivum, & sic potest infirmari: quibus positis.

320. Resp. Quod si causa vere adsit, licet dispensator superior, aut inferior mala fide procedat absque illius cognitione, valida est dispensatio, qua dispensatus uti licite potest, donec revocetur. Hanc resolutionem Patrum Salmanticensium amplectitur Pater Concina, licet consequenter non procedat; ipse enim contendit, & inculcat Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 18. irritare dispensationes a quocumque Superiore præstitas, etiam in lege propria, sine causa. Concilium vero eisdem verbis requirit causam, & cognitionem causæ, ergo si juxta P. Concinam invalidæ sunt omnes dispensationes sine causa, ita etiam essent sine cognitione causæ, si consequenter procederet. Assertio tamen.

321. Prob. *Ex cap. Nihil*, *de elect.* Ubi dicitur electum sine causæ examine esse ejiciendum, si sit indignus, ergo si fuerit dignus, etiam sine causæ examine, ejiciendus non est. Probatur rationetum quia existente causa, & authoritate nihil aliud requiritur ad valorem dispensationis: tum quia dum Concilium requirit cognitionem causæ, ostendit, quid fieri debeat, non tamen quid fieri possit.

322. Inq. 4. An teneatur dispensator le-

legitima causa occurrente dispensationem concedere postulanti ? Triplex reperitur in jure dispensatio, *prohibita*, *permissa*, & *debita* in hac distinctione conveniunt omnes, licet subinde in ejus explicatione a communi via quisquam recedat.

323. Dicimus ergo, quod dispensatio *prohibita* illa est, quæ conceditur a dispensatore sine causa in propria lege, vel in omnibus sine cognitione causæ, hæc est proprie dispensatio, quæ prohibetur a Tridentino loco citato, & alibi, tam a jure, quam ab homine. *Permissa* est, in qua exponitur causa sufficiens, non tamen urgens, & ideo appellatur *misericordia*, *indulgentia*, & *gratia* : potestque Superior eam concedere, aut negare ; ex quo sequitur, quod, existente æquali causa in duobus, valet dispensare cum uno, & non cum alio, quia est gratia, quam valet ad placitum, prudenter quidem distribuere. Alias esset astrictus, vel utrique concedere, vel utrique præcise denegare, quod nemo dicere jure valet.

324. Dispensatio *debita*, *aut necessaria* est, quando datur urgens causa, vel vitandi gravis mali, nempe scandali, aut notabilis detrimenti communis, vel privati ; vel quando valde conducit ad bonum commune, & etiam dum est expressum in jure, vel jubetur ab homine, ut tali causa urgente dispensatio impertiatur. Ratio clara est, quia quilibet tenetur necessitati, aut damno proximi occurrere, cum possit, ergo multo magis Prælati, quibus incumbit bono consulere subditorum, ergo in dictis casibus tenentur dispensationem concedere. Alias peccabunt graviter, vel leviter juxta materiæ gravitatem ; sed non dispensatus nullo modo poterit agere contra legem, licet injuste denegetur ei dispensatio. Nisi causa adeo sit urgens, ut sufficiat ad extrahendum eum a lege.

325. Inq 5. An dispensatio per dolum extorta valida sit ? R. Dispensatio dolosa potest esse *subreptitia*, vel *obreptitia* : *Subreptitia* est, in qua reticentur illa, quæ juxta veritatem exponi debent secundum consuetudinem, jus & stylum Cancellariæ. *Obreptitia* est, quando in petitione falsitas exponitur, vel allegatur causa falsa. Utraque dispensatio nulla est, licet inculpate veritas exprimenda taceatur, aut falsitas exponatur *cap. 7. de fide instrumentorum cap. 2. de filiis Presbyterorum in 6.*

326. Idem dicitur, quando plures causæ, aliæ veræ, aliæ falsæ constituunt unam causam totalem dispensationis, *in cap. 20. de rescriptis.* Si vero ex pluribus causis una sufficiens justa, & vera sit, valida remanet dispensatio : licet aliæ nec veræ, nec justæ sint, & idem est, quando exponuntur causa finalis, & impulsiva, nam dispensatio valida est, si finalis & principalis fuerit vera, licet impulsiva sit falsa.

327. Pro quo nota, duplicem causam assignari a Doctoribus : alia, quæ dicitur *motiva*, seu *finalis*, & est, quæ concernit intrinsece materiam rescripti, & quæ sufficienter justam efficit dispensationem. Alia *impulsiva*, propter quam Superior facilius dispensat : sine illa tamen secundum rectam rationem, & causæ meritum, eodem modo dispensaret. Ut si in petitione exponatur, quod postulans est amicus, sapiens, probus, aut aliud hujusmodi : quod licet verum non sit, nullatenus vitiat rescriptum, aut dispensationem.

328. Inq. 6. An dispensatio extorta per metum sit valida ? R. affirm. quia gesta per metum valida sunt, nisi in casibus in jure expressis. Metus enim non tollit simpliciter voluntarium ; sed in jure solum excluduntur matrimonium, & absolutio ab excommunicatione cum aliis actibus ; non vero dispensatio, ergo hæc valida est. Aliquando tamen illicita est, ut si metus injuste incuteretur ; si vero juste incutiatur, licita erit. Ut si minaretur, se conquæsturum ad Superiorem, vel accusaturum de crimine, de quo posset licite eum accusare : tunc dispensatio per metum extorta licita, & valida est, supposita causæ proportione. Poterit autem Superior revocare in pœnam delicti dispensationem præstitam ex gravi metu injuste sibi incusso : imo conveniens erit eam revocare. Nec subditus tute consuli potest, ut ea utatur sine ejus confirmatione, præcisa urgenti causa, aut necessitate.

PUNC.

Punctum V.

Quibus causis dispensatio cesset?

329. Inq. Quot modis cesset dispensatio? R. Tripliciter cessare: 1. Per cessationem causæ motivæ, seu finalis. 2. Per revocationem dispensantis. 3. Per renuntiationem dispensati. Sed ante omnia quatur supponenda sunt. Primum, quod dispensatio commutativa, seu mixta aliqua commutatione non cessat, etiam causa motiva cessante, quia ipsa commutatio, seu materia subrogata sufficit pro causa. Similiter non cessat dispensatio, quando præstita fuit cum aliquo opere, vel in remunerationem meritorum: hæc enim se habet ut causa.

330. Secundo supponimus, quod si dispensatio pura, seu simplex, de qua deinceps loquemur, sortita sit suum adæquatum effectum, non cessat, nec potest ab aliquo revocari, ut si dispensatur ad ordines, vel beneficium, jam ordinatus fuerit, vel adeptus beneficium. Si autem effectus sit divisibilis, poterit cessare, aut revocari dispensatio quoad illos effectus, quos non dum sortita est: ut si dispensatus ad ordines unum, vel alium susceperit, sed non ultimum.

331. Tertio supponimus, quod si non cessat causa motiva totaliter, sed perseverat ex parte, non cessat dispensatio, licet ab initio non esset pars remanens causa sufficiens ad obtinendam dispensationem: quia juxta regulam 73. *juris in 6. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.* Si autem dubitetur, an causa totalis motiva cessaverit, pro dispensatione standum est: favet enim illi titulus possessionis.

332. Quarto supponimus, quod si causa finalis non consistat tempore, quo Papa, vel ejus Pœnitentiarius dispensat, nulla est dispensatio; idemque intelligas, si antequam ejus delegatus commissionem dispensandi executus fuerit, quia nec huic facultas committitur dispensandi sine causa.

§. I.

An cessante causa motiva, cesset ipsa dispensatio.

333. Dicendum est, quod dispensatio absolute concessa, & quæ non habet tractum succesivum, non cessat, etiam cessante causa motiva, & totali: quia per dispensationem absolutam lex tollitur; sed reviviscere non potest, nisi per legitimam potestatem, a qua potuit incipere, nempe Legislatoris, ergo dispensatio non cessat per hoc præcise, quod cesset causa motiva.

334. Si autem dicas cum quodam recentiore; quod dispensatio non tollit legem: respondetur negando assumptum, quia dispensatio, & revocatio quoad effectum idem sunt; sed revocatio tollit legem, ergo & dispensatio. Quod adeo verum est, ut etiam in dispensatione conditionata teneat. Dispensatio enim conditionata, durante causa, tollit legem, sed quia pendet a conditione existentiæ causæ, pereunte causa, perit ipsa dispensatio, & reviviscit lex, alias dispensatio esset præcise excusatio, non vero relaxatio legis.

335. Extinguitur ergo lex, & obligatio ejus per dispensationem simpliciter, & absolute obtentam. Tunc autem censetur absolute concessa dispensatio, quando ex circumstantiis postulantis, aut rescripti colligitur impertiri absque ulla limitatione, aut conditione: ut quando quis obtinet dispensationem absolutam ab irregularitate ob inopiam ministrorum, quæ licet postea per accidens cesset, potest licite in sacris ministrare. Et idem est de inhabili ad dignitates, & officia, sive ecclesiastica, sive sæcularia, cui Princeps abstulit inhabilitatem propter honestatem morum, licet decursu temporis mutet mores, habilis permanet, & uti potest dispensatione sibi concessa, & idem est de impedimentis matrimonii, & de votis, quæ si absolute, & simpliciter tollantur ex justa causa, hac deficiente, non reviviscunt.

336. Objic. 1. Valor dispensationis pendet a voluntate dispensantis; sed dispensans nequit velle rationabiliter dispensatio-

tionem concedere, nisi pro tempore, quo durat causa, ergo hac cessante, cessat dispensatio.

337. R. quod dispensatio pendet quidem a rationabili voluntate dispensantis: voluntas autem dispensantis est rationabilis semper, ac datur justa causa dispensandi absolute. Non enim dispensator, sicut nec Legislator tenetur prævidere effectus contingentes, sed ea quæ per se, & regulariter eveniunt, vel judicantur eventura: & semel justa dispensatione concessa absolute, non reviviscit lex per cessationem causæ, sicut semel abrogata lege ex justa causa, licet ista postea cesset, nullatenus lex reviviscit: Quapropter docet glossa in *cap. Ex tua. De filiis Præshyt. dispensationem semel concessam non esse revocandam ex superveniente facto.* Dispensatio igitur absoluta distinguitur apud omnes a conditionata ex *cap. Abbas. de verb. signif.* & distinctio stat in eo, quod absoluta conceditur absolute absque ulla conditione.

338. Objic. 2. Qui obtinuit dispensationem comedendi carnes, non jejunandi, vel non recitandi ob infirmitatem, vel debilitatem, cessante infirmitate, cessat dispensatio, ergo idem est de omni dispensatione.

339. Resp. Concesso antecedenti, negando consequentiam: quia dum actus, ad quem datur dispensatio, habet tractum successivum, ut in abstinentia, jejunio, & recitatione, datur multiplex dispensatio, quæ respicit diversa tempora, in quibus actus debet apponi, & ideo si tunc causa non adest, cessat regulariter dispensatio pro illo tempore. Et hæc est doctrina PP. Salmanticensium *tom. 2. tr. 9. cap. 14. n. 30. & tom. 3. tract. 11. cap. 5. n. 93.* illam tamen quidam junior reticet, & solum adducit in medium exemplum infirmi infirmitate ex se perpetua, ob quam a summo Pontifice absolutam, & perpetuam obtineret dispensationem, in quo casu raro, vel alio simili, docent prædicti Patres perseverare dispensationem, etiam cessante causa, donec a Pontifice revocetur.

§. II.

De revocatione, & renunciatione dispensationis.

340. Inq. An dispensatio absolute concesa cesset per mortem dispensatoris? R. Negative, quia est gratia facta, & comparatur donationi, quæ acceptata durat etiam post mortem donatoris. Unde dispensatus a jejunio, abstinentia, vel recitatione ob virium debilitatem, poterit post mortem dispensatoris uti dispensatione, quamdiu causa perdurat. Si vero dispensatio concessa sit sub conditione, *donec nobis placuerit*: vel *ad arbitrium nostrum*, expirat per mortem concedentis, si res integra sit, incepto tamen judicio dispensatus perficere valet. Ita docent omnes asserendo, quod si Confessarius virtute facultatis sibi concessæ a Superiore ad arbitrium suæ voluntatis, incipiat audire confessionem, potest illam finire: in quo inuunt, quod aprobatio *ad beneplacitum* Episcopi expirat in ejus morte.

341. Sed revera in oppositum prævalet consuetudo, & quidem rationabilis: nam semper, vel fere semper expenduntur litteræ approbatoriæ ad placitum, vel arbitrium Ordinarii. Si igitur hæc approbatio cessaret morte concedentis, tota Diœcesis maneret absque ullo Confessario delegato. Quomodo autem credi potest hanc esse voluntatem Episcopi? Certius est apponi illam clausulam ad innuendum, quod approbatio, vel jurisdictio non conceditur adeo absolute, quod nequeat revocari a Diœcesano, quando expediens sibi visum fuerit. Dispensatio, quæ impertitur sub conditione, *donec revocetur*, vel *ad arbitrium Sedis Apostolicæ*, non cessat per mortem concedentis. Vid. *tract. 27. n. 240.*

342. Circa revocationem dicimus, quod si dispensatio concessa fuit valide sine causa a Legislatore, potest, & debet eam revocare. Imo licet ex justa causa præstita fuerit, valide, & licite ex nova causa quit revocari ab ipso: quia semper pendet a sua voluntate quoad illos effectus, quos nondum sortita est. Sine causa tamen illicite revocabit dispensatio-

tionem justam, quia esset quædam animi inconstantia, quæ ex genere suo est peccatum veniale, præciso scandalo, aut alio damno; sed valida esset revocatio. Similiter potest Superior omnes dispensationes sibi inferiorum, justa causa valide, & licite revocare, quia potestas inferioris subordinata est Superioris potestati; peccaret tamen secundum gravitatem materiæ, si absque causa eas revocaret: quia est contra debitum ordinem, & decorem inferioris, ejus acta absque causa rescindere.

243. Inferior minime potest dispensationem a Superiore concessam revocare: quia nequit illius acta infringere. Potest tamen dispensationem a se juste concessam in lege Superioris cum causa revocare: facultas enim dispensandi annexam habet facultatem justa causa revocandi. Verum nequit inferior licite, nec valide revocare sine causa dispensationem a se concessam in lege Superioris, quia nihil potest disponere sine causa circa Superioris legem. Hac ergo semel ablata per dispensationem justam, non habet ultra facultatem iterum illam ponendi, vel revocandi sine causa.

344. Cessat etiam dispensatio per renunciationem factam a dispensato. Renunciatio autem alia est *expressa*, alia *tacita*. Expressa est, qua verbis sufficientibus cessio favoris declaratur; tacita est quando ex signis colligitur in dispensato voluntatem adesse cedendi dispensationi. Quando renunciatio est sine damno tertii, & ante effectum secutum facta a dispensato, & acceptata a dispensatore, tollit dispensationem: quia quilibet potest renunciare proprio favori, dummodo non cedat in præjudicium tertii, aut communitatis; vel nisi Prælatus præcipiat subdito uti dispentatione, quo casu tenetur inferior obedire Prælato, quando ex justa causa id ei præcipit.

345. Igitur ad renunciationem completam requiritur voluntas dispensati, & acceptatio dispensatoris: quamdiu enim dispensator non acceptat, perseverat dispensatio, sed post completam renunciationem nequit dispensatus amplius uti dispensatione; alias ageret contra legem.

CAPUT VII.

De consuetudine.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio consuetudinis.

346. Inq. 1. Quid sit consuetudo? R. Est *jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, ubi lex deficit.* Dicitur *jus quoddam*, nempe ex actibus frequentatis ortum, nam ipsi actus usitati sunt causa, consuetudo vero est effectus. Differt autem ab usu, & more, quia usus est *actus liber voluntatis applicatus in exercitio.* Mos est *frequens usus similium actuum*, & consuetudo proprie talis est jus ortum ab usu, & more, inducitque legem, seu obligationem ad similes actus: Unde dicitur *jus moribus institutum*, idest, non verbis, aut scripto sancitum; ex quo consuetudo lex non scripta dicitur. *Ubi lex deficit*, hoc est, ubi lex non adest, vel derogatur.

347. Inq. 2. Quotuplex sit consuetudo? R. potest esse triplex nempe *contra legem, juxta legem, & præter legem. Prima* derogat legem, quin aliam inducat. *Secunda* est executio legis, ideo nec derogat, nec inducit legem. *Tertia* inducit novam legem; talis est v. g. consuetudo jejunandi in vigilia Pentecostes. Convenit consuetudo cum stylo, & præscriptione, & ab eis differt; stylus enim est quædam consuetudo non generalis, sed limitata ad forum judiciale. Præscriptio etiam est quodam jus ortum ex facto, sed differt a consuetudine; quia est jus particulare, & quia requirit bonam fidem, & non Principis consensum, cum consuetudo hunc, & non illam requirat, & sit jus communitatis.

348. Solet etiam dividi consuetudo in *rationabilem, & irrationabilem*, sed improprie, quia irrationabilis non est consuetudo, sed corruptela. Deinde dividitur in *ecclesiasticam*, & *civilem*. Non dicitur *ecclesiastica*, quia præcise ab ecclesiasticis introducatur, sed quia est de actibus ad finem supernaturalem ordinatis, sive ab ecclesiasticis, sive a sæcularibus exerceantur, ut consuetudo jejunan-

nandi, vel observandi festum tali die. *Civilis* est, quæ ad bonum civile, & politicum ordinatur: & utraque juxta communitates, a quibus ortum ducit, subdividitur. Si enim sit totius Ecclesiæ, *canonica* dicitur. Si totius Regni, appellatur *communis*. Si sit alicujus provinciæ, civitatis, aut diœcesis, dicitur *nationalis*, *municipalis*, aut *diœcesana*.

349. Inq. 3. A quibus possit consuetudo introduci? R. quod persona privata, licet sit Princeps supremus, neutiquam introducere potest consuetudinem, ad hanc enim requiritur plurium consensus. Idem est de communitatibus imperfectis, ut domus, vel familia, quæ non possunt introducere consuetudinem. Possunt tamen communitates perfectæ, ut regna, provinciæ, & civitates: & hoc tenet etiam, si leges ferre non possint, quia ad introducendam consuetudinem legitimam sufficit esse communitatem perfectam capacem gubernari per leges, quamvis potestatem non habeat leges condendi: talis enim communitas introducendo consuetudinem, statuit legem, non ut suam, sed ex consensu Principis tacito, vel expresso, ut docet D. Thom. 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 3.

350. Duo vero notanda sunt. *Primum*, consuetudinem legis abrogativam debere introduci ab his, qui legem observare tenentur: unde pueri, amentes, qui ad leges non astringuntur, non possunt inducere consuetudinem legis abrogativam. Similiter nec fœminæ queunt abrogare per consuetudinem leges viros obligantes, nec econtra. Nec denique seculares possunt per actus contrarios ab ecclesiasticis obligationem legis propriæ auferre, aut econtra: nisi quando materia est communis.

351. *Secundum*, quod consuetudo tam abrogans legem antiquam, quam inducens novam, debet introduci a majori parte communitatis, quare non sufficit minor pars, nec requiritur tota communitas; sed sat est majoris partis consensus, & frequentia actuum. Cœtus mercatorum, aut gremia, sicut particularibus legibus diriguntur, ita consuetudinem introducere possunt. Denique quælibet communitas, quæ peculiaribus legibus gubernatur, consuetudinem legitimam inducere valet.

Punctum II.

De conditionibus ad consuetudinem requisitis.

352. Inq. 1. Quot conditiones requirat consuetudo, ut sit legitima? R. quinque. *Prima*, quod sit rationabilis. *Secunda*, actuum libera, & publica frequentia. *Tertia*, longum tempus. *Quarta*, consensus Principis. *Quinta*, animus obligandi.

353. Prima consuetudinis conditio est, quod sit consona rationi, & bono communi: quia consuetudo legitime introducta habet vim legis; sed lex debet esse rationabilis, hoc est, bono communi conveniens, & honestati non contraria, erg. idem habere debet consuetudo legitima.

354. Quapropter contra legem naturalem nulla potest prævalere consuetudo: quia actus contra illam sunt intrinsece mali; ex actibus autem intrinsece malis nulla consuetudo, sed potius abusus induci potest. Similiter contra jus divinum invalida est omnis consuetudo, quia lex divina ex sola Dei voluntate pendet, per nullamque voluntatem humanam abrogari potest. Verum contra legem humanam prævalere potest consuetudo, quæ illam abroget, quia licet omnis lex humana rationabilis sit; potest hic, & nunc occurrere circumstantia, ratione cujus irrationabilis evadat, & ideo rationabilis sit opposita consuetudo. Supposita enim populi consuetudine, censetur Legislator velle auferre legem, ne multitudo amplius per illam obruatur. Ita D. Thom. *ubi supra ad* 2.

355. Inq. 2. An consuetudo introduci possit per actus illicitos? R. affirm. inducitur enim per actus legi humanæ contrarios. Postea autem introductam consuetudinem observantes excusantur a culpa. Neque tenentur investigare, qualia habuerit initia, sed præsumere queunt, se licite operari: Nam recte fieri prætumitur, quod ab omnibus exercetur. *L.* 1. *de quibus. ff. de legibus.* Pro quo nota, quod consuetudo considerari valet in triplici statu: in principio videlicet, in progressu, & in termino, seu præscriptio

tione. In primo peccant legem violantes, non vero in secundo, & tertio.

356. Quando consuetudo est immemorabilis, vel ab omnibus observatur, præsumenda est rationabilis, quia justum judicatud id, in quo omnes conveniunt; si autem legi adversetur, arbitrio prudentum judicandum est, an sit reipublicæ expediens. In dubio justitiæ consuetudinis jam introductæ, ipsi standum est: si vero non solum sit contra legem, sed a lege prohibita, in dubio de justitia illius, debet observari lex, quæ est in possessione.

Punctum III.

De aliis conditionibus consuetudinis.

357. Inq. 1. Quænam sit secunda conditio consuetudinis? R. est libera, & publica actuum frequentia. Triplex qualitas requiritur in actibus, ut per eos inducatur consuetudo: nempe, quod sint *liberi*, *frequentes*, *& publici*. Debent quidem esse liberi, & humani, quia consuetudo debet introduci ex consensu libero multitudinis: quare si per vim, aut metum gravem populus exerceat, & repetat actus, quantumvis longo tempore in ea persistat, non censetur adhibere consensum requisitum pro consuetudine.

358. Pariter, si ex ignorantia introducatur consuetudo, nulla est, quia ignorantia aufert libertatem. Igitur si populus ignorans, aut falso judicans, legem adesse, actus repetat; licet alias essent sufficientes ad introducendam consuetudinem, deposita tamen ignorantia, & cognito errore, evanescit consuetudo.

359. *Secunda* qualitas est, quod actus sint frequentes. Unde non sufficit, ut bis, aut ter repetantur: quia consuetudo requirit usum, frequentiam, & repetitionem per longum tempus: quod non verificatur, quando actus solum bis, aut ter repetuntur. Hoc autem prudentum arbitrio relinquendum est. Nam in una materia plures requiruntur, in alia pauciores sufficiunt juxta naturam, & occasiones, quæ circa tales actus occurrunt.

360. *Tertia* qualitas est, quod actus sint publici, & notorii; quia actus clam, & in occulto exerciti nequeunt manifestare consensum populi, aut Principis. Præterea sicut ad legem scriptam promulgatio publica necessaria est, sic ad legem non scriptam est necessaria promulgatio, quæ non voce, sed manifesta factorum repetitione publicatur. Nec requiritur præcise notorietas juridica, sed sufficit facti.

361. Inq. 2. Quænam sit tertia conditio consuetudinis? R. quod continuetur per longum tempus. Sed in assignando tempus requisitum variant Doctores. In primis circumstantiæ spectandæ sunt, præcipue, quæ sit natura legis abrogandæ; minus enim temporis exigitur in legibus, quarum actus frequentius occurrunt, quam in aliis.

362. Igitur determinatio temporis prudentum judicio computanda regulariter est, licet ad introducendam consuetudinem præter legem, aut contra legem civilem sufficere decennium, contra legem vero ecclesiasticam requiri quadrigenium, communiter judicetur. Tempus autem ad consuetudinem debet esse continuatum: tum quia idipsum requiritur ad præscriptionem: tum etiam, quia si interrumpitur consuetudo, jam non censetur durare per decennium, aut quadrigennium. Quapropter si intra temporis spatium communitas, aut major pars communitatis contra illam agat, vel si Princeps resistat, interrumpitur tempus, ita ut præteritum non amplius pro consuetudine computetur.

363. Quarta consuetudinis conditio est, ut introducta sit ex consensu Principis. Non autem requiritur expressus consensus, sed sufficit tacitus, seu præsumptus, ut tollerantia Principis cum potest de facili resistere: nam tollerantia pura, cum resistere non potest, minime est consensus; & ideo plura per patientiam tolerantur, quæ non approbantur. *Juxta cap. Jam dudum, de prebend.* Verum sufficit generalis consensus Principis, nec requiritur, quod in specie notitiam habeat talis consuetudinis. *Cap. finali, de consuet.* Alias vix ullæ consuetudines municipales, sive civiles, sive ecclesiasticæ possent esse legitimæ, cum Principes haud facile particularium locorum, aut Provinciarum notitiam habere valeant.

364. Quinta, & ultima conditio consue-

suetudinis est , quod populus , vel major pars animo se obligandi , illam inducat, eamque tali animo tempore pro consuetudine requisito prosequatur , quia consuetudo accipitur pro lege ; sed ad legem requiritur animus obligandi in Legislatore , ergo etiam ad consuetudinem in populo. Si autem initium ex animo se obligandi fuerit , progressus vero ex sola devotione , consuetudo vim legis non sortietur.

365. Aliquæ sunt consuetudines , quæ utpote sola devotione introductæ , nullam inducunt obligationem , ut salutatio angelica ad B. Virginem , dum cimbalum mane , & sero pulsatur , aspersio aquæ benedictæ in ingressu Ecclesiæ , sumptio cinerum prima die quadragesimæ, accipere palmas Dominica Palmarum , & alia hujusmodi.

366. Verum discernere quandonam consuetudo introducta est animo se obligandi , vel tantum ex devotione , judicio prudentum relinquendum est. Solent tamen assignari tria indicia. Primum , quando populus , aut major pars in materia ex se gravi uniformi observantia in tali consuetudine convenit. Secundum , si Superiores ejusmodi consuetudinis violatores graviter reprehendant , aut puniant. Tertium , cum prudentes , & timorati male sentiunt de transgressoribus consuetudinis. Quando hæc tria simul concurrunt, nisi constet , communitatem se noluisse sub culpa obligare , judicandum est , introductam fuisse consuetudinem sub obligatione , sive gravi , sive levi ; sive ad culpam , sive ad pœnam. Actus enim agentium liberorum non operantur ultra eorum intentionem. In dubio autem , an consuetudo sit introducta animo se obligandi , vel solum ex devotione , gratitudine , aut liberalitate : an sub gravi, vel levi : sub pœna , vel culpa : In omnibus pars tutior , vel saltem probabilior amplectenda est.

PUNCTUM IV.

De effectibus consuetudinis.

367. Inq. 1. Quotuplex sit effectus consuetudinis? R. est triplex. Primus inducere novam legem. Secundus tollere legem antiquam. Tertius interpretari legem.

368. Primus igitur effectus legitimæ consuetudinis est obligare in conscientia , sortitur enim conditiones legis : & sicut ista potest gravem , vel levem obligationem inducere. Imo potest consuetudo introduci obligans dumtaxat ad pœnam. Nec extenditur de loco ad locum, de persona ad personam , nec de uno casu ad alium : quia tantum pendet ex intentione illam introducentium , & ex consensu Principis illam confirmantis.

369. Ex quo fit , consuetudinem a solis laicis introductam non obligare clericos , nec econtra : Nec introductam a clericis sæcularibus , regulares obligare , aut e converso. Nam quælibet ex his communitatibus peculiaribus legibus regitur. Solum ergo consuetudo ab omnibus promiscue inducta omnes obligat,

370. Secundus effectus consuetudinis est tollere legem antiquam : potest autem tollere illam tantum quoad pœnam, (dummodo censura non sit) aut solum quoad culpam , vel simul quoad utramque. Virtus consuetudinis ad abrogandam legem præcedentem humanam extenditur etiam ad legem irritantem , sicut eodem modo potest introduci consuetudo habens vim legis irritantis.

371. Quando improbatur consuetudo per legem , considerari oportet clausula , qua prohibetur. Potest enim tripliciter prohiberi 1. per similem clausulam: *Non obstante quacumque consuetudine* : quæ cum indifferens sit ad præteritam, & futuram , limitanda est , ut solum intelligatur de consuetudine præterita. Si vero dicatur : *Nulla possit deinceps contra talem legem introduci consuetudo* : adhuc potest, licet difficilius , per consuetudinem futuram abrogari : est enim lex humana , quæ variis contingentiis, & mutationibus subjacet.

372. Verum quando in lege reprobatur consuetudo , ut irrationabilis , & corruptela , tunc si talis consuetudo fuerit contraria juri divino, aut naturali , nullam vim potest contra legem sortiri , ut jam diximus. Si tamen reprobetur , ut irrationabilis pro tempore , quo lex fertur , nequit prævalere contra legem , quamdiu perdurat ea conditio , quæ etiam ir-

irrationabilem facit. Si autem aliquo tempore ex nova causa rationabilis reddatur, vires resumere potest ad legem humanam abrogandam, non obstante clausula reprobante quamcumque consuetudinem.

373. Tertius effectus consuetudinis juxta legem est illam interpretari, dum fuerit dubia circa obligationem, materiam, aut personas: ideo dicitur *in cap. Cum dilectus, de consuet. Consuetudo est optima legum interpres.* Interpretatio potest esse dúplex, nempe *authentica*, & *doctrinalis. Authentica*, quæ solum a Legislatore fieri potest, est nova lex, quæ proinde habere debet omnes conditiones, quæ ad veram legem requiruntur.

374. *Doctrinalis*, quam etiam facere potest consuetudo, est, quæ fit a Doctoribus, & non habet vim legis: est tamen tantæ efficaciæ interpretatio per consuetudinem facta, ut juxta communem sententiam verba legis interpretari debeant secundum loci consuetudinem, quamvis oporteat textum legis minus proprie exponere. Nota, quod sicut consuetudo potest legem interpretari, sic lex certa potest consuetudinem dubiam exponere: quia una lex dubia potest per aliam certam interpretari.

375. Inq. 2. Quot modis cesset consuetudo? R. cessat eisdem modis, ac lex: quia est quædam lex: præcipue vero cessare potest per novam legem eam abrogantem, & per consuetudinem ei contrariam. Taliter quod per universalem universalis, & per particularem particularis abrogatur. Numquam tamen per non usum mere negativum: quia consuetudo priori contraria debet introduci per actus positivos, aut per transgressiones, vel omissiones publicas deliberate appositas.

TRACTATUS QUARTUS

DE VIRTUTIBUS.

CUm proprium sit legis præcipere actus virtutum, sicut & vitia, peccataque prohibere; ideo habita notitia legum, agere de virtutibus consentaneum ducimus, deinde de vitiis, & peccatis acturi cum D. Thom. 1. 2. *q.* 55. *&c.*

CAPUT I.

De virtutibus in communi.

PUNCTUM I.

Nomen, & notio virtutis.

1. Inq. 1. Unde dicatur virtus? R. nomen virtutis derivari a *viro*, quia in viro est major vis, & fortitudo, quam in fœmina. Hoc autem nomen diversimode usurpatur, tum pro robore, aut vire corporali, tum pro potentiis animæ, vel qualibet potentia operativa, vel pro ultimo de potentia, vel etiam pro ipsa operatione, seu effectu præcipue insolito. Unde *Marci* 6. *v.* 5. dicitur de Christo: *Non poterat ibi virtutem ullam facere.* Verum proprie accipitur virtus pro quadam facultate potentias perficiente, qua earum operationes redduntur rectæ, & bonæ: & de hac agimus in præsenti *cum D. Thom.* 1. 2. *q.* 55. *& seq.*

2. Inq. 2. Quid sit virtus? R. Virtus naturalis est *habitus electivus in mediocritate consistens.* Virtus autem, ut comprehendit naturalem, & infusam, est *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur, & quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Dicitur *bona qualitas, seu habitus*, quia non est relatio, ut aliqui putarunt, sed ex genere qualitatis perfectivæ subjecti: dicitur *mentis* ad innuendum subjectum, in quo recipitur: *qua recte vivitur*: virtus enim rectificat operationem; & *qua nullus male utitur*: in quo distinguitur virtus ab opinione, & fide humana, quæ possunt inclinare ad falsum; virtus autem præcise terminatur ad rectum. Hinc eleemosyna facta ob vanam gloriam solum apparenter procedit a virtute misericordiæ. Ultimæ particulæ: *quam Deus in nobis sine nobis operatur*: tantum virtuti infu-

fusæ conveniunt : quia a Deo potest infundi, etiam absque consensu nostro; licet ordinarie in adultis non infundatur, ipsis non consentientibus.

3. Inq. 3. Quod sit subjectum virtutis ? R. est omnis potentia rationalis, sive quæ rationem participat : quia solum ista habet indifferentiam, ut possit a superiori potentia per habitum disponi, & politice dirigi : ex quo exclusa manent sensus, & membra externa, aliæque facultates, quæ determinata sunt ad unum a natura, & per dominium despoticum reguntur. Unde intellectus, voluntas, & appetitus sensitivus complectens irascibilem, & concupiscibilem sunt subjectum immediatum virtutis : quia virtus ibi recipi debet, ubi actus ejus completur; sed in dictis potentiis completur aliquis actus virtutis, ergo sunt subjectum immediatum, seu *quo* virtutis. Minor patet inductive : nam in intellectu recipiuntur fides supernaturalis, & prudentia, cum eubulia, synesi, & gnome. In voluntate charitas, spes, justitia, & aliæ virtutes, quæ eam rectificant ad alterum; nam ad attingendum bonum proprii suppositi nulla virtute naturali indiget voluntas. In concupiscibili recipitur temperantia cum suis speciebus : In irascibili fortitudo cum suis partibus integralibus.

4. Inq. 4. An eadem virtus possit recipi in duplici subjecto ? R. nulla virtus specifice talis valet ex æquo, & principaliter recipi in duplici potentia; licet principaliter in una, & minus principaliter, seu participative in alia optime possit recipi : ut si voluntati inest humilitatis virtus, nequit æque principaliter recipi in alia potentia. Prob. Virtus est in potentia animæ, sicut in subjecto; sed idem accidens non potest esse in pluribus subjectis, ergo una virtus non potest esse in pluribus potentiis animæ. Participative autem, & minus principaliter potest eadem recipi in pluribus potentiis: non enim est in illis per modum formæ propriæ. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 56. *a.* 1.

Punctum I.

Divisio virtutis.

5. Inq. Quotuplex sit virtus ? R. est multiplex : primo enim dividitur in *naturalem*, *acquisitam*, & *infusam*, seu theologalem. *Naturalis* dicitur quæ ab ipsa natura quasi dimanat : ut habitus principiorum, non quia cum anima creatur, sed quia posita terminorum notitia, statim resultat in intellectu possibili virtute agentis. *Acquisita* comprehendit omnes alias, quæ nostris actibus producuntur, sive intellectuales, sive morales. *Infusa* est, quæ a Deo infunditur nobis, sine nobis, ut fides, spes, & charitas, quæ sunt virtutes theologales, & per se infusæ.

6. Secundo dividitur virtus *in intellectualem*, & *moralem. Intellectualis est, quæ perficit intellectum in ordine ad verum. Moralis, quæ perficit subjectum in ordine ad bonum*, sive in intellectu, sive voluntate, sive in appetitu sensitivo: et hæc virtus moralis est virtus simpliciter, quia efficit, & denominat subjectum simpliciter bonum, ad differentiam intellectualis, quæ solum est virtus secundum quid. Potest enim quis esse bonus Philosophus, aut Theologus, & non bonus simpliciter.

7. *Virtus intellectualis* alia est, quæ versatur circa universalia, ut habitus principiorum, sapientia, & scientia. Et alia quæ versatur circa particularia, ut prudentia, & ars. Omittimus prolixiorem sermonem circa virtutes intellectuales, quæ tantum ad verum ordinantur, quia non sunt præsentis instituti : unde ad illas, quæ ad bonum diriguntur, progredimur.

8. Virtus *moralis* dividitur in quatuor, quæ appellantur cardinales, nempe *prudentiam*, *justitiam*, *fortitudinem*, & *temperantiam* : quæ ideo vocantur cardinales, quia super eas volvitur tota humanæ operationis ratio, ipsisque velut cardinalibus vitæ honestæ, & politicæ universa series, & moles subnixa est, sumpta metaphora ab ostii cardine.

9. Præterea virtus moralis dividitur in *infusam per se*, & *infusam per accidens*. Dicitur infusa *per se* illa, quæ a solo Deo postulat infundi, & a nulla causa creata produci potest, & hujusmodi sunt in omnium sententia fides, spes, & charitas. Dicitur infusa *per accidens* virtus, quæ natura sua petit nostris actibus acqui-

quiri, ob specialem vero dispositionem Deus illam infundit; quo pacto omnes virtutes morales, & etiam omnes habitus scientiæ fuerunt infusæ Adamo, & etiam Christo Domino. *Ita D. Thom. 3. par. q. 7. art. 2.*

10. Tandem *D. Thom. 1. 2. q. 61. art. 5.* dividit virtutes cardinales, seu morales *in politicas, purgatorias, heroicas*, seu purgati animi, & *exemplares. Politicæ* dicuntur cum passiones adhuc perturbant, & vehementer insurgunt, illis tamen resistimus, licet cum difficultate. *Purgatoriæ* nominantur, cum jam passiones sunt pacatiores, & pene sedatæ. *Heroicæ*, cum ita passiones cohibitæ sunt, ut raro, aut vix repugnent rationi. *Exemplares* vocantur per imitationem Dei, qui omnis virtutis exemplar est; quo tendunt verba Christi *Matth. 5. 48. Estote ergo vos perfecti, sicut, & pater vester cœlestis perfectus est.* Heroicitas virtutis, non stat solum in operando extraordinaria, sed in agendo etiam ordinaria *heroice*, hoc est jucunde, ferventer, alacriter in Dei obsequium, & ob ejus amorem Unde virtus heroica solum differt a communi in modo perfectiori operandi. *D. Thom. 3. p, q. 7. art. 2. ad 2.*

Punctum III.

De proprietatibus virtutum.

11. Inq. Quæ sint proprietates virtutum? R. omnissis aliis, duæ potissimæ sunt velut proprietates virtutum, *mediocritas* scilicet, & *connexio*. Omnes enim virtutes morales consistunt in medio. Duplex autem medium assignatur pro virtutibus: unum *rationis*, alterum *rei. Medium rationis* est, quando operatio regitur a prudentia in materia propria cum circumstantis, aut conditionibus congruentibus personæ, loco, & tempori. Ex quo fit, quod operatio, quæ respectu unius, & in uno loco est prudens, respectu alterius, & in altero loco sit imprudens, & vitiosa. Ut cibus, qui respectu sani, & robusti est congruens, respectu infirmi, aut debilis est excedens, & nocivus. *Medius rei* dicitur illud, quod ex natura sua est fixum, & invariabile pro omni subjecto, & circumstantia. Ut medium justitiæ commutativæ, quod cum debito commensuratur, ita ut qui debet centum, totidem solvat, ut æqualitas ponatur: quæ quidem est medium rei. Quod intelligitur de justitia secundum suam rationem specificam; si enim consideretur secundum generalem rationem virtutis moralis, in ea etiam medium rationis admittendum est, cum actus justitiæ, sicut aliarum virtutum moralium regulandus sit per rectam rationem ad prudentiam, ut æqualitatem apponat cum omnibus circumstantiis honestatis.

12. Igitur omnes virtutes morales consistere in medio apud omnes compertum est: quia medium constituendum est in illa materia, ubi deviari potest a regula rationis, vel per excessum, vel per defectum; sed ita potest deviari in materia omnis virtutis moralis, siquidem omnes habent vitia opposita per excessum, & per defectum, erg. constituendum est medium rationis, quæ præscribat mediocritatem in tendentia, seu prosecutione sui objecti; ut temperantia inter gulam, & inediam; humilitas inter pusillanimitatem, & superbiam; fortitudo inter timiditatem, & audaciam, & sic de aliis.

13. Objic. 1. Pœnitentia est virtus moralis; sed non consistit in medio, nam licet in pœnitentia possit esse defectus, non tamen excessus; quantumcumque enim quis doleat, semper majori dolore dignum est peccatum, erg. nequit dari excessus. R. neg. minor. ad cujus probationem dicitur: quod peccatum licet semper sit dignum majori dolore, contingit tamen ex parte subjecti pœnitentis, ut aliqui de maximis peccatis parum doleant, & ita est defectus. Vel quod propter illa mœrore, & angore se ita immergant, ut de spe veniæ desperantes suicidæ fiant, ut patet in proditore Juda: ideoque in pœnitentia licet non possit dari excessus ex parte objecti, bene vero ex parte subjecti: & prudentia debet medium rationis statuere. Idem dicendum est de virtute religionis, in qua ex parte subjecti colentis potest dari defectus, ut si non faciat actus religionis, quando tenetur: vel excessus, quando tribuit Deo cultum indebitum, vel superfluis

fluis ceremoniis, ut faciunt Judæi.

14. Objic. 2. In exercitio fidei, spei, & charitatis potest dari excessus ex parte subjecti, ut si quis continuato amoris divini, & contemplationis exercitio salutem perderet, fieretque impotens ad alia; vel si quis nimium de bonitate divina confideret, aut præsumeret, vel inter contrarias hæreses contra fidem mediam teneret, ut inter hæresim Nestorii, & Eutichi, erg. vel omnes, vel nulla virtus consistit in medio.

15. R. Virtutes theologicæ minime consistunt in medio: nam per se, & ex natura sua habent ipsum Deum pro regula, & mensura; licet mere per accidens, & ex imperfectione nostra debeat prudentia regulare earum exercitium. Quod docet *D. Thom.* 1. 2. *q.* 64. *art.* 4. dicens: *Numquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet, nec tantum credere, aut sperare in ipsum, quantum debet; unde multo minus potest ibi esse excessus: Et sic bonum talis virtutis non consistit in medio; sed tanto est melius, quanto magis acceditur ad summum.* Prosequitur dicens: *Dari aliam regulam, vel mensuram virtutis theologicæ ex parte nostra.* Et concludit: *unde per accidens potest in virtute theologica considerari medium, & extrema ex parte nostra.* Igitur virtus moralis respicit suum objectum regulatum per se regula prudentiæ humanæ, quæ considerat omnes conditiones etiam subjecti: quod proinde etiam respicitur ex parte objecti. Virtus vero theologica per se solum respicit objectum regulatum divina perfectione; fides enim respicit Deum, ut summe veracem: spes ut summe potentem, & pium: charitas autem ut summe bonum. Ad id quod additur de medio inter hæreses. R. *ex D. Thom. loc. cit. ad* 3. *Similiter etiam fides est media inter contrarias hæreses, non per comparationem ad objectum, quod est Deus, cui non potest aliquis nimis credere, sed in quantum ipsa opinio humana est media inter contrarias opiniones.* Itaque æqualis est error Nestorii asserentis per excessum duas personas in Christo, ac hæresis Eutichii, qui per defectum unam naturam asserebat.

16. Inq. 2. An omnis virtus humana sit juxta naturam hominis? R. affir. tum quia, ut diximus, omnes virtutes morales, idem est de intellectualibus, consistunt in medio rationis: quia virtus nihil aliud est, quam *habitus operativus secundum rationis normam*: naturalis autem propensio hominis, in quantum est rationalis, tendit ad operandum secundum rationem; quia forma, a qua res speciem sortitur, tribuit ei naturalem propriam inclinationem. Ideo sicut grave natura sua ad centrum propendit, leve vero sursum ascendit; ita natura hominis secundum rationem vivere naturaliter exposcit. *D. Thom. ibi. q.* 71. *a.* 1.

17. Ex opposito sequitur, omnia vitia esse contra naturam hominis: omnia enim sunt contra rationem, licet enim in homine duplex sit natura, alia propria, seu rationalis, alia generica, seu animalis: secundum utramque debet vivere juxta præscriptum rationis, ideoque omnia vitia, quæ a ratione declinant, sunt contra hominis naturam. Verum illa vitia, quæ non solum contra naturam rationalem militant, sed etiam contra genericam, & animalem, ut pollutio, bestialitas, & sodomia per anthonomasiam vocantur *contra naturam.*

18. Inq. 3. An virtutes theologicæ pendeant *per se* a prudentia? R. neg. quia earum objectum non subest prudenti determinationi, sed est supra illam; verum per accidens potest actus virtutis theologicæ dependere a prudentia, non solum infusa, sed ab acquisita; prout hæc removet impedimenta, quæ possunt ex parte nostra dictos actus impedire.

Punctum IV.

De connexione virtutum.

19. Supponimus 1. dari virtutes per se infusas specifice distinctas ab acquisitis, quæ infunduntur cum gratia: quia in homine debent dari virtutes, quibus in ultimum suum finem supernaturalem speciali modo feratur; sed virtutes acquisitæ non sunt tales, ergo debent assignari aliæ supernaturales, quæ infundantur a Deo simul cum gratia, & virtutibus theologicis. *Ita D. Thom.* 1. 2. *q.* 63. *art.* 3. *&* 4.

20. Supponimus 2. Virtutes acquisitas in statu imperfecto non esse necessario connexas: quia potest aliquis ex consuetudine, vel ex naturali complexione esse promptus ad opera liberalitatis, & non ad actus temperantiæ.

21. Supponimus 3. Virtutes intellectuales non dicere necessariam connexionem inter se; cum una sine altera possit reperiri, ut scientia sine prudentia, vel ars sine scientia: quia sunt circa materias diversas ad invicem non ordinatas. Idem dicimus de virtutibus theologicis; fides enim, & spes pluries sine charitate reperiuntur. Utinam numquam reperirentur!

22. Dicendum est 1. Virtutes in esse perfecto esse invicem connexas, ut qui una caret, nullam perfecte habeat: quia perfecta virtus moralis pendet a perfecta prudentia; sed prudentia nequit esse perfecta sine consortio omnium virtutum: ut enim perfecta sit, debet regere totum hominem, omnemque ejus operationem conformiter ad regulam rationis, ergo omnes virtutes morales in esse perfecto ad invicem sunt connexæ. Unde apud Gentiles nulla fuit virtus perfecta, qua ratione nullus fuit absolute heroicus. Virtus heroica solum differt a communi in modo operandi; ita ut id ipsum, quod operatur virtuosus modo ordinario, efficit heroicus modo heroico, hoc est perfectius, & ferventius: licet verum sit dari aliquas actiones singulares, in quibus plus refulget heroicitas, ut libenter mori pro fide, & similia.

23. Dicendum est 2. Virtutes morales per se infusas esse necessario connexas cum charitate. Prob. Virtutes morales infusæ non possunt esse sine prudentia infusa, sicut nec virtutes morales acquisitæ sine prudentia acquisita; quælibet enim virtus moralis debet dirigi a prudentia sui ordinis; sed prudentia infusa nequit sine charitate subsistere, ergo neque virtutes morales infusæ.

24. Prob. alia ratione; per charitatem tota lex impletur, ut dicitur 13. ad *Romanos*: *qui diligit proximum, legem implevit*; sed tota lex impleri non potest nisi per omnes virtutes morales; quia lex præcipit de omnibus actibus virtutum, ergo qui habet charitatem, habet omnes virtutes morales per se infusas. Unde nec charitas sine virtutibus infusis, neque istæ sine charitate consistere possunt. Econtra autem virtutes acquisitæ possunt esse sine charitate, ut accidit in Gentilibus, & peccatoribus, in quibus potest esse essentia virtutis, licet non perfectæ. Et charitas sine illis, ut in parvulis baptizatis. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 65.

Punctum V.

De dignitate, & præstantia virtutum.

25. Comparatio virtutum potest fieri primo inter virtutes supernaturales, & naturales. 2. In ipsis naturalibus inter intellectuales, & morales. 3. Inter ipsas morales, seu cardinales.

26. Inq. 1. An virtutes supernaturales sint præstantiores naturalibus? R. affirm. quia sunt ordinis superioris, & tendunt in objectum nobilius, nempe supernaturale. Verum inter ipsas supernaturales cæteris theologicæ super eminent: quia respiciunt Deum pro objecto immediato: & in hac vita, ut ait Apostolus, major est charitas; deinde fides perfectior est spe: quia objectum fidei est abstractius, & universalius. *D. Thom. ibi. q.* 66.

27. Inq. 2. An virtutes intellectuales sint nobiliores moralibus? R. affir. Hæc assertio debet intelligi comparando genus ad genus, supremumque intellectuale, puta visionem Dei, ad supremum morale, nempe ad amorem. Nam si comparatio fiat in individuo, prætiosior est charitas, imo & justitia qualibet scientia naturali. Unde sistendo in naturalibus utiliores, melioresque sunt virtutes morales præ intellectualibus pure speculativis: nam istæ tantum secundum quid appellantur virtutes; non enim efficiunt simpliciter bonum illas habentem: sine illis possum salvari, minime sine istis. Verum hoc non officit, quin virtutes intellectuales sint simpliciter digniores, & nobiliores; versantur enim circa nobilius objectum, nempe verum, quod intransitive est bonum: & gaudent nobiliori subjecto, nempe intellectu. *D. Thom. ibi. a.* 3.

28. Inter virtutes intellectuales præstantissima est sapientia; quia considerat causam altissimam, quæ est Deus. Deinde

inde dignitate alias virtutes præcellit epikeia. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 120. *art.* 2. ubi dicit. *Legalis justitia dirigitur secundum epikeiam: Unde epikeia est quasi superior regula humanorum actuum.* Et ad 2. addit esse meliorem justitia legali.

29. Sequitur prudentia, quæ cæteris comparatur, ut dux militibus: prudentia enim cum suis comitibus est omnium virtutum ductrix, & imperatrix, ideoque præter rationem generalem intellectualium virtutum, etiam ut moralis excellentior est omnibus; omnis quippe virtus moralis a ratione tamquam a primæva radice suam probitatem assequitur, ergo cum prudentia rationem ipsam perficiat, dirigat, & gubernet, optima omnium virtutum procul dubio est.

30. Post prudentiam secuntur virtutes pure morales, quæ in appetitu resident, ex quibus præclarissima apparet *justitia legalis*, quæ virtus *architectonica* dicitur, cæterasque omnes antecellit, recipitur in voluntate, & velut sol reliquis lumen infundit, dirigens omnes ad bonum commune. Deinde sequitur *justitia particularis*, seu commutativa, quæ ideo præcipue Hespero assimilatur, quia fulgentissimam reipublicæ pulchritudinem affert, servans jura, & pacta in bello, & in pace, tribuens unicuique quod suum est, recipiturque in voluntate.

31. Sequitur in dignitate *fortitudo*, quæ homines celeberrimos facit, maxime tot martirum candidatos exercitus, cœlo coronatos inseruit: Et quia ejus objectum est immaterialius, ac difficilius, versatur enim circa pericula mortis, excellentior est virtute temperantiæ; quæ tantum versatur circa delectabilia tactus, qui omnium sensuum est materialior, idcoque recipitur in concupiscibili; fortitudo vero in irascibili. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 66. *a.* 4.

32. *Religio* est pars potentialis justitiæ, & præcipua inter virtutes morales, quia magis accedit ad Deum, eo quod præscribit ea, quæ directe, & immediate ordinantur ad honorem divinum. Ejus subjectum est voluntas, sicut omnis virtutis justitiæ. *Misericordia* denique pars potentialis est charitatis, & dicitur *alienæ miseriæ in nostro corde compassio.* Ab Angelico Doctore potissima appellatur inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent, eo quod perfectior sit ejus actus sublevandi alienam miseriam: ejus subjectum est voluntas. Addit ad charitatem, ex qua per se oritur, compassionem proximi ad sublevandam ejus miseriam: nam ad compassionem proximi præcise sufficit ipsa charitas; misericordia vero ultra progreditur circa objectum secundarium charitatis, nempe ad sublevandam miseriam proximi. Est & alia misericordia, quæ subjectatur in concupiscibili, consistitque in moderatione duritiæ cordis, & passionis *nemesis*, seu tristitiæ de bono alieno indigne posesso; & hæc misericordia dicitur passio, & non proprie virtus appellatur. D. Thom. 2. 2. *q.* 30. *art.* 3.

33. Inq. 3. Quæ virtutes remaneant in patria? R. D. Thomas 1. 2. *q.* 57. *a.* 1. docet virtutes morales non manere in patria quantum ad id, quod est materiale in eis: *Non enim*, inquit, *habebunt in futura vita locum concupiscentiæ, & delectationes ciborum, & venereorum, neque etiam timores, & audaciæ circa pericula mortis: neque etiam distributiones, & communicationes rerum, quæ veniunt in usum præsentis vitæ. Sed quantum ad id, quod est formale, remanebunt in beatis perfectissimæ post hanc vitam, in quantum ratio uniuscujusque rectissima erit circa ea, quæ ad ipsum pertinent, secundum statum illum; & vis appetitiva omnino movebitur secundum ordinem rationis in his, quæ ad statum illum pertinent.*

34. In art. 2. eodem modo resolvit circa virtutes intellectuales, remanere in patria secundum formale earum, hoc est, in quantum ad notitias, & species intelligibiles; non vero quoad materiale, hoc est, quoad phantasmata, & alias imperfectiones.

35. In art. 3. & sequentibus docet, ex virtutibus theologicis solam charitatem remanere in patria; non vero fidem, & spem: quia ut inquit Apostolus 1. *ad Corinth.* 13. *Charitas numquam excidit*: & fruitur perfectissime suo objecto: ex opposito fides, & spes evacuantur in patria suis objectis: nam fides est argumentum non apparentium; & quod videt quis, quid sperat? ut inquit idem Apostolus *ad Rom.* 8. Unde præter fidem,

& spem omnes aliæ virtutes remanent in patria.

CAPUT I.

De virtutibus cardinalibus.

PUNCTUM I.

De prudentia.

36 PRudentia juxta D. August. *est cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum.* Juxta Aristotelem est *recta ratio agibilium* : consistit in ratione practica, ejus principalis actus est præcipere : imperat enim applicando universalia secundum rationem ad opus. Ejus objectum formale non est præstituere finem virtutibus moralibus, sed ea, quæ sunt ad finem : nempe qualiter, & per quæ homo in operatione attingat medium rationis. Itaque objectum formale prudentiæ est peculiaris honestas dictandi, quid hic & nunc, perpensis omnibus, agendum, aut omittendum sit.

37. Objectum ejus materiale trascendit materiam omnium virtutum, omnes enim dirigit prudentia in assecutione sui finis, & attingentia medii rationis ; ex quo sequitur, nullam posse acquiri virtutem moralem sine prudentia, ejusque directione: qua ratione merito appellatur auriga virtutum, & ordinatrix affectionum.

38. Prudentia vera, & simpliciter talis nequit esse in peccatore : quia existens in peccato habet animum inordinatum ; & licet Christus D. dicat *Luc.* 16. Quod *filii hujus sæculi prudentiores sunt filii lucis*, loquitur de prudentia carnis, quæ falsa est. Potest tamen dari in peccatore prudentia acquisita circa aliqua particularia negotia : nam, ut diximus, virtutes acquisitæ possunt esse, licet non perfecte, sine gratia, & charitate.

39. Dividitur *prudentia* essentialiter in *monasticam*, quæ respicit bonum proprium, & in *politicam*, seu *gubernatricem*, quæ ordinatur ad bonum commune, & hæc subdividitur in *regnativam*, *civilem*, *economicam*, & *militarem*. Unde *misericors dolet, in quantum æstimat aliquem indigna pati. Nemesicus autem gaudet, in quantum æstimat aliquos digne pati* : *tristatur, si indignis bene accidat. Et utrumque est laudabile*, at *regnativa*, quæ etiam *legislativa* dicitur, attendit ad regimen, & bonum totius regni. *Civilis* ordinatur ad curam civitatis. *Economica* ad rectam dispositionem domus, aut familiæ. Et *militaris* ad hoc, quod milites recte instruantur ad repellendos hostium insultus. Et licet Scotus velit prudentiam dividere in plures partiales, ita ut cuilibet virtuti tribuat suam partialem, aut peculiarem prudentiam; tamen D. Thomas melius indicat sufficere dictam divisionem.

40. Octo partes integrales prudentiæ assignatur a D. Thoma, nempe *memoria*, *intelligentia*, *ratio*, *docilitas*, & *solertia*, item *providentia*, *circumspectio* & *cautio* : ex quibus quinque priores perficiunt prudentiam, ut cognoscitivam; tres vero posteriores ut præceptivam. *Memoria est recordatio præteritorum. Intelligentia cognitio præsentium. Ratio* dicit *consilium. Docilitas* est ad acquisitionem cognitionis per studium, aut disciplinam : unde Salomon ad regendum prudenter populum suum postulabat a Deo cor docile. Si autem cognitio acquiratur per inventionem, vocatur *eustochia*, aut *solertia*, quæ *vera conjecturatio medii* dicitur : est enim solertia *ars inveniendi repente, id quod congruit.* Unde *solicitus* idem est, ac *solers*, *& citus.* Deinde ad recte præcipiendum requiritur *providentia*, quæ ordinat aliquid ad commodum finem. Unde prudens est *procul videns. Circumspectio*, quæ attendit ad omnes circumstantias operationis, & negotii ; & denique *cautio* ad vitanda impedimenta quæ occurere possunt.

41. Habet etiam *prudentia* partes potentiales, nempe *eubuliam*, *synesim*, *& gnomen. Eubulia est rectitudo consilii, vel est virtus bene consiliativa. Synesis est virtus bene judicativa de omnibus, quæ secundum communes regulas fiunt. Gnome autem est virtus bene judicativa de his, quæ præter regulas communes accidunt,* & coincidit cum *epikeia.*

42. Peccata, seu vitia opposita per defectum prudentiæ sunt 1. *imprudentia* positiva, quando quis consulit, judicat, aut præcipit contra regulas præscriptas ab ipsa prudentia. 2. *præcipitatio.* 3. *incon-*

consideratio. 4. *inconstantia*. 5. *negligentia*, quæ omnia oriuntur præcipue ex *luxuria*: nam vitium carnale maxime obnubilat, obtrudit, & perturbat rationem.

43. Deinde opponitur prudentiæ per excessum: 1. *prudentia carnis*, de qua Apostolus *ad Rom.* 8. inquit. *Prudentia carnis mors est*, ordinatur enim ad carnis amorem, ut ad ultimum finem. 2. *astutia*, qua per media simulata intenditur consecutio finis. 3. *dolus*, qui ordinatur ad executionem astutiæ: nam astutia excogitat media fallacia, & utitur dolo ad fallendum, sive factis, sive verbis. 4. *solicitudo* nimia, vel cura superflua temporalium: quod cavetur *Matth.* 6. *Nolite solicite esse*. Minime vero prohibetur providentia debita, & moderata cura præsentium, aut futurorum; imo *Proverb.* 6. Proponitur imitanda solicitudo congrua formicæ. Unde concludit D. Thomás. *Non ergo Dominus improbat si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista non militet Deo.*

44. Ex descriptione veræ prudentiæ colligitur, quam rara avis sit in terra, nam licet omnes justi gaudeant prudentia necessaria ad salutem; illam tamen quæ sibi, & aliis bene regendis in omnibus, quæ ad humanæ vitæ rationem attinent, requiritur, paucissimi possident. Tardi ingenio, & illitterati prudentes esse non possunt. Flegmatici & taciturni interdum prudentes reputantur, sed humor multum distinguitur a virtute. Studio, labore, ac experientia acquiritur vera prudentia, ideo *magis est in senibus*; ait D. Thom. 2. 2. *q.* 47. *a.* 15. *ad* 2.

Punctum II.

De justitia.

35. Secunda virtus cardinalis est *justitia*. Duplex consideratur justitia, alia generalis, quæ est totius vitæ, omniumque actionum ad legem divinam conformatio, & alia particularis, de qua erit fusior sermo tract. 18.

46. Dividitur tamquam in partes subjectivas in *legalem*, *distributivam*, & *commutativam*: Tamquam in partes potentiales dividitur in *religionem*, *pœnitentiam*, *observantiam*, *pietatem*, *gratitudinem*, *fidelitatem*, *veritatem*, *amicitiam*, *liberalitatem*, *affabilitatem*, & *vindictam*.

47. *Religio* tribuit Deo cultum, & reverentiam. *Pœnitentia* nititur satisfacere Deo pro offensa. *Observantia* est virtus, quæ homines in dignitate constitutos peculiari honore veneratur. Sub observantia comprehenduntur *dulia*, *hiperdulia*, & *obedientia* particularis, qua subditi superiorum mandata exequuntur.

48. *Pietas* est virtus, qua parentibus, patriæ, & conjunctis honorem exhibemus. *Gratitudo*, seu *gratia* est virtus, quæ inclinat ad beneficia compensanda, & gratiam reddendam benefactoribus, Opponitur *gratitudini* ferale vitium *ingratitudinis*: cujus gradus graphice exponit Seneca *lib.* 3. *de benefic.* dicens: *Ingratus est, qui dissimulat, ingratior, qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est*, Forte non venit in mentem hujus præclarissimi ingenii, posse dari hominem, qui ipsis beneficiis expugnaret benefactorem!

49. *Fidelitas* est *virtus, quæ inclinat hominem ad standum promissis. Veritas*, seu *veracitas* propinqua fidelitati est *virtus, quæ nos facit dicere verum*, est fundamentum societatis humanæ. Sine veritate nihil bonum. *Amicitia est virtus, quæ curat, ut conversatio grata sit cum proximis speciali communicatione conjunctis. Affabilitas* eamdem gratiam extendit ad omnes, ordinando illam ad vitam socialem. Duo vitia istis virtutibus opponuntur per excessum, ut *adulatio*, & *blanditio*: quibus palpantur amici, & indulgemus eorum non rectis inclinationibus, & moribus. Opponuntur eis alia duo vitia per defectum, nempe *tædium*, aut *tristitia*, *gravitas*, aut *morositas*, & *litigium*, seu *jurgium*: quæ contristant amicos, & dissolvunt amicitiam.

50. *Liberalitas* est *virtus, qua quis libenter sua bona expendit ad usum congruentem*, ad hanc reducitur *magnificentia*, pro ut est ad alterum: est enim quædam egregia liberalitas. Opponitur liberalitati per excessum *prodigalitas*, quę plus dat, quam oportet; & *avaritia*, quæ minus tribuit, quam convenit. *Vindicta* est *virtus, quæ convenientem injuriæ satis-*

tisfactionem exposcit. Distinguitur a *justitia vindicativa* : nam hæc residet in judice ; *vindicta* vero in quolibet particulari , qui recta intentione desiderat emendationem peccantis , & justitiæ conservationem. Duo etiam vitia ei opponuntur : aliud per excessum , & est *crudelitas* , vel *sævitia* : quæ modum punitionis excedit ; aliud per defectum , & est nimia *remissio* in punitione.

Punctum III.

De fortitudine.

51. Tertia virtus cardinalis est *fortitudo* : D. Thom. 2. 2. *q.* 123. *a.* 2. illam definit cum Tullio. *Considerata periculorum susceptio, & malorum perpessio.* Vel potest definiri , *virtus rectificans irascibilem circa audacias , & timores.* Hæc enim præstantissima virtus moderatur audaciam , excutitque timorem , & tristitiam in periculis maxime circa mortem.

52. Alia appellatur *domestica* , quæ firmat animum in adversis regulariter contingentibus : ut in amissione honoris , famæ , salutis , familiæ , & possessionum. Alia nominatur *bellica* , quæ animum roborat adversus hostes sive corporales , sive spirituales. Hac excelluerunt præcipue sancti , qui præliati sunt prælia Domini, de quibus Apostolus ad *Hebreos* 2. dicit : *Sancti per fidem vicerunt regna , fortes facti sunt in bello.* Isti utique sua fortitudine æternam adepti sunt coronam, cui comparata illa Romanorum civica, obsidionalis , castrensis , muralis , & navalis vana profecto est.

53. Duo sunt actus præcipui fortitudinis , *aggressio* , & *perpessio* , seu *aggredi* , & *sustinere* : ex quibus principalior est perpessio : nam aggressione invadit quis res arduas , & gravia pericula ; sed perpessione sustinet calamitates , persecutiones , tormenta , & ipsam mortem, quæ omnium terribilium terribilior est. Unde martyrium , qui actus principalissimus fortitudinis est , non in aggredi , sed in sustinere consistit.

54. Objectum ejus formale sunt timores & audaciæ , ut ordinati mensura rationis. Materiale sunt ipsæ passiones honoris , & audaciæ : in ipsis enim ponit fortitudo rationis modum. Actus externi, nempe aggredi , & sustinere prout oportet , aut etiam fugere quando oportet , & pericula gravia , maxime bellica , pertinent ad objectum ejus materiale secundarium.

55. Partes integrales fortitudinis sunt *magnanimitas , magnificentia , patientia, & perseverantia* : quæ dum versantur circa ejus materiam principalem , nempe circa pericula mortis , sunt proprie partes integrales ; si vero referantur ad alias materias minus difficiles , potius sunt partes potentiales.

56. Magnanimitas est *virtus inclinans animum ad opera magna , & heroica in omni genere virtutum.* Denotat animi magnitudinem super omnia temporalia , quæ revera parva sunt , & elevat hominem ad virtutum opera excelsa , & egregia respiciens illa formaliter ut *magna.* Ad hanc reducuntur aliæ partes potentiales, nempe *fiducia , securitas , eupsychia , seu bona animositas , virilitas , & andragathia* , seu *strenuitas. Magnanimus* enim fiducialiter , secure , viriliter , & strenue in omnibus se gerit. Unde intendit etiam ad magnos honores propter virtutem, quin ex hoc humilitati opponatur : nam omnis vere magnanimus est humilis , imo humillimus , quia sicut , & in cæteris , in humilitate est magnus : despiciens honorem vanum , tantum quærit verum honorem , qui solum in virtute consistit. Hinc inclita Virgo , & mater nostra Theresia adeo magnanima , ut omnibus est notum , inter peccatores maximam se reputabat. Simili humilitate pollebant Seraphicus Franciscus , & alii sancti , quia per magnanimitatem inspiciebant in se, quæ a Deo habebant , sed per humilitatem solum videbant in se , quæ habebant ex se.

57. Vitia opposita *magnanimitati* per excessum , sunt *præsumptio* inordinata, *ambitio* , & *inanis , seu vanagloria.* Per defectum *pusillanimitas* , quæ animum retrahit a magnis suæ virtuti congruentibus. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 130. & 131.

58. *Magnificentia* est *virtus inclinans homines ad magnos , & explendidos sumptus , opportuno tempore , & ordine faciendos.* Distinguitur a magnanimitate, quia hæc primario intendit ad *magnum* cir-

circa honores, & actus interiores virtutum, *magnificentia* vero primario respicit *magnum* circa actus externos, vel magnitudinem in operibus faciendis, ut magnam domum, splendidum convivium, sumptuosum templum, & quæ pertinent ad divina sacrificia: & circa hoc maxime studet magnificus, inquit D. Thom. Omnia autem statui propria conformia esse oportet, ut a magnificentiæ virtute proveniant. Unde etiam pauperes possunt esse magnifici, si expendant, vel expendere optent cum animi amplitudine, quæ secundum suum statum ratio exigit.

59. Vitium oppositum per defectum est *parvificentia*, seu vitium animi depressi, Hispane, *de animo apocado*. Parvificus enim circa omnia est parvus, & omnia facit tardans & tristis, ac semper timens se plus dare, quam oportet: nihil efficit splendide, licet plura consumat: imo bona parvifici bis consumuntur. Opponitur per excessum *bonausia*, seu *prodigalitas*, quia quis majores sumptus profundit, quam necessitas, & ratio expostulant, & dicitur nimia profusio.

60. Patientia est *virtus inclinans hominem ad toleranda adversa æquo animo, & placida tranquillitate*. Virtus profecto in omnibus, omnique loco, & tempore summopere perutilis, & necessaria: nam ut ait Apostolus ad Hebreos 1. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissiones*. Hac enim efficimur in prosperis humiles, in adversis stabiles, in contumeliis mites, in infirmitatibus fortes, & omni tribulatione superiores. Ipsa virtutes perficit, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones denique & martyria consumat. Ad hanc reducitur *longanimitas*, quæ firmat animum, ne deficiat in dilatione boni desiderati.

61. Opponitur *patientiæ* per excessum vitium *impatientiæ*, qua homo plus justo de malis dolet, & tristatur, in quo potest graviter delinquere ratione scandali, vel ob mala, quæ impatienter profert, aut operatur. Per defectum opponitur ei *insensibilitas*, qua quis propter duritiam animi nec propriis, nec alienis malis condolet.

62. *Perseverantia* est *virtus, quæ firmat animum ia bono opere, ne desistat propter diuturnitatem*. Opponitur ei per excessum *pertinacia*, qua quis retinet propriam sententiam, aut propositum, plusquam oportet. Per defectum *inconstantia*, qua deficitur a bono opere propter inertiam, vel pigritiam, aut amorem voluptatis. Non loquimur hic de illo speciali beneficio, quod gratiam cum morte conjungit, & appellatur *donum perseverantiæ*, vel *perseverantia finalis*: quia hæc non est virtus, nec potest a nobis acquiri, nec mereri, sed misericorditer conceditur a Deo, *qui salvandos salvat gratis*. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 64.

Punctum IV.

De temperantia.

63. *Temperantia* est *virtus, quæ moderatur concupiscibilem in delectationibus sensibilibus præcipue gustus, & tactus*. Objectum ejus formale est omne concupiscibile ordinabile per rationem. Materiale est ipsum concupiscibile consideratum secundum se, seu in esse rei. Opponitur ei per excessum *intemperantia*, qua homo præscriptum a ratione modum excedens abutitur voluptatibus corporis. Per defectum *stupiditas sensuum*: hoc vitium vix est in mundo, aspernatur enim omnes delectationes, etiam licitas, & necessarias, ac si homo insensibilis, aut lapis esset. *D. Th.* 2. 2. *q.* 141. *ad* 146.

64. Partes ejus integrales sunt *verecundia*, & *honestas*. *Verecundia* (quæ potius dispositio ad virtutem, quam virtus, dici potest,) est *timor turpitudinis, & confusionis*, actionem inhonestam consequentis ad distinctionem *pudicitiæ*, quæ est timor turpitudinis ob amorem virtutis: cui opponitur *impudicitia*. Opponitur ei *inverecundia*, vel *impudentia*, qua homo de turpibus potius se jactat, quam confundit. *Honestas* est *virtus retrahens hominem ab omni, quod turpe, & vitiosum redolet*.

65. Species temperantiæ, seu partes ejus subjectivæ sunt *abstinentia*, *sobrietas*, & *castitas*, seu *pudicitia*. *Abstinentia* est *virtus moderans appetitum cibi, & potus*. *Sobrietas* est, *quæ moderatur appetitum circa usum vini, vel alterius*

rius liquoris potentis inebriare. Mensura cibi, potus, & somni regulanda est juxta rectam rationem habito respectu personæ, & aliarum circunstantiarum.

66. *Castitas* est *virtus, quæ moderatur appetitum circa usum venereorum.* Dividitur in *conjugalem, vidualem,* & *virginalem.* Omnibus præstantior est *virginalis*, quæ firmat voluntatem per totam vitam ob omni delectatione venerea. *Conjugalis* est *voluntas firma abstinendi a venereis illicitis. Vidualis* est *propositum abstinendi in posterum ab omni delectatione venerea.* Opponitur *abstinentiæ, gula; sobrietati, ebrietas, & castitati, luxuria.*

67. Partes potentiales temperantiæ sunt *continentia, clementia, mansuetudo, humilitas, studiositas, eutrapelia,* & *silentium. Continentia* est virtus; *qua ab omni prorsus delectabile abstinemur*: & hæc coincidit cum castitate *Clementia* est *virtus inclinans animum Superioris ad lenitatem in pœna infligenda*: Virtus hæc maxime Christianorum propria est. Opponitur ei per excessum *crudelitas*, & per defectum nimia lenitas. *Mansuetudo* est *virtus, quæ motus iræ moderatur.* In hac sicut in humilitate præ cæteris nobis Christus se exemplar, & magistrum præbuit, cum dixit: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Modestia* est *virtus, quæ moderatur motus, & actiones exteriores hominis.* Opponitur ei per excessum *petulantia,* & *insolentia*, & per defectum *rusticitas.*

68. *Humilitas* est *virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Vel juxta D. Thom. est *virtus, qua quis considerans suum defectum, tenet se in infimis secundum modum suum.* Ex quo sequitur humilitatem prolem esse legitimam veritatis: gignitur enim in homine ex verissima sui cognitione. Unde prosilit in quatuor actus, sive affectus. 1. Contemptus sui. 2. Velle ab aliis æstimari, & haberi qualis ipse se judicat coram Deo. 3. Æstimare se omnibus deteriorem, & viliorem. 4. Semper amplecti, quod vilius, & abjectius est. In hoc speculo potest quilibet contemplari qualem habeat humilitatem, Opponitur ei *superbia*, quæ est *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ*: Habetque actus oppositos prædictis actibus humilitatis.

69. *Studiositas est virtus præscribens ordinem servandum in cognitione, & scientia comparanda.* Ostendit, quæ conditioni, statui, professioni, capacitati, & tempori sciri conveniant, aut adversentur. Opponitur ei *curiositas*, seu apetitus inordinatus cognoscendi. Multis modis potest hoc vitium esse mortale. 1. Si per studium minus utile retrahatur quis a studio eorum, quæ debet scire. 2. Si aliquis addiscere velit modo superstitioso. 3. Si legat libros prohibitos. 4. Si scire cupiat, quæ ab alio revelari nequeunt. 5. Si studium immoderatum graviter valetudinem ledat. 6. Si legas, aut aperias epistolas alterius eo invito, & sic de aliis. *D. Thom. 2. 2. q. 166.*

70. *Eutrapelia*, seu jucunda urbanitas est *virtus moderans exercitium joci, & ludi.* Per defectum opponitur ei nimia *severitas* omnem animi recreationem detestans in se, & in aliis. Per excessum inordinatus affectus, & modus joci, & ludi sive in verbis, sive in factis, transgrediens circumstantias honestas, & congruas loco, tempori, & personæ. Verum vitium per defectum raro contingit, per excessum autem frequentius, maxime in comediis, theatris, & choreis. Nihil prætiosius tempore, ea tamen est hominum insania, ut inani studio, otio, & rebus ludricis, ac lubricis diem transigant, & tempus perdant, cujus vel instans damnati, & animæ purgatorii, imo ipsi etiam beati omni labore, pœna, cruciatu, & dolore libenter mercarentur. Nec erit in inferno, aut purgatorio major cruciatus, quam jactura temporis, vel tempus inaniter jocis, otio, ludis amisisse. *D. Thom. ibi. q. 168. a. 3.*

71. Silentium potest definiri *moderatio in verbis juxta rectam rationem, & exigentiam negotii, loci, temporis, & personæ.* Non enim consistit silentium præcise in tacendo: hoc enim pacto etiam lapides silent; sed in mensura, & moderatione verborum propter aliquod honestum motivum. Unde ejus virtutis debet esse immediatus actus, cujus fuerit motivum silendi: ideoque si taceas, ne proximo nocumentum inferas, erit actus charitatis, vel justitiæ; si vero sileas, ne devotio evaquetur, expectabit ad religionem, & idem est si motivum

si-

silendi fuerit reverentia loci sacri, & sic de cæteris. Unde optime dicitur silentium virtutum ornamentum, & cultus justitiæ. Sicut lingua dissoluta appellatur a D. Jacob. 3. 6. *Universitas iniquitatis*: Ita ex opposito lingua moderata est universitas bonitatis, & virtutis. Pythagoras præscripsit suis discipulis silentium quinquennale, ut discerent recte loqui. Nunquam loquetur bene, qui non didicit tacere.

CAPUT III.

De donis Spiritus sancti, fructibus, & beatitudinibus.

PUNCTUM I.

De donis in communi.

72. Inq. 1. Quot modis possit sumi donum Spiritus sancti? R. tripliciter. *Primo*, pro quolibet Dei beneficio, quod cum procedat ab ejus amore, qui appropiatur Spiritui sancto, potest dici donum Spiritus sancti, & hoc modo etiam beneficia naturalia appellari valent dona Spiritus sancti. *Secundo*, principalius bona supernaturalia a Deo nobis concessa dicuntur dona Spiritus sancti. Inter immensa autem divinæ largitatis beneficia potissimum donum fuit incarnatio filii Dei: deinde summum, & admirabile Eucharistiæ sacramentum, ubi donator venit in donum. *Tertio*, proprissime dicuntur dona Spiritus sancti quædam perfectiones supernaturales, quibus homo disponitur ad motionem Dei, & de his loquimur in præsenti cum D. Thom. 1. 2. *q.* 68.

73. Inq. 2. Quid sit donum? R. est *habitus supernaturalis disponens hominem, ut sit prompte mobilis a Spiritu sancto.* Dicitur *habitus*: quia dona habitualiter manent in justo secundum illud Joan. 14. *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Hoc est, *Spiritus sanctus* ratione donorum dicitur *supernaturalis*, datur enim supra omnes vires, & exigentiam naturæ: quod amplius patet ex cæteris particulis definitionis, ut pote quæ altissimum munus, & finem donorum declarat. Dona autem Spiritus sancti sunt septem.

74. Inq. 3. An sit tamquam de fide credendum dari in Ecclesia septem dona Spiritus sancti? R. affirm. constat ex cap. 11. *Isaiæ*, ubi loquens de Christo, ait, *quod erit in eo Spiritus sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, & timoris Dei.* Ex Apostolo ad Ephesios 4. 8. *Dedit dona hominibus.* Ex his donis quatuor, nimirum *sapientia, intellectus, consilium, & scientia* pertinent ad intellectum, & perficiunt partem intellectivam. Tria vero nempe *fortitudo, pietas, & timor* spectant ad voluntatem, & perficiunt vires appetitivas.

75. Inq. 4. An dona sint necessaria ad salutem? R. affirm. nam ad salutem consequendam necesse est, quod homo plene sequatur instinctum Dei; sed ad hoc disponitur per dona, ergo hæc sunt necessaria ad salutem consequendam. Ita D. Thom. *ubi supra a.* 2.

76. Inq. 5. An dona sint virtutes supernaturales specie distinctæ a cæteris virtutibus? R. affirm. Prob. 1. ex D. Greg. qui distinguit septem dona, quæ dicit significari per septem filios Job, a tribus virtutibus theologicis, quas ait significari per tres ejus filias. Et in 2. Moral. distinguit eadem septem dona a quatuor virtutibus, quæ dicit significari per quatuor angulos domus.

77. Prob. ratione: quia virtutes reliquæ rectificant hominem secundum instinctum, & imperium rationis; dona vero secundum motionem, & imperium Spiritus sancti. Ex quo sequitur 1. quod licet dona, & virtutes versentur circa eamdem materiam, diverso tamen modo perficiunt hominem: nam dona ex motivo superiori, & eminentiori. 2. Dona esse præstantiora virtutibus, exceptis theologicis, quia dona perficiunt vires animæ comparatione ad Deum; virtutes vero comparatione ad rationem. Sed quia virtutes theologicæ perficiunt hominem in ordine ad Deum, & insuper illum immediate conjungunt Deo, sunt perfectiores ipsis donis.

78. Infertur insuper differentia inter dona, & alias virtutes, quod licet istæ disponant hominem ad recipiendam motio-

tionem Dei, & ad bene operandum, hoc præstant modo humano, & ordinario secundum regulas prudentiæ acquisitæ, vel infusæ, dona vero modo superhumano, extraordinario, & supra regulas prudentiæ, etiam infusæ.

79. Tandem infertur duplex discrimen inter dona, & gratias gratis datas. *Primum*, illa dari permanentia, & per modus habitus, quia requiruntur ad propriam perfectionem, sicut aliæ virtutes. Gratiæ autem, cum potius concedantur in aliorum utilitatem, solum dantur quando Spiritui sancto placet, & tunc non habitualiter; licet donum linguarum, quod est una ex novem gratiis enumeratis ab Apostolo 1. *Corinth.* 12. permanenter fuisse concessum Apostolis ait D. Thom. 2. 2. *q.* 176. *a.* 2. *ad* 3.

80. *Secundum*, quod dona habent necessariam connexionem inter se, & cum charitate, sicut reliquæ virtutes infusæ: quod juxta D. Thom. significatur per septem filios Job, qui mutuo convivio invicem pascebantur. Gratiæ vero, cum non sint proprie virtutes, nec faciant bonum eas habentem, nec inter se, nec cum charitate habent necessariam connexionem. Unde possunt reperiri in peccatore, ut prophetia in Caipha, & una sine aliis, ut pluries contingit. Nec absolute sunt signa sanctitatis, licet regulariter, & ut plurimum non peccatoribus, sed justis conferantur: qua ratione in canonizatione Sanctorum secundo loco, & post virtutes celebrantur, ac merito laudantur.

Punctum II.

De donis in particulari.

81. Donum *sapientiæ* omnium præstantissimum correspondet charitati, quæ ut regina, & perfectissima inter virtutes omnes refulget. Datur ad judicandum de rebus divinis per altissimam causam: judicat enim per ipsum Deum de ejus bonitate, pulchritudine, amabilitate, & cæteris perfectionibus: quod efficit sine discursu ex quadam unione, & affectione experimentali ad Deum orta ex divina charitate, & ex gustu, qui ex amore percipitur, juxta illud *Psalm.* 33. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Ubi visus, aut cognitio oritur ex sapore, vel gustu. Unde donum sapientiæ residet in intellectu, habet vero in voluntate suam radicem, nempe charitatem. Huic dono correspondet septima beatitudo. *Beati pacifici*, quia sapientes sciunt rebus ponere debitum ordinem, in quo pax consistit, assimilanturque sapientiæ increatæ, & vocantur filii Dei. Ex fructibus Spiritus sancti correspondent illi quinque: nempe charitas, gaudium, pax, bonitas, & benignitas.

82. Donum *intellectus* datur ad perfectam penetrationem omnium credibilium per fidem: qua ratione correspondet virtuti fidei. Nam ejus munus est cuncta supernaturalia, & omnia, quæ ad fidem spectant, ipsamque testificationem intime, ex quadam conjunctione, & connaturalitate callere, & penetrare: unde quidquid est perspicacitatis, & acuminis in perscrutandis rebus divinis supra id, quod naturaliter valet cognosci, ad donum intellectus pertinet. In patria autem, ubi perfectissime remanet (sicut, & cætera dona quoad formale) deservit ad penetrandum sine ulla obscuritate revelationes, quæ fiunt extra verbum. Huic dono correspondet sexta beatitudo, nimirum *munditia cordis*, cujus præmium est clara visio. Ex fructibus fides, seu peculiaris certitudo de rebus fidei ad bene operandum: nam fides, seu certitudo, quæ ponitur inter gratias, est ad instructionem aliorum. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 68.

83. Donum *consilii* datur ad consiliandum, & imperandum in rebus agendis supra omnem modum, & regulas rationis: nam cum mortalium cognitiones timidæ sint, & providentiæ incertæ, multoties oportet, quod homo a Deo, qui omnia comprehendit, specialiter dirigatur: hoc autem fit per donum consilii, ita denominatum, quia per vocabulum consilii aptius significatur motio Dei consiliantis, quam per nomen judicii, aut præcepti. Istud donum correspondet prudentiæ, cujus est consiliare, judicare, & præcipere juxta regulas rationis. Respondet illi quinta beatitudo, *Beati misericordes*: quia consilium versatur circa utilia; in operibus autem misericordiæ maxime relucet utilitas.

84.

84. Donum *fortitudinis* respondet virtuti fortitudinis : datur enim ad majorem fiduciam , & securitatem , qua omnia pericula , quantumvis gravia , parvipenduntur. Quis non sibi persuadeat hujus doni propriam fuisse animositatem illam, qua Seraphica Virgo , & mater nostra Theresia impavida rapiebatur , tenerrima adhuc ætate , ut in Africam trajiceret, ubi vitam , & sanguinem pro sponso Jesu Christo jucunde profunderet ? Ipsius doni effectus est securitas , qua aliqui Martyres ad præsentiam tyranni ex Dei speciali instinctu se in ignem , & mare projiciebant , ut legitur de sancta Appollonia , & aliis præclaris virginibus. Huic dono correspondet quarta beatitudo , *esuries , & sitis justitiæ* , & pulchre etiam octava , *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* . Ex fructibus autem respondent illi *patientia* , & *longanimitas* , quibus suffertur libenter actualis passio malorum , & diuturna expectatio bonorum , & sic pervenitur ad Regnum cœlorum.

85. Donum *scientiæ* datur ad discernendum credibilia a non credibilibus , judicando de illis , & de eorum credibilitate per causas creatas , secundum quod invisibilia Dei per ea , quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : & ideo hoc donum sicut *intellectus* correspondet fidei : quia utrumque illi potissimum deservit, & disponit ad ejus assensum omnino perfectum. Huic dono correspondet tertia beatitudo , *luctus , & tristitia malorum*, in quantum per scientiam dignoscitur quam lacrimabile sit ob temporalia Deum amittere.

86. Donum *pietatis* respondet virtuti religionis , datur enim ad offerendum Deo , ut patri munificentissimo reverentiam , & venerationem supra communem modum virtutis religionis , sequendo potius inflammationem divini Spiritus , quam regulas prudentiæ. Extenditur enim post Deum ad honorandum , & reverendum omnes homines , in quantum sunt aliquid Dei , præcipue vero justos , & sanctos , taliter quod donum pietatis veneratur Deum , prout est magnus in se , religio vero ut principium , & benefactorem omnium. Huic dono respondet secunda beatitudo , *Beati mites* ; & ex fructibus *mansuetudo* : quia mititas & mansuetudo valde disponunt ad prædictam reverentiam , & venerationem.

87. Donum denique *timoris Dei* respondet primario spei , & secundario temperantiæ : quia datur , tum ad moderandam voluntatem , ne transeat in præsumptionem , dum conatur ad effectum spei ; tum ut recedat a delectationibus ex superiori motivo , ac temperantia : hæc enim ab illis recedit propter bonum rationis , donum autem propter timorem Dei ; tum maxime , quia in eo splendet veneratio , & reverentia divinæ celsitudinis , & majestatis : quo pacto fuit in Christo D. Et est in beatis juxta illud Psalmi 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* Huic dono respondet prima beatitudo , *paupertas spiritus* : & ex fructibus *modestia* , *continentia* , *& castitas.*

Punctum III.

De fructibus Spiritus sancti.

88. Inq. 1. Quid sint fructus Spiritus sancti ? R. sunt *actus perfecti procedentes ex speciali motione Spiritus S. quibus homo operatur suaviter , & delectabiliter.* Dicuntur *fructus Spiritus sancti*, quia sunt actus procedentes ab homine fœcundato virtute Spiritus sancti tamquam divino semine.

89. Dices : Actus virtutum habent pro fructu vitam æternam , ergo ipsi non sunt fructus sed potius flores . R. quod actus virtuosi sunt quidem flores in quantum ordinatur ad vitam æternam , sed sunt etiam fructus prout procedunt delectabiliter ex motione Spiritus sancti. Unde dicitur. *Eccl.* 24. *Flores mei fructus honoris, & honestatis* , ut exponit D. Thom. 1. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 1.

90. Inq. 2. Quot sint fructus Spiritus sancti ? R. sunt duodecim. Constat ex Apost ad *Galat. cap.* 5. ubi sic illos enumerat. *Charitas , gaudium , pax , patientia , longanimitas , bonitas , benignitas, mansuetudo , fides , modestia , continentia , castitas.* Tria priora , nempe *charitas gaudium , & pax* perficiunt animam intra se ipsam in bonis ; diligit enim Deum cum gaudio , & pace absque pas-

sionum perturbatione. Hic est status felicissimus, quo pertingunt animæ a carnis appetitibus expurgatæ, non quia penitus carent passionum rebellione, sed quia illas ita sedatas habent, ut raro animam a sua quasi beatitudine inchoata deturbent, cave a doctrina *de Molinos* damnata ab Innoc. XI. propos. 55. & 62. ubi asseritur pax omnimoda, & imperturbabilis animæ per viam internam, in hac enim vita non est appathia Stoica, nec pax perpetua. Sed semper opportet vigilare, & arma virtutum strenue exercere. *Vid. tom. 2. p. 494. & seq.*

91. *Patientia, & longanimitas* perficiunt animam intra se ipsam ad superandas adversitates interiores, ac exteriores hujus vitæ, & dilationem bonorum gloriæ. *Bonitas, & benignitas, mansuetudo, & fides* perficiunt animam erga proximos, communicando eis sine fraude, aut ira, sed potius sincere, benigne, & fideliter bona tum spiritualia, tum temporalia. Denique *modestia, continentia, & castitas* perficiunt animam circa passiones, & concupiscentias, regulando eas, & actiones exteriores suaviter ex motione superiori. Hi sunt gloriosi fructus laborum, qui etiam in hac vita colliguntur a fervore in vinea Domini, hoc est in propriæ animæ cultura fervide laborantibus, quibus deinde a patrefamilias parata est merces æterna. *S. Ther. in lib. Mans.*

Punctum IV.

De beatitudinibus.

92. Inq. 1. Quot sunt beatitudines? R. Octo numerantur Matthæi 5. Sunt autem *quidam actus donorum, quibus ex motione speciali Spiritus sancti ad vitam æternam accedimus.* Quatuor pertinent ad remotionem, & exclusionem falsæ beatitudinis; nimirum, *paupertas spiritus*, quæ amorem inordinatum divitiarum excludit. *Mansuetudo*, quæ inordinatas passiones irascibiles moderatur. *Luctus, aut fletus*, qui inordinatas passiones, delectationes, & gaudia amovet. Et *patientia* in persecutionibus, quæ renuit favorem, & applausum humanum. Aliæ vero spectant ad dispositionem, & tendentiam ad veram beatitudinem, ad quam disponimur, & tendimus per ardens illius desiderium, quod per *famem, & sitim* justitiæ significatur; per opera *misericordiæ*, quæ erga proximos exercentur; per *cordis munditiam*, quæ ad Dei visionem disponit, & denique *per pacem cum proximo*, quæ perfectissimum justitiæ, & charitatis opus est. D. Thom. 1. 2. *q.* 69. *a.* 3.

93. Inq. 2. Cur cum dona sint tantum septem, eorum operationes, seu beatitudines numerantur octo? R. hoc ideo est, quia octava ad septem præcedentes attinet: & ponitur tamquam confirmatio, manifestatio, summa, aut collectio earum. *Ita D. Thom. 1. 2. q. 69. a. 3. ad 5.*

94. Inq. 3. Cur S. Lucas quatuor tantum beatitudines posuit; octo vero S. Matheus? R. 1. Quod in quatuor includuntur octo, & in octo explicantur amplius quatuor: unde easdem beatitudines posuit uterque Evangelista, licet Matthæus expressius illas designavit. Ita Sanctus Ambros. *lib. 5. in Luc. cap. 6.*

95. R. 2. Quod apud Matthæum loquebatur Dominus cum discipulis, quibus, ut melius dispositis, & perfectionem sequentibus, exposuit omnes beatitudines. Sed apud Lucam sermonem habebat ad turbas, quibus satis fuit proponere illas, quæ, ut diximus, pertinent ad remotionem falsæ beatitudinis. *Ita D. Thom. ubi supra ad 6.*

96. Inq. 4. In quo differant virtutes naturales, supernaturales, dona, fructus, & beatitudines? R. differunt pluribus. Præcipue vero in eo, quod virtutes naturales operantur media prudentia naturali, supernaturales vero media prudentia supernaturali, & fide divina. Dona addunt alium modum, quo speciali impulsus Spiritus sancti homo exercet actus virtutum promptius, & perfectius. Fructus addunt insuper suavitatem, & delectationem in earum exercitio, & operatione. Tandem beatitudines addunt, atque efficiunt, quod dicti actus virtutum evadant valde hæroici, & perfectissimi. Differunt etiam in eo, quod virtutes, & dona sunt habitus; fructus vero, & beatitudines sunt actus.

97. Inq. 5. An donum perseverantiæ finalis sit idem, ac donum confirmationis in gratia? R. neg. quia primum est commune omni prædestinato; non vero se-

secundum, nisi quibusdam excellentioribus sanctis, ut Apostolis in novo testamento, & aliquibus in veteri.

MONITUM.

98. Explanatio virtutum debet nos allicere ad earum diligens exercitium. Si enim virtutis pulchritudo videretur, abriperet suaviter post se corda hominum; omnia quippe bona veniunt pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius: nam flores ejus sunt fructus honoris, & honestatis in hac vita, ac sempiternæ felicitatis, & gloriæ in altera. Philosophi antiqui, licet hujus felicitatis ignari, adeo virtutem colebant, ut Aristoteles non dubitaverit dicere, & docere: *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis.* 3. *Ethic.*

TRACTATUS QUINTUS

DE VITIIS, ET PECCATIS.

CUm opposita juxta se posita magis dignoscantur, postquam egimus de virtutibus, aggredimur tractatum de vitiis, & peccatis, quæ ipsis virtutibus opponuntur, Ang. Doctoris sequentes vestigia, qui de illis agit 1. 2. *q.* 71. *& seq.*

CAPUT I.

De nomine, & natura vitiorum.

1. *Vitium* a verbo *vito* derivatur, eo quod vitandum, & respuendum sit. Omne, quod deficit a recta regula, *vitium* dicitur. Sic in naturalibus claudicatio est vitium tibiæ, in artificialibus deficere a regulis artis est vitium artefacti, & in moralibus deviare a regulis rationis est vitium animæ, de quo loquimur in præsenti. Verum licet vitium ita sumptum sæpe confundatur cum peccato, & pro eodem vitium, & peccatum usurpentur; tamen plurimum distinguuntur: quia vitium est quid permanens, peccatum vero actio transiens. Vitium potest esse in anima, licet nihil agat; peccatum vero est actualis operatio. Imo potest quis esse in gratia, quin penitus destruatur vitium, non vero quin destruatur peccatum.

2. Inq. 1. Quid sit vitium? R. Est *mala qualitas mentis, qua male vivitur, & nemo bene utitur.* Vel est *dispositio mali ad pessimum.* Vel est *habitus acquisitus per actus malos inclinans ad similes actus.* Prima, & secunda definitio constat ex opposito ad virtutem; tertia vero ex ipsis terminis. Hæc tria *vitium, malitia, & peccatum opponuntur virtuti, bonitati, & actui bono*, nam in primis virtus est qualitas conveniens subjecto; vitium autem disconveniens: deinde sicut malum opponitur bono, ita malitia bonitati; & denique actus bonus est ordinatus, peccatum vero est actus inordinatus, erg. invicem opponuntur.

3. Inq. 2. Quomodo vitia virtutibus opponantur? R. opponi contrarie formaliter, & directe virtutibus acquisitis, & indirecte infusis. Probatur quoad primam partem, quia vitia, & virtutes acquisitæ sunt aliquid positivum, & ab eodem subjecto formali mutuo se expellunt, ut humilitas, & superbia, erg. contrarie, & directe opponuntur. Sed quia virtutes infusæ non contrariantur vitiis sub eadem ratione formali, cum sint supernaturales, ideo solum indirecte contrariantur.

4. Objic. Contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant: hoc est inter extrema opposita; sed virtus non consistit in extremo, sed in medio, ergo virtus non est maxime distans a vitio: quia medium minus distat ab extremis, quam extrema inter se, ergo inter illa non datur oppositio contraria. R. quod licet virtus moralis ratione materiæ sit medium inter duo extrema; in ratione tamen formali virtutis est extremum maxime distans a vitio: quia hoc est disconveniens rationi, virtus vero conveniens: quæ munera extremum dicunt

cunt oppositionem, ut ex se patet: medium enim rationis est extremum oppositum omni vitio: quia omne vitium est contra regulas rationis. *Ang. ibi. a.* 1.

5. Inq. 3. An omnia vitia sint contra naturam hominis? R. affir. *Ita D. Thom.* 1. 2. *q.* 71. *art.* 2. Ubi laudat D. Aug. dicentem: *omne vitium eo ipso, quod vitium est, contra naturam est.* Prob. quod est contra naturam animæ rationalis, est contra naturam hominis, cum anima rationalis sit forma hominis; sed vitium est contra naturam animæ rationalis, cum sit contra rationem, erg. est contra naturam hominis. Notandum, quod licet omnia vitia sint contra naturam; aliqua tamen peculiari ratione ita appellantur: quia præter oppositionem, quam dicunt ad animam rationalem, opponuntur etiam naturæ sensitivæ; repugnant enim modo, & ordini a natura instituto, ut pollutio, sodomia, & bestialitas.

6. Inq. 4. An actus vitiosus, seu peccatum superet simpliciter in malitia habitum vitiosum? R. affirm. quia malitia, vel bonitas moralis consumatur, & completur per actum, ergo iste superat habitam. Undè pœna, aut præmium non datur pro habitibus, sed pro actibus. Et licet habitus diuturnior sit, hoc solum probat, quod sit pejor, aut melior, quam actus secundum quid; actus vero simpliciter pejor est habitu. *Ang. ibi. a.* 3.

CAPUT II.

De vitiis capitalibus.

7. Vitia capitalia dicuntur illa, a quibus plura alia oriuntur: quia omne principium directivum *caput* metaphorice vocatur: prædicta autem vitia dirigunt alia, sicut caput cætera membra. Septem communiter numerantur, quæ comprehenduntur in hac dictione: *Saligia*: itaut cuilibet litteræ correspondeat unum vitium capitale v. g. *S.* superbia. *A.* avaritia. *L.* luxuria. *I.* invidia. *G.* gula. *I.* ira. *A.* accidia. Ex his luxuria, & gula dicuntur vitia carnalia, cætera quinque spiritualia. Non omnia peccata capitalia sunt mortalia, quia plerumque sunt tantum venialia: non enim appellantur capitalia, quia mortalia sint, sed quia, ut dictum est, se habent ut caput & radix aliorum. His notatis in communi, de illis in particulari, nunc brevi calamo est agendum.

SUPERBIA.

8. Inq. 1. Quid sit superbia? R. est *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* Hæc primum Angelum ejecit de cœlo: hæc primum hominem relegavit de paradiso: hæc initium est omnis peccati, hoc vitium est ille Goliat exprobans agmina Dei Israel: quo strenue per veram humilitatem prostrato, facile reliqua vitia superantur, & gloriosa de omnibus Philistæis reportatur victoria.

9. Superbia est peccatum mortale ex genere suo, ut si homo in materia gravi respuat se subjicere Deo, vel ejus mandatis, aut inordinate se præferat aliis. Quatuor species superbiæ assignat ex S. Gregorio, D. Thom. 2. 2. *q.* 162. *a.* 4. Primo, æstimare bonum a se ipso habere. 2. Desuper sibi datum pro suis credere accepisse meritis. 3. Judicare, & jactare, se habere, quod non habet. 4. Despectis cæteris, appetere singulariter honores. Prima, & secunda sunt peccata mortalia, si deliberate procedant; aliæ duæ ob materiæ levitatem venialia esse possunt.

10. Duodecim gradus superbiæ oppositi totidem gradibus humilitatis numerantur a D. Bernardo, nempe, *curiositas, mentis levitas, inepta lætitia, jactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, excusatio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo.*

11. Tres sunt præcipuæ filiæ superbiæ: *vanagloria, ambitio,* & *præsumptio. Vanagloria* est *inordinatus appetitus manifestationis propriæ excellentiæ. Superbia* appetit propriam excellentiam. *Vanagloria* illius manifestationem. *Ambitio* est *inordinatus appetitus honoris, & dignitatis. Præsumptio*, de qua nunc, est *appetitus inordinatus aggrediendi aliquid supra vires*, ut officia, & dignitates supra merita.

12. *Vanagloria* septem habet filias, quæ sunt *inobedientia*, qua ex contemptu violatur Superioris præceptum. *Jactantia*,

quæ

quæ inordinate propriam extollit excellentiam per verba. *Hipocrisis*, quæ est *simulatio sanctitatis ad captandos honores. Contentio*, quæ est *impugnatio veritatis cum altercatione verborum. Pertinatia* est *adhæsio nimia propriæ sententiæ. Discordia* est *contrarietas, & oppositio voluntati alterius*: Denique *inventio novitatis* est, quæ *excogitat novas opiniones, novasque insolitas vestes.* Plura ex his vitiis licet originem habeant a superbia, opponuntur directe aliis virtutibus præter humilitatem; & ex qualitate oppositionis venanda est qualitas, & quantitas peccati.

AVARITIA, ET LUXURIA.

13. *Avaritia* est *appetitus inordinatus divitiarum.* Peccatum avaritiæ potest tripliciter committi, nempe inordinate appetendo, acquirendo, retinendo. Si appetat, acquirat, aut retineat alienum invito domino, opponitur justitiæ. Si proprium plus æquo retineat, opponitur liberalitati, & etiam potest opponi charitati, & misericordiæ.

14. *Avaritia*, quæ radix est omnium malorum juxta Apostol. 1. *ad Timot.* 6. habet septem filias secundum D. Gregor. *lib.* 31. *moral. cap.* 31. *Proditionem, fraudem, fallaciam, perjuria, inquietudinem, violentiam, & obdurationem contra misericordiam.*

15. *Luxuria* est *appetitus inordinatus venereorum*, de qua suo loco fusius agemus.

INVIDIA.

16. Quid sit *invidia?* R. est *tristitia de bono alterius*: ut si quis tristetur de bono alieno, quatenus excedit proprium, illudque diminuit, non effective, sed apparenter. Si vero tristitia sit de bono temporali, quatenus alter abusurus sit illo in Dei offensam, aut ad aliud malum: vel quia eo quis indiget, non erit invidia; nec similiter, si tristatur de bono temporali alterius indigni, ut indignus est: aut si quis tristatur de bono alterius, in quantum ex eo tibi, vel aliis timet nocumentum, non es invidia, sed timor, qui per se non est peccatum, nisi inordinatus sit, vocatur *nemesis* hic affectus.

17. Invidia proprie non est ad inferiores, ut tales, sed ad æquales, & majores, qui non multum distant a sua conditione, vel statu: nam, ut inquit D. Thom. plebejus non invidet Regi, nec Rex plebejo; sed his, qui sunt propinqui, quibus se nititur æquare, vel præferre.

18. Ex genere suo invidia est peccatum lethale, quia directe opponitur charitati. Et si invidia sit de ipsa gratia, & auxilio Dei, tunc erit peccatum gravissimum specie distinctum, atque in Spiritum sanctum. Plerumque autem in individuo tantum est veniale ob parvitatem materiæ, vel defectum deliberationis.

19. Filiæ invidiæ quatuor sunt, 1. odium 2. detractio. 3. gaudium in malis proximi 4. sussurratio: quæ omnia ex genere suo sunt mortale, quatenus opponuntur charitati, & justitiæ.

GULA.

20. Inq. Quid sit *gula*? R. est *appetitus inordinatus cibi, & potus.* Opponitur abstinentiæ, committiturque quinque modis hoc versu comprehensis: *præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.* Hoc est, si edas ante tempus, si nimis exquisita, si plus justo, si voraciter, si exquisite parata. *D. Thom.* 2 2 *q.* 48.

21. Dividitur *gula* in duas species, nempe in comessationem, & ebrietatem. Prima in cibi immoderata, secunda in potus nimia sumptione consistit: & utraque opponitur virtuti temperantiæ. Comedere, & bibere ob solam delectationem capiendam est peccatum gulæ: quia extrahit actum a fine intento a natura, qui est nutrire, & reparare vires per cibum, & potum. Unde audire musicam, aspicere res pulchras, & olfacere aromaticas ob solam voluptatem est etiam contra rationem; quia istæ res principaliter fuerunt ab authore naturæ ordinatæ, ut ex illis homo prudenter, non pro sola voluptate delectationem caperet. *Ang. ibi.*

22. Nota, quod delectatio, quæ percipitur in cibo, & potu sumptis in alimentum, & reparationem virium, licita, & bona est, ut ait D. August. *lib.* 1. *contra Julianum cap.* 4. *Non solum cibo,*

sed

sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Delectatio ergo cibi, & potus bona, & licita est, dummodo non assumatur ut finis. Aliud enim est comedere cum sapore, aliud comedere propter saporem, seu voluptatem. Primum est licitum, secundum vera illicitum.

23. Gula ex genere suo non est peccatum mortale, ut docet D. Thom. *de Malo q.* 14. *art.* 2. ubi distinguens peccata ex genere suo mortalia, & gulam, hæc habet: *Peccatum autem gulæ consistit in concupiscentia inordinata delectationis ciborum. Ipsa autem ciborum delectatio secundum se considerata, non contrariatur charitati, neque quantum ad dilectionem Dei, neque quantum ad dilectionem proximi, sed secundum quod additur inordinatio, potest quodammodo contrariari, & quodammodo non contrariari.* Et concludit infra: *Et ideo gula secundum rationem suæ speciei non habet, quod sit peccatum mortale.* Intellige de gula respectu delectationis ciborum.

24. Es tamen gula peccatum mortale in sequentibus: 1. Si quis propter gulam violaret præcepta Ecclesiæ. 2. Si, ut gulæ satisfaceret, non restitueret debita. 3. Si ex ejus gula scandalum aliis oriretur. 4. Si propter gulam explendam detrimentum grave familiæ inferret. 5. Si propter gulam suæ saluti graviter noceat. 6. extra necessitatem extremam carnibus humanis vesceretur. Tandem quando adhæret delectationi gulæ tamquam ultimo fini. *Ang.* 2. 2. *q.* 48. *a.* 2.

25. Quinque vitia ex gula oriuntur, quæ enumerat D. Thom. 2. 2. *q.* 148. *a.* 6. *Inepta lætitia*, quæ si in cantilenas, & choreas turpes, & alia similia erumpat, evadit mortalis. *Scurrilitas*, quæ dum in gestus impudicos prorumpit, vel in graves proximi subsanationes, etiam est mortalis. *Immunditia*, quia ex saturitate, vel emissio seminis, vomitus, aut alia vitia nascuntur. *Multiloquium*, aut inconsideratio in loquendo. *Hebetudo mentis*, quia turbatur ratio vaporum multitudine, & erit mortalis, si ad obeunda munia sui status reddatur inhabilis.

EBRIETAS.

26. Inq. 1. Quid sit ebrietas? R. est *voluntarius excessus in potu inebriare valente usque ad amissionem usus rationis.* Opponitur *sobrietati*, quæ est *virtus debite moderans appetitum, & usum potus inebriare valentis.* Unde *sobrius* idem est, ac *servans briam. Ebrius* vero dicitur, quasi *ebria*, seu *extra briam*, sive mensuram in potu, quam sobrius observat.

27. Est peccatum mortale ex sua specie. Patet ex 1. *ad Corinth.* 6. *Neque fornicarii, neque ebrii regnum Dei possidebunt.* Et ratio est: quia ebrietas est voluntaria, & violenta privatio usus rationis, quæ quidem mortalis est, cum sibi inferat grave damnum.

28. Quando ebrietas est voluntaria, omnia damna, & peccata subsecuta ex illa imputantur ebrio, si prævisa fuerunt: quia sunt voluntaria in causa. Unde *in cap. Mulieres, de sent. excommunic.* excommunicatur, qui in ebrietate occidit clericum, quia id antea prævidit. Illa autem damna, & peccata reputantur prævisa, quæ ebrius in aliis ebrietatibus expertus est commississe. Econtra vero non reputantur prævisa alia mala, quæ connexionem non habent cum ebrietate, nec ratione personæ, aut loci, nec ratione alterius circumstantiæ, sed casu eveniunt, aut ex malitia aliorum, qui ebrium ad mala provocant; & hujusmodi fuit incestus Loth, quem excusant D. Thomas, & D. Augustinus de peccato incestus, utpote inconnexus cum ebrietate. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 150. *a.* 1. & 2.

29. Si aliquis se inebriet non advertens periculum ebrietatis, ut fecit Noe, non peccat graviter, sed qui sæpe se inebriavit, excusationem non habet, quia sufficienter agnoscit hujusmodi periculum. Unde non solum illi, qui de facto se inebriant, sed qui se exponunt periculo ebrietatis, graviter peccant. Similiter potantes usque ad mentis turbationem, quia calefacti vapore vini, magis inardescunt ad bibendum, & vix continere se valent, nec advertere possunt futura absurda, quæ ex tali potatione plerumque proveniunt.

30. Qui alium ad ebrietatem inducit, le-

lethaliter peccat : quia est causa talis ebrietatis. Idem est de illis, qui ad æquales calices, vel haustus se provocant: quia ad minus se exponunt ebrietatis periculo.

31. Caupones, seu vinitores, aut vendentes vinum tenentur, quantum possunt impedire excessum in potu, & denegare petentibus, quando agnoscunt certo moraliter esse inebriandos, vel inebriatos ; alias cooperantur eorum peccatis: nec excusantur ex eo, quod amittant emolumentum, aut lucrum: quia hoc non prævalet gravi damno spirituali proximi. Verum in dubio non tenentur abstinere a vini venditione, nec anxiari pro inquirendo eventu futuro.

32. Ex dictis sequitur 1. Ebrietatem esse peccatum mortale non solum dum actu privat usu rationis, sed etiam dum quis exponitur periculo talis effectus ; quia licet totaliter non amittat usum rationis, si tamen se ingurgitet usque ad vomitum, vel ita ut pedibus vacillet, duplicia cernat objecta, domus in girum duci sibi videatur, aut lingua titubet, proculdubio tamquam ebrius reputandus est: In quo notari oportet, in ebrietate esse plures gradus, sicut etiam varia temperamenta hominum : unde potus moderatus respectu unius, erit excessivus respectu alterius, propter debilem capitis complexionem : quomodocumque ergo verificetur ebrietas sive ex parvo, sive ex longiori potu, vel periculum illius, erit peccatum lethale. *Ang.* 2. 2. *q.* 150. *a.* 2.

33. Sequitur 2. Confessarium non posse absolvere ebriosos, priusquam sufficienti experientia testimonium reddant suæ emmendationis, pro quo nota differentiam inter ebrium, & ebriosum : quod ebriosus significat habitum, ebrius vero actum. Ebrius est, qui ob nimium potum caret actualiter usu rationis ; ebriosus vocatur, qui consuetudinem se inebriandi habet. Igitur ebriosus nequit absolvi, si semel admonitus reddit ad vomitum. Hujusmodi potatoribus debet Confessarius jubere, ne de cætero accedant ad locum, ubi periculum adest se inebriandi, & assignare mensuram, a qua nequeant excedere, quamque in sua domo cum familia hauriant. Et nisi majori, qua possit severitate, illos avertere ab hoc miserrimo vitio studuerit, in dies incrementum accipiet : nam alia vitia ætate decrescunt, hoc vero cum senectute augetur. Severissimi ergo sint Confessarii in arcendo, & deterrendo ebrietatis crimine, presertim si illud inveniant, quod absit, in clericis, & aliis in dignitate, aut officio publico constitutis, qui tanto gravius delinquunt, quanto majus scandalum præbent. *Vide cap. Acrapula, de vita & honest. cleric.*

34. Sequitur 3. Non posse impertiri absolutionem, neque ministrari Eucharistiam ebrio moribundo : quia non solum est incapax ob carentiam usus rationis, sed etiam ob crimen, & peccatum ebrietatis, & idem dicendum est de extrema unctione. Verum si ebrietas non fuerit completa, aut voluntaria, & dederit signa doloris, poterit absolvi, & ungi, & etiam sacramento Eucharistiæ refici, dummodo absit irreverentia. Si tamen solitus sit se voluntarie inebriare, idem etiam nunc præsumitur, quia ex communiter contingentibus judicium faciendum est.

35. Inq. 2. An ebrietas ita sit intrinsece mala, ut nec ex præscripto medicorum possit quis se inebriare ad recuperandam sanitatem, alio medio deficiente ? R. quod in hac controversia satis implexa duplex militat opposita sententia : utraque gravi authoritate intrinseca, & extrinseca munita, quin aperte constet, quæ magis consonet menti D. Thom. Aliud tamen mihi videtur bibere vinum ad se inebriandum, & aliud bibere illud ad se sanandum. Si igitur hoc secundum ex præscripto medicorum, ad quos præcipue spectat judicare de mediis ad sanitatem, necessarium omnino fuerit, licitum reputo : quia bibere vinum ex se est licitum, si autem potu longiori corpus indigeat ad salutem, non vitium, sed medicamentum reputandum est. Sicut enim alia medicamenta ministrantur a medicis ad capiendum somnum, vel ad alios effectus, quibus ratio ad tempus obnubiliatur, quin ob id illicita censeantur, ita de vino philosophari valet.

36. Verum nec ad vitandam mortem ab alio inferendam, vel aliud quodcumque nocumentum extrinsecum evadendum licet se, aut alium directe inebriare ; quia

tunc non est medium naturale ad tale malum vitandum. Imo qui reum ad mortem damnatum, & rite dispositum inebriaret titulo pietatis, ut cruciatus non sentiret, graviter peccaret ob eamdem rationem. Idem est, si quis se inebriet ad vomitum procurandum, quia ad hunc effectum sunt alia media, ut inquit D. Th. 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. *ad* 3.

IRA.

37. *Ira* est *accensio sanguinis circa cor.* Unde dicitur *appetitus vindictæ.* Est duplex, una ordinata, quę non est peccatum, ut cum Superiores irascuntur culpis subditorum: juxta *illud Psalm.* 4. *Irascimini, & nolite peccare*; quæ quidem gladium justitię est. Altera inordinata, de qua in prȩsenti, & potest definiri: *appetitus inordinatus vindictæ.* Inordinatio autem aliquando est ex parte modi: ut si nimirum interius exardescas, vel exterius per signa, aut verba nimis ostendas; & ex parte objecti, ut si injustam vindictam appetas.

38. Ira igitur culpabilis ex genere suo est peccatum mortale, quia contrariatur charitati, & justitię. Verum plerumque veniale est, sicut motus repentini, qui in appetitu sistunt. Et etiam ob parvitatem materię, ut quando levis vindicta proximo desideratur. Nota, quod ira est unica passio sine contrario. Unde solum cessare ab ea, vel mitescere opponitur ei negative, ait D. Thom. 1. 2. *q.* 23. *art.* 3.

39. Tres gradus irę exponuntur a Christo Domino *Matthæi* 5. Exprobrando errorem Scribarum, & Phariseorum, his verbis: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit gehennæ ignis.* Pro intelligentia textus, qui quidem difficilis apparet, notandum est, quod Phariseei solum homicidium opere consumatum credebant peccatum; animum vero, voluntatem, aut desiderium homicidii putabant licitum, sicut mechyam solo in corde conceptam. Ad profligandum ergo eorum errorem dixit.

40. *Primo*, quod peccat, qui inflammatus adversus proximum desiderat ejus homicidium, aut grave nocumentum, quod declarat, dicens: *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*: hoc est, pœna talionis dignus est divino judicio, cui peccatum internum patens est. *Secundo* exponit gradum iræ, cum quis hunc internum homicidii, vel injustæ vindictæ animum signo aliquo externo manifestat: *qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio.* Vox *racha* interjectio est, significans convitium, vel sine cerebro, vel morum pravitatem, vel fortunæ innanitatem. Denique distinguit tertium gradum iræ, seu appetitus injustæ vindictæ aliquo externo convitio consumatum: *qui dixerit fratri suo fatue*, id est exprobrando stultitiam, quæ est convitium priori gravius, *dignus erit gehennæ ignis.* Qui ergo ira succensus grave damnum proximo desiderat, peccat lethaliter: qui eadem ira exprobrat proximum, gravius peccat; gravissime autem, qui perfecta ira lædit illius honorem convitio stultitiæ. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 158. *art.* 5. *ad* 3.

41. *Ira*, velut vitium capitale, sex habet filias, nempe *indignatio*, & *tumor mentis*, quæ perficiuntur in corde. *Clamor*, *blasphemia*, & *contumelia*, quæ consumantur in ore: & *rixa*, quæ perficitur in opere. *Ang. ibi. a.* 7.

42. *Indignatio* est, cum quis non vult alium videre, nec cum eo conversari ob aliquod malum ab eo acceptum, saltem in apprehensione: regulariter est peccatum veniale, nisi adsit scandalum, vel cedat in notabile contemptum, damnum, aut odium talis personæ. Potest etiam sine culpa fieri ob rationabilem causam v. g. propter correctionem, ut in parentibus respectu filiorum, & Prælatis respectu subditorum.

43. *Tumor mentis* est *motus, seu æstus animi iracundi diversas excogitans vias vindictæ.* Erit mortalis, vel venialis juxta quantitatem mali, quod intenditur. *Clamor* est *inordinata, & confusa vocis elatio iram suam demonstrans.* Dum fit sine gravi scandalo est peccatum veniale, ut sæpe contingit in mulierculis, in quibus passio, plusquam ratio vociferatur; aliter autem erit mortale. De blasphemia, contumelia, maledictione, & rixa suis locis erit sermo. *D. Thom. ibi. a.* 7.

AC-

contra æternam legem Dei, per quam Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Pariter peccata contra rationis dictamen, quod est participatio legis æternæ, juxta illud *Psalm. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Unde de omni peccato verificatur esse contra legem Dei æternam, sive veram, sive existimatam, directe, aut immediate, aut indirecte, & mediate.

58. Objic. 2. Dantur peccata non solum mala, quia prohibita, sed etiam prohibita, quia mala, ergo hæc ante omnem legem, etiam æternam, sunt peccata. R. conc. antec. dist. conseq. Ante omnem legem *positivam*, conc. conseq. ante omnem legem *naturalem*, neg. conseq. Nam cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum, intelligitur comparative ad jus positivum, non ad jus naturale; quia relative ad istud, omne peccatum est malum formaliter, quia prohibitum. Si autem consideretur pro priori ad jus naturale, est malum, & peccatum fundamentaliter. Unde illud Apostoli ad *Rom. 2. Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, intelligitur, sine lege positiva, non sine lege naturali, quia omnis rationis compos illuminatur ab eo, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1.

59. Inq. 2. Quotuplex sit effectus peccati? R. ex peccato actuali personali duplex præcipue effectus oritur, nempe macula, & reatus ad pœnam. Ita Angel. 1. 2. *quæst.* 87. Macula peccati lethalis est *privatio gratiæ relicta ex peccato gravi.* Macula peccati venialis est *privatio fervoris charitatis.* Reatus ad pœnam est *condignitas ad pœnam subeundam.* Ipsa pœna non est effectus peccati directe, sed dispositive: quia pœna est bona, utpote justa. Unde non est malum puniri, sed fieri pœna dignum: neque pœna facit infamem, sed causa, ut patet in Christo Domino, qui acerbissimas pœnas, non pro sua, sed pro nostra causa gloriose pertulit. Alii assignant triplicem reatum ex peccato relictum: nempe reatum culpæ, reatum pœnæ æternæ, & reatum pœnæ temporalis.

60. Peccatum grave relinquit reatum ad pœnam æternam tam *damni*, quam *sensus.* De pœna damni constat ex illo Matth. 25. 41. *Discedite a me maledicti*: & de pœna sensus ibi: *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis suis.* Et 46. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Peccatum veniale ex se solum producit reatum ad pœnam temporalem; si autem simul cum gravi jungatur in altera vita, tunc per accidens punitur pœna æterna sibi proportionata: quia universaliter verum est, quod in inferno nulla est redemptio, nec adest ibi medium ad ejus remissionem. Imo voluntas damnati, utpote obstinata in malo, incapax, ac indigna est eam obtinendi.

Punctum II.

De divisione peccati.

61. Inq. Quotuplex sit peccatum? R. cum innumerabiles sint peccandi modi, peccatum plures habet divisiones, quarum præcipuæ sunt decem. *Primo* dividitur in *originale*, & *personale. Originale* est, quod a primo parente derivatur, & per originem transfunditur. *Personale* est, quod a propria cujusque voluntate committitur. *Secundo* dividitur peccatum personale in *actuale*, & *habituale.* Illud est *actualis violatio divinæ legis*, habituale vero est, *macula relicta in anima ex peccato præterito, non expiato per gratiam sanctificantem.* Datur etiam peccatum veniale *actuale*, & *habituale.* Illud est *actualis transgressio levis divinæ legis*: istud autem *diminutio fervoris charitatis, orta ex peccato levi actuali non dimisso*: quæ licet sit aliqualiter macula, non tamen proprie talis. *D. Thom. 1. 2. q. 72.*

62. *Tertio* dividitur in peccatum *commissionis, & omissionis.* Primum opponitur præcepto negativo, agendo id, quod per illud prohibetur. Secundum opponitur præcepto affirmativo, omittendo actum, qui ab ipso jubetur.

63. *Quarto* dividitur in *mortale*, & *veniale. Mortale* est & dicitur, quod occidit animam, privando eam gratia, quæ est vita illius in ordine supernaturali. *Veniale* est, quod non privat gratia Dei, nec ab eo animam avertit, sed reddit illam Deo minus gratam, tepefaciens charitatis fervorem. Dicitur veniale, quia le-

leviter offendit, & dignum venia potius, quam mortale reputatur: vel quia non tollit gratiam, quæ est principium veniæ. Aliæ differentiæ inter peccatum mortale, & veniale infra fusius exponuntur.

64. *Quinto* dividitur in peccata *carnalia, & spiritualia.* Illa dicuntur, quæ perficiuntur in carne, ut luxuria, & gula. Hæc sunt, quæ consumantur in mente, ut superbia, & invidia. Peccata spiritualia ex se sunt graviora quoad culpam, quia plus habent de aversione a Deo, quam de conversione ad creaturam. Carnalia plus habent de adhæsione, & conversione ad illam: unde per ista homo cum brutis magis convenit, & fit quodammodo brutalis, ut inquit D. Th. 1. 2. *q.* 73. *a.* 5. *ad* 3.

65. *Sexto* dividitur in peccata contra *Deum*, contra *proximum*, & contra *se ipsum*. Prima sunt specialiter contra Deum, ut hæresis, & blasphemia: Secunda specialiter contra proximum, ut furtum, & homicidium; tertia specialiter contra se ipsum, ut ebrietas, aut luxuria secum commissa. Dicitur *specialiter*, quia omne peccatum est contra Deum, & ipsum peccantem, ut ex se patet.

66. *Septimo* dividitur in peccata *cordis, oris, & operis.* Peccata *cordis* sunt, quæ consumantur in corde, aut cogitatione, ut delectatio morosa, odium, & similia. Peccata *oris*, quæ in ore consumantur, ut detractio, & blasphemia. Peccata *operis* sunt, quæ opere perficiuntur, ut furtum, aut homicidium.

67. *Octavo* dividitur in peccata ex *infirmitate*, seu *passione*, *ex ignorantia, & ex malitia.* Peccata ex infirmitate dicuntur peccata in Patrem: ex ignorantia in Filium, & ex malitia in Spiritum sanctum. Primi generis sunt, quæ ex gravi tentatione, aut instigatione perpetrantur. Secundi generis, quæ ex ignorantia vincibili, aut culpabili procedunt. Peccata autem ex malitia dicuntur, quæ ex mera electione voluntatis scienter, & ex industria committuntur. Etiam peccata ex prava consuetudine, aut habitu vitioso, vel ex ignorantia affectata, qua quis ignorantiam procurat, procedentia, dicuntur peccata ex malitia, ut docet D. Th. 1. 2. *q.* 78. *a.* 2. & 3.

68. *Nono* dividitur in peccata *propria*, & *aliena*. *Propria* dicuntur, quæ ab ipso peccante committuntur. *Aliena*, quæ licet ab alio committantur, nobis tamen imputantur ratione consilii, suasionis, mandati, scandali, vel superioritatis, qua debuimus aliorum delicta compescere, ut contingit non raro in Principibus, Judicibus, Prælatis, Parochis, Parentibus, Magistris, & aliis, quibus aliorum cura incumbit.

69. *Decimo* dividitur in speciale peccatum contra Spiritum sanctum: quod dicitur tale, quia tendit præcipue contra bonitatem Spiritui sancto attributam. Sunt autem hujusmodi peccata sex: scilicet *desperatio*, *præsumptio*, *impugnatio veritatis cognitæ*, *fraternæ gratiæ invidia*, *impenitentia*, & *obstinatio.* Quæ quidem species distinguuntur juxta contemptum, seu remotionem eorum, quæ retrahunt hominem a consensu in peccatum. Unde *desperatio* removet spem divinæ misericordiæ. *Præsumptio* timorem Dei. *Impugnatio* tollit veritatem fidei inducentem ad bonum. *Invidia* aversatur auxilio gratiæ. *Impenitentia* respuit propositum pœnitendi, & omne, per quod poterat quis resipisci. *Obstinatio* denique despicit, quidquid potest avertere a peccato.

70. Dicitur *irremissibile* peccatum in Spiritum sanctum, non quia nequeant remitti serio pœnitenti, sed quia ægre, ac difficulter remittitur; cum tales peccatores raro agant sinceram pœnitentiam. Etiam dicitur *irremissibile*, quia pro tali peccato sæpe datur supplicium, & in hoc & in futuro sæculo. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 14. *a.* 2. & 3.

71. Tandem non defuere, qui aliam divisionem peccati actualis tradiderunt, nempe in pure *philosophicum*, & *theologicum.* Peccatum *philosophicum* est *actus humanus rationi naturali oppositus.* Theologicum vero est *gravis divinæ legis transgressio.* Hinc inferebant, quod peccatum philosophicum, quantumvis grave, perpetratum ab eo, qui actu de Deo non cogitat, aut recordatur, nec advertit ad legem, & offensam Dei, licet advertat ad oppositionem rectæ rationi, non esse offensam Dei, nec peccatum avertens a Deo, nec pœna æterna dignum. Ex quo plurima consequi absurda nemo ambige-

re

ACCEDIA.

44. *Accedia* est *tristitia de bono spirituali, in quantum bonum divinum est.* Odium Dei tristatur de bono divino prout in Deo : invidia prout in proximo; accedia prout in nobis. Si motus accediæ sit in sola sensualitate propter repugnantiam carnis ad spiritum, non excedit peccatum veniale, quia tantum est inchoata, & deest consensus, saltem plenus rationis. Est tamen ex genere suo peccatum mortale, quia opponitur charitati, affert enim tristitiam, & tædium de divina amicitia, eoquod per exercitia laboriosa virtutum servari debeat, & sic amicitia illam non curet. Verum si tristitia fuerit de operibus virtutum, ad quæ quis non tenetur, non erit mortale.

45. *Accedia* communiter usurpatur pro eo, quod est *torpor, aut pigritia mentis bona inchoare negligentis.* Importat quodam tædium operandi, & est quædam spiritualis frigiditas dicta ab *accido*, vel *acetoso*, eo quod hujusmodi frigida sunt. Hoc modo regulariter est peccatum veniale : advertas tamen esse valde periculosum statum accediæ, gignitque quemdam languorem spiritus, qui omnem humorem devotionis exsiccat, mentis soporem, & obscuritatem inducit, unde reddit animam ineptam ad vera, & solida virtutis officia. *Ang.* 2. 2. *q.* 35. *a.* 1. 2. & 3.

46. Dupliciter autem potest esse mortale. *Primo*, quando inducit ad mortalem omissionem, ut cum quis horret, & omittit spiritualia bona, ad quæ tenetur, aut dolet se bene fecisse, aut cum proponit in futurum omittere prædicta bona. *Secundo*, cum inducit ad mortalem commissionem, puta contemptum beneficiorum Dei, quia scilicet nollet esse natus, aut vellet esse bestia, vel desideraret vivere perpetuo in hoc mundo bonis temporalibus immersus.

47. Vitium hoc velut capitale sex habet filias, quæ sunt : *malitia, rancor mentis, pusillanimitas, desperatio, torpor, & evagatio mentis. Malitia*, prout in præsenti, est *voluntaria contemptio bonorum spiritualium, & eorum, quæ impedire possunt peccata.* Ut si quis impugnet res spirituales, doleat se esse Christianum, nosse Deum, & similia. Ex genere suo est mortale, & gravissimum, utpote peccatum in Spiritum sanctum. Claudit enim ostium ejus illustrationi. *Rancor mentis* est *amaritudo, & indignatio contra eos, qui ad spiritualia inducunt*, ut contra Superiores, Confessarios, & alios, qui illos corrigere, & illuminare conantur. Est veniale, si absit scandalum, nec illis optetur grave damnum. *S. Thom. a.* 4.

48. *Pusillanimitas* est *diffidentia, quæ homo fugit opera spiritualia, quæ suas vires non excedunt.* Opponitur directe magnanimitati. Est veniale, nisi quis omittat aliquid, ad quod tenetur sub mortali, ut in illo servo pigro evangelii, qui ob pusillanimitatem abscondit talentum in terra. *Desperatio* est *voluntas efficax, qua peccator abiicit salutem æternam, ex divina misericordia consequendam.* Est peccatum gravissimum, & si deliberate fiat, non admittit parvitatem materiæ.

49. *Torpor* est *animi ignavia, qua præceptorum observantia omittitur, aut negligenter adimpletur.* Huc reducuntur *somnolentia, otium, pigritia*, & similia. Ex genere suo est peccatum mortale. *Evagatio mentis* est *motus inquieti animi, quo quis ex tedio rerum spiritualium se transfert ad delectabilia exteriora.* Erit grave, aut leve peccatum juxta qualitatem objectorum. Evagatio potest esse per cogitationem, & dicitur *curiositas*, vel per locutionem, & dicitur *verbositas*, vel per actiones externas, & dicitur *inquietudo.*

50. Inq. 1. An passiones sint vitia, aut peccata ? R. neg. quia passio nihil aliud est nisi *quidam motus animæ sensitivæ ad bonum, vel malum.* Unde ex se nec sunt vitia, nec peccata, sed materia virtutis, aut vitii. Si enim discordant a ratione, sunt malæ, si vero subjacent imperio rationis, sunt bonæ, & sic fuerunt etiam in Christo Domino ordinatæ, & moderatæ a Verbo divino. Stoici censebant omnes passiones moderatas esse malas; Peripatetici autem passiones moderatas esse bonas, & hæc est vera sententia, ut ait D. Thom. 1. 2. *q.* 24. *a.* 1. & 2.

51. Inq. 2. Quot sint passiones animæ?

R. sunt undecim. Sex partis concupiscibilis, nempe *amor*, *odium*, *desiderium*, *fuga*, *gaudium*, & *tristitia*: quinque irascibilis, nimirum *spes*, *desperatio*, *timor*, *audacia*, & *ira*. Qui regit, subjicit, & vincit suas passiones, ita ut rationi obediant, est homo; qui ab eis vincitur, & regitur, est bellua. Amor proprius est Princeps omnium passionum, ac primum vivens, & ultimum moriens in homine.

52. Omnis homo plus minusve easdem habet passiones; sunt enim quædam affectiones, vel appetitus animæ sensitivæ connaturales. Differentia inter sapientem, & stultum, inter justum, & peccatorem stat in earum cohibitione, vel dissolutione. Justus moderatur, & ordinat eas ad metam rationis; peccator vero abiens post eas, fit sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Optime dixit sancta Theresia, quod terra non laborata producit tribulos, & spinas, & ita est intellectus, sive cor hominis; nam si negligit laborem regiminis, & mortificationis passionum, erit cor ejus sicut vinea pigri plena urticis, & spinis peccatorum. Ut autem accurate fugias adeo execrabile malum, perlege monitum salutare.

MONITUM.

53. Explicatio vitiorum deservire nobis debet, ut ea detestemur, horreamus, ac profligemus, sunt enim hostes nostri infensissimi, sicut Jebusæi populo Dei pergenti in terram promissionis. Exeramus ergo vires, strenue dimicemus, debellemus monstra vitiorum, ut pateat nobis via ad Jerusalem cœlestem: nam regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vincenti dabitur manna absconditum, nomen novum, & corona vitæ.

54. Arma militiæ nostræ sunt cœlestia, quibus præcincti gloriosam reportabimus victoriam. Superbia vincitur humilitate, avaritia liberalitate, luxuria castitate, ira patientia, gula temperantia, invidia charitate, & accedia cum diligentia.

CAPUT III.

De peccatis in communi.

SOboles vitiorum sunt peccata: unde postquam de illis actum est, de istis, quorum notitia valde necessaria est Confessariis, sermo nobis erit in hoc capite, prævia doctrina D. Thom. 1. 2. *q.* 71. *& alibi.*

PUNCTUM I.

Notio, & effectus peccati.

55. Inq. 1. Quid sit peccatum? R. est *dictum*, *vel factum*, *vel concupitum contra legem Dei æternam.* Dicitur *dictum*, *factum*, *vel concupitum*, ut indicet omnia peccata cordis, oris, & operis. Licet enim malitia primario sit in actibus voluntatis; tamen intrinsece reperitur etiam in aliis potentiis, ut in irascibili, motis a voluntate: ac denominative, & extrinsece in membris corporis, & sensibus externis. Quamvis autem prædictis particulis solum videatur exprimi peccatum commissionis; verum re ipsa etiam comprehenditur peccatum omissionis: quia *affirmatio*, *& negatio reducuntur ad idem genus*; *sicut in divinis genitum*, *& ingenitum ad relationem*, *& ideo pro eodem est accipiendum dictum*, *& non dictum*, *factum*, *& non factum*, inquit D. Thom. ubi sup. a. 6. ad 1.

56. Dicitur *contra legem Dei æternam*, quia omne peccatum est contra æternam Dei legem, quæ tamquam regula suprema ab actionibus humanis inspici debet. Hinc omnis actus humanus, carens debita commensuratione ad illam, evadit malus, ac peccaminosus, unde præfatam peccati diffinitionem a D. Augustino traditam, ut rectam defendit D. Thomas. ibi.

57. Objic. 1. Peccata contra præcepta humana non sunt contra legem æternam, sed humanam. Similiter peccata contra conscientiam erroneam nullam legem re ipsa violant, ergo non omne peccatum est contra legem Dei æternam. R. quod peccata contra præcepta humana tendunt, non quidem immediate, sed mediate, con-

re jure valet. Nam licet intellectus possit in peccato percipere distincte utramque oppositionem rectæ rationi, ac legi divinæ; nunquam tamen possunt separari: quoniam idem actus humanus oppositus rectæ rationi simul est inseparabiliter oppositus divinæ legi, & consequenter peccatum philosophicum, & simul theologicum pœna æterna dignum, supposita materiæ gravitate.

72. Unde merito anno 1690. Alexander VIII. confixit sequentem propositionem. *Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; theologicum vero, & morale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

Punctum III.

De peccato originali.

73. Inq. 1. Quid sit peccatum originale? R. est *privatio voluntaria justitiæ originalis.* Dicitur *voluntaria*, *non formaliter*, *& physice*, aut per modum exercitii; sed *terminative*, & *moraliter* per modum *effectus* in ordine ad voluntatem Adami, quatenus ex Dei pacto posterorum voluntates continebat. Peccatum enim originale non est actuale, sed velut habituale, causatum ex Adami peccato, quod propterea vocatur originale *originans*, quia fuit origo nostri peccati, quod appellatur originale *originatum*, hoc est, a peccato Adami nobis transfusum. Primus omnium, qui aperte negavit peccatum originale, fuit Pelagius; deinde plures stulti, licet secundum carnem sapientes; sed hunc errorem damnat fides catholica, dicens peccatum originale Adæ posteros contrahere: quod satis declarat ipsa corruptio nostræ naturæ, quæ non a Deo, sed a peccato eam misere hæreditavit.

74. Additur *justitiæ originalis.* Pro cujus luce nota, quod justitia originalis tria conferebat. *Primum*, subjectionem mentis, seu rationis ad Deum. *Secundum*, subjectionem virium inferiorum ad rationem. *Tertium*, subjectionem corporis ad animam: quorum primum per gratiam habitualem præstitum, causa erat secundi, & tertii. Illa enim gratia habitualis licet non differebat specifice a gratia sanctificante, quæ nunc justis confertur; ornata tamen erat speciali modo rectificandi omnes vires, ac potentias hominis. Unde peccatum originale formaliter consistit in privatione gratiæ animam sanctificantis; hæc enim erat potissimus effectus, & primarius justitiæ originalis; sicut nunc gratia sanctificans est primarius effectus baptismi, qui vere delet peccatum originale, ut fides docet contra Calvinum, & alios hæreticos putantes illud per baptismum tegi tantum, aut radi, non deleri, aut remitti. Ita Concil. Trid. *sess.* 5.

75. Inq. 2. Quod fuit primum peccatum Adæ, unde cætera prodierunt? R. fuit superbia, qua proprium bonum præter mensuram a Deo præfinitam appetiit, puta quamdam Dei similitudinem, præcipue circa scientiam boni, & mali. Prob. *ex Eccles.* 10. *Quoniam initium omnis peccati superbia.* Hanc sententiam communiter propugnant omnes Theologi contra Scotum, cum aliis putantem fuisse quamdam *philautiam*, seu indulgentiam, aut complacentiam erga uxorem suam. Pro quo observa, quod sicut Eva plura perpetravit crimina in essu pomi, ita & Adam. Peccata Eva fuere error, quo credidit serpenti suggerenti pomi essum 2. inobedientia, qua mandatum Dei violavit. 3. gula, qua pomum comedit; 4. scandalum, suadens marito comestionem, 5. vana excusatio, qua in serpentem culpam rejecit. Peccata Adami fuerunt nimia condescentia cum uxore, quam debuit corrigere, ac ejus suasionem serio compescere, comestio pomi, violatio divini præcepti. Igitur hæc crimina orta fuisse tamquam ex radice ex superbia asserimus, quia Adam non fuit seductus, uti fuit seducta Eva; neque hæc, aut aliqua concupiscentia illum dejicere potuit, qui justitia originali gaudens, ab omni carnis rebellione immunis erat, ergo primum ejus peccatum fuit superbia, ex qua inobedientia, & cætera crimina prodierunt. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 163. *art.* 1.

76. Inq. 3. Quomodo peccatum originale in posteros transfundatur ? R. traduci per seminalem propagationem in omnes Adæ filios, excepta beatissima semper virgine Maria, quam ab omni labe, vel umbra peccati, singulari privilegio, condigne utique Dei matri, fuisse omnino præservatam, piissime credimus. Nam sicut ante peccatum erat ex Dei pacto virtus in semine Adam ad transfundendam cum natura justitiam originalem in posteros ; ita potius post peccatum est infectio in eodem semine ad traducendum in eos peccatum originale. Igitur Adami peccatum fuit causa efficiens moralis privationis justitiæ originalis transfundendæ in filios ; semen autem instrumentum illius, ipsum denique peccatum transfusum est quidam habitus corruptus inficiens naturam humanam.

77. Inq. 4. Ubi recipiatur immediate peccatum originale ? R. in anima, sicut hæc immediatum est subjectum gratiæ, quæ illud expellit, ac delet. Ex anima autem illo maculata extenditur infectio ad potentias. Quantum ad inclinationem ad malum prius inficitur voluntas, ex qua aliæ potentiæ habent, quod sint susceptivæ culpæ. Ex his, quæ magis inficiuntur, est vis generativa, vis concupiscibilis, & sensus ; quia istæ potentiæ proximius deserviunt ad producendam naturam media generatione : prima per modum exequentis, secunda per modum appetentis, & tactus per modum sentientis, & quasi nuntiantis delectationem.

78. Inq. 5. An siquis miraculose absque seminis commixione ex aliqua materia, vel etiam ex humana carne formaretur, contraheret peccatum originale ? R. negat. quia ille non descenderet ab Adam per seminalem propagationem : ita D. Thom. *q.* 81. *a.* 4. Idem dicas de eo, qui ex solo semine mulieris formaretur ob eamdem rationem. Idem teneas in hypotesi possibili juxta plures, juxta alios impossibili, quod mulier ex aliquo bruto conciperet : talis enim proles non esset Adæ filius per virilem propagationem : qua etiam ratione, si, Eva peccante, Adamus non peccaret, filii eorum peccatum originale non contraherent : quia principium activum generationis vitiatum nullo modo esset, nec pactum cum Eva fuit, sed cum Adamo. Contraheret autem originale, qui, ex semine viri ad vulvam fœminæ extraordinario modo transportato, formaretur, quia ex virili semine descenderet. Peccatum veniale nequit conjungi cum solo originali, nec esset locus pro ejus punitione juxta D. Th. 1. 2. *q.* 89. *a.* 6.

79. Inq. 6. In quo consistat potentia peccandi ? R. consistere in deficientia voluntatis creatæ, connotando personam creatam : nam eo ipso, quod hæc sit creata ex nihilo, est defectibilis. Unde potentia peccandi non est proprie causa efficiens, sed deficiens. Ideo non provenit a Deo, sed a creatura. Sicut claudicatio non provenit a potentia loco motiva, sed a defectu tibiæ.

80. Inq. 1. An Adam fuerit salvatus? R. affirm. quia per nongentos annos simul cum Eva fecit pœnitentiam. Est traditio adeo certa inter SS. Patres, ut Encratitas Taciani discipulos negantes damnent erroris. Utrique ergo remissum fuit peccatum personale, & diuturna pœnitentia excellenti sanctitate floruerunt. Si fuerunt primi peccatores, fuerunt etiam primi pœnitentes ; ideo debemus eis specialem devotionem, & reverentiam, tanquam sanctis, & primis parentibus, quos, si secuti sumus errantes, sequamur pœnitentes, & mereamur, ut de nobis dicatur, quod de Adamo feliciter prædicatur : Sap. 10. *& eduxit illum a delicto suo.* Vide Alapide in hunc textum.

Punctum IV.

De effectibus peccati originalis.

81. Inq. Qui sint effectus peccati originalis ? R. tot esse primæ culpæ Adam effectus funestos, quod vix queant enarrari, licet quotidie illos deploremus. Aliquos autem exponere congruum censemus, ne candidati jejuni penitus eorum notitia abeant. Primus igitur effectus originalis peccati est privatio justitiæ originalis, prout innuitur supra. Ex isto effectu tragico remansit homo sauciatus quoad omnes potentias animæ, ac corporis ; prius autem quoad intellectum, & voluntatem. Intellectus quatuor contraxit vulnera : 1. est ignorantia rerum, etiam ne-

necessariarum ad vitæ conservationem. 2. fatuitas, & mentis hebetudo. 3. difficultas discendi, ac scientias comparandi, ex quo tanta opinionum varietas originem ducit. 4. animi levitas, & continua mentis evagatio, qua fit, ut necessariis, & gravioribus neglectis, vana, & inutilia plerumque, etiam inviti, mente geramus. Adeo ut, dum seria meditari volumus, vanis cogitationibus distrahamur, maxime dum attente orationi vacare conamur. *Ang.* 1. 2. *q.* 85. *a.* 3.

82. Voluntas alios quatuor contraxit morbos. Primus est inordinatus amor erga se ipsam, quo fit, ut omnes quærant, quæ sua sunt: hinc autem curæ, formidines, invidiæ, lites, rixæ, mærores, dissidia, insidiæ, bella, & flagitia. 2. difficultas in declinando a malo, & bonum sequendo. 3. continua inconstantia, ac etiam in se ipsam pugna, qua in duas factiones divisa vult, & non vult, amat, ac odit. 4. languor liberi arbitrii ad bonum sectandum. Nota tamen, quod licet liberum arbitrium ex primo peccato languens, ac vulneratum manserit; non vero extinctum, aut mortuum, ut contra Lutherum, & Calvinum, declaravit Trident. *sess.* 6. *can.* 5. Nam culpa Adami expoliatus est homo omni dono supernaturali, exceptis fide, & spe, quæ etiam in peccatore remanent, ut facilius resurgat. At nihil de naturalibus amisit, quare communis Patrum sententia tenet, naturalia in Dæmonibus integra permansisse. Solum igitur verum est, quod per originale homo gratuitis spoliatus, & in naturalibus vulneratus remansit. Est quippe quidam languor propudiosus a primo parente hæreditatus. *Ang. ibi.*

83. Pars etiam sensitiva, quæ in *concupiscibilem*, & *irascibilem* dividitur, maxima contraxit vulnera. Præcipuum est illa continua perduellio, & pugna contra superiorem animæ partem, quam concupiscentia singulis momentis usque ad mortem concitat. Hæc est illa lex repugnans legi mentis Apostoli. Hic est hostis ille domesticus, & truculentus, quem nec fugere, nec fugare valemus, & dicitur *fomes*, relictus in baptizatis ad agonem, ut ait Trid. *sess.* 6.

84. Quantum ad corpus similiter difficile numerari queunt languores, ac miseriæ, quæ ex prima culpa prodiere. Nam indigentia cibi, ac potus, omnium animalium, & elementorum conspiratio, nuditas, dolores, morbi, cæteræque calamitates, ac denique ultima omnium terribilium terribilior, nempe mors, stipendia sunt peccati. Unde constat, Adamo non peccante, ipsum cum reliquis innocentibus, elapso congruo tempore, vivos, mortis stipendio non accepto, in cœlestem patriam feliciter migraturos: quia per peccatum intravit mors in mundum, ergo secluso peccato, minime introisset, saltem quoad illos, qui justitiam originalem semper custodissent. *Ang. ibi. a.* 6.

85. Pœna damni etiam est effectus peccati originalis; ita ut parvuli decedentes cum illo arceantur ab æterna Dei visione: quia nihil coinquinatum, aut non ablutum baptismo fluminis, flaminis, aut sanguinis potest introire regnum Dei. Verum non patiuntur pœnam sensus, quia hæc respondet peccato personali, & conversioni ad objectum vetitum: in parvulis autem non datur talis conversio, sed sola aversio a Deo ex primo parente tradicta. Nec patiuntur aliquam tristitiam ob carentiam visionis beatificæ: quia illam omnino ignorant, nec agnoscunt esse sibi consequibilem. D. Thom. *in Append. Supplem. a.* 2. Ex hucusque dictis observa, quam misere aberrarunt Lutherus, & Calvinus cum suis asseclis contendentes peccatum originale esse formaliter ipsam concupiscentiam, ideoque per baptismum non deleri, sed tegi tantum. Pariter Illiricus Lutheranus fingens originale peccatum esse quamdam substantiam a Dæmone productam, quorum errores justissime proscripti sunt ab Ecclesia.

86. Alius error his affinis merito confixus est: nempe *infidelem in omni opere peccare*, quia est infectus peccato originali, & ex mala radice nequeunt produci nisi fructus mali. Verum si hoc probaret intentum, de quolibet in peccato lethali existente idem esset dicendum: sed utrumque est omnino falsum, & error manisfestus. Pro cujus intelligentia nota, quinque esse operum genera: nempe *viva*, *quasi viva*, *mortifera*, *mortificata*, & *mortua*. *Viva* sunt, quæ fiunt in gratia, & quamdiu hæc perseverat, remanent viva. *Quasi viva* dicitur poni-

nitentia sacramentalis a plerisque, dum impletur in lethali, quia fuit viva in radice; nimirum in sacramento. *Mortifera* sunt ipsa peccata gravia, quia mortem animæ afferunt, seu inferunt. *Mortificata* sunt opera bona facta in gratia; sed adveniente peccato, privantur vita, & sunt mortificata: dum autem peccator recuperat gratiam, redeunt ad vitam. *Mortua* denique sunt opera, alias bona, in peccato facta. Igitur licet opera ex se bona facta ab infideli, vel a peccatore sint mortua, non tamen mortifera. Esto non sint meritoria vitæ æternæ, non tamen sunt demeritoria. Quis enim sibi suadere valet, quod honorare parentes, assurgere majoribus, superioribus obedire, servare justitiam, dare cibum esurienti, potum sitienti, & his similia facta ab infideli, vel ab alio peccatore, honestate naturali non sint bona moraliter? Vel quod nequeant fieri generali Dei concursu absque auxilio speciali? Maneat ergo, quod licet peccatum originale, vel quodlibet aliud habituale inficiat subjectum, non tamen ejus opera in linea morali. D. Thom. 1. 2. *q.* 85. *a.* 3.

Punctum V.

De peccato commissionis, & omissionis.

87. Inq. 1. In quo consistat essentia peccati commissionis? Supponimus in quolibet peccato commissionis duplicem dari conceptum, nempe tendentiam ad objectum vetitum, quod est quid positivum, & carentiam rectitudinis sibi debitæ, quæ est quid privativum. Dubium igitur est, an essentia peccati commissionis in aliquo positivo, vel in sola privatione sita sit? R. peccatum commissionis consistere in malitia positiva, quæ ex consequenti infert privationem rectitudinis: quoniam primum, quod invenitur in peccato commissionis, est tendentia positiva ad objectum dissonum, ideo enim actus peccaminosus caret debita rectitudine, quia tendit in objectum dissonum, ergo peccatum commissionis consistit in aliquo positivo ex consequenti inferente rectitudinis privationem. Nam peccatum non est privatio pura sicut tenebræ, sed aliquid positivum, ut docet Angel. his verbis: *Peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus.* 1. 2. *q.* 72. *a.* 1. *ad* 1.

88. Inq. 2. In quo consistat essentia peccati omissionis? R. consistere in privatione voluntaria, seu in omissione actus præcepti. Taliter quod actus solum potest concurrere ad ejus essentiam constituendam, ut causa, aut occasio omittendi, quod utique requiritur, ut omissio sit voluntaria; alias non esset peccaminosa, ut in eo, qui invincibiliter oblitus omitteret adimplere præceptum.

89. Inq. 3. An peccata commissionis, & omissionis sint ejusdem speciei moralis, quando ex eodem motivo procedunt? R. affirm. quia peccata differunt specie ex motivis specie diversis, ergo quando peccata commissionis, & omissionis idem habent motivum, non differunt specie. Unde si non pavisti, occidisti. Verum, cæteris paribus, gravius est peccatum comissionis, quam omissionis, quia illud directe contrariatur virtuti, secus istud; plus enim peccat positive occidens, quam non pavens, plus qui odit, quam qui non diligit. D. Thom. *ibi. q.* 72. *a.* 6.

90. Inq. 4. Quando vitientur actus, qui ad omissionem culpabilem concurrunt? Pro resolutione nota *primo*, quod ad omissionem peccaminosam semper requiritur, ut dictum est, aliquis actus, qui vel sit causa talis omissionis, ut *nolo audire sacrum*, vel occassio illius, ut venatio, ludus, aut somnus tempore, quo urget præceptum. *Secundo*, quod talis actus potest se habere mere concomitanter, nullo modo influens in omissionem, supponensque omnem causam intrinsecam, & extrinsecam illius. Tertio, quod tales actus possunt ex se esse boni, vel indifferentes, ut venatio, aut studium, vel possunt esse mali, ut furtum, aut homicidium. Quibus notatis.

91. R. 1. Actus, qui sunt causa, vel occasio omissionis culpabilis, esto alias sint boni, vitiari ab omissione, proindeque esse malos, quia sunt causa illius: non quidem diversa malitia, sed eadem, qua ipsa omissio. Unde actus, & omissio (hoc est omissio sacri in die festo propter studium) unicum moraliter constituunt peccatum; ideo enim in hoc casu est malum studium, quia est causa

omit-

omittendi sacrum, ergo simul cum omissione unum tantum constituit peccatum.

92. R. 2. Actus pure concomitantes omissionem culpabilem non vitiari ab illa, quia eo ipso, quod non influant in illam, vitiari ab illa nullatenus valent. Decrevisti non audire sacrum in die festo, eo pergis, ubi jam sacrum audire non potes. En completam omissionis causam. Ibi tempore sacri das operam ludo, aut studio: hi actus sunt mere concomitantes, nullo modo influentes in omissionem, ac propterea ejus malitiæ expertes.

93. R. 3. Quando actus ex natura sua malus est causa omissionis, ut dum omittitur sacrum ob furtum perpetrandum, tunc tam actus, quam omissio induunt circumstantiam notabiliter aggravantem, quia gravitas omissionis augetur, prout ejus causa gravior est. Unde in confessione explicari debet utrumque peccatum, prout causa, & effectus: quia Confessarius diversum efformat judicium de omissione simplici, ac de omissione ex tali circumstantia proveniente.

Punctum VI.

De omissione respective ad suam causam.

94. Inq. 1. Quando incipiat, & compleatur peccatum omissionis? R. tunc incipere, quando sequitur ipsa omissio. Nam qui directe vult omittere sacrum, peccat tempore, quo elicit hunc actum, qui est causa omissionis; complet vero peccatum, quando urget præceptum, & re ipsa omittit. Ita qui voluntarie ponit causam impedientem auditionem sacri, indirecte vult non audire sacrum: qui enim vult causam, saltem indirecte vult effectum. Imo qui scienter, aut ignorantia vincibili ponit causam omissionis, tunc peccat, esto omissio non sequatur: sicut qui se exponit periculo peccandi, peccat, licet peccatum, cujus periculo se exposuit, non sequatur. *D. Th.* 2. 2. *q.* 79. *a.* 3. *ad* 3.

95. Inq. 2. An omissio voluntaria in causa sit in se formaliter peccatum, etiam respectu ebrii dormientis, aut alterius tunc non sui compotis? R. affirm. quia ut aliquid sit formaliter peccatum, sufficit, quod in causa, aut indirecte sit voluntarium, ut patet in eo, qui ignorantia vincibili peccat; sed omissio sacri respectu dormientis voluntaria est in causa, quando antea fuit prævisa, ergo est in se formaliter peccatum. Unde *in cap. Mulieres, de sentent. excommun.* dicitur incurrere excommunicationem majorem illum, qui se inebriat, prævidens clerici occisionem, hac secuta: excommunicatio autem non incurritur nisi propter peccatum. Consonat huic doctrinę D. Thom. asserens esse peccatum pollutionem in somnis habitam ex turpi cogitatione, vel ex alia causa prævisa secutam. 3. *p. q.* 80. *a.* 7.

96. Objic. Præfata omissio non est libera respectu dormientis, ergo nec peccatum. R. præfatam omissionem esse liberam dormienti indirecte, & in sua causa, quod sufficit ad peccatum formale. Nec obest replica: eo modo est peccatum, quo liberum; sed liberum est solum in causa, ergo ita etiam peccatum. Nam negatur major: quia ebrietas ipsa est peccatum in se, quin in se sit libera. Item actus exterior est in se peccatum, quin sit in se formaliter liber, libertas enim formalis solum sistit in voluntate. Ita igitur actus, seu omissio in se non libera, potest esse in se peccatum, ex libertate priori, qua quis ipsam voluit directe, aut indirecte. *Ang.* 1. 2. *q.* 77. *a.* 7.

97. Objic. 2. Ergo Sacerdos volens ante somnum consecrare panem præsentem, proferens verba consecrationis in somno, valide consecrare poterit? R. neg. conseq. Disparitas consistit in eo, quod ad conficienda sacramenta requiruntur verba formalia humana, ad peccatum vero sufficit, quod sint hominis antea volentis illa proferre, uti nos asserimus de proferente in somno blasphemias prævisas. Hoc autem ideo est, tum quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Tum quia denominatio liberi solum est a voluntate: denominatio vero peccati etiam est ab objecto pravo. Unde stante objecto pravo, seu prohibito, & voluntate saltem indirecta, seu posita in causa, adest formaliter peccatum, quia malum ex quocumque defectu.

98. Replicabis, ergo qui voluntarie ap-

ponit causam propriæ gravis infirmitatis, prævidens omissionem sacri, & aliorum præceptorum, reus erit omnium omissionum. R. Conc. conseq. Sicut de Sacerdote projiciente breviarium in mare asseritur peccare, non solum dum projicit, sed etiam dum omittit recitare, donec vere pœniteat: ita in casu memorato. * Observa autem, quod omissiones, aut commissiones ex causa voluntarie posita efluentes, sive sint peccata in se, sive solum in causa, aperiendæ sunt in confessione, simul cum sua causa; quia peccata integre debent confiteri: hujusmodi autem omissiones, & commissiones sunt complementum peccati in causa voliti, ergo debent confiteri.

99. Inq. 3. Unde sumatur gravitas omissionis? R. Desumi ex gravitate, & nobilitate actus omissi: quia omnis privatio sumit gravitatem a nobilitate formæ, qua privat; sed omissio est privatio actus omissi, ergo, quo hic fuerit nobilior, erit illa gravior. Unde quia nobilior est actus religionis, quam abstinentiæ, gravior est omissio sacri, quam jejunii.

Punctum VII.

De differentia peccati mortalis, & venialis.

100. Inq. 1. An dentur peccata, quæ ex natura sua alia sint mortalia, alia venialia? R. affirm. Hæc assertio est de fide contra Calvinum, qui omnia peccata contendebat esse ex natura sua mortalia, & solis prædestinatis venialia, quia eis non imputantur: & contra Lutherum, qui omnia peccata infidelium putavit esse mortalia; fidelium tamen peccata esse venialia, præter infidelitatem, quam solam dicebat esse mortale peccatum: & adversus Bajum, cujus propositio 20. jure confixa est ab Ecclesia: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum mæretur pœnam æternam.* Igitur dantur peccata ex natura sua mortalia, ut quæ graviter offendunt charitatem Dei, & proximi, justitiam, & alias virtutes simpliciter tales: & etiam peccata ex sua natura venialia, ut simplex mendacium, verba otiosa, & similia. Quod intelligas *per se*, non *per accidens*; peccatum enim ex genere grave potest esse solum veniale, aut econtra. *Ang.* 1.2.*q.* 88. *a.* 1.

101. Inq. 2. Quæ sunt peccata, quæ non admittunt parvitatem materiæ? R. dari aliqua peccata, quæ deliberate perpetrata non admittunt parvitatem materiæ; quia in illis tota ratio offensionis in qualibet materia indivisibiliter continetur. Hujusmodi sunt odium formale Dei, infidelitas, hæresis, desperatio, perjurium, violatio sigilli sacramentalis, simonia, contemptus formalis Legislatoris, aut legis, luxuria, blasphemia, sumptio Eucharistiæ a non jejuno extra necessitatem, defectus in materiis, & formis sacramentorum, primę veritatis in juramento, atque ætatis ad ordines, ad professionem, & alia, quæ tendunt immediate contra Deum.

102. Inq. 3. In quo differant peccatum mortale, & veniale? R. multipliciter differre. Primo enim differunt in eo, quod mortale est mors animæ, quia privat eam gratia, quę est vita spiritualis, ideoque dicitur mortale. Veniale vero solum privat fervore charitatis, non gratia, quæ est principium veniæ, unde dicitur veniale. 2. Mortale, quantum est ex se, destruit Deum; non ita veniale. 3. Mortale tollit amicitiam Dei, veniale solum illam tepefacit. 4. Mortale a Deo avertit, veniale tantum divertit ab eo. 5. Mortale est gravis offensa Dei, veniale autem levis. Illa est offensa *simpliciter* infinita; ista tantum *secundum quid.* 6. Mortale est absolute contra legem; veniale dicitur præter legem. 7. Mortale deordinat voluntatem circa finem, veniale solum circa media ad finem. 8. Mortale maculat simpliciter animam; veniale tantum secundum quid. 9. Mortale meretur pœnam æternam damni, & sensus; veniale solum temporalem. Aliæ dantur differentiæ circa eorum remissionem. *D. Ang. ibi.*

103. Inq. 3. Per quæ media remittantur peccata mortalia, & venialia? R. quando simul adsunt, per eadem media remittuntur. Nempe per attritionem supernaturalem cum sacramento mortuorum: per attritionem supernaturalem *existimatam contritionem* cum sacramento vivorum: per actum contritionis, aut charitatis

ritatis, & per infusionem gratiæ, quæ directæ expellit peccata, sicut lux dissipat tenebras. Quando autem peccata venialia sunt separata a lethalibus, ut in homine justo, remitti valent tum per eadem media, tum per sacramenta vivorum, supposita eorum attritione, seu detestatione, & etiam per sacramentalia. Per sacramenta *ex opere operato*, per sacramentalia *ex opere operantis*, in quantum excitant ad eorum detestationem. Ratio cur venialia non remittantur, nisi per eadem media, ac lethalia, dum simul adsunt cum illis, est, quia existenti in lethali nullum veniale remittitur, quin per gratiam ei lethalia remittantur. Ex quo confirmatur, quod superius diximus, contra nonnullos oppositum sentientes, nullum veniale remitti in inferno, quia absente gratia nulla fit remissio. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 87 *a.* 5. *ad* 3.

104. Respectu autem justorum, qui cum aliquo veniali decedunt, ita loquitur Ang. D. in Append. Supplem. q. 2. a. 4. *Dicendum, quod culpa venialis in eo qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium, quia pœna illa aliqualiter voluntaria virtute gratiæ habitualis habebit vim expiandi culpam omnem, quæ simul cum gratia stare potest.*

105. Inq. 5. Quot, & quæ sint sacramentalia, per quæ venialia remittuntur? R. esse septem, nempe, ictus pectoris, benedictio Episcopalis, aqua benedicta, oratio Dominica, confessio generalis, panis benedictus, & eleemosyna, quæ hoc versu continentur.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Nota, quod in ly *confessus* includitur confessio generalis, & etiam ictus pectoris. Nota etiam sacramentalia non remittere peccata immediate, sed media eorum detestatione, vel in quantum movent ad reverentiam Dei, vel ad actum charitatis, aut religionis, ut docet D. Thom. 3. *p. q.* 87. *a.* 3.

106. Inq. 6. An aliquod peccatum remittatur, aliis non remissis? R. Existenti in lethali nullum peccatum, sive leve, sive grave remittitur, aliis non remissis: quia ad peccati remissionem debet in anima ingredi gratia, quæ omne expellit peccatum grave; sine gratia vero nulla est remissio. Peccata tamen venialia, supposita gratia, valent remitti aliqua sine aliorum remissione, vel media charitate, aut dolore, vel per sacramenta, vel per sacramentalia juxta eorum detestationem.

107. Inq. 7. Quomodo peccatum ex genere grave potest esse solum veniale? R. ex duplici capite posse id provenire: nempe ex imperfecta deliberatione, & ex parvitate materiæ in præceptis, quæ illam admittunt. Ratio primi est, quia actus subitus, seu indeliberatus non est perfecte actus moralis, ut patet in semidormientibus. Unde esto peccatum sit ex suo genere grave, manet veniale propter libertatis imperfectionem. Secundi ratio est, quia leviter agit contra legem, ut patet in modicum furante.

108. Inq. 8. Quomodo agnoscetur, quæ materia sit gravis, quæve levis? Triplex ad hoc assignatur regula. 1. Tunc gravis reputatur materia, quando actus præceptus valde conducit ad charitatem Dei, vel proximi: quando vero parum conducit erit levis. 2. Si res præcepta multum conducit ad finem Legislatoris, esto sit in se levis, judicanda est gravis: levis vero, si parum conducit 3 Si materia præcepta non admittit parvitatem, semper gravis est censenda: si illam admittit, inspici debet conditio personæ peccantis, finis legis, seu ordo ad ipsam legem, ex quibus gravitas, aut levitas venanda est. Difficillima sane est discretio inter peccata mortalia, & venialia, ita ut oculatissimos etiam sanctos Ecclesiæ Doctores non semel latuerit; ideo in re adeo obscura id, quod securius est, amplecti debet, dum veritas aperte haberi non possit. Nihil autem securius, quam cavere ab omni peccato.

Punctum VIII.

De transitu peccati alias venialis in mortale.

109. Inq. 1. An plura peccata venialia constituant unum mortale? R. neg. quia peccatum mortale meretur pœnam æternam, ac infinitam, veniale autem solum temporalem, & finitam; sed de fini-

finito ad infinitum non est proportio, nec accessus, ergo peccata venialia, quantumvis multiplicata nequeunt constituere unum mortale. D. Thom. 1. 2. *q.* 88. *art.* 4. *in corp.*

110. Disponunt tamen ad illud; quod fieri potest positive, & negative. Positive, generando in voluntate quandam pronitatem ad peccandum in illa materia circa quam frequenter delinquit. Nam qui frequenter leviter detrahit, disponitur positive ad graviter detrahendum. Negative, removendo remedia, quibus a peccato lethali custodimur. Sunt autem duo: unum ex parte Dei, paterna scilicet cura, qua uberiora animæ confert auxilia ad tentationes vincendas, & depellenda peccata, quorum fit indignus, qui frequenter venialia deliberate amplectitur. Alterum ex parte hominis, fervor nempe charitatis, quæ venialia minuit. Unde homo divinorum tædio affectus, amissoque eorum sapore, in delectabilia mundana diffusus, tentatione gravi exorta, facile succumbit; nam *qui spernit modica, paulatim decidet. Eccles.* 19. 1. D. Thom. *ubi supra. a.* 3.

111. Inq. 2. An peccatum veniale possit transire in mortale? R. 1. Eumdem numero actum in esse moris non posse successive esse peccatum veniale, & mortale: hoc est, peccatum veniale jam constitutum in esse talis non posse transire ad mortale, nec econtra; quia peccatum veniale, & mortale in esse moris essentialiter distinguntur. Potest autem idem numero actus in esse phisico transire successive de veniali in mortale: quia idem numero actus phisicus semideliberatus potest per continuationem fieri plene liber: ut contingit in semidormiente. Similiter eadem immoderata comestio carnis, quæ est veniale, transire valet in mortale, si continuetur die prohibito. *D. Thom. ibi. a.* 5.

112. Inq. 3. Quot modis peccatum ex se veniale possit fieri mortale? R. posse id multipliciter contingere. 1. Si in eo constituatur finis ultimus, ut si quis ita sit affectus levi gulositati, ut licet graviter a Deo prohiberetur, adhuc vellet ea frui. 2. Ex conscientia erronea: ut si putares simplex mendacium esse mortale, & illud proferres. 3. Ex fine: ut si tale mendacium ordinaretur ad seducendam puellam in actum pravum. 4. Ratione scandali; ut si surripias modicum quid a Petro, quem prævides ob id blasphemias prolaturum. 5. Ex contemptu formali Legislatoris, aut legis. 6. Ratione periculi, ut si loquaris seorsim cum fœmina, prævidens pejora inde secutura. 7. Ex damno; ut si auferas acum a sartore, sciens grave ei inde damnum adveniendum. 8. Ex unione morali plurium parvitatum quoad diem, subjectum, vel effectum. Quoad diem, ut si in die jejunii sumantur plures parvitates. Quoad subjectum, ut si a pluribus levia auferas. Quoad effectum patet in exemplo de acu, vel calamo sublato, unde provenit effectus graviter nocivus. Vid. *tract.* 3. *art. n.* 92.

113. Inq. 4. An lethaliter peccaret, qui nullum mortale, quæcumque vero venialia committendi propositum haberet? R. affirm. quia habens tale propositum se exponit positive, & negative periculo labendi in mortale, ergo graviter delinquit. Propositum enim admittendi omnia venialia non solum pronam efficit voluntatem ad mortale, sed deobligat Deum, ut sua specialia auxilia benigne largiatur, ac fervorem charitatis plurimum diminuit; unde positive, & negative ad mortale disponit, & ab eo parum abest. Ita Angelic. 1. 2. *q.* 88. *art.* 3. & 4.

114. Inq. 5. Quantum malum sit peccatum veniale? R. Vix credi, nec explicari valet; quia in primis minimum malum culpæ superat omne malum pœnæ etiam alterius vitæ. Ita ut quælibet culpa levis, utpote injuria facta Deo, detestabilior est omni pœna inferni. Unde omnes cœlites potius summa gloria, qua gaudent se privari, & ad inferos projici paterentur, quam minimum veniale in se admittere. Optime dicit sancta Theresia *cap.* 41. *Viæ n.* 3. se nescire, quomodo possit esse levis talis audacia contra Deum, dum fit ex professo. Est enim dicere: scio hoc displicere Deo, qui me videt, sed malo placere mihi. Quantum id displiceat Deo, patet ex illa levi noxa Prophetæ missi ad Jeroboam morte punita, ex repentina item morte Ananiæ, & Saphiræ; ex exclusione Moysis, & Aaron a terra promissionis. Ex tremendo

do suplicicio uxoris Lot ob levem culpam curiositatis, & omissis aliis maximis supliciis relatis in divinis scripturis & annalibus ecclesiasticis, patet etiam ex gravissimis tormentis, quibus animas sibi dilectas crutiat *Deus* pro venialibus per triginta, quadraginta, centum, & amplius annos voracibus flamis traditas in purgatorio. Agnosce pie lector malitiam culpæ venialis, perhorresce eam, fuge ab illa sicut a facie colubri, & mirare quam facile committitur, quod tam graviter puniri meretur. Vid. *Thom. in Supplem. q. 2. a. 1. App.*

PUNCTUM IX.

De habitu vitioso.

115. Inq. 1. Quid sit habitus vitiosus, seu habitus peccandi? R. Est *facilitas quædam orta ex repetitis actibus vitiosis ad similes actus vitiosos.* Distinguitur a peccato habituali in eo, quod ad hoc sufficit unum peccatum, ad illum vero generandum requiritur repetitio peccatorum: & etiam in eo, quod peccatum habituale grave est incompatibile cum gratia; sed habitus vitiosus, etiam gravis, est compatibilis cum illa; patet in homine vitioso, qui actum perfectę contritionis eliceret, aut sacramentum pœnitentiæ cum attritione sufficienti reciperet, & differt etiam ab occassione proxima: quia hæc habetur cum aliquo extrinseco; habitum autem vitiosum secum potest habere.

116. Inq. 2. An habitus vitiosus sit peccatum? R. habitus vitiosus, sicut consuetudo peccandi, potest quadrupliciter considerari. Primo, *active, & in fieri*; 2. *formaliter*. 3. *concomitanter*. 4. *consequenter*. Primo modo dicit actuum repetitionem, quo generatur habitus vitiosus, & facilitas peccandi in illa specie; idque circo fateri debet in confessione, quia cum advertat, vel advertere debeat constitui per illam facilitatem in periculo proximo ulterius labendi, in quo absdubio adest novum peccatum, hoc utique est in confessione aperiendum. Secundo modo nihil aliud est quam ipse habitus, qui peccatum distinctum ab eis, quæ ex eo proveniunt, non est. Tertio modo dicit voluntatem non expellendi ipsum habitum pravum, quo pacto est novum peccatum; ideoque in confessione manifestandum. Quarto denique modo dicit peccata ex habitu pravo consecuta, quæ nullus ambigit esse clavibus subjicienda. Uno verbo: licet habitus vitiosus formaliter sumptus non sit peccatum, debet pœnitens patefacere, si peccata proveniunt ex prava consuetudine, aut habitu vitioso. Quæ intelligenda sunt de habitu vitioso gravi: potest namque esse etiam levis; quando nempe oritur ex levibus peccatis, & tunc solum ab his, qui ad perfectionem tendere debent, necessario est in confessione aperiendus, si illam assequi velint.

117. Inq. 3. An idem sit habitus vitiosus, ac concupiscentia? R. neg quia habitus vitiosus producitur a peccatis iteratis, & semper est malus; at concupiscentia nec semper est mala, nec a peccatis repetitis generatur; sed est *quædam vis insita nobis ab Authore naturæ, qua appetimus ea, quæ non habemus*. Igitur concupiscentia est duplex. Una bona, altera mala. Bona est, qua medio ductu rationis appetimus nobis necessaria, aut utilia, potissimum spiritualia juxta illud Sapientiæ 6. *Concupiscite sermones meos*, & Eccles. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me*. Mala est, qua illicita appetuntur, prohibenturque nono, ac decimo Decalogi præcepto. Deuter. 5. 21. *Non concupisces uxorem proximi tui*. Et Exod. 20. 17. *Non concupisces domum proximi tui*. Unde in nono præcepto vetantur omnes illicitæ concupiscentiæ circa venerea, & in decimo omnes pariter illicitæ concupiscentiæ circa proximi bona. Itaque non est mala concupiscentia per rationem ordinata circa bona sive temporalia, sive æterna; mala vero est, quæ neglecta rationis regula, in illicita diffluit, rebellionique appetitus consentit. Idem teneas de omni appetitu naturali, ac de ira.

118. Inq. 4. An appetitum naturalem suis actibus frui sit vitiosum? R. affirm. quia appetitus naturalis debet uti, non frui suis actibus: hoc est, debet illis uti tamquam mediis a natura ad suos fines ordinatis, non illis frui tamquam finibus, ne pervertat ordinem naturæ, assumendo media tamquam finem. Unde co-

me-

medere, & bibere propter voluptatem est illicitum, idem de copula conjugali, & quacumque alia actione, ut de auditu musicæ, aspectu, aut olfatu florum, & cæteris, quibus non ad voluptatem, sed ad animum recreandum, caput confortandum, vel necessitati subveniendum uti, non frui, debemus. Vide suo loco proposit. 8. damnatam ab Innoc. XI.

PUNCTUM X.

De advertentia, & consensu ad peccatum requisitis.

119. Inq. 1. Quid requiratur ad peccatum? R. ad peccatum *ut sic*, requiritur aliqua advertentia ex parte intellectus, libertas, & consensus ex parte voluntatis, & materia prohibita. Ad peccatum vero grave requiritur advertentia perfecta, sive in communi, sive in particulari, & libertas perfecta sive in se, vel respective. Ad peccatum denique veniale requiritur, & sufficit aliqua advertentia, & consensus imperfectus circa objectum grave vetitum, aut perfectus consensus cum plena advertentia circa rem undequaque levem.

120. Pro cujus luce observa 1. quod triplex datur cognitio: nempe, *omnino indeliberata*, ut in motibus primo primis, qui omnem antevertunt reflexionem ad malum: *semideliberata*, ut in motibus secundo primis, qui accidunt cum imperfecta advertentia, velut in semidormientibus: & *plene deliberata*, ut in motibus perfecte cognitis, & a voluntate plene admissis: cum enim voluntas sit potentia cœca, & sequatur in omnibus ductum intellectus, juxta triplicem advertentiam ex parte intellectus respondet ex parte voluntatis, & appetitus triplex motus. Ex quibus primi immunes sunt a culpa; secundi non excedunt venialem; tertii gravis culpæ sunt obnoxii. Nulli autem eorum admittuntur in Christo Domino propter unionem cum Verbo, respectu cujus omnes motus fuerunt perfecte liberi; nec in B. V. tum quia eam contemplamur cum privilegio status innocentiæ, ubi non erat partis inferioris rebellio, quæ per culpam ad nos intravit; tum propter peculiarem assistentiam Spiritus sancti, cujus directio, ac cura circa hanc mirabilem creaturam ab omni labe culpæ penitus eam servavit immunem.

121. Observa 2. dupliciter posse cognitionem terminari ad objectum. Primo, agnoscendo illud secundum quod sibi est utile, delectabile physice, non cognita ejus malitia, aut prohibitione: ut qui die veneris nihil de prohibitione cogitans, carnes edit. Secundo, agnoscendo illud tam in esse physico, quam in esse morali, sive in communi, sive in particulari, sive ut grave, sive ut leve. In primo casu non adest culpa, sicut in eo, qui omnino oblitus diei festi, sacrum omittit, aut jejunium violat. In secundo adest major, aut minor culpa juxta gradum advertentiæ, & cognitionis.

122. Inq. 2. An qui ex oblivione, ignorantia, aut errore inculpabili omissit sacrum, jejunium, aut horas canonicas possit gaudere de sua omissione, laborisque inculpata excusatione? R. neg. quia licet dictæ omissiones excusentur a culpa propter oblivionem, sunt tamen in se malæ, utpote prohibitæ: ideo debet quis de eis potius tristari, quam gaudere. Maxime cum sit periculum alicujus negligentiæ, ac culpæ in ipsa ignorantia, aut oblivione. Nec est audiendus Tamburinus oppositum astruens lib. 10. in Decal. c. 5. §. 1. n. 2. solum ergo gaudere quis poterit de prædictis, aut aliis omissionibus, quando proveniunt ex dispensatione legitima, aut alia justa, & sufficienti causa. Unde numquam valet quis gaudere, nec delectari de homicidio, aut aliis actionibus in se malis, in somno, aut ebrietate perpetratis; quia objective, & ex sua natura sunt semper malæ, nec a malitia intrinseca possunt aliquando denudari.

123. Inq. 3. An voluntas debeat positive resistere motibus concupiscentiæ, seu appetitus sensitivi circa objectum graviter prohibitum, vel possit negative se habere, illos permittendo? Pro resolutione nota 1. duplicem dari consensum voluntatis. Alium formalem directum, & expressum, ut dum quis vult directe furari, aut occidere. Alium virtualem, indirectum, aut interpretativum, ut dum quis vult causam connexam cum effectu,

vir-

virtualiter vult effectum. Unde volens navis submersionem, vult virtualiter omnia damna inde secuta. Uterque consensus est sufficiens ad peccatum mortale.

124. Nota 2. Quod si ex permissione motus illiciti sequatur periculum consensus formalis, aut alterius gravis damni, tenetur voluntas sub gravi ei positive resistere, & vitare periculum consensus pravi, aut alterius damni. Nota 3. quod in permissione talium motuum plerumque adest saltem peccatum veniale propter negligentiam resistentiæ. Difficultas solum versatur, an etiam in dicta permissione sit peccatum lethale?

125. R. affirm. quia in præfata permissione adest consensus virtualis, seu interpretativus; qui enim faciliter potest reprimere motus invidiæ, aut injustitiæ, seu alterius vitii, & non reprimit, virtualiter illos vult. Ita Ang. Doct. 1. 2. q. 74. a. 5. in corp. his verbis. *Contingit peccatum esse in ratione; quando inordinatos actus inferiorum virium vel imperat, vel etiam post deliberationem non coercet.* Verum quando voluntas actibus seriæ detestationis interioris, invocationis divini auxilii munita, absque periculo consensus perseverat in eorum dissensu, & nolitione, non tenetur sub gravi illos motus *exteriori cohibitione* repellere: quia inordinatio, & malitia in eis reperta, quando nullo modo est volita, non excedit culpam venialem, ut cum pluribus docent N. Salmant. scholat. *tract.* 13. *disp.* 10. *dub.* 1. §. 1.

126. Nihilominus laudabile, imo viro timorato quodammodo debitum est tales motus, si absque notabili incommodo possit, etiam actu exteriori cohibere; tum ad depellendam omnem consensus suspitionem; tum ad vitandam culpam venialem, quæ ex omissione dictæ cohibitionis potest incurri; tum ad majus meriti, & virtutis augmentum, ac etiam gratiæ dispositionem. Possunt tamen hi motus, imo aliquando debent permitti, ac despici absque cohibitione exteriori, supposito interiori dissensu, dum surgunt ex causa honesta, aut necessaria, ut ex lectione librorum de materia lubrica pro communi utilitate assumpta, ex auditu confessionum, ex aspectu, aut tactu ad medendum necessario.

Punctum XI.

De consensu voluntatis in illicitos effectus.

127. Inq. Quando dicatur voluntatem consentire in illicitos effectus ex applicatione causæ liberę? Pro hujus dubii decisione notandum est, quod aliæ sunt causæ influentes *per se* in effectus illicitos, aliæ per *accidens*. *Per se* influunt, quæ ex natura sua ad effectum illicitum concurrunt: ut propinatio veneni ad mortem, & tactus, aspectusque lascivi ad pollutionem. *Per accidens* dicuntur influere causæ, vel quia concurrunt removendo prohibens, vel quia aliis effectibus, in quos directe influunt, junguntur alii per accidens: ut quando ex hoc, vel illo modo accubandi sequitur pollutio. Deinde ex his causis per se quædam sunt notabiliter influentes; ut tactus, vel aspectus partium secretarum alieni sexus, & quædam leviter, ut respectu pollutionis tactus levis manus fœminæ. Aliæ dicuntur mediæ, ut aspectus proprii corporis.

128. Præterea aliquæ ex causis *per se* solum habent concurrere ad effectum illicitum, vel si ad alios concurrunt, est mediante illo: ut propinatio veneni. Aliæ vero sunt quæ primo influunt in effectum licitum, & eo mediante in illicitum: ut tactus chirurgi concurrit immediate ad curationem, & mediate si sit in verendis, potest concurrere ad pollutionem. Ultimo nota, quod plures causæ, quæ leviter influunt in effectum illicitum respectu unius personæ, possunt graviter influere respectu alterius. Unde ad cognoscendum, quæ causæ sunt leviter, aut quæ graviter influentes, ad qualitatem materiæ, & subjecti attendendum est. His suppositis.

129. R. 1. Voluntatem tunc directe consentire in effectus illicitos, quando applicat causam, quæ vel est determinata ad effectum illicitum, vel præcise eo mediante in effectum licitum potest influere. Qui enim libere vult causam præcise habentem effectum illicitum, vel si alium habet, est mediante illo, vult simul causam, & effectum illicitum, erg. directe vult aliquid illicitum. Æque namque fertur in bonum, & malum effectum.

Igitur consentit in malum, sicut in bonum, quod numquam licet.

130. R. 2. Si causa prius, aut per se primo habet effectum bonum, & per accidens malum, adestque sufficiens necessitas juxta gravitatem materiæ, potest licite applicari ad effectum bonum; ita ut voluntas, licet effectus malus prævideatur, non ex hoc dicatur illum velle: quia effectus pravus non est directe, nec indirecte volitus, sed præcise permissus in applicatione causæ. Unde mulier gravida, si periculose laboret, potest sumere medicamentum inductivum sanitatis, esto sit cum periculo abortus fœtus inanimati, tunc enim licet causet abortum, est præter intentionem.

131. R. 3. Quod licet causæ sint per accidens, aut mediæ, si tamen ex eis prævidentur futuri effectus graviter nocivi, censetur voluntatem eos velle in applicatione illarum, quando non urget ad hoc gravis necessitas, & sic tenetur abstinere ab applicatione illarum. Et ratio est, quia qui vult causam, ex qua prævidet futurum effectum pravum, si non urget necessitas, censetur velle malum futurum, ergo necessitas hæc debet esse gravis, & urgens juxta materiæ qualitatem, & cui non possit alia via tunc occurri; quippe si potest alia via occurri, jam non erit urgens, & necessaria applicatio illius causæ. D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *a.* 3.

Punctum XII.

De delectatione morosa.

132. Inq. 1. Quid sit delectatio morosa? R. est *simplex complacentia objecti pravi cogitati sine intentione efficaci executionis illius.* Delectatio dicitur *morosa, non ex mora temporis*, sed ex eo, *quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam expellit, tenens, & volens libenter, quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt.* Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 74. *a.* 6. *ad* 3. Duplex potest dari cogitatio morosa: prima de objecto pravo cogitato; secunda de cogitatione ipsius objecti pravi; ita ut cogitatio sit objectum *quod* delectationis, & objectum pravum est quid se habens de materiali: Et hæc delectatio, si absit periculum consensus, non est mala, & aliquando potest esse bona, ut si fiat causa consultationis, prædicationis, vel audiendi confessiones, in quo effectus, & intentio attendi debent. Intentio pariter potest esse *efficax*, & *inefficax*, illa est, quæ applicat media ad consecutionem finis; hæc vero ea non applicat; sed negligit. Unde patet, quod Plato verius posuit, non omnes delectationes esse malas, sicut Stoici; nec omnes bonas, sicut Epicurei: Sed quasdam esse bonas, & quasdam malas ait D. Thom. 1. 2. *q.* 34. *a.* 2.

133. Inq. 2. An delectatio morosa specificetur ab objecto, & circumstantiis illius? R. affirm. specificatur ab objecto, quia omne respectivum specificatur a termino, & objecto, quod respicit; sed delectatio est actus respectivus, cum sit moralis, ergo ab objecto sumit suam speciem. Rursus delectatio terminatur ad objectum vestitum suis circumstantiis, illasque approbat, ergo ab eis sumit etiam suam speciem. *Ang. ibi. q.* 74. *a.* 8.

134. Ex quo infertur 1. Delectationem morosam objecti mortalis esse peccatum lethale: quia sumit suam speciem ab objecto, quod supponimus esse mortale, ergo eamdem malitiam habet, ac objectum. Quod intelligendum est non solum de prohibitis jure naturæ, verum etiam de prohibitis jure positivo, consideratis sub ea ratione, qua prohibentur: quia sicut malum est furtum, ita malus est esus carnium die prohibito.

135. Infertur 2. Eum, qui delectatur de fœmina conjugata, cognita ut tali, peccare mortaliter, non solum peccato fornicationis, sed etiam adulterii: quia terminatur ad objectum cum tali circumstantia: quod etiam verificatur, licet per intellectum velit illam circumstantiam præscindere: quia circumstantia alienæ uxoris imprescindibilis moraliter est ab objecto. Aliud esset, si ex errore invincibili illam solutam judicaret.

136. Infertur 3. Non peccare mortaliter, qui delectatur morose die veneris de essu carnis mente concepto, non quia prohibito, sed quia stomachum melius nutrit, aut palatum magis oblectat: quia in his, quæ tantum sunt prohibita jure positivo, potest præscindi substantia operis ab ejus prohibitione, & malitia: cum

hæc

hæc adveniat illis omnino ab extrinseco ex prohibitione legis. Oppositum dicendum est in prohibitis jure naturæ.

137. Infertur 4. Non esse lethale delectari de objecto mortali, non quia malo, sed quia quoddam mirabili, & artificioso modo fuit peractum: quia tunc delectatio versatur circa modum: hoc est, circa dexteritatem, ingenium, fortitudinem, velocitatem, quæ nullam malitiam important. Poterit tamen esse lethale talis delectatio, si sit periculum committendi simile peccatum, aut consentiendi in ipsa re, vel modus artificiosus sit in se malus: quia tunc delectatio est de objecto pravo. Cognoscetur tamen delectationem esse præcise de ipso modo ingenioso, quando æque delectat, si inveniatur in rebus licitis, ac in illicitis.

138. Inq. 3. An sit licitum delectari de damno proximi spirituali, aut temporali ob bonum finem? R. 1. illicitum esse delectari ex quocumque fine de proximi damno spirituali, etiam levi: quia ex charitate tenemur nulli, quantumvis peccatori, optare aliquod malum spirituale ex quocumque fine. R. 2. quod propter bonum spirituale ipsius proximi, aut temporale commune reipublicæ licitum est delectari de morte, aut damno temporali ejusdem; quia tam bonum spirituale ipsius proximi; quam temporale commune longe excedit, præferrique debet illius damno peculiari. Unde complacere quis licite valet de infirmitate, aut morte peccatoris, ut a peccatis desistat; aut ne aliis sit occasio ruinæ, sicut etiam de morte Turcarum, aut hæreticorum, ne sua peste alios inficiant.

139. Pariter de damno proximi a Deo, sive a publica authoritate juste inflicto licitum est gaudere propter ejus bonum spirituale, aut temporale commune. Nota tamen, quod delectari de objecto, seu effectu illicito, etiam ob bonum finem, numquam licet: quia esto ratio movens delectationem sit bonus finis; ratio tamen illam terminans est tam bonus finis, quam effectus illicitus, de quo delectari nemini licet. Unde nullus delectari valet de homicidio propter familiæ pacem, aut aliud bonum temporale, quod clarius patet ex num. seq.

140. R. 3. Quod ob bonum temporale particulare non licet delectari de damno gravi proximi: quia ex charitate tenemur vitam proximi divitiis, & particulari emolumento temporali præferre, qua ratione Innocent. XI. juste proscripsit propositiones 13. & 14. Nec potest quis delectari de actione ex se mala, esto a peccato ob ignorantiam, vel alias causas excusata, ut de furto, fornicatione, aut homicidio in somno, aut ebrietate perpetratis; quia esto ut sic non sint formaliter mala; sunt tamen objective prava: unde circa parricidii in ebrietate perpetrati delectationem merito proscripta est ab eodem Pontifice propositi. 15.

141. Inq. 4. An sit licitum delectari, & gaudere non de malo proximi, sed de bono sibi inde secuto? R. Si quis gaudeat, aut delectetur, non de morte hæredis, sed de hæreditate absque ullo suo conatu, aut influxu inde sibi profecta, non ut profecta, aut connexa cum morte, sed prout potuit aliunde provenire, non peccat, quia solum gaudet de bono, præscindendo ab omni malo. Nec hoc damnatur in indicatis propositionibus. Quoniam in illis reprobatur tristitia de alicujus vita; gaudium de ejus morte; & delectatio de parricidio a se in ebrietate patrato propter divitias, aut commodum temporale, quæ valde distant a delectatione boni ab omni malitia præcisi; prout etiam de gaudio circa filium ex copula illicita habitum; non quidem ut effectum talis copulæ, neque ut cum ea connexum, sed alias tamquam quid bonum, de quo delectari est licitum.

142. Inq. 5. An quis possit licite optare suam mortem? R. 1. in nullo eventu licere se directe occidere, prout fecere plures hæretici, seipsos inhumane, & feraliter occidendo. R. 2. optare serio sibi mortem ex impacientia, aut ira, uti faciunt non pauci, esse lethale: quia est contra jus Dei, qui solus est Dominus vitæ, & mortis, contra jus naturæ, & humanum. Dixi *serio*, quia plerique, præsertim mulierculæ explicant suam impatientiam, & iracundiam vocando mortem; at non *serio*, sed turbatione, & passione abreptæ: sunt tamen dignæ acri

correctione, & sæpe saltem propter scandalum graviter peccant.

143. R. 3. Optare mortem cum submissione ad divinum beneplacitum, suamque providentiam ob honestam tristitiam ortam ex aliquo malo gravissimo, non esse peccatum. Patet ex *cap. 2. Num. Ubi* Moyses perfidiæ populi pertæsus dicitur obsecrasse, ut Deus illum interficeret. Idem postea fecit magnus Elias, & de aliis sanctis veteris, ac novi testamenti id ipsum reperitur scriptum. Unde propter acerba tormenta, propter dolores valde intensos, duram captivitatem, gravem infamiam, aut alia gravissima mala imminentia licitum est optare modo dicto suam mortem. Nam *melior est mors, quam vita amara.* Eccles. 30. 17.

144. R. 4. Optare mortem ex motivo Deum videndi, eoque fruendi esse actum valde laudabilem: unde Apostolus cupiebat dissolvi, & esse cum Christo; & S. M. N. Theresia miro flagrans charitatis ardore idem summopere optabat. Similiter laudabile est, ut quis optet mortem propriam, ne amplius incidat in peccatum; potius enim quamlibet mortem debemus admittere, quam aliquam culpam, etsi levem, contra Deum.

145. Inq. 6. An sit licitum delectari de rebus, quæ graviter peccaminosæ sunt, sub ea tamen conditione, *si licerent, aut malæ non essent*? R. negat. ac proinde talem delectationem esse peccaminosam: quia objectum est absolute prohibitum, & conditio apposita se habet mere speculative. Similiter desideria conditionata circa objecta ab intrinseco mala sub conditione, quod non essent mala, numquam sunt licita; quia numquam possunt denudari a malitia: affectusque in illa tendens, cum sub conditione impossibili tendat, semper est pravus, ac illicitus juxta gravitatem materiæ desideratæ. Unde qui desiderat fornicari, aut mentiri, si hoc liceret, graviter peccat in primo, & leviter in secundo. Etiam adest peccatum grave in hoc actu, *nisi statum meum spectarem, vindicarer.* Verum desideria circa objecta solum jure humano prohibita, seu non ab intrinseco mala sub conditione quod non essent prohibita, non sunt graviter mala, licet alias sint illicita.

146. Inq. 7. An omnia peccata hominum sint ex suggestione Diaboli? R. neg. Prob. ex lib. de *eccles. dogm. cap.* 82. ubi dicitur: *Non omnes cogitationes nostræ malæ a Diabolo excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt.* Igitur non est Diabolus causa directa, nec immediata peccatorum omnium hominum; licet sit causa indirecta, & occasionalis eorum, in quantum directe suggessit primum peccatum, ex quo natura nostra fuit vitiata, remansitque proclivis ad malum. Unde causa directa omnis peccati in nobis est amor proprius inordinatus, ut docet D. Thom. 1. 2. *q. 77, art. 4.*

Dices: qui graviter peccat, fit servus Diaboli, ergo superatur ab eo, quod non accideret, si ipse non suggereret omne peccatum. R. neg. conseq. quia *non solum fit servus alicujus, qui ab eo superatur, sed etiam qui ei voluntarie se subjicit: & hoc modo fit servus Diaboli, qui motu proprio peccat*, ait Angelic. ibi. q. 80. a. 4. ad 2.

CAPUT IV.

De distinctione specifica, & numerica peccatorum.

PUNCTUM I.

De distinctione specifica peccatorum.

147. Inq. 1. Quæ, aut quotuplex sit distinctio, quæ dari valet inter peccata? R. quod distinctio, quæ datur inter peccata, & cujus notitia indigent Confessarii, est duplex: nempe specifica, & numerica. Illa datur in ea, quæ habent formas, seu principia essentialia diversa, ut inter hominem, & equum. Ista versatur inter ea, quæ solum numero differunt, ut inter Petrum, & Paulum, aut duplicem equum. Unde distinctio inter perjurium, & furtum est specifica; inter duo autem perjuria, aut furta est numerica. De hac punct. seq. erit sermo.

148. Inq. 2. Unde sumatur distinctio specifica peccatorum? R. Desumi primo, & per se ab eorum objectis specifice distinctis, quia peccatum est actus voluntatis; sed actus voluntatis sumit speciem

ab

ab objecto formali, in quod tendit, ergo etiam peccata ita illam desumunt, & consequenter distinguntur juxta objecta specifice diversa. Ad melius vero agnoscendam hujusmodi distinctionem quinque sequentes regulæ apponuntur. Ex D. Thom. 1. 2. *q.* 73.

149. 1. Quando plures actus tendunt contra diversas virtutes adest distinctio specifica peccatorum; ut peccata, quę tendunt contra fidem, differunt specie a peccatis, quæ vergunt contra spem, & charitatem. 2. regula, quando vel in eodem actu, vel in pluribus adest specialis dissonantia contra rationem, datur distinctio specifica peccatorum, licet tendant contra eamdem virtutem; ut videtur in avaritia, & prodigalitate, quæ specie differunt, esto tendant cont a eamdem virtutem liberalitatis; & in audacia, & pusillanimitate tendentibus contra fortitudinem. 3. regula, esto actus tendant contra eamdem virtutem, si auferunt bona *in esse moris* specie diversa, datur distinctio specifica peccatorum: unde licet homicidium, contumelia, detractio, furtum, & susurratio tendant contra justitiam; tamen specie differunt, quia auferunt bona specie distincta in *esse moris*. 4. regula, quamvis actus sit idem, si opponatur diversis virtutibus propter aliquam circumstantiam mutantem speciem, datur distinctio specifica peccatorum, ut patet in adulterio, incestu, rapina, & in furto rei sacræ, vel in Ecclesia perpetrato. 5. regula, quando dantur diversa præcepta ex distinctis motivis formalibus, intrinsecis, ac per se inspectis, in eorum violatione dantur peccata specie distincta, ut in violatione jejunii ab Ecclesia, & a Confessario præscripti.

150. Verum sive peccata differant specie, quia tendunt contra distinctas virtutes, vel contra eamdem cum peculari dissonantia, vel auferendo bona diversa specifice in esse moris, vel addendo actui aliquam circumstantiam, vel ex diversitate formali rei præceptæ, seu causæ finalis, aut motivi intrinseci; universaliter verum est eorum distinctionem specificam desumi ab objectis specie distinctis. Ideo enim specie differunt, quia objecta, in quæ tendunt, induunt illam malitiam, seu deformitatem cum lege, ratione, aut virtute, eamque influunt in actum peccaminosum. Unde licet aliquando videantur peccata specie differre ex diversitate formali præceptorum; revera potius differunt ex diversitate formali finis, vel rei præceptæ, seu objecti tali fine intrinseco affecti; ut liquet in exemplo violationis jejunii ab Ecclesia præscripti, & a Confessario impositi; in qua violatione adest duplex peccatum: aliud contra temperantiam, aliud contra pœnitentiam ex diverso fine formali Deo satisfaciendi. Ex diversitate autem præceptorum ex parte principii, seu præcipientium minime sumitur distinctio specifica peccatorum, quia est materialis talis diversitas. Ideo esto furtum prohibeatur præcepto naturali, divino positivo, ecclesiastico, & civili, ex his capitibus unum tantum peccatum constituit. *Unde secundum diversa præcepta legis non diversificantur peccata*, inquit D. Thom *ubi sup. q.* 72 *a* 6. *ad* 2.

151. Dices: inobedientia formalis contra præceptum divinum, & inobedientia formalis contra præceptum humanum specie differunt; sed non aliunde nisi ex diversitate specifica præceptorum, seu præcipientium: ergo distinctio specifica peccatorum sumitur ab eorum principiis, seu a præceptis, vel præcipientibus. R. conc. major. & neg. min. & conseq. quia ideo inobedientia formalis contra Dei præceptum differt specie ab inobedientia contra præceptum humanum, quia tendit in objectum formale diversum, hoc enim peculiare habet obedientia formalis, quod tendat in objectum formaliter ut præceptum; unde inobedientia formalis, cum sit violatio hujusmodi obedientiæ, differt specie juxta præcepta specifice diversa, hoc est, juxta objecta eadem diversitate affecta. In reliquis peccatis esto adsit inobedientia, est tamen generalis, seu materialis, quæ nec ponit in re, nec distinguit illa in specie.

152. Inq. 3. An omnia peccata sint æqualia? R. neg. *ex cap.* 19. *Joan.* Ubi dicitur ad Pilatum: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* De peccatis etiam specie distinctis liquet ex eo, quod species se excedunt sicut numeri, ergo inter peccata dantur alia aliis graviora.

Il-

Illud autem peccatum est secundum suam speciem gravius, quod directe opponitur præstantiori virtuti, & objecto primario illius: quia tale peccatum est pejus, ac rationi magis dissonum, ut odium formale Dei respectu aliorum omnium peccatorum. Quod non ita accidit, si solum opponatur objecto secundario præstantioris virtutis, quia perfectio virtutis non ita refulget in objecto secundario: unde hæresis majus peccatum est, quam odium proximi. Pariter si peccatum oppositum inferiori virtuti includit etiam oppositionem cum præstantiori, gravius consurget peccato huic opposito. Unde adulterium oppositum castitati, quæ inferior est justitia, gravius est furto, quia includit etiam injustitiam. Ex peccatis oppositis eidem virtuti peccata commissionis graviora sunt ex se peccatis omissionis: quia hæc privative, ac velut initiative, illa vero positive, & completive opponuntur virtuti. Peccatum ex objecto gravius superari valet in malitia a peccato inferioris speciei in æstimatione morali ratione alicujus circumstantiæ. Sicut magna summa argenti superat in æstimatione morali unciam auri. Unde perjurium, licet ex se gravius furto, potest superari ab hoc moraliter ratione circumstantiæ, sive maximæ intensionis, sive maximæ quantitatis. D. Thom. 1. 2. *q.* 73 *a.* 2.

153. Inq. 4. Quid, & quotuplex sit circumstantia? R. Quod circumstantia est *accidens actui humano extrinsecus adveniens*. Est enim extra essentiam actus moralis, illumque extrinsecus comitatur. Septem communiter numerantur circumstantiæ: nempe *quis*, *quid*, *quibus auxiliis*, *ubi*, *cur*, *quomodo*, *quando*. *Quis*, denotat personam, ejusque statum; ut si est Sacerdos, religiosus, aut uxoratus. *Quid*, quantitatem materiæ, seu objecti, an parva, vel magna. *Ubi*, designat locum, ubi actus exercetur, ut Ecclesiam. *Quibus auxiliis*, instrumenta, seu media adhibita ad peccandum, ut ensem, aut baculum ad percutiendum, aut lenonem, seu mediatricem ad fœminam sollicitandam. *Cur*, innuit finem extrinsecum, ut si furatus est ad fornicandum. *Quomodo*, exprimit modum actus, sive ejus libertatem, intensionem, durationem, aut aliam peculiarem malitiam, ut si fiat cum sævitia. *Quando*, perhibet tempus, quo fit actus, ut si in die festo, vel speciali devotioni dicato.

154. Ex his circumstantiis aliæ sunt *mutantes speciem*, ut quando furtum fit in loco sacro; aliæ *aggravantes intra eamdem* speciem, vel *notabiliter*, ut furtum centum aureorum, vel *leviter*, ut furtum quinque regalium, supposito, quod quatuor regales constituant materiam gravem: aliæ sunt diminuentes, vel intra eamdem speciem, ut metus, ignorantia, inadvertentia, aut parvitas materiæ, vel extrahendo actum a graviori specie, ut accesus ad uxoratam ex ignorantia status, qui ex hac circumstantia transfertur a specie adulterii in simplicem fornicationem. Ex quibus constat peccata ratione circumstantiarum quandoque distingui specie, quandoque aggravari, vel minui intra eamdem speciem, vel etiam transferri ab specie graviori ad minorem. Aliquando circumstantia prava tribuit primam peccati malitiam actui alias bono: ut si audias missam fine furandi, vel impudice fœminam aspiciendi: regulariter vero actui pravo novam addunt malitiam, aut eam minuunt, prout dictum est. D. Thom. 1. 2. *q.* 73. *a.* 7.

Punctum II.

De distinctione numerica peccatorum.

155. Inq. 1. Unde sumatur distinctio numerica peccatorum? R. quod pro clariori responsione quæsiti sex regulæ assignantur. 1. Quando dantur plures actus completi inconnexi, & adequati contra eamdem virtutem, tot sunt peccata numero distincta, quot actus. Ut in decem furtis completis, & decem homicidiis. Idem est de Confessario absolvente in lethali decem pœnitentes, nam quælibet absolutio est actus completus, adæquatus, & inconnexus cum aliis. Idem sentiunt aliqui de Sacerdote, qui non rite dispositus Eucharistiam ministrat decem personis. Est enim actio valde sacra, unaque communio ab aliis inconnexa. Verum communius est oppositum, quia Eucharistia ministratur per modum convivii.

156. 2. *Regula*: esto actio *physice*, seu ac-

active sit una, si *moraliter*, aut *passive* sit multiplex, multiplicantur numero peccata juxta numerum personarum offensarum. Ut unico ictu feriens, aut occidens sex homines; vel unico verbo illos scandalizans sex saltem peccata committit: quia læsio, seu mors, sive spiritualis, sive corporalis unius non connectitur cum damno alterius. Pariter blasphemans simul de duodecim Apostolis, aut infamans unico actu totam familiam duodecim personis coalescentem, non unum, sed tot saltem numero peccata committit, quot sunt personæ; nam quælibet ad suum honorem, & famam habet jus ab aliis inconnexum. Eadem ratione, qui unico actu plures oves a distinctis dominis furatur, tot committit peccata, quot sunt domini, lædit enim illa actione plurium jura. Item qui unico actu statuit per totam quadragesimam non jejunare, aut omittere horas canonicas, juxta numerum dierum committit peccata numero distincta, quia cuilibet diei suum peculiare debetur pensum. Idem est de concupiscente plures fœminas, sive solutas, sive uxoratas, aut Deo dicatas. Et ita de aliis casibus, in quibus personarum numerus quantum fieri possit, exprimi debet cum suis circumstantiis speciem, vel judicium Confessarii variantibus.

157. Objic. 1. Plura accidentia solo numero distincta nequeunt simul recipi in eodem subjecto, erg. nec plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu. 2. Actus, quo quis vult subvenire decem pauperibus, unicam habet bonitatem, erg. actus, quo quis vult lædere decem homines, unicam habebit malitiam. R. ad 1. quod licet accidentia etiam moralia physice, aut methaphysice considerata nequeant simul esse in eodem actu, vel subjecto; bene vero moraliter sumpta relative ad plura objecta, quæ respiciunt tamquam effectus, seu terminos, ex quibus moraliter multiplicantur. R. ad 2. Quod plus requiritur ad bonum quam ad malum. Ad hoc enim multiplicandum sufficit velle diversa mala etiam indirecte, ut patet in furante rem sacram, cujus circumstantiam solum indirecte vult latro, & tamen duplex committit peccatum. At bonitas virtutis solum multiplicatur ex diverso motivo honestatis illius: cum ergo actus, quo quis vult subvenire decem pauperibus, fiat sub uno motivo subveniendi, unam tantum habet bonitatem. Vel R. neg. antec. quia est valde probabile actum subveniendi decem pauperibus decem bonitates habere.

158. 3. *Regula*, quando circa diversas materias adsunt duo præcepta *utrumque propter se*, licet ex motivo ejusdem virtutis, datur distinctio numerica peccatorum. Unde qui in die festi omittit sacrum, & simul opera servilia peragit; duo peccata numero distincta committit. Non ita accidit, quando præcepta non dantur utrumque propter se; tunc enim solum obligant indirecte, & propter aliud præceptum adimplendum.

159. 4. *Regula*, peccata quæ interius consumantur, multiplicantur numero per retractationem, aut interruptionem actus, ac ejus repetitionem, quia hujusmodi actus semel interrupti nec virtualiter perseverant in aliquo effectu, erg. si iterum repetantur post eorum cessationem, aut interruptionem, sunt peccata numero distincta, Unde in eadem die, in eadem hora possunt committi plura peccata delectationis morosæ, hæresis, odii, superbiæ, & similium, quæ in corde, voluntate, aut mente consumantur. Nec valet opponere impossibile esse pluribus, præcipue dissolutis, numerum peccatorum computare, si illa sola retractatio multiplicet; respondetur enim id ipsum etiam in peccatis externis plerumque accidere, maxime vitio impuro assuetis, quin ob hoc desinant esse peccata numero diversa. Pro omnibus itaque dicitur, quod confessio fiat, expliceturque numerus peccatorum modo, quo moraliter fieri possit, plus minusve, aut toties circiter per mensem hebdomadam, vel diem.

160. 5. *Regula*, in peccatis, quæ verbis, vel factis consumantur, si ante consumationem inspiciantur, sumitur distinctio numerica a retractatione formali, vel virtuali, & renovatione actus pravi. Si enim desiderium dicendi, aut faciendi aliquod malum retractas formaliter; hoc est, nolendo, vel detestando illud, aut virtualiter, hoc est, non illud continuando, sed te divertendo ad alia peni-

nitus inconnexa cum interpositione moræ notabilis; quoties denuo redeas ad idem desiderium, toties adest novum peccatum numero distinctum. Unde qui hodie decrevit occidere Petrum, data opportunitate, si hæc per diem, hebdomadam, mensem, aut annum non occurrat, debet in confessione exprimere quoties retractavit, & reassumpsit modo dicto illam intentionem, vel saltem tempus, quo perseveravit in sua prava voluntate; cum nequeant aliter melius exprimi hujusmodi peccata in confessione.

161. Pro generali autem regula interruptionis moralis nequit assignari unus dies, ut in consequenter astruit Concina in præsenti; ipse enim agens de intentione virtuali necessaria pro applicatione missæ ait, perseverare viginti diebus; ita ut si recipias hodie viginti stipendia, sufficit formare hodie intentionem pro applicatione respectiva viginti dierum sequentium. Cur quæso, si perseverat ibi eadem intentio virtualis viginti diebus, non potest hic eadem moraliter perseverare nisi uno die? Præterea si tantum unico die durat intentio virtualis, mandans alteri ut suo nomine post hebdomadam ineat matrimonium, aut alios contractus, nullos eos efficit sine renovatione, nec retractatione intentionis, quod est absurdum. Insuper si quolibet die discontinuatur moraliter peccatum, furans quotidie quidquam leve, numquam committet furtum grave: patet, quia juxta Concinam peccatum unius diei est moraliter interruptum, & inconnexum cum peccato diei sequentis: unde furtum leve hodiernum non unitur moraliter cum furto levi crastino, & consequenter numquam conflabunt materiam gravem, aut grave furtum; sed hæc sequela est manifeste falsa, erg. ruit positio Concinæ, & regula ab ipso tradita *lib. 4. de peccat. cap. 6. n. 19.*

162. Igitur in his peccatis vix potest assignari regula clarior, nisi quod exprimatur in confessione tempus durationis pravi animi, dicendo, tanto tempore habui propositum v. g. non restituendi, aut non solvendi debita. Vel habui animum furandi, seu occidendi per hebdomadam, mensem, aut annum: & demum illud peregi, aut non. Sic eximuntur Theologi a quæstionibus satis implexis, & Confessarii a molestis interrogationibus.

163. Inq. 2. Quando isti actus voluntatis permanere virtualiter dicantur? R. Quod licet fixa regula vix assignari valeat, cum una materia majorem extensionem quam alia admittat; tamen tunc actus voluntatis censetur permanere moraliter, quando physice discontinuatur solum per interruptiones communes: puta per inadvertentiam, comestionem, somnum, aut alia negotia, quia cum prima voluntas virtualiter perseveret in intentione, per actionem externam consumanda unitur, & continuatur cum secunda. Unde qui primo mane decrevit occidere Petrum vespere, & sine retractatione ita complevit, licet interruptiones communes interfluerint, unum tantum peccatum committit. Quod contra evenit, quando interruptiones sunt longiores, aut diuturnæ, ut per mensem, aut hebdomadam juxta materiæ qualitatem, & operantis intentionem.

164. *Regula* 6. in omnibus peccatis sive internis, sive externis post consummationem inspectis sumitur distinctio numerica ex interruptione morali, aut interpositione temporis, & actus repetitione. Unde quatuor desideria prava diversis temporibus, sunt quatuor peccata in mente consumata: quatuor blasphemiæ diversis temporibus prolatæ similiter sunt quatuor peccata consumata in verbis: quatuor denique furta cum interruptione morali perpetrata, totidem sunt peccata opere consumata. Nota vero aliqua esse peccata, in quibus licet nulla adsit interruptio, datur tamen distinctio numerica, quia sunt actus adeo completi, ut nullam connexionem habeant cum aliis: hujusmodi sunt homicidium, copula, pollutio, & similia. Unde quatuor copulæ, pollutiones, homicidia, esto continuata, sunt quatuor peccata. Alia autem crimina non sunt adeo consumata, & completa, ut ad suam distinctionem numericam aliquam interruptionem non requirant, ut de contumeliis, & blasphemiis ex eodem impetu prolatis dicitur communiter.

165. Inq. 3. An in his peccatis sufficiat quælibet mora temporis pro interruptione morali, & numerica distinctione? R. neg. quia in talibus peccatis illa

la requiritur discontinuatio, ut prudenter judicetur altera actio, seu distincta operatio, Unde qui in die jejunii credens finitum prandium, involvit mapulam, & novo ferculo adducto comedit, non frangit jejunium, quia idem judicatur prandium. Aliud est de eo, qui animo non redeundi surgit a mensa, & post aliquod spatium redit ad mensam; tunc enim reputatur distinctum moraliter. Si vero surgat animo redeundi, & peracto negotio breviter redeat, non violat jejunium, quia una refectio moraliter censetur.

166. Tactus copulæ præcedentes, nisi nimium protrahantur, aut fiant absque intentione illam habendi, unum constituunt peccatum cum illa tamquam ejus partes. Habiti immediate post illam probabilius asserunt plures esse distinctum peccatum. At libenter fatemur, quod loquimur in hac materia sicut cæci de coloribus. Ignoramus enim, an tactus immediati, & proximi sint complementum operationis; nam si supponatur copula undequaque consumata, nemo negare valet, tactus subsequentes distinctum constituere peccatum: eo modo, ac assecuto suo termino adæquato, finit prior motus; si vero ultra progrediatur, incipit alius.

167. Inq. 4. An actus externus pravus sit exprimendus in confessione? R.affirm. Constat ex propos. 25. damnata ab Alexandro VII. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Falsitas hujus propositionis liquet ex eo, quod actus externus non est aliqua circumstantia, sed potius substantia, consumatio, & complementum peccati, ergo debet in confessione fateri tamquam peccati pars substantialis.

MONITUM.

168. Pro coronide hujus tractatus adverte, pie Lector, quanta sit malitia, & turpitudo peccati. Tanta enim est peccati malitia, ut nihil sit in mundo, nec in inferno malum nisi peccatum. Tolle peccatum, & non erit infernus. Peccatum fecit ex pulcherrimis Angelis teterrimos Dæmones, ex hominibus jumenta, ex filiis Dei mancipia vilissima Diaboli. Peccatum clausit cœlos, aperuit tartara, proscripsit vitam, attulit mortem, & harmoniam totius universi dissolvit. Nec Dæmon, nec Deus ipse, potest homini inferre tantum malum, sicut infert illi peccatum. Ejus offensa in Deum est simpliciter infinita, nullo supplicio adæquate punitur; quia non valet puniri, quantum ex se punibilis est. Nec æterna tormenta omnium damnatorum sufficiunt ad punitionem unius offensæ gravis Dei. Intuere, peccator, quid agis, quando adeo facile peccas. Miserere tui ipsius, ne tantum malum voluntarie tibi inferas.

169. Seneca sine fidei lumine adeo horrebat turpitudinem peccati, ut diceret: *Licet scirem homines ignoraturos, & Deum ignosciturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem.* Sic apud Corn. *in ep. ad Hebr. c.* 12. *v.* 4. Si homo Gentilis hoc dicebat, quid diceret, si credidisset, quod pro delenda peccati turpitudine, Filius Dei pependit in cruce, & fuso suo sanguine, acerbissimam pertulit mortem? Considera ergo Christiane, quid te dicere, & agere deceat, & quanto horrore a peccato fugere debeas!

TRACTATUS SEXTUS

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

ANtequam ulterius procedamus, opportunum ducimus quidquam prælibare circa Decalogum in generali; cum dicta, dicendaque præcipue in hoc volumine ad ejus observantiam dirigantur.

CAPUT UNICUM.

De Decalogi, ejusque præceptorum numero, ordine, & obligatione.

Punctum I.

De natura Decalogi, ac ejusdem præceptorum numero.

1. Inq. 1. Quid sit Decalogus ? R. est *summa, seu epitome legis naturalis, & divinæ*, imo quidam cathalogus omnium legum : nam sicut symbolum Apostolorum est *summa credendorum*, & oratio Dominica *omnium petendorum*, ita Decalogus est *summa omnium agendorum*. Vide D. Thom. 1. 2. *q.* 100. *art.* 3.

2. Igitur Decalogus est *lex naturalis, & divina decem præceptis comprehensa populo Hebræorum a Deo duabus tabulis per Moysem data, & promulgata*. Dicitur *lex naturalis*: tum quia ejus præcepta sunt de jure naturæ, tum quia ad illum omnia præcepta naturalia reducuntur : additur *divina*, quia etiam est lex positiva a Deo immediate hominibus data. *Decem præceptis comprehensa* : quia totidem continet mandata. *Populo Hebreorum a Deo duabus tabulis per Moysem data, & promulgata*, sic enim constat ex sacra pagina. Primus, qui hæc decem præcepta *Decalogum* appellavit, fuit Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *Strom.* cui cæteri libenter accesserunt.

3. Inq. 2. Quot, & quænam sint præcepta Decalogi ? R. sunt decem, ut ipsum nomen Decalogi satis indicat : & patet *ex* 4. *Deutb.* ubi dicitur : *Ostendit vobis pactum suum, ut faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis*. Sic autem enumerantur *Exod.* 20. *&* *Deutheronomii* 5. *Primum. Non habebis Deos alienos. Non facies tibi sculptile. Non adorabis ea, & non coles.* 2. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* 3. *Memento, ut diem sabbathi sanctifices.* 4. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* 5. *Non occides.* 6. *Non mœchaberis.* 7. *Non furtum facies.* 8. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* 9. *Non concupisces uxorem proximi tui.* 10. *Non desiderabis domum proximi tui : nec omnia, quæ illius sunt.*

4. Dices : Nono, & decimo præcepto prohibentur desideria contra sextum, & septimum ; sed etiam desideria contra cætera præcepta sunt peccata lethalia, ergo plura, quam decem assignari debent Decalogi præcepta. R. concedendo præmissas, & negando consequentiam ; quia delectatio carnalis, & divitiæ apparent ex se adeo appetibiles, ut conveniens sit expresse prohiberi earum desideria ; verum homicidium, & alia sunt ex se horribilia : & idcirco non ita alliciunt appetitum ; ideoque non fuit necessarium prohiberi expresse eorum desideria, sed tantum opus externum. Nota, quod inter omnes leges scriptas, prima est lex Decalogi cum judiciali, & cæremoniali. Ante Moysem regebantur homines lege naturali: Moysi autem dedit eam in monte Syna scriptam, & inter fulgura & tonitrua promulgatam.

Punctum II.

De ordine, & obligatione præceptorum Decalogi.

5. Inq. 1. Quæ sint præcepta primæ tabulæ, & quæ secundæ ? R. Tria priora præcepta esse, & dici primæ tabulæ; & septem posteriora secundæ tabulæ : illa ordinatur ad honorem Dei, hæc ad utilitatem proximi. Principia universalia per se nota, ut *bonum est faciendum; malum est fugiendum*, & præcepta fidei, spei, & charitatis, & timoris continentur in Decalogo, non quidem explicite, sed implicite, & velut principia in conclusionibus. Alia autem præcepta, quæ majore egent discursu ad sui cognitionem, ut illa, quæ versantur circa superstitionem, simoniam, usuras, & alia hujus generis continentur in Decalogo, sicut conclusiones in suis principiis. Ita D. Thom. *ubi sup. art.* 4.

6. Unde ad primum præceptum, in quo prohibetur cultus Deorum, reducuntur in primis præcepta universalia juris naturalis ; item præcepta fidei, spei, & charitatis, quibus vere colitur Deus. Deinde, omnia, quæ prohibent idolatriam, superstitionem, vanam observantiam, divinationem, magiam, simoniam, & alia

lia hujusmodi. Ad secundum de non assumendo nomen Dei in vanum reducuntur præcepta prohibentia blasphemias, votorum violationem, & falsam doctrinam. Ad tertium de sanctificatione Sabbathi reducuntur omnia præcepta cæremonialia, quæ ordinantur ad verum cultum Deo, ejusque sanctis tribuendum.

7. Ad quartum de honoratione parentum reducuntur omnia præcepta circa reverentiam senibus, & majoribus exhibendam: & circa beneficia æqualibus, aut minoribus conferenda. Ad quintum reducuntur omnia, quæ prohibent odium proximi, ejusque læsionem spiritualem, & corporalem. Ad sextum, quo prohibetur adulterium, reducuntur præcepta, quę interdicunt omnem actum luxuriæ. Ad septimum reducitur prohibitio omnis rapinæ, usuræ, fraudis, & injustitiæ in contractibus. Ad octavum de prohibitione falsi testimonii reducuntur præcepta, quæ prohibent mendacium, detractionem, contumeliam, convitium, judicium temerarium, & alia hujusmodi contra proximum. Ad nonum, & decimum nulla alia præcepta reducuntur: quia vere sunt quædam additiones sexti, & septimi præcepti.

8. Inq. 2. An omnia præcepta Decalogi obligeut nunc in lege gratiæ? R. affirm. quia licet fuerint promulgata per Moysem; sunt tamen de jure naturæ, & indispensabilia omnino, saltem quoad substantiam. Igitur licet morte Christi cessaverit lex Moysis quoad cæremonialia, & judicialia; nullatenus vero quoad moralia, & naturalia. Obligatio ista gravis est, quare ejus transgressio solum ex duplici capite venialis evadere potest, nempe ex parvitate materiæ in præceptis, quæ illam admittunt, & ex defectu deliberationis. Lutherus inter alios errores ab Orco erutos, contendit Decalogum solum Judæos obligare; idem tenuit Melanthon, ejus quandoque discipulus, sed aperte pugnant cum Evangelio, & ejus Authore, qui dixit adolescenti: *Si vis ad vitam ingredi, servata mandata. Matth.* 19.

9. Inq. 3. An mandata Decalogi sint observatu difficilia? R. minime, *jugum meum suave est, & onus meum leve*: ait Dominus. Matth. 11. Calvinus finxit aliud commentum, quod Decalogus obligat Christianos, sed ejus præcepta sunt observatu impossibilia. Ex qua averni doctrina efficit Deum injustum Legislatorem, & crudelem judicem, utpote qui obligat ad impossibile, & punit transgressiones, quas vitare nemo valet. In hac putrida cisterna epotavit Jansenius partem puris, ut erronee diceret aliqua Dei præcepta esse impossibilia, deesseque gratiam, qua possibilia fiant. Sed contra hujus modi somnia impia, & hæretica dicimus nos, præcepta Decalogi esse observatu facillima. 1. Quia pleraque possunt impleri, & implentur sola omissione voluntaria: quid autem facilius quam nolle? Noli occidere, mœchari, furari, mentiri, nec concupiscere uxorem, aut bona proximi, & implevisti perfecte hæc præcepta Decalogi. Solum præcipit, & vetat Deus in Decalogo, quod necessario jubere, & prohibere debuit.

10. Prob. 2. Quia ex decem præceptis solum tria dantur, ut sic dicamus, pro Dei gloria, & septem pro nostra utilitate. 3. quia omnia sunt adeo consentanea naturæ rationali, ut si oppositum juberent, illi maxime repugnarent, nec possent ab omnibus observari, ut consideranti patebit. Prout sunt autem, facillime ab omnibus impleri valent. Sed heu! Cum hæc veritas meridiana luce clarior sit, quomodo a tam paucis verus Deus colitur, & ejus præcepta observantur? Non aliunde, nisi quia vitium pro natura iuolevit, & omnis caro, corrupta via, & obtenebrata vitiorum caligine ratione, putat bonum malum, & malum bonum; nolunt audire Deum patrem suavissimum, dimittit eos secundum desideria cordis eorum, eunt cæci in adinventionibus suis, vivunt vitam difficilem observando præcepta Diaboli, carnis, & sanguinis, & tandem laxati in via iniquitatis, cum majori labore, vexatione, & fatigatione descendunt miseri ad inferos, quam justi ascendunt ad cœlos. Proh dolor!

11. Objic. Dilectio inimicorum est valde difficilis, & alia hujusmodi, quæ in Dei lege jubentur, sunt satis gravia, ergo præcepta Decalogi sunt observatu difficilia. R. neg. antec. Dilectio enim inimicorum non requirit vires, pedes, manus, nec salutem; a quolibet quippe omnibus his destituto impleri optime valet;

sufficit velle, quo nihil facilius gratia Dei, quæ nulli denegatur. Si autem alicui fit dura, & gravis dilectio inimicorum, id non provenit ex præcepto, sed ex corruptione naturæ, quæ inordinato appetitu cupit vindictam de inimico; & quia non vult dimittere, fingit laborem in præcepto. Velit, & impletum est. Vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 25. *art.* 8.

TRACTATUS SEPTIMUS

DE FIDE.

Fides, spes, & charitas sunt quædam præambula ad legem, & reducuntur ad primum Decalogi præceptum; unde harum virtutum notitiam perprius exponendam aggredimur, incipientes a fide, quæ est humanæ salutis initium, ut ait Trid. Concil. sess. 6. cap. 8.

CAPUT I.

De natura, objecto, subjecto, necessitate, & præceptis fidei.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio fidei.

1. Inq. 1. Quid sit fides, R. fides in communi est *credere, quod non videmus, ob testimonium dicentis.* Si dicens est homo, erit fides humana, si dicens est Deus, erit fides divina, & de hac loquimur in præsenti. Igitur fides divina est *virtus supernaturalis, qua credimus veritates a Deo revelatas, & ab Ecclesia propositas.* Dicitur *virtus supernaturalis*, quia a Deo nobis infunditur, & nequit nostris actibus acquiri: *qua credimus veritates a Deo nobis revelatas*; quia, quæ fide credimus, excedunt omnem captum, & vires naturales. Additur *& ab Ecclesia propositas*, quia Ecclesia est magistra veritatis, per quam Deus vult omnes suas veritates nobis credendas proponi, ne unusquisque credat, quod velit, ut accidit hæreticis. Unde dixit Augustinus *lib. contra epist. fundamenti cap.* 5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret authoritas.* Tradita definitio coincidit cum descriptione ab Apostolo facta *ad Hebr.* 2. nempe *fidest est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Substantia*, id est *basis*, seu *radix* rerum sperandarum. *Argumentum*, id est manuductio, seu firma rebus, quæ non videntur, adhæsio, ait D. Thom. 2. 2. *q.* 4. *a.* 1.

2. Inq. 2. Quotuplex sit fides? R. est *actualis*, & *habitualis*. *Actualis* est ipse actus, quo credimus veritates a Deo revelatas. *Habitualis* est habitus, quo ipsas veritates credimus. Deinde fides actualis alia est *implicita*, alia *explicita*. *Implicita* est, quando aliquid creditur in alio, ut in principio universali contento; ut qui credit ea, quæ docet sancta mater Ecclesia, credit implicite omnia mysteria ab ea proposita. *Explicita* datur, quando articulus in particulari, & explicite creditur, ut mysterium sanctissimæ Trinitatis, aut Incarnationis. Credens implicite tantum credit, ac explicite credens; & differentia solum consistit in eo, quod credens implicite non discernit unum articulum ab alio, sicut credens explicite.

3. Dividitur etiam fides in *formatam*, & *informem*. *Formata* est, quæ conjungitur cum gratia, & charitate, ut in justis. *Informis* est, quæ caret gratia, & charitate, ut in peccatoribus. Non sunt duo habitus, nec differunt specie fides formata, & informis, tantum ergo distinguntur accidentaliter, sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie, imo in eadem numero entitate, ut patet in quolibet fideli, qui licet transeat de justo in peccatorem, aut econtra, eamdem fidem entitative retinet. Tandem potest dividi fides in *publicam*, & *privatam*. *Publica* est, quæ proponitur a tota Ecclesia. *Privata* est, revelatio facta a Deo particulari personæ, quæ indiget *evidentia in attestante*, ut possit, & debeat

beat firmiter eidem revelationi credere.

Punctum II.

De objecto, & subjecto fidei.

4. Inq. Quod sit objectum fidei? R. Est duplex, aliud materiale, seu formale *quod*; aliud formale *quo*. Objectum igitur materiale, seu formale *quod* fidei primarium est Deus, & omnes veritates, quæ de Deo creduntur. Objectum secundarium sunt omnes veritates, quæ de creaturis a Deo revelantur, ut de Adam, Eva, & cæteris. Nam objectum materiale cujusvis habitus est omne id, ad quod ipse se extendit; sed fides se extendit ad omnes veritates a Deo revelatas, & ab Ecclesia propositas, erg. omnes sunt objectum materiale fidei. Tum sic: sed quod primario credimus per fidem est ipse Deus; reliqua vero per ordinem ad illum, ergo Deus est objectum primarium fidei; cætera autem objectum secundarium. Ad hoc, licet ut quid principale, pertinet humanitas Christi Domini.

5. Objectum formale *quo*, vel *ratio formalis sub qua* fidei est prima veritas obscure revelans, vel revelatio formalis: nam si a fideli quæras, *cur credit Deum esse trinum*, optime respondet: *quia ita est revelatum a Deo, qui nec fallere, nec falli potest*; ratio autem cur non potest fallere, nec falli, plusquam ad fidem attinet ad Theologiam, quæ per legitimum discursum infert, non posse fallere, quia est summe verax; nec falli, quia est summe sapiens; licet hoc ipsum per alium actum fidei vere credamus. Unde ultima resolutio assensus fidei fit in authoritatem Dei revelantis; propositio autem Ecclesiæ tantum est conditio exponens, quæ sunt, vel non revelata a Deo. Hæc Ecclesiæ propositio deservit nobis pro *evidentia in attestante*, quæ est *certitudo, quod Deus est, qui loquitur, aut revelat*. Ex contemptu hujus propositionis errant infelices hæretici. *Ang. 2. 2. q. 1. a. 1.*

6. Inq. 2. Qua certitudine gaudeant veritates fidei? R. gaudere certitudine super metaphisica, quæ omnem aliam certitudinem superat; ita ut impossibile sit oppositum accidere, quia nituntur testimonio Dei, cui impossibile est subesse falsum.

7. Inq. 3. An mysteria fidei sint evidenter vera? R. quod licet mysteria fidei non sint evidenter vera, sunt evidenter credibilia, juxta illud *Psalm. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Pro quo nota, quod evidenter verum solum est illud, quod videmus, aut per claram demonstrationem agnoscimus, & hoc pugnat cum fide. Evidenter autem credibile est illud, quod argumentis, & motivis adeo manifestis probatur, ut convincant rationem, & prudentiam ad credendum. Sit exemplum in eo, qui numquam fuit Romæ, huic non est evidenter verum Romam esse, qui illam non vidit; est tamen evidenter credibile Romam existere, quia tot sunt testimonia hujus veritatis, ut omne dubium expellant, & illam faciant evidenter credibilem. Ita ergo mysteria fidei sunt evidenter credibilia propter argumenta adeo luculenta, & motiva adeo manifesta, quæ illa testantur, probant, & confirmant. Tot enim vaticinia Prophetarum, innumera Martyrum multitudo, tanta miraculorum copia, Idolorum eversio, religionis sanctitas, & admirabilis ejus propagatio cum aliis pluribus argumentis efficiunt fidem nostram evidenter credibilem. Ita ut si decipimur, a Deo decipimur: quod est impossibile; Deus enim non deceptor, sed verus, verax, & ipsa veritas est. *Ang. ibi. a. 3.*

8. Nihilominus pia affectio, seu pia motio voluntatis, quæ probabilius est supernaturalis, requiritur necessario ad fidem; quia intellectus, etiam positis omnibus requisitis, & argumentis ad credendum, adhuc non convincitur, sed manet indifferens propter obscuritatem objecti, ergo petit necessario determinari a pia affectione voluntatis, quæ objecti evidentiam suppleat. Ex defectu hujus piæ affectionis sunt plures increduli, obturando misere aures suas motivis, & argumentis adeo credibilibus.

9. Inq. 3. Qui sint præcipui actus fidei? R. sunt tres, nempe *credere Deo, credere Deum*, & *credere in Deum*. His actibus adæquate exercetur habitus fidei circa objectum primarium: hoc est, *credere Deo*, tamquam primæ veritati re-

ve-

velanti: *credere Deum*, tamquam veritatem revelatam, id est Deum existere: & *credere in Deum* tamquam in ultimum finem. Unde credimus Ecclesiam catholicam, non tamen credimus in Ecclesiam catholicam: quia licet credamus vere dari Ecclesiam catholicam, nullatenus vero credimus in Ecclesiam tamquam in ultimum finem. *Credimus Paulum, sed non in Paulum*, dicit D. August. *tract.* 27. *in Joan.*

10. Inq. 4. Quodnam sit subjectum fidei? R. Subjectum *quo* proximum fidei est intellectus, quia est virtus intellectualis, cujus objectum est verum. Subjectum *quod* est omnis viator. In beatis non est fides, quia sunt comprehensores, gaudentque clara visione. Potiore ratione in Christo Domino non fuit fides, quia erat perfectissimus comprehensor: verum Angeli, dum fuerunt in via, habuerunt fidem, non solum Dei authoris supernaturalis, sed etiam mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis, ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 57. *a.* 5. *& alibi.*

11. Inq. 5. An in damnatis reperiatur fides supernaturalis? R. neg. quia nec sunt viatores, nec comprehensores, sed obstinati in malo, & destituti omni bono, & auxilio supernaturali. Verba autem Jacobi *cap.* 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*, intelliguntur de fide naturali, & coacta vi signorum, maxime tormentorum. In animabus purgatorii permanet fides cum spe, & charitate, quia quæ credunt adhuc non vident. Peccatores non infideles retinent fidem licet languidam, & pene mortuam, quia *fides sine operibus mortua est.*

12. In hæreticis nequit reperiri fides theologica, quia rejiciunt rationem formalem fidei, nempe divinam revelationem ab Ecclesia propositam; credunt, quæ volunt, & quæ nolunt, despiciunt. Unde dum misere putant se habere fidem, solum habent *opinionem quamdam secundum propriam voluntatem*, dicit D. Thom. 2. 2. *q.* 5. *art.* 3.

Punctum III.

De necessitate fidei ad salutem.

§. I.

De credendis necessitate medii.

13. Supponendum est 1. dupliciter aliquid esse, aut dici necessarium, vel *necessitate medii*, vel *necessitate præcepti.* Illud est necessarium necessitate medii, sine quo salus nullo modo obtineri valet, ut baptismus in re susceptus est parvulis necessarius, ut justificentur. Illud autem est necessarium necessitate præcepti, de quo adest præceptum, ut apponatur: attamen si invincibiliter non apponatur, finis consequitur, ut baptismus in adultis, qui salutem possunt consequi cum voto illum suscipiendi, si revera nequeunt baptizari.

14. Supponendum est 2. salutem supernaturalem, de qua loquimur, esse duplicem, nempe primam, & secundam, hoc est gratiæ, & gloriæ, vel justificationis, & glorificationis: quod autem asseritur esse necessarium ad primam, necessarium est utique ad secundam. Nec dubitamus fidem habitualem esse necessariam necessitate medii ad utramque salutem, quia nulla salus sine gratia sanctificante, ad quam, ut ejus proprietas, consequitur necessario fides habitualis. Sermo ergo est de fide actuali necessaria adultis, nam parvuli per fidem habitualem susceptam in baptismo salutem consecuntur. Quibus suppositis:

15. Inq. 1. An omnibus adultis usu rationis præditis necessaria sit necessitate medii fides actualis explicita Dei authoris supernaturalis, & remuneratoris? R. affirm. patet ex Apost. ad Hebr. 11. *sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere autem oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se, quod remunerator sit*: & ex Trident. supra laudato docente, fidem esse fundamentum, & radicem omnis justificationis. Constat etiam ex *prop.* 22. *proscripta ab* Innoc. XI. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris*, & ex

prop·

prop. 23. *fides late dicta ex testimonio creaturarum, similique motivo, ad justificationem sufficit.* Requiritur ergo ad justificationem fides explicita supernaturalis Dei, & remuneratoris, ut docet Apostolus.

16. Inq. 2. An post lapsum Adami, & ante Evangelium fides Christi saltem implicita fuerit necessaria necessitate medii ad salutem? R. affirm. Quia supposito peccato originali, & in hac providentia non erat salus possibilis, nisi per Christum mediatorem, ergo necessaria fuit omnibus ad salutem fides, saltem implicita, tanti mediatoris: & idem est de mysterio Trinitatis. Dicimus omnibus fuisse necessariam fidem saltem implicitam, quia aliqui illam habuerunt explicitam de utroque mysterio, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. & 8.

17. Inq. 3. An, supposita Evangelii promulgatione, sit omnibus ad salutem necessaria necessitate medii fides explicita mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis? R. affirm. Constat ex cap. 16. Marci: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, & ex Symbolo D. Athanasii, ubi utrumque mysterium proponitur omnibus necessario explicite credendum. Idem docet D. Thom. ibi.

18. Inq. 4. An aliquando *per accidens* possit quis salvari sine fide explicita utriusque dicti mysterii? R. negative, quia licet sententia affirmativa non careat fundamento in D. Thom. *art.* 7. *citato ad* 3. expressius tamen docet negativam *in* 3. *dist.* 25. *q.* 2. *a.* 2. *quæstiunc.* 2. Ubi ait, quod completo, & prædicato mysterio Christi, *omnes tenentur ad explicite credendum, & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.* Sentit igitur quod in nullo casu valet quis salvari sine fide explicita mysterii Incarnationis, & Trinitatis, quam in Incarnatione profitemur: respondet etiam ad casum Cathecumeni solum instructi circa Deum, ut remuneratorem, cui, ut salvus fieret, revelaret Deus dicta mysteria, ut ea explicite crederet, nisi ex sua culpa remaneret.

19. Inq. 5. An sola fides sufficiat ad salutem sine operibus? R. neg. constat ex cap. 2. ep. D. Jacobi, ubi dicit; *quid prodest fratres mei, si fidem quis dicat habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum?* Et subdit; *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Et demum concludit: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Quæ verba adeo luculenta sunt, ut hæretici eorum claritate convicti, denegant hujus epistolæ authoritatem. Sed hoc est in Scyllam incidere, cupientes vitare Charybdim.

20. Itaque credere mysteria fidei bonum, & necessarium est, sed non sufficit ad salutem: nam vera fides simul speculativa, & practica est. Ut speculativa docet scire, & credere mysteria symboli, ut practica jubet servare mandata Decalogi. Symbolum sine Decalogo non salvat. Debemus veram habere fidem, & ipsi conformare mores, & opera. Unde Christus ad juvenem jam credentem dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et in judicio, non de fide, quæ supponitur, sed de operibus, profertur ultima, & irreparabilis sententia. Unusquisque ergo fidelis, qui ad vitam vult ingredi, curet solicite juxta suum statum, & professionem congruis operibus fidem suam comprobare. Nemo fidat commentis, & nugis Lutheri, & Calvini, qui misere errant, & faciunt errare, contendentes solam fidem sufficere ad salutem.

§. II.

Alia dubia de eadem materia.

21. Inq. 1. Quid debeat credere adultus? R. quod omnis adultus debet, per se loquendo, credere explicite necessitate medii mysteria, quæ pertinent *ad principium, medium, & finem.* Quæ pertinent ad *principium*, sunt dari Deum authorem supernaturalem, remuneratorem bonorum, ultoremque malorum: in quo implicite creditur *primo*, providentia Dei; *secundo*, ei bona opera placere, & mala displicere; *tertio*, immortalitas animæ, quæ post hanc vitam recipiet juxta opera sua. Mysteria quæ pertinent *ad medium* sunt, incarnatio filii Dei, ejusque

que mors, & resurrectio ad nostram redemptionem, & glorificationem. Ad *finem* pertinet mysterium sanctissimæ Trinitatis, consistens in unitate essentiæ, & trinitate personarum, & dari gloriam justis, pœnamque æternam peccatoribus.

22. Aliorum mysteriorum non est necessaria fides explicita necessitate medii, sed sufficit implicita: quia prædicti articuli continent implicite, quidquid ad fidem pertinet, ergo sufficit explicita cognitio eorum, in quibus cæteri implicite continentur, & creduntur. Idem dicimus de mysteriis Christi Domini, sufficit enim explicita cognitio ejus divinitatis, & humanitatis, atque redemptionis per mortem, & resurrectionem illius, quia hæc sunt præcipua Incarnationis, & nostræ salutis mysteria.

23. Inq. 2. An pœnitens laborans ignorantia vincibili, aut invincibili prædictorum sit capax absolutionis? R. neg. constat ex propositione 64. damnata ab Innoc. XI. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem nesciat misterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

24. Verum, si prudens Confessarius agnoscat pœnitentem vere dolere de ignorantia præterita, velleque serio discere hæc mysteria, instruat illum, ut rudi saltem minerva ea percipiat, & quoad substantiam credat, cum proposito ea diligentius addiscendi, & ita sufficienter suo judicio instructum, ac dispositum poterit absolvere, nisi differre absolutionem melius ipsi visum fuerit: quia jam nec ignorat mysteria necessaria ad salutem, nec consequenter est incapax absolutionis.

25. Advertat etiam Confessarius; quod pœnitentes bardi, & rustici plures nesciunt respondere, licet substantialiter sciant mysteria, de quibus interrogantur, quia non semel accidit quærere ab eis, quod sacramentum veniant recipere? & turbati, ac timidi tacent, aut errant in responsione. Si autem quæras ab illis, an veniant ad se confitendum, & recipiendam absolutionem, & veniam peccatorum? An credant sacramentum pœnitentiæ ad hunc finem esse institutum? libenter annuunt. Igitur in hunc modum facilem, & ipsis intelligibilem, etiam circa alia mysteria, & sacramenta interrogandi sunt, & instruendi quoad substantiam.

26. Ex dictis autem plane infertur, quod ignorans mysteria Incarnationis, & Trinitatis tenetur repetere confessiones, si quas fecit cum hac ignorantia: quia non erat capax absolutionis, sicut qui dolorem non haberet, erg. ejus confessiones fuerunt nullæ, consequenterque repetendæ: quia confessio nulla necessario est repetenda.

Punctum IV.

De credendis necessitate præcepti.

27. Diximus, quæ mysteria fidei tenetur homo scire, & credere necessitate medii, restat dicendum, quæ teneatur necessitate præcepti. Supponimus autem omnes teneri ad credendum implicite, quidquid docet, & credit sancta mater Ecclesia: quo supposito.

28. Inq. Quæ mysteria credenda sint explicite necessitate præcepti? R. quod omnes fideles tenentur necessitate præcepti scire, & credere explicite articulos omnes, qui in Symbolo Apostolorum exponuntur, ubi continentur etiam quatuordecim comprehensi in Catechismo hispanico vulgo, *articulos de la fe.* Deinde septem Ecclesiæ sacramenta, præcipue baptismum, pœnitentiam, & Eucharistiam, & dispositiones, quæ ad ea rite suscipienda postulantur. Cætera quatuor, licet non ab omnibus sciri sub gravi debeant, nisi suscipienda sint; non caret culpa levi eorum ignorantia.

29. Item necessaria est explicita notitia, & fides præceptorum Decalogi, & sanctæ matris Ecclesiæ, orationis Dominicæ, & salutationis angelicæ. Præterea debent credi explicite quatuor novissima, nec non existentia purgatorii, suffragiorum utilitas, sacrarum reliquiarum, & imaginum cultus, atque signatio crucis, & denique præcipuæ obligationes, quæ ad proprium statum, & officium spectant.

30. Hæc omnia debent sciri, & credi

di explicite, saltem quoad substantiam, ita ut interrogati, valeant sufficienter pro modulo suo respondere. Sufficit ergo, quod sciant mysterium Trinitatis consistere in eo, quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres personæ distinctæ, & unus solus verus Deus. Similiter mysterium Incarnationis in eo, quod Filius, hoc est, secunda persona sanctissimæ Trinitatis ex Maria Virgine carnem humanam assumpsit, & ita Christus est simul verus Deus, & homo conceptus non ope viri, sed Spiritus sancti operante virtute; quod natus fuit ex beatissima Maria, quæ semper virgo permansit. Item quod pro nobis passus, crucifixus, mortuusque fuit; non tamen necessarium est scire passum fuisse sub *Pontio Pilato*, & sic proportionabiliter de aliis articulis.

31. De præceptis, satis est, si sciant, & credant eorum violationem esse peccatum: ut perjurium, furtum, mendacium. De oratione dominica sufficit agnoscere universa bona tam animæ, quam corporis a Deo esse petenda. De salutatione Angelica debet sciri, sacratissimam Virginem matrem Dei benignam esse nobis præcipuam mediatricem cum Deo ad obtinenda omnia beneficia. Studeant ergo diligenter Parochi, parentes, & magistri, ut pueri hęc omnia accurate addiscant, quia memoriter ea scire, & habere ad minus sub veniali tenentur. Debent autem illa scire idiomate vulgari, vel alio sibi noto, ita ut saltem pro modulo suo ea vere percipiant, & intelligant, credi enim non potest, quod non intelligitur.

32. Ecclesiastici ad majorem notitiam omnium, quæ ad fidem pertinent, quam laici tenentur. Ideo pro majori eorum instructione dabimus in fine operis uberiorem explicationem doctrinæ christianæ. Sacerdotes simplices debent præter illa, quæ omnibus sunt communia, scire, quæ ad proprium munus, & debitam Sacerdotii administrationem attinent. Parochi, & curati ampliori scientia pollere debent, ut oves sibi commissas circa mysteria fidei solicite instruant, & pabulo salutaris doctrinæ sedulo ennutriant: quapropter Concilium Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 4. eis præcipit, ut dominicis saltem diebus, & aliis festis solemnibus in singulis Parochiis pueros fidei rudimenta, obedientiamque erga Deum, & parentes diligenter edoceant. In quo, si negligenter se gesserint, abs dubio peccant mortaliter, & sanguis ovium suarum in tremendo Dei judicio de manu eorum requiretur. Sacrorum canonum studio vacare debent ecclesiastici; in eis quippe reperient regulas sua munia recte exercendi. *D. Thom. ibi. a.* 6.

33. Episcopi præ omnibus altiori studio, & eruditione sacræ Scripturæ refulgere debent, ut potentes sint exhortare in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Ipsi enim sunt sal terræ, & lux mundi ad cæteros erudiendos, & fidem ab errorum tenebris defensandam, qua ratione in eorum consecratione juramento testantur se scire novum, & vetus testamentum; igitur ad Episcopos attinet, *ut etiam ea, quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant, & tanto magis, quanto in majori gradu collocantur.* Inquit D. Thom. *in supplem. q.* 36. *art.* 2. *ad* 1.

34. Confessarii, etiam delegati tenentur habere illam scientiam, quæ ad suum gravissimum munus rite adimplendum necessaria est, ut clavigeri cœli januam gratiæ dignis aperiant, indignis claudant, ignorantes patienter instruant, errantes benevole corrigant, & ad viam revocent veritatis Scire ergo debent discernere inter lepram, & lepram, hoc est, peccatum mortale a veniali; item distinctionem specificam, & numericam peccatorum cum omnibus circumstantiis regulariter occurrentibus, casus reservatos Dioecesis, in qua confessiones excipiuntur, censuras reservatas, & irregularitates, saltem communiores, modum imponendi pœnitentias salutares, tum satisfactorias, tum medicinales, habito respectu ad statum, conditionem, sexum, & peccata pœnitentium, causas matrimoniales, vota, juramenta, & quomodo solvenda, commutanda, relaxanda, aut dispensanda sint. Et denique omnes materias morales, ita ut possint, saltem dubitare; & in dubio libros, aut doctiores consulere, ne, si cœcus cœco ducatum præstet, ambo in foveam cadant.

35. Non semper tenetur Confessarius interrogare de doctrina christiana omnes

pœnitentes, sed tantum illos, de quibus prudenter timet eam ignorare. Nec in hoc certa regula assignari valet, sed prudenti judicio relinquitur. Si Confessarius pœnitentem ignorantem mysteria fidei reperiat in articulo mortis, curet illi explicare, quæ necessaria sunt necessitate medii faciliori modo, quo possit, & quod explicite illis, & implicite omnibus assensum præbeat, doleatque de præterita ignorantia cum proposito congruo tempore, si Deus illi concesserit, accuratius se instruendi, & ita beneficium absolutionis concedet.

Punctum V.

De præceptis fidei.

36. Inq. 1. Quot sunt præcepta fidei? R. sunt quinque; tria affirmativa, & duo negativa: affirmativa sunt: *scire mysteria fidei, interius assentire fidei, exterius confiteri fidem.* Negativa sunt: *interius non dissentire fidei, exterius non negare fidem.* Præcepta negativa obligant semper, & pro semper, sicut alia de non occidendo, non furando, non mentiendo. Affirmativa obligant determinatis temporibus.

37. Inq. 2. An detur præceptum sciendi mysteria fidei? R. affirmat. obligatque adultos usu rationis præditos semper, & pro semper, usque dum sciantur, & deinceps ne obliviscantur: quia licet sit affirmativum, includit negativum non differendi, nec deserendi notitiam, & cognitionem mysteriorum fidei: quilibet enim tenetur scire ea, quæ pertinent ad proprium statum, officium, & professionem, & præcipue illa, sine quibus suo muneri impossibile est satisfacere; sed talia sunt mysteria fidei, ergo semper, & pro semper debet illa scire.

38. Nota vero, quod scire mysteria fidei, & elicere actus fidei est duplex præceptum, utrumque *propter se*, & obligant *directe*, ideoque nesciens illa, & ommittens illis assentiri, duplex peccatum committit, sicut qui in die festo laboraret, & missam non audiret: quia violaret duplex præceptum *propter se*, ut dictum est. Non sic, qui ignoraret diem jejunii, & non jejunaret, aut nesciens esse diem festum, sacro non assisteret, quia non datur præceptum sciendi diem jejuni, aut festi *propter se*, sed propter jejunium, aut sacrum.

39. Inq. 3. An detur præceptum speciale credendi fide supernaturali mysteria divina? R. affirmative: quia fidei assensus est medium necessarium ad salutem, ergo datur de illo speciale præceptum, cum abs dubio teneamur apponere medium ad salutem necessariam. Quapropter Innoc. XI. proscripsit prop. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* D. Thom. 2. 2. *q.* 2.

40. Inq. 4. An hoc præceptum sit divinum, an ve ecclesiasticum? R. est divinum quoad substantiam, ut patet ex pluribus locis sacræ paginæ supra adductis. Potest autem aliquo modo dici etiam ecclesiasticum quoad determinationem, ut præceptum confessionis, & Eucharistiæ: nam licet Ecclesia non præcipiat actus mere internos ratione sui, præcipit tamen illos ratione actus externi, prout ordinantur ad recipienda sacramenta, & alia munia christiana. Est etiam supernaturale præceptum credendi, tam ex parte principii, quod est Deus, ut author supernaturalis, quam ex parte objecti, quod est omne revelatum in ordine ad finem supernaturalem. Potest etiam non incongrue dici naturale; quia ipsa natura exigit, & docet credendum esse Deo aliquid revelanti.

41. Inq. 5. Quando obligat præceptum interius assentiendi fidei? R. obligat *directe*, & *per se* quinque temporibus. Primo, inter fideles in ingressu morali usus rationis. 2. Quam primum sufficienter fides proponitur adulto, qui eam non audierat. 3. In articulo, & periculo mortis. 4. Saltem semel in anno. 5. Quando urget gravis tentatio contra fidem, quæ aliter nequeat vinci, nisi per actum internum fidei.

42. In his quinque temporibus obligat *directe*, & *per se*. In primo, quia in ingressu morali usus rationis instat obligatio se convertendi in Deum; sed nequit homo converti in Deum, quem per fidem non cognoscit, ergo tunc tenetur ad assensum fidei. Dicimus. *in ingressu morali* ad innuendam sufficientem fidei pro-

propositionem, capacitatem, & lucem, quæ non omnibus eodem tempore, nec æqualiter affulget.

43. Obligat 2. Infideles, quam primum illis sufficienter fides proponitur: quia tenentur apponere media ad salutem necessaria; sed quando fides illis sufficienter proponitur, cognoscunt illam esse medium necessarium ad salutem, erg. tenentur hoc medium apponere, eliciendo actum fidei.

Tunc autem sufficienter fides proponitur infideli, quando per ministros idoneos rationibus probabilioribus exponitur illi magis credibilis, quam alia secta. Nam licet pro hac habeat opinionem probabilem, debet amplecti probabiliorem, nec aliter excusatur ab infidelitate, ut aperte declarat Innocent. XI. damnans propos. 4. *Ab infidelitate excusatur infidelis ductus opinione probabili.*

44. Obligat 3. in articulo mortis, quia tunc sunt graviores tentationes, quibus resistendum est per fidem juxta illud Petri *cap.* 5. *cui resistite fortes in fide.* Qua etiam ratione merito Ecclesia præcipit ante receptionem sacramentorum in illo articulo fidei confessionem facere.

45. Obligat. 4. Saltem semel in anno: quia præceptum confessionis, & communionis ex ordinatione Ecclesiæ obligat saltem semel in anno, ergo potiori titulo præceptum fidei: cum hæc virtus sit adeo necessaria, non solum ad æternam salutem, sed etiam ad ipsa sacramenta recipienda. Unde merito confixa est ab Alexandro VII. propos. 1. *Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*, & alia, quæ est 17. ab Innoc. XI. *satis est actum fidei semel in vita elicere.* Et altera ab eodem, quæ est 65. dicens circa mysteria Trinitatis, & Incarnationis: *sufficit illa mysteria semel credidisse.*

46. Plurimum distat ab his opinationibus sententia P. P. Salmanticensium, qui hic ita locuntur. *Certe nobiscum valde pie, & remisse agitur, dum semel repetere hos actus quotannis jubemur.* Scotus censet præceptum fidei obligare *per se* omnibus diebus festis. Textus hujus obligationis non datur, sed revera ratio naturalis non contradicit; quia justus ex fide vivit: languida ergo est fides, quæ tantum semel in anno reficitur. Genetus non præfigit tempus; solum dicit: *Nos sæpe elicere debere actus hujus virtutis.* Nec de spe, & charitate illud assignat. Nos vero dicimus cum communi, saltem semel in anno obligare actus fidei, spei, & charitatis.

47. Bened. XIV. in Bulla *Cum religiosi*, hortatur Parochos, ut ante, vel post parochialem missam alta voce recitent actus fidei, spei, & charitatis, populo respondente, ubi hic usus laudabilis prævalet: cureturque recipiendus, ubi hactenus non obtinuit.

48. Verum est, quod fides pluries exercetur in anno a quolibet fideli. Vadit enim saltem diebus festis ad Ecclesiam, aqua benedicta utitur, signo crucis munitur, ad altare genuflectit, orat, sacrificio assistit, hostiam adorat, sacramenta aliquando suscipit, symbolum recitat: hæc autem omnia sunt actus practici, & quędam protestationes fidei. Quod notare debent Confessarii, ut suos pœnitentes moneant, ne defectu considerationis, & directionis fructum tot bonorum operum, & actuum amittant.

49. Obligat. 5. Præceptum eliciendi actum fidei, quando urget gravis tentatio contra fidem, quę aliter vinci non potest: quia tenemur assumere medium necessarium ad vincendam tentationem, quod tunc aliud non est, quam actus fidei.

50. Demum *per accidens* tenemur elicere actum fidei, quoties obligat aliud præceptum, quod sine illo adimpleri non possit. Ut præceptum spei, charitatis, confessionis, religionis, aut alterius virtutis, quod absque fide adimpleri non valet. Similiter quando urget Tyrannus ad negandam fidem: quia tunc tenetur homo exterius confiteri fidem, ad quod necessario debet roborari per actum interiorem, per quem validius fidem exterius fateatur, erg. in hoc casu tenetur *per accidens* elicere actum fidei.

51. Nota 1. Quod præceptum potest obligare *directe*, & *per se*; & *indirecte*, & *per accidens*. Tunc obligat *directe*, & *per se*, quando obligat *ratione sui*: Ut præceptum annuę confessionis præcipit

pit ratione sui, ut quis saltem semel in anno confiteatur. Tunc obligat *indirecte*, & *per accidens*, quando obligat *ratione alterius præcepti*, quod non potest adimpleri sine illo: ut cum præcipitur confessio ratione communionis.

52. Nota 2. Differentiam inter præceptum, quando obligat *directe*, & *indirecte*; quod in primo casu omissio illius est peccatum distinctum a peccato omissionis alterius præcepti, ut omissio confessionis, quando obligat *per se*, est distinctum peccatum ob omissione communionis, & utrumque debet confiteri: verum quando obligat *indirecte*, & *per accidens*, omissio illius non constituit diversum peccatum ab omissione alterius præcepti. Unde qui semel jam adimplevit præceptum annuæ confessionis, si postea, omissa confessione, sumat indigne communionem in Paschate, unum tantum peccatum sacrilegii committit: quia in eo eventu præceptum confessionis solum obligat *indirecte* ratione communionis.

Punctum VI.

De præcepto exterius confitendi fidem.

53. Inq. 1. An detur præceptum divinum exterius confitendi fidem? R. affirm. constat ex Apost. *ad Rom.* 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Patet etiam ratione, quia homo constat anima, & corpore, erg. utroque debet confiteri fidem, ac demonstrare se esse fidelem, præcipue quando id exigit honor Dei, & utilitas proximi. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 3. *a.* 2.

54. Inq. 2. Quando obligat determinate hoc præceptum? R. obligat *directe*, & *per se* quinque temporibus. 1. Quando interrogamur de fide a judice tyranno, vel ab alio ex ejus commissione. 2. Quando viderimus conculcare sacras imagenes, vel illas injuriis afficere. 3. Quando confessio fidei est necessaria ad firmandum proximum in fide, & ex parte sua vires sufficientes agnoscit. 4. Quando aliquis adultus baptizandus fuerit. 5. Quando aliquis recipit Institutionem canonicam, seu alium gradum juxta dicenda.

55. Obligat. 1. Quando quis interrogatur de fide a tyranno, vel potestate publica, quia tunc agitur de causa religionis, & de honore, & cultu Deo debito: debet ergo respondere de plano sine amphibologia, & fidem divinam confiteri. Unde proscripta est ab Innocent. XI. *prop.* 18. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem in genere confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

56. Verum si a tyranno, vel potestate publica interrogatio fiat, non ratione fidei, aut religionis, sed ratione nationis, aut alterius motivi naturalis, non peccaret graviter fidelis contra confessionem fidei, tacendo, aut simulando se esse Christianum: quia interrogatio interpretanda est juxta animum interrogantis, qui supponitur non dirigi ad fidem, nec ad causam religionis,

57. Diximus debere respondere de plano ad interrogationem tyranni, intellige, si fugam interrogatus non capiat, quod licitum est, ut const. ex illo. *Matth.* 10. *Cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam.* Imo tenetur fugere, si timeat vim tormentorum non posse sustinere, vel persona adeo utilis est Ecclesiæ, ut ejus vita sit illi valde necessaria. Ita se gessit D. Paulus demissus in sporta, ut fugeret manus Præpositi Damasci. Sic D. Athanasius, & alii. Cæterum si præsentia illius necessaria sit ad fidem promovendam, & in ea imbecilles roborandum, tenetur non fugere, sed constanter fidem confiteri, & vitam pro fide libenter tradere.

58. Episcopi autem, & alii pastores tunc solum poterunt fugere, quando ipsi quæruntur ad necem, dummodo gregi de idoneis ministris provideatur. Si vero quæratur totus grex, & eorum præsentia sit necessaria ad illum in fide confirmandum, tunc ex justitia, & charitate tenentur animam ponere pro ovibus suis, ne sit sicut mercenarius, qui dimittit oves, & inglorius, inersque fugit.

59. Si quis autem interrogetur a persona privata, distinguendum est. Vel enim ex omissione confessionis fidei subtrahitur honor divinus, aut utilitas proximi, vel non; si primum, tenetur fidelis sub gravi exterius confiteri fidem; si ne-

secundum, potest tacere, vel declinare responsionem, vel despicere illum, dicens: *quid ad te? quid tua interest?* Idem dicito, si ex confessione fidei nullus speratur fructus, aut timeatur ansam præberi improbitati interrogantis, vel sequatur turbatio infidelium, & nulla utilitas fidelium. Ut docet D. Thom. *ubi suprà ad* 3.

60. Obligat. 2. Præceptum externæ confessionis fidei, cum viderimus sacras imagines conculcari, aut irrideri res fidei, aut Creatorem contumeliari: quia tunc fides, & religio catholica despicitur, & honor debitus Deo, & ejus sanctis subtrahitur per contrariam contumeliam, ergo urget præceptum confitendi fidem, & propulsandi ejus injuriam. D. Thom. 2. 2. *q.* 3. *a.* 2.

61. Obligat. 3. Dum est necessaria confessio externa ad confirmandum proximum in fide titubantem: hujus ratio est, quia semper ac subtrahitur honor divinus, ut in duplici casu antecedenti, aut utilitas proximi, ut in præsenti, urget præceptum fidei juxta doctrinam D. Thom. loco supra laudato. Hujus veritatis illustre exemplum in Ecclesia reliquit inclitus Martyr S. Sebastianus, qui aliquando simulavit se esse Christianum; quando autem vidit Marcum, & Marcellinum in fide vacillari, tunc heroice prodiit, & fidem Christi palam confitens, sua exhortatione ita eos confirmavit, ut non solum ipsi, sed multi alii ultro se tortoribus offerrent.

62. Obligat. 4. Quando aliquis adultus baptizandus fuerit, quia debet interius, & exterius se conformare cum fide, quam in baptismo confitetur, & amplectitur. Etsi fuerit hæreticus, prius errores, quos habuit, abjurare debet. Quod etiam verificatur, & necessarium est in catholico, si incidat in hæresim publicam.

63. Obligat. 5. Quando quis suscipit aliquam institutionem canonicam, beneficium curatum, aut alium gradum, cui annexum sit munus docendi. Hoc præceptum est ecclesiasticum, & constat ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *& sess.* 25. *cap.* 2. *& ex Bulla Pii IV. In sacramenta*, confirmativa decreti Concilii, & extensiva ad omnes magistros, & professores cujuscumque facultatis, & ex alio motu proprio ejusdem, *Injunctum nobis*, ampliativo ad Prælatos regulares, etiam ordinum militarium. Ubi sub pœna privationis dignitatum, & excommunicationis latæ sententiæ præcipit omnibus respective dictam professionem fidei emittere.

64. Igitur Episcopi, Archiepiscopi, Pathiarchæ, Primates, & cæteri Prælati etiam regulares, rectores Universitatum, doctores, lectores, & magistri ad illam tenentur. Deinde canonici, dignitates Ecclesiæ cathedralis debent illam emittere coram Episcopo, & capitulo, beneficiarii autem curam animarum habentes coram Episcopo, vel ejus Vicario. Omnes isti, si intra bimestre a die pacificæ possessionis, etiam inculpabiliter omittant dictam professionem, non faciunt fructus suos, & ipso facto tenentur ad restitutionem eorum, nullo enim modo acquirunt eorum dominium. Qui circa hanc materiam plura desiderat, consulat N. Salmanticenses, qui pro dignitate eam dilucidant, resolvuntque hanc professionem debere fieri personaliter, & non per procuratorem. Denique apponunt formulam hujusmodi professionis. Tract. 21. c. 2. n. 95.

Punctum VII.

De præcepto negativo exterius non dissentiendi fidei.

65. Inq. 1. An detur præceptum divinum obligans semper, & pro semper ad non negandam exterius fidem? R. affirm. patet *ex cap.* 10. *Matth. Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Unde, qui negaret explicite esse Christianum, aut Romanistam, vel Papistam, negaret explicite fidem, quia negans se esse Christianum, negat se credere in Christum; hoc fuit peccatum D. Petri, qui præ timore negavit exterius se esse discipulum Christi, id est, esse Christianum.

66. Hoc autem intelligitur, dum nomen Christiani, aut Papæ sumitur, ut nomen religionis; non vero quando accipitur ut nomen nationis; tunc enim licet mentiatur, non negat fidem, sed nationem. Idem est, si negaret se esse clericum,

Sa-

Sacerdotem, vel religiosum, ut pluries in Anglia accidere potest; quia in hoc solum negatur status, aut munus, non fides. Verum si quis rogatus, an sit Turca, vel Luteranus, affirmaret, procul dubio negat fidem, nisi interrogatio esset de patria, in quo casu non violaretur fides. Nec similiter si verba, aut facta fidem negantia dicantur, aut fiant tantum joci causa, ut in comediis, & theatris: quia non proferuntur serio, sed repræsentationis causa. Ut si quis repræsentaret Mahomam, Lutherum, aut Diabolum.

67. Inq. 2. An ob vitandam mortem licitum sit Idolo thus adolere, aut eidem genuflectere, vel alium cultum tribuere? R. negat. quia hoc, licet deficiat consensus interior, revera est fidem exterius negare; ex opposito numquam factis negaretur fides, quod est falsum apud omnes. Nec admiti potest simulatio materialis, ubi actiones per se, & ex natura sua significant cultum, & adorationem. Unde quidam ritus Sinenses, quibus dabatur externus cultus *Confutio*, & internus Crucifixo, pluries merito sunt proscripti ab Ecclesia.

68. Objic. 1. Ælisæus permisit Namam genuflectere in templo coram *Remmnon*. R. Eliseum solum permisisse Naaman comitari dominum suum, & ei politicum obsequium præstare, sicut famula captiva potest in similibus inservire dominæ suæ, sive intra, sive extra templum.

69. Objic. 2. Jehu *simulavit velle sacrificare Baal, quod videtur a Deo laudari 4. Reg.* 10. R. Jehu peccase in simulatione, quam Deus non approbat, sed voluntatem, & zelum occidendi Prophetas Baal, & destruendi cultum ejus.

70. Objic. 3. D. Paulus circumcidit Thimotheum *Act.* 16. Se totondit, & purificavit in templo juxta ritum veteris legis, *cap.* 18. *&* 21, R. quod tunc cæremoniæ veteris legis, licet essent mortuæ, non tamen mortiferæ, & sic poterant observari in utilitatem Judæorum absque ulla culpa. Post promulgationem vero perfectam Evangelii mortiferæ sunt, maxime post const. Bened. XIV. *Inter omnigenas*, & alias, quibus severe prohibet circumcisionem, aliosque ritus Turcicos, & nomina Mahometica, ut protestationes sectæ Mahometis, & virtualem negationem Christianæ religionis.

71. Inq. 3. An in hoc præcepto detur parvitas materiæ? R. neg. nisi ex defectu deliberationis, quia quodlibet mendacium, quantumvis leve destruit fidem, vel est contra fidem, erg. grave. Unde prædicare aliquod miraculum falsum, vel sacram Scripturam variare est peccatum lethale; verum si aliquis referat Genesim pro Exodo, vel capitulum quartum pro octavo, Isaiam pro Hieremia, aut Petrum pro Paulo, non deliberate, sed quia tunc non occurrit, non peccaret graviter, imo nec leviter, si ex lapsu linguæ, aut oblivione illud proferat.

Punctum VIII.

De præcepto non utendi vestibus, aut signis infidelium.

72. Inq. 1. An liceat catholicis ad fidem occultandam uti aliquando vestibus infidelium? Pro responsione notandum est, vestes infidelium tripliciter posse considerari. 1. Juxta morem patriæ, aut regni sine ullo respectu ad religionem; ut Cidaris apud Mauros. 2. ad protestandam propriam religionem, & sectam: ut apud Judęos vestis summi Sacerdotis: & apud Turcas vestes cum imagine Mahometi. 3. Non ad protestandam religionem, sed ad distinguendos homines unius sectæ ab aliis, ut pileus ruber prodit Romæ Judeos, & Tobalia ubique Turcas, & Sarracenos, Nulla est difficultas de vestibus primi generis, cum enim institutæ non sint ad protestandam religionem, & sectam, potest catholicus illis uti justa de causa absque ulla culpa: quo supposito.

73. R. 1. Esse omnino illicitum vestibus secundi generis uti ad occultandam fidem: quia talia indumenta instituta sunt per se primo ad protestandam religionem, ergo sicut illicitum est falsam religionem protestari, ita dictis vestibus uti. Verum si quis propriis vestibus a latronibus denudaretur, vel alio eventu nudus penitus remaneret, ut nuditatem operiretur, aut frigorem repelleret, suæque necessitati provideret, vestes infidelium, etiam Sacerdotales induere posset: quia

eo eventu nullus prudenter judicare valet, illa indumenta deservire ad protestandam fidem, sed ad cooperiendam nuditatem.

74. R. 2. Licitum esse catholico uti ex justa causa vestibus tertii generis, quia tales vestes non sunt institutæ ad protestandam fidem, sed tantum ad cognoscendam conditionem personarum, quæ hanc, vel illam gabellam solvere debeant, vel separatim habitare teneantur, erg. gestatio talis indumenti neutiquam est protestatio falsæ religionis; alias nullus Princeps catholicus eam publice permittere posset. Notandum vero est, quod si in dictis vestibus sit depicta imago Mahometi, vel alterius idoli ad protestandam ejus sectam, jam transeunt ad classem vestium secundi generis, ac proinde illicitus est earum usus.

75. Inq. 2. An si Princeps infidelis, aut hæreticus præciperet omnibus existentibus in suis dominiis, vel suis propriis subditis uti veste, aut signo peculiari in cultum, & honorem suæ religionis, catholicus ibi existens posset illa gestare ob vitandam mortem? R. negative: atque idem est, si juberet ingredi templa hæreticorum ad conciones eorum audiendas, aut fundendas cum eis preces. Constat ex duplici Bulla Paul. V. quibus omne id prohibetur. Uno verbo, quoties usus vestium, ingressus templorum, essus carnium, aut quid simile juberetur in honorem, aut protestationem falsæ religionis, teneretur catholicus prius amittere vitam, quam præstare obsdientiam, quia tunc obedientia cederet in contemptum religionis. Si vero non adsit talis protestatio, neque scandalum, licita sunt catholicis hæc, & similia ex justa causa. Vide Const. Bened. XIV. quæ incipit, *Inter omnigenas.*

76. Ex dictis sequitur 1. Licitum esse in articulo mortis, seu extrema necessitate adire templa hæreticorum ad suscipiendum baptismum, & alia sacramenta, si quæ valide ibi ministrentur. Nam sacramenta non sunt propria alicujus sectæ, sed Ecclesiæ catholicæ, licet aliqua ab hæreticis asportata, & velut furata sint: ergo licite recipi possunt in extrema necessitate a quocumque valide illa conferente.

77. Sequitur 2. etiam licitum esse justa de causa, ut ad conservandam amicitiam, assistere nuptiis, & funeribus hæreticorum, modo in precibus, & ceremoniis nulla sit communicatio.

78. Sequitur 3. Licere catholicis ad vitandam mortem, vel aliud grave damnum, in regionibus hæreticorum edere carnes diebus vetitis ab Ecclesia: quia variis de causis potest honestari illarum comestio, nec præcepta Ecclesiæ obligant cum tanto detrimento. Nec essus carnium diebus vetitis est abnegatio veræ fidei; licet edens frequenter carnes, aut ova, & lacticinia contra prohibitionem Ecclesiæ absque necessitate, & privilegio sit suspectus de hæresi.

79. Sequitur 4. Quid sit dicendum de *Idolotytis*? Panis, frumentum, carnes, vinum, & alia esculenta consecrata Idolis appellantur *Idolotyta*. Igitur, justa interveniente causa, licitum est catholicis ea edere: quia cibi ordinati sunt a natura ad alendum corpus, ergo, præciso scandalo, spreta infidelium superstitione, licitum est eorum usus, & essus ad vitam conservandam.

80. Inq. 3. An sit licitum catholicis ob mortem vitandam vesci publice carnibus die veneris apud illos hæreticos, qui id tali die instituerunt in signum libertatis suæ sectæ? R. negat. quia esto carnium essus sit ex se indifferens, ubi vero eduntur in contemptum legis ecclesiasticæ, & in protestationem Calvinistæ, aut alterius sectæ, jam talis essus non est indifferens, sed actio protestativa illius sectæ: Sicut etiam est cœna hæreticorum, cui eadem ratione nullus catholicus assistere valet, sed potius deberet gloriosam mortem subire, quam vitam corruptibilem conservare, ut fecere invictissimus Eleazarus, & fortissimi septem Machabei.

Punctum IX.

An liceat catholicis de rebus fidei cum hæreticis disputare?

81. Nemini laicorum licitum est disputare publice, vel private cum infidelibus, aut hæreticis de rebus fidei. *Const. ex cap. Quicumque §. Inhibemus de hæreti-*

ticis in 6. Ubi inhibetur omni personę laicæ similis disputatio sub pœna excommunicationis *ferendæ*. Obligat tamen sub mortali, & comprehendit quemlibet laicum quantumvis doctum : quia est lex fundata in præsumptione non facti, sed periculi, quæ semper obligat, esto deficiat ejus finis privative in aliquo casu particulari ; sed, si deficiat contrarie, ut quando insultaretur fides catholica ab aliquo infideli, aut cum periculo deceptionis audientium, posset, immo deberet laicus vere doctus, deficiente clerico idoneo, disputare cum illo ad reprimendam ejus audaciam, & fidei injuriam propulsandam. Nam *sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit*, ait D. Thom. cum *S. Gregor.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 7.

82. Omnibus etiam ecclesiasticis, sive sæcularibus, sive regularibus imperitis prohibitum est disputare cum hæreticis de rebus fidei, non ex vi prædictæ legis, quæ illos non comprehendit, sed ex vi legis naturalis, quæ prohibet se exponere perversioni, & fidem irrisioni cum adstantium scandalo, quod apud omnes est peccatum grave.

83. Solis igitur clericis, & religiosis sufficienti scientia instructis communis sententia id concedit. Illis, inquam, qui dogmata, & controversias fidei apprime callent, & sacra pollent eruditione. Prudens enim circumspectio necessaria est, ut quis cum hæreticis ad certamen exeat, & in arenam descendat, ipsorum quippe effugia plura sunt, argumenta sophistica, & magna astutia, omnique dolo plena eorum responsio.

84. Numquam debent catholici cum hæreticis de fide disputare coram Principe sæculari, qui ut Judex controversię assistere velit, licet enim Principes sæculares adesse ut protectores æquum sit, etiam in Conciliis, aut Synodis, uti Constantinus M. in Concilio Nicæno ; nusquam tamen ut judices in causa fidei. Quia judicare de rebus fidei attinet ad Sacerdotes, non ad laicos. Qua ratione S. Ambrosius ab Imperatore Valentiniano vocatus ad disputandum coram ipso cum Auxentio Episcopo Ariano, merito comparente noluit, sed ut sanctus, & Doctor Imperatori respondit : quod, inspecta serie scripturæ divinæ, ac veterum temporum, in causa fidei solent Episcopi judicare de Imperatoribus ; non Imperatores de Episcopis.

CAPUT II.

De vitiis, & peccatis fidei oppositis.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio infidelitatis.

85. Inq. 1. Quæ peccata tendant contra fidem? R. peccata commissionis, & omissionis : peccata omissionis tendunt contra præcepta affirmativa, omittendo scire mysteria fidei, & elicere ejus actus internos, & externos temporibus assignatis. Peccata commissionis tendunt contra præcepta negativa, quæ violantur per infidelitatem, que est vitium primo fidei oppositum.

82. Inq. 2. Quid, & quotuplex sit infidelitas? R. infidelitas in communi est *carentia fidei*. Dividitur in *negativam, privativam, & positivam. Negativa* est *carentia fidei in illis, qui numquam de fide audierunt*. Hæc infidelitas non est peccatum, sed pœna primi peccati. Infideles negativi salvari nequeunt, nisi fidei lucem prius consequantur ; non tamen damnantur propter infidelitatem, quæ involuntaria est, sed ob alia peccata personalia, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. Unde ab Ecclesia damnata est propositio 68. *Baji* : *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

87. *Privativa* est *carentia fidei in illis, qui, cum aliquid de fide saltem in confuso audierunt, non curant amplius audire, nec de ea inquirere.* Hæc infidelitas grave peccatum est, qui enim consulto negligit, & recusat inquirere, quod potest, & debet, abs dubio graviter peccat, verificaturque de illo : *Qui non credit, jam judicatus est. Joan.* 5. Hujusmodi sunt plures Pagani, Turcæ, Saraceni, & similes, qui notitiam habentes veræ fidei, minime curant, vel potius resistunt illuminari.

88. Infidelitas positiva est *carentia fidei*

dei in eo, qui fidei sufficienter propositæ pertinaciter resistit, aut contrarium defendit. Hoc proprie, dicit D. Thom. est infidelitatis peccatum, gravissimum quidem, cum per illud omnium virtutum fundamentum destruatur. Hujusmodi sunt infideles viciniores Christianis, & sagaciores inter Mahometanos, & præsertim hæreticos, qui sufficientem fidei notitiam callentes, positive resistunt divinæ veritati.

89. Inq. 3. Quotuplex sit infidelitas positiva? R. est triplex: *Paganismus, judaismus, & hæresis. Paganismus* (qui ita vocatur a Pagis, eo quod Gentiles exibant a Civitatibus ad Pagos pro Idolis colendis) est *recessus pertinax a fide non suscepta. Judaismus* est *recessus pertinax a fide suscepta in figura. Hæresis* est *recessus voluntarius, & pertinax a doctrina; & veritate fidei jam susceptæ.* Pro quo notandum est, non intelligi definitiones de habitu fidei, aut de fide subjectiva, quia Judæi, nec plures hæretici habitum fidei unquam susceperunt, sicut nec adulti, qui cum aliquo errore baptizantur. Sed de fide objectiva: in hac autem susceptione fidei objectivæ conveniunt Judæi cum hæreticis in admissione veteris testamenti, & distinguntur in eo, quod hæretici admittunt etiam novum. Pagani vero neutrum testamentum admittunt, in quo conveniunt cum Turcis, quia licet isti aliqua veteris, & novi testamenti admittant, non tamen ut a Deo, sed a suo Mahometo tradita. *Atheismus* omnem scripturam, & Deum negat; sed convenit cum Paganismo in recessu pertinaci a fide non suscepta, quod est deformali ad infidelitatem: Unde *Atheismus* & *Turcismus* comprehenduntur sub Paganismo. Etiam comprehenditur *Polytheismus*, id est *pluralitas Deorum*; & *Deismus*, id est *Deus sine providentia*: Unde ejus falsi assertores dicuntur *Deistæ.*

90. Ex quibus constat divisionem infidelitatis positivæ in paganismum, judaismum, & hæresim tamquam in tres species infidelitatis esse adæquatam, ut docet Angelic. *ubi supra art.* 5. Vel enim quis recedit a fide non recepta, & sic est paganismus, vel recedit a fide susceptа in figura, & sic est judaismus; vel recedit a fide in veritate suscepta, & sic est hæresis; sed ad istas tres species reducuntur omnes aliæ sectæ cum sola distinctione majoris, vel minoris erroris, & recessus, quod se habet de materiali ad fidem, ergo prædicta divisio est adæquata. Ex quo ulterius oritur, quod hæc diversitas debeat in confessione explicari. Item, quod si paganismum, aut judaismum amplectatur catholicus, duplex peccatum specie distinctum contra fidem committit: alterum recessus a fide, alterum judaismi, aut paganismi, teneturque eas circumstantias in confessione aperire.

91. Inq. 4. Quantum, & quale sit peccatum infidelitatis positivæ? R. esse maximum omnium, quæ contingunt in perversitate morum, excepto odio Dei. Ita D. Thom. *art.* 3. At inter ejus species, hæresis est absolute, & intensive peccatum gravius, quia majori luce, & cognitione resistit veritatibus fidei. Paganismus est gravius extensive, quia deficit a tota fide; judaismus autem potest dici peccatum omnium maximum, non quidem propter speciem infidelitatis, sed propter obstinatum odium in Christum Dominum, quod secum retinent, ut hæreditarium illius perfidiæ a suis progenitoribus conclamatæ, *sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Matth.* 27. 25.

92. Quantumvis ex se illicita sit permissio habitandi infideles cum Catholicis, toleratur tamen a Principibus Christianis ex gravissimis causis, ob majus bonum religionis, vel vitandum gravius damnum: qua ratione etiam permitti potest libertas conscientiæ in aliquibus Provinciis, ne videlicet, volentes eradicare zizaniam, eradicent simul & triticum. Verum est, quod difficilius debet permitti habitatio hæreticis, quam paganis, & judæis: nam isti facilius in sua secta continentur, minusque periculum perversionis inducunt. Vix, aut numquam auditum est Catholicum ad judaismum transisse, cum passim summo dolore audiamus transitum Catholicorum ad hæreses, vel ab ipsis seducti, vel a propria superbia, desideriis carnalibus, & amore libertatis arrepti.

93. Tolerantia judæorum inter Catholicos non est absoluta, sed quibusdam conditionibus. Prima, ut suos ritus non exer-

exerceant cum scandalo Christianorum. 2. Ut novas Synagogas non erigant, possintque solum conservare antiquas in pristino statu. 3. Ut in die Parasceves in publicum non exeant, sed januas, & fenestras clausas habeant. 4. Ut signo aliquo distinctivo a fidelibus utantur.

Punctum II.

De potestate Ecclesiæ in hæreticos, & infideles.

94. Certum est dari in Ecclesia potestatem ad compellendos hæreticos, & apostatas, ut adimpleant fidem, quam in baptismo susceperunt: sunt enim spiritualiter subditi Ecclesiæ. Propter eamdem rationem possunt infideles temporaliter subditi compelli ab Ecclesia, ut audiant mysteria fidei, doctrinamque Evangelicam. Hoc patet exemplo judæorum Romæ habitantium, qui obstricti sunt semel in hebdomada ad fidem evangelicam audiendam. Ex opposito vero nulla datur in Ecclesia potestas compellendi infideles non subditos ad audiendam Evangelii doctrinam: quia compulsio supponit jurisdictionem; sed Ecclesia non habet jurisdictionem in infideles non subditos, erg. ad id non potest eos compellere. Nec similiter ad suscipiendam fidem potest cogere infideles etiam subditos: quia credere voluntatis est, & fides spontanea debet esse, non coacta.

95. Habet tamen Ecclesia potestatem ad coercendos vi, & armis Principes infideles impedientes aperta persecutione, aut blasphemiis Evangelii Prædicatores: quia Ecclesia habet potestatem docendi omnes gentes, & prædicandi Evangelium omni creaturæ, ergo etiam ad coercendum eos, qui injuste illam impediunt. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. Unde Alexander VI. Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabethæ, & Regibus Portugalliæ concessit privilegium defendendi Prædicatores evangelicos Indis fidem annuntiantes: quod ut felicius præstare possent, Hispanis Occidentalem, Lusitanis Orientalem Indiam destinavit.

96. Quapropter si pacifice semel, & iterum rogati nolint infideles acquiescere prædicationi, sed efferati, & insolentes contumeliis, & vexationibus resistant, potest Ecclesia suos mittere concionatores evangelicos militibus stipatos, ut illos defendant, & tueantur. Verum ipsi prædicatores patientia, humilitate, & mansuetudine armati doctrinam evangelicam annunciare debent, ut discipuli Christi, qui orbem domuit, non ferro, sed ligno.

97. Licet Ecclesia non possit directe privare Principes infideles jurisdictione personali, & reali in subditos, nec dominio in servos Catholicos: quia omnes obedire debemus Principibus legitimis, etiam discolis; nec aliquis privilegio, aut prætextu religionis eximere se valet a suo Principe etiam infideli; nihilominus, si subditi Catholici vexentur injuriis, contumeliis, aut malis artibus, ita ut periculum immineat perversionis, potest Ecclesia indirecte spoliare infideles eorum dominio, & iurisdictione: quia infideles suscipientes fidem catholicam fiunt spiritualiter subditi Ecclesiæ, ergo potest eos defendere, ne pervertantur; aut retrahantur a fide: & quando ad hoc necessum fuerit eximere eos a potestate infidelium. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 10.

98. Inquires: An Ecclesia possit cogere infideles ad relinquendos errores, & ritus contrarios rationi naturali, & ob id eis bellum inferre, regnisque privare? R. cum distinctione: nam vel sunt subditi Ecclesiæ, aut Principis Catholici, aut non? Si primum, potest, & debet: quia Principis munus est subditos taliter regere, ut vita, & mores eorum non opponantur rationi naturali. Ideoque omnis Princeps, etsi Ethnicus tenetur obligare subditos, ut deserant errores, & ritus, non quidem fidei catholicæ contrarios, ut sunt ritus Judæorum, & aliqui Saracenorum, sed juri, & lumini naturali oppositos, ut idololatriam, homicidia, adulteria, furta, & similia. Si secundum, nec debet, nec potest: quia bellum justum solum est, vel ad propulsandam injuriam, vel ad subditos coercendos; sed infideles, de quibus loquimur, dictis erroribus nullam injuriam irrogant Ecclesiæ, nec subditi illius sunt, ergo hæc nullam in eos habet obligationem, & potestatem. Ita D. Thom. *ibi. q.* 12. *art.* 2. laudans Apostolum 1. *ad*

Co-

Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?*

99. Ex dictis sequitur 1. nullum Principem Catholicum posse inferre bellum infidelibus, precise quia infideles sunt: Ut patet ex textu Apostoli proxime citato. Sequitur 2. posse Ecclesiam, aut quemlibet Principem Christianum Turcam debellare, maximam enim actualiter injuriam infert Ecclesiæ. Tum quia occupat per violentiam terras Christianis debitas. Tum quia Christiani nominis perpetui, & jurati hostes sunt: adeo ut pro religione habeant tantum nomen delere. Utinam Christiani Principes pro religione sumerent Turcam a terris, quas ab ipsis usurpatas injustissime possidet, gloriose debellare!

100. Sequitur 3. Nullum Principem posse licite bellum inferre, nec privare regnis infideles, licet tyrannice gubernent, quando illorum legitima possessione gaudent: quia tyrannica gubernatio non est justa causa deturbandi Principem a sui regni legitimo dominio, & possessione.

Punctum III.

De communicatione cum infidelibus.

101. Triplex potest dari cum infidelibus communicatio: *Formalis*, *sacra*, *& civilis*. Prima est in ipsis operibus infidelitatis, ut in eorum ceremoniis, ritibus, & sacrificiis. Et hæc prohibita est jure naturali, & divino juxta Apostolum 2. *ad Corinth.* 6. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli?*

102. Inq. An sit licitum Christianis vendere infidelibus ea, quibus ad falsos ritus, & sacrificia abutuntur? R. Vel talia sunt ex se determinata ad cultus superstitiosos, vel ex se sunt indifferentia ad illos, aut alios usus licitos: Si primum, nullo modo est licitum: ut fabricari idola, edificare mezquitas, componere vestes sacerdotales, & similia, quæ per se, & ab intrinseco sunt mala: utpote determinata ad superstitionem. Si secundum, licitum est, sicut gladios, sagittas, lactucas agrestes, agnum vendere, & similia, quibus infideles bene uti possunt, & si male utantur, eorum vitio tribuitur. Ita D. Thom. *ibi. q.* 169. *art.* 2. *ad* 4.

103. Secunda dicitur communicatio sacra, hoc est, in operibus nostræ religionis, circa quam prohibitum est fidelibus communicare cum infidelibus in sacramentis, & sacrificiis. Unde illicitum est, & nullum matrimonium fidelis cum infideli. Ad Missæ autem sacrificium tantum potest admitti infidelis non excommunicatus, si adsit spes conversionis illius. Item ad Missam Cathecumenorum, hoc est usque ad offertorium, ad conciones, & orationes privatas.

104. Tertia communicatio est civilis, & politica, quæ jure divino, & naturali non est prohibita; jure tamen ecclesiastico in decem casibus vetita est cum Judæis, sub pœna excommunicationis laicis; clericis vero sub pœna depositionis: ut constat ex cap. *Nullus.* Et ex cap. *Omnes* 28. q. 1. & cap. *Judæi* 2. de *Judæis.*

105. Prohibetur ergo 1. cohabitatio in eadem domo cum Judæis. 2. Judæos invitare, aut ad eorum convivia accedere. 3. Vesci eorum azimis. 4. Simul cum eis in balneo se lavare. 5. Ab eis medicinas accipere. 6. Eis medicis uti. 7. Eorum filios nutrire in suis domibus. 8. Eis famulatum præstare. 9. Servitutis vinculo eis subjici. 10. Judæos hæredes suos, aut legatarios instituere. Hæc prohibitio licet nominatim loquatur de Judæis, tamen extenditur ad Mahometanos, & Saracenos, quia talis extensio apponitur claris textibus juris utriusque.

106. Sed circa singulos casus aliqua breviter adnotare oportet. In primo de *cohabitatione*, minime vetitum est Christianos habere servum Judæum, aut Saracenum; imo hoc permittitur cap. *Judæi. de Judæis*: Unde communis praxis ubique recepta probat licitum, saltem quoad Saracenos, cum eos passim videamus habitare, ut servos in domibus fidelium. De servis Judæis non est ita compertum apud D. D. Sed si bene perpendatur, eadem ratio est de utrisque, licet familiaritas eorum ab omnibus cavenda sit. In secundo de conviviis, solum

lum prohibetur eos invitare, & ad convivia eorum accedere ex condicto; non vero si casualiter acciderit, dummodo semper despiciatur epularum distinctio apud Judæos superstitiose observata. In 3. de azymis prohibetur illa edere ritu Judaico, aut aliorum scandalo; interveniente autem necessitate, & præciso scandalo, licitum est catholicis eis vesci, ut dictum est de Idolothytis.

107. In. 4. de ingressu in balneum, tantum prohibetur, ne Christiani ut socii, & familiariter illuc conveniant; non vero si casualiter, & fortuito sanitatis gratia ingrediantur. In 5. & 6. in quibus prohibentur medicinæ, & medici Judæorum, non est intelligenda prohibitio in casu necessitatis: in quo etiam casu possunt emi a Judæis medicinæ. Quod dicitur de medicis Judæis, intelligitur de chirurgis, quibus veritum est scindere venam, aut applicare quamlibet medicinam. Et licet non extendatur prohibitio ad barbitonsores, caveant nihilominus catholici ab eorum manibus. In 7. prohibetur nutricibus Christianis alere infantes Hæbreorum in eorum domibus, non tamen eis prohibetur semel, aut iterum honesta causa interveniente eos lactare. Nec intelligitur prohibitio, si filios Hæbreorum extra illorum domus lactare habitualiter contingat, si enim Alexander III. hoc intenderet, sileret particulam in *eorum domibus*: quam apponit in suo decreto *cap. Ad hæc, de Judæis.*

108. In. 8. & 9. casu de famulatus, & de servitutis prohibitione, intelligenda est de famulatu, tam intra, quam extra domum Judæi, sive frequens, & diuturnus, sive interpolatus sit. Non enim decet Judæos superiores Christianis esse, & filios liberæ filiis ancillæ inservire. Terras vero Judæorum colere non est signum famulatus, aut servitutis: qua ratione coloni, operarii, & alii opifices non comprehenduntur in hac prohibitione. In 10. de non instituendo Hæbreos hæredes, aut legatarios, intelligitur in ordine ad eorum collegia, & universitates, potestque extendi ad personas singulares, cum extensio hæc cedat in favorem fidei. Extra casum extremę necessitatis nihil potest relinqui Judæis, & Paganis, licet consanguinei sint testatoris. Catechumeni in hac prohibitione non comprehenduntur: quia inchoative fideles sunt.

109. Unde seclusa familiaritate, & periculo perversionis licita est communicatio civilis cum Judæis, & infidelibus in aliis mercibus, & contractibus extra casus enumeratos: quia exceptio firmat regulam in contrarium; in prædictis autem casibus solus Pontifex potest dispensare, cum sit lex ab ipso lata; verum urgente necessitate possunt etiam Episcopi ex benigna interpretatione Legislatoris.

110. Inq. 2. An Princeps catholicus possit in bello justo vocare in auxilium hæreticos, aut gentiles? R. quod, si bellum justum feratur contra infideles, licitum est. Constat ex sacra pagina: nam Abraham secum duxit in bellum Abner, Eschol, & Mambre contra alios Gentiles. *Genes.* 14. 13. Et idem cernitur in Machabæis *lib.* 1. *cap.* 8. Si vero bellum sit contra alios Catholicos, illicitum est; quia ex tali fœdere plurima oriuntur scandala, violationes ecclesiarum, profanationes templorum, sacrarum imaginum irrisiones, aliaque horribilia, quæ vix calamus audet scribere, & adhuc deflet Hispania.

Punctum IV.

De hæresi.

111. Inq. 1, Quid sit hæresis? R. est *error voluntarius, & pertinax contra aliquam veritatem fidei jam receptæ.* Dicitur *error*, hoc est, assensus falsus, *voluntarius*, quia sine voluntate non est peccatum. *Pertinax*, hoc est, quod sciens definitionem Ecclesiæ illi dissentiat. *Contra aliquam veritatem*, quia, si contra omnes errat, erit apostata. *Fidei jam receptæ*, quia si prius eam non recepit: erit Paganus, aut Judæus. Hæresis est vox græca significans electionem, & dicitur ab eligendo, sicut secta a sectando: quæ ideo in idem concidunt. Et licet hæc nomina aliquando in bonam partem usurpentur: tamen ex communi usu jam frequentius in malam assumuntur.

112. Inq. 2. An qui metu, vel sine illo Idolis thus offerret; vel aliquid aliud con-

contra fidem faceret absque errore interiori, esset hæreticus? R. neg. quia hæresis consistit in voluntario dissensu, & errore interiori contra veritatem fidei, ergo, hoc deficiente, deficit hæresis: unde nec pœnas positas hæreticis in foro interiori incurreret; licet in foro exteriori, ut hæreticus censeretur, & puniretur.

113. Inq. 2. An hæreticus sit, qui blasphemias, & gravissimas tentationes contra Deum, & sanctos involuntarie patitur? R. neg. quia deficit consensus; imo hoc est evidens signum non esse hæreticum, cum isti nec patiantur inviti similes tentationes, nec judicant se esse hæreticos. Quare aptior modus eas vincendi est prorsus eas despicere, vel ad alia se divertere; nisi sit in officio divino, aut alia actione sacra: quia tunc curet agere fervide, quod agit, contemnendo similes cavillationes.

114. Inq. 3. An dubius in fide sit hæreticus? R. quod dubium potest esse duplex; positivum, aut affirmativum, vel negativum, aut suspensivum. Affirmativum datur, quando sciens Ecclesiam docere aliquid mysterium dubitat de ejus certitudine. Negativum vero, quod, occurrente dubio, suspendit judicium. Igitur dubitans positive, aut affirmative censetur hæreticus: quia virtualiter saltem judicat, testimonium Dei non esse infallibile, aut definitionem Ecclesiæ non esse fidei certam regulam. Sed dubitans negative, aut suspensive non est hæreticus, maxime in personis timoratis, quæ sugestionibus contra fidem agitatæ, suspendunt judicium, quod aliquando melius est, quam pugnare contra illas. Ex diversitate dubii, & personæ resolutio prudens expectanda est.

115. Inq. 4. An, qui divinæ revelationi privatæ non credit, sit hæreticus? R. affir. quia non credens veritati sibi ab Ecclesia sufficienter propositæ, est hæreticus, ergo etiam qui non credit Deo sufficienter veritatem proponenti. Verum est, quod talis non subjacet pœnis hæreticorum: quia in foro exteriori non contradicit Ecclesiæ. Dicta intellige de ipso, cui fit revelatio, non de aliis, quibus ipse eam refert, & non credunt; non enim astringuntur credere ei, nec ad fidem pertinet.

116. Inq. 5. An negans propositionem theologicam immediate deductam ex alia de fide: *Christus est risibilis*, deducta ex hac, *Christus est homo*, sit hæreticus? R. neg. quia non est propositio a Deo immediate revelata, ad quam solum terminatur fides; nihilominus in foro externo, ut hæreticus puniendus esset: quia saltem suspectus de hæresi esset, & tribuit fundamentum ad judicandum illum formaliter hæreticum.

117. Inq. 6. In quo consistat pertinacia requisita ad hæresim? R. consistere in eo, quod quis deliberate dissentiat veritati fidei sufficienter sibi propositæ: unde pertinacia non requirit temporis moram, sed potest in instanti consumari: ut si plene advertens teneat quis aliquid Ecclesiæ determinationi contrarium: tunc enim vere est pertinax in suo errore; licet postea illum pœniteat.

118. Ex quo oriuntur quatuor: 1. esse hæreticum, qui sentit aliquid contra determinationem Ecclesiæ, paratus tamen corrigi ab ea, si argumentis convincatur: quia hic non credit motus authoritate Ecclesiæ, sed argumentorum efficacia. 2. Esse hæreticum, qui ita assentitur fidei catholicæ, ut si inveniret aliam fidem meliorem, illam amplecteretur: quia hic non firmiter credit certitudinem nostræ fidei. 3. Esse hæreticum, qui ita pertinaciter propriæ opinioni adhæret, ut non sit paratus eam deponere, licet Ecclesia contrarium definiret: quia iste authoritatem Ecclesiæ contemnit. 4. Esse hæreticum, qui respuit veritatem, quam ex errore judicat esse ab Ecclesia definitam: quia hic non credit Ecclesiam esse certam regulam nostræ fidei. Vid. *Ang.* 2. 2. *q.* 11. *a.* 2.

119. Inq. 7. An sit hæreticus, qui dissentit rebus fidei, quas ut credendas sibi sufficienter proponit Episcopus, vel fidei Inquisitor, licet dicat se non putare in hoc Ecclesiæ contravenire? R. affirm. quia dissentiens positive veritatibus fidei sibi sufficienter propositis a ministris Ecclesiæ, infidelis est; sed non judæus, aut paganus, erg. hæreticus. Nec favet illi dicere, se non putare in hoc contravenire Ecclesiæ: quia in hoc ipso pertinax est, non amplectens quod

si

sibi sufficienter proponitur : alias nullus esset hæreticus pertinax, quia omnes dicunt, vel putant in suis erroribus non contravenire veræ Ecclesiæ, esto non desint, qui veritati agnitæ resistant.

120. Inq. 8. An, ut aliquis sit formaliter hæreticus, requiratur, quod fidem receperit per verum baptismum ? R. neg. quia malitia hæresis consistit in eo, quod quis dissentiat deliberate veritati divinæ revelatæ ; sed æque potest dissentire veritati divinæ, qui non suscepit baptismum, ac qui illum recepit : ut ex se patet, ergo ad hæresim susceptio baptismi non requiritur. Unde Cathecumenus nondum baptizatus recedens a fide est interius formaliter hæreticus. Similiter, qui bona fide recepit baptismum invalidum ob aliquem defectum materiæ, aut formæ, vel intentionis ministri, si postea recedat a fide, est formaliter hæreticus. Contrarium accideret, si absque intentione recipiendi fidem, & baptismum, baptizaretur : iste enim recedens a fide non esset hæreticus : quia neque interius, nec exterius umquam fidem suscepit.

121. Inq. 9. An Cathecumenus, & alii ficte recipientes baptismum, possint ab Ecclesia puniri, si a fide recedant ? R. 1. Nullum non baptizatum posse puniri ab Ecclesia ut hæreticum : quia baptismus est janua, per quam ingredimur ad Ecclesiam, & per quam Ecclesia acquirit jus, ergo nulla datur jurisdictio in Ecclesia supra non baptizatos. Et licet Cathecumenus sit de corpore Ecclesiæ invisibili, non vero visibili, quod erat necessarium, ut posset ab ea exterius judicari, & puniri.

122. R. 2. Ecclesiam non posse punire ut hæreticum bona fide baptizatum, invalide tamen ob defectum materiæ, aut formæ, licet postea incidat in errorem contra fidem, dummodo certa scientia habeatur de baptismi nullitate : ratio est eadem, quia videlicet hic per januam baptismi nullo modo ingressus est in Ecclesiam. Si vero nullitas baptismi ignoretur, punietur quidem, quia præsumptio militat contra illum. Ob idem fundamentum si quis absque intentione recipiat fictum baptismum, potest ut hæreticus ab Ecclesia puniri, si in errorem labatur : quia præsumitur vere baptizatus, cum illius fictio Ecclesiæ innotescere non possit.

Punctum V.

De apostasia a fide.

123. Inq. 1. Quid sit apostasia ? R. Est *recessus hominis baptizati a tota fide.* Quæ definitio sufficienter liquet ex dictis de hæresi, & simul patet differentia inter apostatam, & hæreticum, quod hic habet errorem contra aliquam veritatem fidei ; apostata vero omnes, aut saltem principales negat.

124. Inq. 2. An apostasia differat specie ab hæresi ? R. neg. quia idem est objectum specificum utriusque, cum sola diversitate majoris extensionis, quæ de materiali se habet ad speciem infidelitatis. Si autem apostata amplectatur paganismum, aut judaismum, jam ab hæresi differt specie apostasia, non ut apostasia, sed ut judaismus, aut paganismus : transit enim ab una specie infidelitatis ad aliam. Apostasia igitur ut talis solum addit circumstantiam aggravantem supra hæresim. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *ad* 3. ubi dicit : *Unde apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circumstantiam aggravantem.*

125. Nec audiendus est quidam junior, qui dicens : hunc textum non favere Salmanticensibus, contendit illum explanare ; sed potius obnubilat. Si enim aperte D. Thomas docet apostasiam esse *quamdam circumstantiam aggravantem* : proculdubio erit alicujus speciei infidelitatis, non paganismi, aut judaismi, ergo hæresis. Aliud est apostasiam non importare determinatam speciem infidelitatis per ordinem ad terminum *ad quem*, potest enim contrahi per paganismum, vel judaismum ; sed ex conceptu apostasiæ solum dicit recessum a tota fide, in quo non differt specie ab hæresi, quia magis, & minus non variant speciem, ergo doctrina Salmanticensium vera est, utpote de mente Ang. Doctoris.

126. Inq. 2. An Princeps propter apostasiam a fide amittat dominium in subditos ? R. affirm. supposita excommunica-

ca-

catione contra illum denunciata. Ita D. Thom. *ubi supra art.* 2. dicens: *Quia homo apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat, intendens hominem separare a fide: & ideo quam cito aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti a dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.*

PUNCTUM VI.

Divisio, & pœnæ hæresis.

127. Inq. 1. Quotuplex sit hæresis? R. est in primis duplex: *materialis* nempe, & *formalis*. Materialis est, cum quis aliquid credit, aut profert, nesciens esse contra fidem. *Formalis* est, quando quis aliquid credit, aut profert, sciens esse contra fidem. Hæresis materialis licet aliquando possit esse peccatum, ut si catholicus ignorantia vincibili erraret contra fidem; non tamen est proprie hæresis. Deinde alia est *pure interna*, alia *pure externa*, & alia *mixta de interna, & externa*. Hæresis pure *interna* est, quando error est in mente, sed nullo modo manifestatur. Pure *externa* est manifestatio hæresis, quæ non est in mente. *Mixta* est, quando error habitus in mente sufficienter manifestatur.

128. Denique hæresis alia est *manifesta per se*, & *occulta per accidens*; alia *manifesta omnibus modis*. Hæc adest, dum profertur hæresis coram aliquo, vel aliquibus. Illa vero dum a nemine videtur, nec auditur; ut si quis solus in cubiculo clauso ostio diceret: *Christus non est Deus*, vel ex eodem errore ejus imaginem flagellaret. Est *manifesta per se*, quia ex se habet, quidquid requiritur, ut probetur. Est *occulta per accidens*, quia nequit probari ex defectu testium.

129. Inq. 2. Quæ sint pœnæ contra hæreticos? R. Adsunt pœnæ spirituales, & temporales. Spirituales sunt quinque. 1. est excommunicatio major *latæ sententiæ*. 2. Est irregularitas. 3. Est privatio potestatis spiritualis non ordinis, sed jurisdictionis. 4. Est privatio beneficiorum, & officiorum, & inhabilitas ad ea postmodum obtinenda. 5. Pœna hæretici publici est privatio sepulturæ ecclesiasticæ. *Ita ex Tit. de hæret. in* 6.

130. Pœnæ temporales hæreticorum sunt quatuor. 1. Est confiscatio omnium bonorum. 2. Infamia, & inhabilitas ad honores, dignitates, & officia. 3. Carcer perpetuus. 4. Pœna mortis ad cujus executionem, supposita degradatione, si opus fuerit, traditur reus brachio sæculari. Plurima circa has pœnas discutiuntur ab authoribus, sed quia plerumque sunt ab instituto morali aliena, tantum de prima pœna spirituali, nempe excommunicatione, sequenti puncto agemus.

PUNCTUM VII.

De excommunicatione contra hæreticos lata.

131. Inq. 1. An hæreticus pure internus subjaceat excommunicationi contra hæreticos latæ? R. neg. quia Ecclesia non judicat de occultis, aut de actibus pure internis. Nec hæreticus pure externus illam incurrit; quia talis nihil credit contra fidem, nec habet errorem in mente. Nec denique illam incurrit, qui errorem internum manifestat sine peccato, ut pro capiendo consilio, vel pro peccato hæresis mere internæ confitendo. Solum igitur hæreticus internus, ac simul externus illam incurrit, quia talis proprie, & complete est hæreticus.

132. Inq 2. An hæreticus manifestus *per se*, & occultus *per accidens*, ut qui, nemine præsente, ex errore interiori Christum conculcaret, aut sacramenta profanaret, vel suum errorem externe proferret, incurrat excommunicationem? R. affirm. quia Ecclesia potest judicare, & punire crimina externa; sed hoc est crimen externum, ergo potest illud Ecclesia judicare, & punire pœna excommunicationis.

133. Objic. 1. Ex *cap. Tua*, de simonia. Ecclesia non judicat de occultis; sed prædictum crimen est occultum, ergo non potest illud judicare, & punire. R. distinguo majorem, Ecclesia non judicat de occultis per se, hoc est, de internis, concedo majorem; de occultis per accidens, & manifestis per se, nego majorem. Igitur occulta per se sunt actus pu-

pure interni, quos Ecclesia non judicat. Occulta vero per accidens sunt actus externi, qui revera manifesti sunt per se, & hos Ecclesia potest judicare, & judicat.

134. Objic. 2. Ecclesia non potest judicare, quod non potest probare, sed hæresis occulta, licet externa, non potest probari ab Ecclesia, ergo neque ab ea judicari. R. non potest Ecclesia judicare per sententiam particularem, quod non potest probare, concedo majorem; per sententiam generalem, nego majorem. Itaque ad usum jurisdictionis punitivæ per sententiam particularem requiritur actualis cognitio, vel probatio causæ, aut delicti; non vero ad usum jurisdictionis punitivæ per sententiam generalem: quia hæc profertur sub conditione, quod crimen fiat, ac proinde satis est perpetrari delictum, ut pœna incurratur.

135. Inq. 3. Quæ verba, aut signa sint sufficientia ad hæresim internam manifestandam, ita ut hæc proferens, aut eliciens sit hæreticus tam internus, quam externus? R. duo ad hoc requiri: *primum*, quod signum sit completum, & adæquatum ad hæresim internam exprimendam, sive ex se, sive ex consuetudine, sive ex circumstantiis temporis, loci, aut personæ hoc habeat: quia hæresis interna debet fieri sensibilis, & externa per signa complete, & integre eam manifestantia. *Secundum*, quod verba, aut signa sint ex se peccatum mortale in materia hæresis: quia, ut diximus, excommunicatio major non incurritur nisi ob culpam gravem externam.

136. Inq. 4. An qui credens sacramenta non conferre gratiam, volens hoc exprimere, dicat: *Ita est*, aut *sic credo*, sit hæreticus externus? R. negat. quia prædicta verba non plene hæresim internam significant, neque ex eis colligi potest, de qua re loquatur. Verum si aliquis mentaliter credens Christum non esse Deum, interrogatus an hoc ita sit? dicat, *ita credo*, abs dubio hæreticus externus est: quia talia verba ex circumstantia interrogantis, & erroris interioris adæquate significant hæresim internam.

137. Inq. 5. An qui verbis equivocis hæresim interiorem manifestat, incurrat excommunicationem? R. affirm. quia illa verba plene significant hæresim internam, licet per accidens occultam ob aliam significationem, per quam forte excusatur in foro exteriori; sed coram Deo, & pro interiori excusationem non habet. Oppositum dicendum est de illo, qui hæresim scriberet in aqua, quia tunc hæresis adhuc manet in mente. Nec similiter esset hæreticus, qui manifestaret se aliquando fuisse hæreticum.

138. Qui profert in somnis hæresim mentalem prius conceptam, licet graviter delinquat, si antea expertus, & prævidens manifestationem, non adhibuit sufficientem diligentiam ad eam retractandam, non tamen est hæreticus externus: quia talis prolatio neque est humana, nec actualiter nascitur ab hæresi interiori, sed a prava consuetudine.

139. Item, qui legit, transcribit, aut disputando pronuntiat hæresim, quam habuisse antea fatetur, non est hæreticus externus, quia verba illa non manifestant præsentem hæresim; sicut qui refert se antea occidisse, non dicitur actualiter occidere. Nec hæreticus exterior esset, qui judicans furtum, mendacium, aut simile peccatum esse prorsus licitum, animo hæreticali illud committeret, quia hæc actio ex se hæresim internam non manifestat. Nihilominus dantur aliquæ actiones ex se manifestativæ hæresis interioris; pro quibus.

140. Inq. 6. An qui ex errore circa mysterium Incarnationis verberaret Christi imaginem, vel ex errore Anabaptistarum aliquem rebaptizaret, esset hæreticus manifestus? R. affirm. quia prædictæ actiones satis hæresim mentalem manifestant, & magnam hæresis suspicionem gignunt: Unde sequitur, quod, siquis hæretice credens nunc licere poligamiam, seu plures uxores habere, secundum matrimonium mala fide contrahat, sufficienter hæresim mentalem manifestat.

PUNCTUM IX.

Alia dubia de eadem materia.

141. Inq. 1. An ignorantia excuset ab hæresi, & ab incursione censuræ? R. 1. ignorantiam crassam, aut supinam excusare ab hæresi, & a pœnis contra hæ-

re-

reticos latis, quia sic ignorans, non contravenit pertinaciter authoritati Ecclesiæ.

R. 2. Si ignorantia affectata proveniat ex voluntate liberius errandi, seu contradicendi Ecclesiæ, ejusve authoritatem parvi pendendi, non excusat a censura: quia sic ignorans renuit se subjicere Ecclesiæ, ejusque authoritatem contemnit, & consequenter est hæreticus. At si ignorantia affectata procedat ex pigritia, tædio, aut negligentia sciendi veritatem excusat ab hæresi formali, & a censura incurrenda, quia sic ignorans vere non est pertinax contra Ecclesiæ authoritatem, sed supponitur paratus ad corrigendum suum errorem, quando sciat opponi doctrinæ Ecclesiæ.

142. Objic. Qui sic affectat ignorare, errare affectat; sed affectans errare, vult Ecclesiæ contradicere, ergo est hæreticus formalis. R. quod affectans errare ad summum contradicit Ecclesiæ indirecte, directe vero obligationi sciendi, ex cujus omisione sequitur error, non autem pertinacia necessaria ad hæresim. Si autem affectet ignorantiam, ut liberius erret, jam scit se errare, & ex hac parte erit hæreticus.

143. Objic. 2. Ignorantia affectata peccatum non minuit, sed auget, æquivaletque scientiæ in omni materia, ergo æque erit hæreticus, qui cum illa, aut cum scientia errat. R. negligentiam sciendi aggravare peccatum omissionis, non vero errorem hæresis, quæ nequit dari absque tali scientia: hæc enim se habet tamquam circumstantia ex parte objecti ad hæresim constituendam, quod non contingit in aliis peccatis, in quibus ignorantia affectata æquivalet scientiæ.

144. Inq. 2. Quinam dicantur credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum? R. illi dicuntur *credentes*, qui hæreticorum errori assentiunt, sive in communi, sive in particulari, dummodo consensus signis externis manifestetur: Unde vere sunt hæretici, & excommunicationem contra hæreticos incurrunt. Dicuntur *fautores*, qui hæretico, ut tali favorem præstant, vel omissione, vel commissione, ut si quis interrogatus veritatem celaret, vel non denuntiat, cum debet, vel laudat hæreticum ut probum, aut justum. Appellantur *receptatores*, qui hæreticum quomodocumque recipiunt hospitio, vel in sua domo, vel aliena, etiam si semel dumtaxat hoc efficiant. Demum nominantur *defensores*, qui hæreticorum personas, erroresque defendunt. Omnes isti excommunicationem, & alias pœnas incurrunt, si credunt, favent, recipiunt, defendunt hæreticos, ut tales, vel in causa fidei, effectu secuto. Non vero si eadem præstent illis ratione consanguinitatis, amicitiæ, vel urbanitatis, vel alterius causæ extra religionem: quia lex loquitur de hæreticis formaliter talibus.

145. Inq. 3. Quis possit absolvere ab hæresi? R. solus Papa valet absolvere ab hæresi formali externa quantumvis occulta in foro interno, excepto periculo, seu articulo mortis. In hoc autem quilibet Sacerdos, sive hæreticus, sive degradatus in defectu alterius absolvere potest ab omnibus censuris, & peccatis, ut fusius dicitur in tract. de pœnit. Si vero hæreticus comparens coram Episcopo, aut Inquisitoribus, ubi adsunt, abjuret suos errores, poterit ab eis absolvi pro utroque foro, ut ait Bened. XIV. *in Synod. lib. 9 cap. 4. a n. 5.*

146. Inq. 4. Quid agere debeat hæreticus pro absolutione in foro interno? R. Debet recurrere suppresso nomine ad sacram Pœnitentiariam pro obtinenda facultate, ut absolvatur a quolibet Confessario approbato, vel debet comparere coram Episcopo, aut uno saltem Inquisitore, & Notario, ut abjurata hæresi, possit a quocumque Confessario absolvi. Aliter quippe neque ab Episcopo, neque ab Inquisitoribus absolvi valet, nisi præmissa abjuratione, ut docet laudatus Pontifex loco citato.

147. Bulla cruciatæ non tribuit facultatem pro hæresi absolvenda, imo licet in alia quavis Bulla, vel jubilæo concedatur facultas absolvendi ab omnibus delictis, & censuris Pontifici reservatis, numquam intelligitur concessa facultas pro heresi, nisi specialis mentio de ea fiat. Ita declaravit Gregorius XIII. in motu proprio, *Officii nostri partes*, expedito die 22. Septemb. 1576. Alex. VII. & alii Pontifices.

Punctum IX.

De obligatione hæreticos denunciandi.

148. Inq. 1. Quid sit denuntiatio? R. Est *delatio criminis facta Superiori.* Elia est evangelica, alia judicialis. *Evangelica* est, quæ fit Superiori, ut patri, & ordinatur tantum ad emendam proximi. *Judicialis* est, quæ fit Superiori, ut judici, & ordinatur ad delicti punitionem, & de hac loquimur in præsenti. Duplex etiam intervenit differentia inter accusationem, & denuntiationem: *Prima*, quod accusator debet probare delictum, cum sit pars in judicio petens; secus vero denuntiator, cum solum manifestet judici crimen. *Secunda*, quod accusator petit vindictam delinquentis; sed denuntiator nihil a judice petit, relinquens ejus conscientiæ, & officio, ut agat, quod sibi conveniens visum fuerit.

149. Inq. 2. An tenearis denuntiare hæreticos, si non vales probare tales esse? R. affirm. constat ex propositione 5. damnata ab Alexand. VII. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Constat etiam ex distinctione posita inter accusatorem, & denuntiatorem. Ille enim, non hic, tenetur probare delictum. Nec prætextu correctionis fraternæ valet quis excusari a denunciando hæretico, ut patet ex constit. *Licet alias*, ejusdem Pontificis. Constat denique obligatio hæreticos denuntiandi ex pluribus aliis decretis Apostolicis, & ex edicto generali sanctæ Inquisitionis.

150. Itaque omnes habentes notitiam (extra sigillum confessionis) quod aliquis est hæreticus formalis sufficienti fundamento fulcitam, tenentur illum quamtotius denuntiare sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ*, etiam si emendatus, vel mortuus sit, & hoc intelligitur, licet sint patres, filii, uxores, fratres, vel qualibet conjunctione uniti; quia hæresis est peccatum ex se tendens in damnum commune Ecclesiæ, quod cuilibet damno particulari præferri debet.

151. Et quamvis Cardinales, Patriarchæ, Episcopi, & Nuntii apostolici sint exempti a jurisdictione Inquisitorum, nihilominus denuntiandi sunt Inquisitoribus, ut ipsi de prudenti remedio provideant: ut colligitur ex cap. *Inquisitores in* 6. Circa supremos Principes sæculares provide sentiunt doctores, quod licet Inquisitorum jurisdictioni subjaceant, caute cum illis agendum esse, consulendumque prius summum Pontificem, ut plura vitentur inconvenientia.

152. Omittens denuntiationem incurrit excommunicationem ipso facto, a qua nullus absolvere illum valet, nisi prius denuntiet, & est de hæresi suspectus, semper ac deliberate, aut culpabiliter denuntiationem omittat. Nihilominus si pœnitens ignorabat obligationem denuntiandi, & serio, ac firmiter proponat quantocius post confessionem suæ obligationi satisfacturum, potest absolvi: quia supponitur ex una parte non incurrisse excommunicationem, & ex alia esse vere dispositum.

153. Duo tamen notanda sunt. *Primum*, a nemine posse denuntiari illum, quem aut ex levibus inditiis suspicatur esse hæreticum, aut a parum fide dignis hoc audivit: quia nullus debet exponi periculo infamiæ absque gravi fundamento. *Secundum*, denuntiationis præceptum solum tenere, prout nunc, de hæretico proprio, & pertinaci. Unde minime est denuntiandus homo simplex, aut pius concionator proferens ex inadvertentia, aut ignorantia aliquam propositionem erroneam, seu hæreticalem; quare taliter curanda est justa observatio præcepti denuntiationis, & punitio pertinacium, ut fama innocentium, & piorum neutiquam periculo exponatur.

Punctum X.

De suspectis de hæresi.

154. Inq. Quid sit suspicio? R. est *opinio mali ex levibus indiciis proveniens*: quæ, si probabiles fuerint, faciunt suspicionem probabilem, & fundant præsumptionem, si vero aliter sint, dicitur judicium temerarium. Suspicio ergo, seu præsumptio de hæresi est triplex, nempe *levis*, *vehemens*, & *vehementissima*, seu *violenta*. Dicitur *levis* illa, quæ oritur ex levibus conjecturis, & modica, aut

le-

levi defensione tollitur : Aliqui exemplificant in celebrantibus occulta conventicula, alii in pejerante frequenter.

155. *Vehemens* est, quæ oritur ex solidis argumentis, quibus plerumque concluditur, quod talia dicens, aut faciens sit hæreticus, ut qui non revelat hæreticos, sollicitantes in confessione, & alii similes. *Vehementissima*, seu *violenta* datur ex verbis, aut factis, quæ judicem cogunt ad credendum hæc facientes, aut dicentes esse hæreticos : ut qui idola adorant, & communicant in ritibus, & sacris cum hæreticis, vel qui pertinaciter assereret, *Christum non esse visibilem.* Unde generaliter loquendo illi generant suspicionem in fide, qui exercent ritus, & cæremonias judæorum, sarracenorum, aut hæreticorum : qui committunt delicta opposita externæ confessioni fidei : qui irreverenter Dei sacramenta tractant : qui quomodolibet favent hæreticis, ut talibus, & impediunt Inquisitoribus contra eos procedere.

156. Præter recensitos autem sunt alii plures suspecti de hæresi, ut in sacris ordinati, vel religiosi solemniter professi, si matrimonium contrahant : qui, cum Sacerdos non sit, Missam celebrat, aut pœnitentiæ sacramentum ministrare audeat. Confessarius de nomine complicis interrogans pœnitentem: sodomitæ, & bestializantes, quia male sentire videntur de providentia divina, & de immortalitate animæ. Superstitiosi, lamiæ, sagæ, & malefici. Item qui diebus vetitis carnes sine causa fere semper comedunt. Si quis tantum diebus Dominicis jejunaret, aut Ecclesiæ jejunia parvi penderet. Qui sacrificio Missæ fere numquam assistunt, aut elevationi hostiæ genuflectere scienter omittunt ; qui ritus Ecclesiæ negligunt, & derident. Qui blasphemant hæreticaliter. Hi, & alii hujusmodi sunt suspecti de hæresi magis, vel minus juxta graviora, aut leviora indicia.

PUNCTUM XI.

De libris prohibitis.

157. Innumera sunt edita decreta, quibus lectio librorum hæreticorum aliorumque de fide male sentientium sub gravissimis pœnis prohibetur. Pius IV. in Bulla cujus initium est : *Dominici gregis:* data 24. Martii ann. 1564. anathematizavit omnes retinentes, vel legentes libros hæreticorum, vel suspicionem hæresis habentes, quod alii Pontifices imitati sunt. In Hispania Tribunal S. Inquisitionis authoritate apostolica sibi commissa sedulo invigilat in eradicando ab agro dominico zizaniam librorum suspectæ doctrinæ, tum in edictis quamplurimis, tum maxime in decreto Inquisitoris generalis anni 1707, & confirmato 1747. ubi juxta regulam 3. expurgatorii prohibetur sub pœna excommunicationis majoris lectio, vel retentio librorum cujuslibet hæretici de religione tractantium. Verum ex vi hujus prohibitionis non damnantur libri aliorum infidelium, licet hæresim contineant, aut de religione tractent, quia decretum solum de hæreticis loquitur ob periculum perversionis, & ad confusionem illorum. Unde nec prohibentur libri catholicorum, in quibus per ignorantiam, vel per malitiam aliqui errores inveniantur. Datur tamen obligatio illos denunciandi juxta regulam 12. expurgatorii, ut examinentur, & corrigantur. Idem dicendum est de libris hæreticorum, qui de religione non agunt, ut in supradicta 3. regula dicitur.

158. Dicitur librum de religione tractare, dum agit de scriptura sacra, de Theologia, mysteriis fidei, de cultu Dei, & sanctorum, vel de historiis monachorum, aut clericorum, non vero, si disserat circa historias prophanas, aut alias artes naturales. Caveas tamen accurate ab eis ; nam, ut inquit perdoctus Caramuel, etiam libros grammaticæ, philosophiæ, aliarumque artium liberalium inficiunt hæterodoxi suis erroribus. Latet ergo anguis sub herba. Nomine libri intelligitur etiam concio, oratio, epistola, vel disputatio hæretici continens hæresim, in quo dari potest parvitas materiæ, quæ metaphysice assignari nequit. Paucas lineas assignant authores sanioris doctrinæ. Et quælibet deliberata lectio a culpa veniali saltem non vacat.

159. Ad incurrendam censuram requiritur, ut quis scienter legat, & idem de aliis actionibus, unde necessaria est sci-

entia juris, & facti, nempe, quod lectio libri prohibiti est vetita, & hunc librum esse hæretici. Easdem pœnas incurrit, qui alteri librum hæreticum legendum tradit, ut lectionem audiat. Qui vero casualiter alium legentem audit, pœnas in Bulla, & edictis contentas non incurrit. Qui dictos libros retinet quacumque ex causa, licet ad ornatum, incurrit excommunicationem; ac etiam qui scienter legit, licet nihil intelligat, quia vere legit, quod est vetitum.

160. Ex constitutione Julii III. *Cum meditatio*, libri prædicti tradendi sunt *realiter, & cum effectu* Episcopis, aut Inquisitoribus sub pœna excommunicationis, ideoque nullus propria authoritate eos comburere valet; nec tradere alteri habenti facultatem eos legendi. Verum hoc intelligitur de libris prohibitis sub excommunicatione, non de prohibitis absque ulla censura, quos licite quis poterit comburere, aut donare (non mutuare) habenti licentiam eos legendi. Licet sub hac prohibitione non comprehendantur libri Maurorum, nihilominus Talmud, & alii codices eorum errores continentes ob periculum seductionis prohibiti sunt lege naturæ, non minus ac hæreticorum.

161. Insuper in Indice Tridentino, & Romano prohibentur alii libri, qui reducuntur ad tres clases. In 1. collocantur omnes libri Hæresiarcarum Lutheri, & Calvini, & similium, qui propter authores proscribuntur, ideoque de quacumque materia agant, prohibiti sunt. In eadem classe continentur omnes libri hæreticorum, qui docent propositiones sapientes hæresim, temerarias, & alias similes, qui omnes libri editi, vel in posterum edendi prohibiti sunt sub excommunicatione reservata. In secunda classe collocautur libri catholicorum, qui prohibentur non propter authores, sed propter doctrinam hæreticam, erroneam, vel suspicionem erroris generantem; isti prohibentur sub excommunicatione lata, non reservata. Ad tertiam classem pertinent plures alii libri in præfato Indice contenti. 1. tractantes de magia. 2. docentes astrologiam judiciariam. 3. famam aliorum, aut honestatem, vel pudicitiam offendentes. Deinde vetita est editio, vel lectio sacræ Scripturæ in lingua vulgari nisi juxta formam præscriptam a S. Congreg. in declarat. facta die 13. Jun. 1757. approbata a Bened. XIV. & novissimo a Pio VI. in qua permittitur versio sacræ Scripturæ in lingua vulgari, approbata a Sede Apostolica, vel edita ab Authoribus catholicis cum annotationibus SS. PP. vel Doctorum, quæ removeant periculum falsæ intelligentiæ, vel erroris. Vide Regulam 5. novi Expurgatorii anni 1790. Denique observandum est, libros proscriptos in uno idiomate, in omnibus esse *interdictos*, & *damnatos*: ut constat ex instructione adjecta regulis Indicis authoritate Clementis VIII.

162. Inq. Quid agere debeant qui censores deputantur librorum? R. in primis debent esse provisi duplici sale requisito in judice a Baldo in *l. 2. c. de sent. ex brev. recit.* dicente: *in mente judicum duos sales requiri, scientiæ unum, ne sint insipidi, conscientiæ alterum, ne sint diabolici.* Itaque censores debent sufficienti peritia, & timorata conscientia pollere; alias plures errores, & in justitias possunt committere. Unde opportet eos immunes, & puros ab omni passione, & respectu status, ordinis, aut personarum se exhibere, tamquam magistros veritatis, ac justitiæ ministros. Solum debent inspicere merita operum, an doceant quidquam contra fidem, concilia, sanctos Patres, aut bonos mores, vel contineant propositiones injuriosas contra personas in dignitate constitutas. Si nihil horum, sed doctrina sana in eis reperiatur, ex justitia tenentur ea approbare. Ne sint sicut Juno, cujus injustitiam lepide carpit Juvenalis *Satyr. 2. Dat veniam corvis, vexat censura columbas.* Vide Bened. XIV. in Bulla, *Solicita*, data 9. Jul. 1753. ubi laudat exemplum D. Thomæ in moderatione calami erga alios scriptores.

TRACTATUS OCTAVUS

DE SPE, ET TIMORE.

CUm timor sit velut quodam frænum, ne quis ex nimia spe in præsumptionem labatur, ideo utrique eundem dicamus tractatum, ductu D. Thom. qui de eis fusius agit 1. 2. *q.* 40. *& seqq.*

CAPUT UNICUM.

De spe, de vitiis ei oppositis, ac de timore.

PUNCTUM I.

De natura, & præceptis spei.

1. Inq. 1. Quid sit spes ? R. est *virtus supernaturalis, qua speramus beatitudinem auxilio Dei consequendam.* Objectum ejus formale est Deus; cætera bona, quæ a Deo speramus, sunt objecta secundaria. Est virtus theologalis, quia immediate respicit Deum, ut *nos beatificantem*, seu *dantem auxilia ad consequendam beatitudinem.* Distinguitur a fide, & charitate, quia habet objectum formaliter diversum: nam fides respicit Deum, ut *testificantem verum*, charitas, ut *in se bonum*, spes vero, ut *nobis bonum.* Non attingit perfectionem charitatis, ut ex se patet. Nec fidei, quia istius objectum utpote proprium intellectus, est universalius, & nobilius; spes vero recipitur in voluntate, cujus est attingere bonum.

2. Inq. 2. Quotuplex sit spes ? R. duplex, *actualis*, & *habitualis. Habitualis* est habitus infusa Deo, ut faciliter possimus sperare in eo. *Actualis* est ipse actus, quo in Deo speramus. *Dices* : Objectum *quo*, seu motivum spei, est bonum arduum, ergo nequit dari facillitas ad illud consequendum. R. conc. ant. & neg. conseq. quia licet bonum speratum sit arduum respectu nostræ imbecillitatis: non vero ex parte Dei auxiliantis; virtute enim auxiliorum Dei fit nobis facile, quod alias secundum se est valde arduum, ut patet in sanctis, qui gaudentes spe æternæ beatitudinis mira passi sunt, non solum faciliter, sed etiam hilariter.

3. Inq. 3. in quibus reperiatur virtus spei ? R. Reperiri in viatoribus justis, in animabus purgatorii, & etiam in peccatoribus fidelibus, si peccatum desperationis non commiserint: quia spes solum destruitur directe per desperationem, & indirecte per infidelitatem. Unde non reperitur in infidelibus, nec hæreticis: quia nequit esse sine fide, qua prædicti carent. Nec potest reperiri in damnatis, quia sunt in æternum desperati. In beatis autem non reperitur, quia sunt in possessione summi boni; & licet sperent gloriam corporis, non officit, quia hæc solum pertinet ad objectum secundarium, cum perfecte possideant primarium. Potiori ratione non fuit spes in Christo Domino, quia a principio suæ conceptionis fuit beatus, & comprehensor, ut verus filius Dei vivi.

4. Inq. 4. An detur speciale præceptum affirmativum spei ? R. affirm. constat ex Psalm. 4. *Sperate in Domino.* Et ex aliis locis sacræ paginæ. Prob. ratione : quia virtus necessaria ad justificationem est de præcepto divino ; sed talis est virtus spei, cum nullus possit justificari absque spe, ergo datur præceptum de illa. Constat pariter ex prima propositione damnata ab Alexandro VII. Dantur etiam præcepta negativa spei, quæ obligant semper, & pro semper.

5. Inq. 5. Quando obliget *per se* præceptum affirmativum spei ? R. Obligare *per se* quinque temporibus. 1. In ingressu morali usus rationis. 2. Semel saltem in anno. 3. Quando urget gravis tentatio contra spem, quæ sine ejus actu vinci non potest. 4. In articulo mortis. 5. Quando infidelibus primo sufficienter proponitur fides : ad quod reducitur obligatio eliciendi actum spei ab eo, qui in desperationem inciderat. Obligat *per accidens*, dum quis cogitur pœnitere de vi-

vita ante acta. Quando actus spei est necessarius ad superandas tentationes contra alias virtutes. Et quando obligant actus dilectionis Dei, & orationis. Differentia inter obligationem *per se*, *& per accidens*, & quæ ex illa resultant, videantur supra tract. præced.

Punctum II.

De peccatis spei oppositis.

6. Inq. 1. Quænam sunt peccata contra spem? R. dari peccata *omissionis*, quæ consistunt in non eliciendo actus spei temporibus assignatis: & peccata *commissionis*, quæ tendunt contra præcepta negativa, quæ sunt tria, nempe *non desperare*, *non præsumere*, *non temerarie confidere*: Unde vitia spei opposita sunt *desperatio*, *præsumptio*, *& temeritas.*

7. Inq. 2. Quid sit *desperatio*? R. est *voluntas efficax, qua peccator abjicit salutem æternam ex divina misericordia consequendam.* Est peccatum mortale gravissimum, quia desperans male sentit de divina misericordia, & solum ex defectu deliberationis potest evadere veniale: quia in eo non datur parvitas materiæ. Potest esse *hæreticalis*, *& non hæreticalis*: tunc erit *hæreticalis*, quando desperans judicaret tanta esse peccata sua, ut Deus non possit eum salvare, vel quod non salvabit, quia est crudelis, & immisericors: in isto casu committeret duplex gravissimum peccatum, nempe hæresis, & desperationis. *Non hæreticalis* erit, quando peccator judicans Deum bene posse salvare eum, desperaret salutem ob multitudinem suorum peccatorum.

8. Inq. 3. Unde oriatur desperatio tamquam a præcipuis causis? R. Oritur a duplici vitio, nempe remote a luxuria, & proxime ab accedia. Quia cum hæc vitia generent in corde fastidium circa bona spiritualia, & valde animum deprimant ad aggrediendo ardua, qualis est beatitudo, viam parant ad desperationem. Quod notari debent luxuriosi, ut videant, in quem miserabilem statum ob hoc turpe vitium deveniunt. Notari etiam oportet, quod licet optare multum vivere non sit ex se peccatum; optare tamen perpetuo vivere, aut numquam mori ex neglectu vitæ æternæ, nullum habere sensum de bonis alterius vitæ, & similes affectus sunt peccata lethalia ex prædictis vitiis dimanata.

9. Inq. 4. An cui fieret certa revelatio suæ damnationis, teneretur sperare salutem æternam? R. Si revelatio esset certa, & absoluta, ille, cui fieret, non teneretur sperare, nec posset habere virtutem spei: quia in dicto casu deficeret objectum spei, quod est beatitudo futura consequibilis, vel consequenda auxilio Dei. Ubi enim deficit objectum virtutis, deficit necessario ipsa virtus. Vid. *D. Thom. q. 23. de verit. art. 8. ad 2.*

10. Nec valet dicere esse absolute possibilem. Quia objectum spei non est beatitudo, utcumque possibilis, sed possibilis speranti, quod non contingit in dicta hypothesi. Nec iterum officit, si dicas, quod alias non teneretur talis homo ad alia media conducentia ad salutem æternam, & quod possit licite desperare. Quia vere teneretur ad alia media, ut bona, honesta, & imperata a præceptis divinis, & humanis, secus ad actus spei, qui sunt ipsi impossibiles. Non tamen posset desperare positive, sed tantum negative omittendo actus spei: deberet autem se conformare divinæ voluntati, *in volito formali*, hoc est; ut fiat voluntas divina in communi, & splendeat justitia Dei, non vero *in volito materiali*, hoc est, in sua damnatione cum circumstantiis peccati obstinationis, desperationis, & similibus. Nemo enim se potest conformare divinæ voluntati in propria damnatione cum dictis circumstantiis. Sufficit homini se Deo conformare in eo *quod Deus vult, eum velle.* Ut inq. D. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 10.

11. Ne autem hæc doctrina, non parum utilis, involuta maneat, lubet eam explicare sequenti exemplo: judex vult suspendere homicidam; filius autem homicidæ non vult suspendium sui patris: en duæ voluntates contrariæ circa eamdem rem, & ambæ bonæ, quia Deus vult eos ita velle; vult enim Deus satisfactionem justitiæ ex parte judicis, & pietatem naturalem ex parte filii, licet alias iste debeat se conformare cum justa punitione malefactoris. Igitur ad rem,

licet possit quis se conformare divino decreto justæ ultionis ; nullo modo se potest conformare propriæ damnationi cum peccato : In hoc sensu intelligenda sunt aliquot revelationes , & exempla , quæ a piis authoribus referuntur. Neque fiunt a Deo absolute , sed ad summum comminatorie , & sub conditione , in quo casu non destruunt objectum spei , neque ipsam spem ; proindeque teneretur , cui fierent, sperare.

12. Inq. 3. Quid sit præsumptio ? R. est *inordinata confidentia in divina misericordia*. Ut sperare consequi gloriam sine meritis ; vel propriis meritis sine auxilio Dei : hoc peccatum involvit hęresim Pelagianam , & ex hac parte est duplex specie distinctum. Ex suo genere est lethale ; poterit aliquando esse veniale ex defectu deliberationis. Est peccatum contra Spiritum sanctum , gravius quidem , quam peccata contra virtutes morales ; minus tamen grave quam desperatio. Hæc opponitur spei per defectum ; presumptio per excessum.

13. Tertium vitium oppositum spei est *temeritas* , affinis præsumptioni. Potest definiri. *Voluntas perseverandi sub spe veniæ usque ad mortem in peccato.* Sed quia fideles raro præsumunt perseverare peccando usque ad mortem , sed potius concipiunt se aliquando a prava vita ad honestam traducturos , licet in hoc multi misere fallantur , ideo raro committitur peccatum temeritatis proprie sumptæ. Verum ne pereant in periculo , qui illud amant , caveant incurrere temeritatis periculum , imo pareant voci divinæ , *Ne tardes converti ad Dominum*: nam plures , qui aliter faciunt sub spe emendationis , sine emendatione moriuntur. Vid. tom. 2. pag. 79. n. 15.

Punctum III.

De timore.

14. Inq. 1. Quid sit timor ? R. est *fuga mali futuri , quod non potest facile vitari* : vel est *passio , qua refugimus malum futurum , quod vitare non possumus.* Dicitur *fuga mali futuri* , hoc est , mali gravis imminentis a potente illud proxime infligere. *Quod non potest facile vitari* : quia si facile vitari possit , non est cur a viro constanti timeatur. Objectum timoris est malum , & etiam causa , a qua provenire potest. Hinc licet Deus, ut summe bonus , non possit timeri ; quia tamen est judex justus tribuens unicuique juxta opera sua , est objectum timoris. Unde sicut spes habet duplex objectum , nempe Deum , & bona , quibus justos præmiat ; ita timor duplex objectum habet , nimirum , ipsum Deum , & supplicia , quibus punit peccatores. Peccatum autem , ut tale , quamvis malum gravissimum sit , non est objectum timoris, quia auxilio Dei facile illud vitare possumus , nostræ enim subjicitur voluntati.

15. Inq. 2. Quotuplex sit timor ? R. est quatruplex , nempe *mundanus* , *servilis* , *initialis* , & *filialis* , seu *castus*. *Mundanus* est , quo quis magis timet amittere temporalia , quam Deum : de quo nihil amplius , quia semper est malus. *Servilis* est , quo avertimur a culpa ob timorem pœnæ. Et quando sic timens est in peccato , dicitur servilis etiam *subjective* : quia servilitas subjectiva nihil ponit in re ad essentiam timoris servilis , qui solum sumitur a servilitate objectiva , hoc est , a timore pœnæ. *Initialis* est , quo avertimur a peccato propter pœnam , & culpam : quia non solum timet pœnam : sed respuit positive culpam amore benevolentiæ , quo incipit diligere Deum. Solum distinguitur a filiali , sicut imperfectum a perfecto: ut si dicamus , puer a viro. *Filialis* est, qui unice timet culpam , quia omnino retrahit hominem a peccato , ne Deus offendatur. Dicitur *filialis* , quia bonorum filiorum est , nihil facere contra placitum , & voluntatem patris : & hoc est proprium charitatis adultæ , quæ est mater legitima timoris filialis. Et licet culpa ut talis non sit objectum timoris ; tamen ut est separatio a Deo , & dissolutio ejus amicitiæ , est in hac vita objectum timoris filialis , qui unice timet displicere Deo , & ab eo separari. D. Thom. 2. 2. *q.* 19. *a.* 2. & 9.

16. Inq. 3. An timor servilis sit bonus , & laudabilis ? R. affirm. patet ex cap. 10. *Matth. timete eum , qui potest animam , & corpus mittere in gehennam.* Et ex Trident. pluribus in locis. Et ex tri-

tribus propositionibus ab Alexand. VIII. proscriptis. 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

17. Prob. rat. quia vitare culpam ob timorem gehennæ est actus conformis rectæ rationi; sed hoc est proprium timoris servilis: erg. hic bonus, & honestus est. Major. prob. quia ex una parte vitare culpam actus bonus est, deinde timere gehennam est etiam bonum, erg. vitare culpam ob timorem gehennæ est actus conformis rectæ rationi.

18. Objic. 1. Qui timens pœnam refugit culpam, hanc admitteret, nisi adesset pœna; sed hoc est vitiosum, erg. etiam timor servilis. R. negando majorem: quia respuens culpam ob timorem pœnæ proponit sibi motivum honestum ad culpam vitandam, & hoc sufficit, ut timor ejus sit bonus, & honestus. Verum est, quod si haberet affectum actualem ad culpam, nisi timeret pœnam, talis affectus esset malus, & vitiosus; sed hoc minime contingit in timore servili, qui vere retrahit affectum actualem a culpa ex timore pœnæ. Unde hic actus est bonus: *Non pecco, quia est infernus.* Hic vero malus: *Peccarem, si non esset infernus*: quia primus absolute excludit voluntatem peccandi, secundus illam includit.

19. Objic. 2. Timor servilis magis, & principalius timet pœnam, quam culpam; sed hoc non est conforme rectæ rationi, ergo nec timor servilis. R. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 4. *ad* 3. *Quod timor servilis secundum substantiam non importat nisi timorem pœnæ, sive timeatur ut principale malum, sive non timeatur ut principale malum.* Igitur timor servilis non comparat inter se culpam, & pœnam, nec metuit illam, plusquam istam, sed præcisive se habet: timet quidem pœnam, & hoc sibi sufficit, ut vitet absolute culpam, quin ulterius progrediatur, nec comparet unam cum alia.

20. Quamvis timor servilis sit bonus, & ab Spiritu sancto infusus, non tamen est donum ex septem Spiritus sancti, quia timor servilis potest esse sine charitate, secus vero dona Spiritus sancti. Unde solus ille timor, qui necessario connectitur cum charitate, est proprium donum Spiritus sancti. Hujusmodi est timor initialis, & potissime filialis, seu castus, qui etiam fuit in Christo Domino, & remanet in beatis pro formali, in quantum est quædam subjectio reverentialis ad Deum, ut absolute potentem infligere malum, non vero in quantum est fuga mali separationis a Deo, quod est materiale, & actus ejus secundarius: solumque potest reperiri in justis viæ, non patriæ, ubi jam gaudent felicissima impossibilitate separationis a Deo. D. Thom. *loc. cit. a.* 9.

21. Inq. 4. An detur speciale præceptum divinum de timore filiali, & servili? R. affirm. patet ex textu evangelico supra citato, & ex *Psalm.* 33. *timete Dominum omnes sancti ejus.* Et nihil amplius nobis comendant sacræ paginæ, quam Dei timorem. Idem docet D. Thom. 2. 2. *q.* 22. *art.* 2. ubi ait: *De timore filiali dantur præcepta in lege, sicut de dilectione*; sed datur præceptum speciale dilectionis, erg. etiam timoris filialis. Ibidem docet dari præceptum de timore servili, sicut de spe; sed de spe datur speciale præceptum, erg. etiam de timore servili. At sicut præceptum spei est præambulam ad legem, ita præceptum timoris: ideoque non reperitur expresse in Decalogo.

22. Obligat hoc præceptum eisdem saltem temporibus, ac præcepta fidei, & spei. Si hoc præceptum bene servaretur: proculdubio servarentur cætera; ex defectu quippe timoris Dei tot flagitia perpetrantur ab homine. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, ait Regius Vates Psalm. 13. *non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sed unde hæc, & alia crimina, quæ ibi depromit? *Non est timor Dei ante oculos eorum*, respondet. Curent igitur Concionatores, Parochi, & Confessarii fidelium cordibus infigere timorem Dei: quia ut dicitur *Sap.* 8. *Timor Domini odit malum, arrogantiam, & superbiam, & viam pravam.* Efficit homines bonos; humiles, be-

benemoratos, probos, & timoratos, obedientes Deo, fideles Regi, depellit scelere, fugat peccata, juxta illud *Eccl. 7. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

TRACTATUS NONUS

DE CHARITATE.

Charitas, licet sit tertia ordine generationis inter virtutes theologales, prima est ordine intentionis: ipsa enim est omnium virtutum præstantissima, & nobilissima, quæ omnibus vitam, formam, meritum, & valorem tribuit: ipsa denique est mensura premii, & felicitatis æternæ, sine qua omnia nihil, cum qua omnia sunt prætiosa. Quoniam, ut ait Angel. *in 2. distinct. 40. q. 1. a. 5. Cum omnis actus bonus ordinetur ad finem alicujus virtutis, in finem charitatis ordinatus manebit, & ita meritorius erit. Et sic comedere, & bibere, servato modo temperantiæ, & ludere ad recreationem, servato modo eutrapeliæ, quæ medium tenet in ludis, ut dicitur 2. Ethic. meritorium erit in eo, qui charitatem habet.* Ecce charitas, quæ omnia efficit pretiosa; etiam necessaria, & indifferentia facit meritoria. Si eam habeas, dives, & felix es, si ea careas, infelix, & pauperrimus. De hac agimus in præsenti cum eodem Angel. 2. 2. *a. quæst. 23.*

CAPUT UNICUM.

De natura, & præceptis charitatis.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio charitatis.

1. Inq. 1. Quid sit charitas? R. est *virtus supernaturalis, qua diligimus Deum super omnia propter se, & proximum propter Deum.* Dicitur *virtus supernaturalis*, quia non acquiritur nostris actibus, sed infunditur nobis a Deo; *qua diligimus Deum super omnia*; ad denotandum Deum esse præ omnibus aliis diligendum: additur *propter se*: ad indicandum motivum dilectionis esse suam infinitam bonitatem, diligendamque esse, non amore concupiscentiæ, aut propter nostram utilitatem; sed amore benevolentiæ, aut propter suam bonitatem. Denique dicitur, *& proximum propter Deum.* Ut innotescat, motivum dilectionis proximi esse ipsum Deum.

2. Inq. 2. Quotuplex sit charitas? R. est *actualis*, & *habitualis*. *Actualis* est *actus, quo diligimus Deum, aut proximum propter Deum. Habitualis* est *habitus supernaturalis infusus a Deo, receptus in voluntate, quo faciliter possimus elicere actus charitatis.* Datur etiam charitas *formalis*, & *virtualis*. Charitas formalis est ipse *actus charitatis. Virtualis* est *actus alterius virtutis imperatus a charitate, sive eadem informatus.*

3. Inq. 3. Quod sit objectum charitatis? R. objectum formale *quo*, seu ratio formalis *sub qua* est summa bonitas Dei cognita per fidem præcisive ab offensa, aut unice propter se ipsam. Objectum formale *quod* primarium est ipse Deus, ut summe bonus; secundarium autem, & materiale est proximus. Unde charitas, seu actus charitatis, quo diligimus Deum, non distinguitur specifice a charitate, qua diligimus proximum, quia utraque dilectio Dei, & proximi tendit sub eadem ratione formali *sub qua*, quæ est bonitas divina. Quatuor igitur sunt ex charitate diligenda, Deus super omnia, nos ipsi, proximus, & corpus nostrum juxta ordinem mox dicendum.

4. Inq. 4. An possit quis amare aliquid plusquam Deum, quin omittat diligere Deum super omnia? R. distinguendo inter amorem *intensivum*, & *appretiativum. Intensivus* consistit in majori conatu, quo aliquid in exercitio amatur. *Appretiativus* consistit in altiori æstimatione, & conceptu, quo objectum amatum omnibus aliis præfertur; ita ut omnia amittat priusquam ipsum. Potest

ergo quis amare patrem, filium, uxorem, aut quid simile *intensive* plusquam Deum, diligendo *appretiative* Deum super omnia. Hinc excusantur a gravi matres, quæ solent filios deperire; licet raro, saltem a veniali excusentur ob nimium excessum.

Hæc doctrina vera, & sana est, quidquid P. Concina eam prius concedens postea negare contendat. Nec est ad rem textus ab eo laudatus in oppositum, *qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Intelligitur enim *appretiative*, hoc est, qui ex amore patris, aut matris me deserit, vel graviter offendit, non est me dignus. Nec aliud probant omnia, quæ producit Concita tom. 1. pag. 187. & seqq. Et tandem concludit rem esse de voce.

5. Objic. Charitas magis inclinat ad diligendum objectum primarium, quam secundarium; sed Deus est objectum primarium charitatis, cætera vero objectum secundarium, ergo etiam intensive debet Deus præ cæteris amari. R. disting. maj. magis inclinat *ex natura sua*, & *radicaliter*, conced. major. *proxime*, & *in exercitio libero*, nego maj. & conseq. Nam licet charitas secundum se, & ex natura sua magis inclinet ad diligendum Deum, etiam intensive; non tamen pro ut nobis infusa: quo pacto illa libere utimur in exercitio, & ideo possumus interdum remisius Deum diligere, quam alia, manente amore appretiativo, & inclinatione radicali, etiam intensius diligendi eum.

6. Ex quo legitime infertur, obligationem charitatis nullam exigere determinatam intensionem ad sui adimpletionem, sed sufficienter impleri per quemlibet actum veræ dilectionis Dei. Quod etiam tenet in obligatione fidei, spei, contritionis, & similium, cui satisfit per verum actum harum virtutum, quin opus sit elicere actum determinato gradu intensum; licet ad intensissimum conari semper melius sit. Quod plane docet D. Thom. dicens: *cum autem id, quod cadit sub præcepto, diversimode possit impleri, non efficitur transgressor præcepti aliquis ex hoc, quod non optimo modo implet, sed sufficit, quod quocumque modo impleat illud.* Et infra addit: *Non est transgressor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum.* 2. 2. *q.* 183. *a.* 3. *ad* 2.

7. Objic. Deus imperat, ut eum diligamus toto corde, anima, & viribus, erg. non per quemlibet actum adimpletur obligatio charitatis. R. neg. conseq. quia semper, ac cor hominis ita feratur in Deum, ut nihil grave contra ejus dilectionem admittat, sufficienter salvatur obligatio charitatis: quæ non amplius exigit, quam ut omnia nostra referamus in Deum habitualiter, & etiam actualiter temporibus infra assignandis, ita idem Angel. 2. 2. *q.* 44. *a.* 4. & 5.

8. Pro cujus majori luce nota, quod amor charitatis est triplex. *Primus*, quo ita diligitur Deus, ut nihil fiat, quo graviter offendatur. *Secundus* perfectior, quo nihil, etiam leve, deliberate fiat contra ejus voluntatem. *Tertius* perfectissimus, quo non solum vitetur omne grave, & leve contrarium Deo, sed totaliter homo subjiciatur ejus voluntati, ita ut nihil velit, nec amet, nisi Deum, aut propter Deum. Primus gradus pertinet ad incipientes, & sufficit pro adimpletione præcepti charitatis. Secundus ad proficientes. Tertius ad perfectos.

9. Inq. 5. An charitas sit amicitia propria hominis ad Deum? R. affirm. Patet ex *Psalm.* 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Ex Joan. 13. *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Et ex D. Thom. 2. 2. *q.* 23. *art.* 1. ubi concludit: *Unde manifestum est, quod charitas amicitia quædam est hominis ad Deum.* Augetur per repetitionem actuum, in quantum nostri actus phisici disponunt ad ejus augmentum, quod producitur a Deo juxta majorem, vel minorem intensionem, & dispositionem subjecti. Destruitur per quodlibet peccatum mortale. Non minuitur quoad essentiam directe per peccata venialia: miuuitur tamen indirecte per illa; tum quia impediunt frequentiam actuum charitatis; tum quia labefactant ejus fervorem; tum quia indisponunt ad auxilia, sine quibus homo nihil boni potest operari: tum denique, quia plura peccata venialia generant habitus vitiosos, qui suapte natura inclinant ad peccatum. Ideoque diligenter cavenda sunt,

ne

ne *qui modica spernit, paulatim decidat.*

PUNCTUM II.

De præceptis charitatis.

10. Inq. 1. An detur præceptum speciale charitatis? R. affirm. Constat ex Deuther. 6. *vers.* 4. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Et ex Matth. 22. Probatur ratione. Quod est necessarium ad vitam æternam consequendam, cadit sub divino præcepto; sed amor Dei est præ omnibus necessarius ad dictum finem; quia sine illo omnia sunt velut æs sonans, aut cimbalum tinniens, erg. datur speciale præceptum de amore Dei, seu charitate.

11. Inq. 2. Quot sunt præcepta charitatis? R. esse quatuor: duo affirmativa, & duo negativa. Affirmativa sunt, diligere Deum, & proximum. Negativa sunt, non odisse Deum, nec proximum. Hæc negativa præcepta obligant semper, & pro semper: nam si hoc est commune omni præcepto negativo, quanto amplius convenit præceptis potissimis charitatis, & præcipue odio formali Dei, quod est omnium peccatorum maximum.

12. Pro quo nota odium esse duplex, nempe *speciale*, & *generale*, aut *formale*; & *materiale*. Odium *formale* Dei, aut proximi est velle malum Deo, aut proximo, vel displicere sibi de sua felicitate. Odium *generale*, aut materiale datur in quolibet peccato contra Deum, aut proximum: Sicut inobedientia generalis reperitur in omni peccato; inobedientia vero specialis solum datur, dum quis resistit præcepto formali, ut tali. Itaque solum odium formale constituit distinctum peccatum odii, quod respectu Dei est maximum, quia opponitur maximæ virtuti, quæ est charitas. Respectu proximi etiam est maximum inter peccata contra proximum, licet alia majus nocumentum illi inferant. Ut patet in homicidio, quod, esto ex odio non procedat, ut in Assasinis, aut Sicariis, maximum nocumentum proximo infert.

13. Inq. 3. Quando obligat præceptum dilectionis Dei? R. obligat *directe*, & *per se* ad actum explicitum, & supernaturalem quinque temporibus. 1. In ingressu morali usus rationis, juxta captum, & capacitatem subjecti. 2. In articulo mortis. 3. Semel saltem in anno. 4. Quando infideli proponitur sufficienter fides. 5. Quando urget gravis tentatio contra charitatem, quæ sine actu charitatis vinci non potest; licet plures in hoc casu sentiant non obligare *per se*, sed *per accidens*. Idem dicunt de illo, qui est proximus martyrio, sed tunc revera est in periculo, vel articulo mortis, & ex hac parte abs dubio tenetur *per se* ad actum dilectionis Dei.

14. Obligat *per accidens* in omni eventu, quo instat aliud præceptum, quod impleri nequeat absque actu charitatis: ut quando existens in peccato mortali tenetur recipere, vel ministrare sacramenta, & non est copia Confessarii, debet enim tunc elicere actum contritionis, & consequenter dilectionis Dei super omnia.

15. Inq. 4. An teneatur per se homo aliquo tempore vitæ elicere actum charitatis? R. affirm. constat ex prima propositione damnata ab Alexandro VII. quam dedimus tractatu de fide num. 45. imo præceptum charitatis obligat *per se* aliquoties in vita, ut patet ex propositione 5. damnata ab Innoc. XI. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita elicuerit, condemnare non audemus.* Adeo laxa, & lumini naturali repugnans etiam primo aspectu apparet hujusmodi propositionis cogitatio, ut vix capi possit, quomodo in mente hominis catholici locum unquam habuerit.

16. Inq. 5. An dictum præceptum obliget plusquam singulis quinqueniis? R. affirm. constat ex propositione 6. proscripta ab ipso Innoc. *Probabile est, nec singulis quidem rigorose quinqueniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Obligat etiam præceptum charitatis, quando non tenetur justificari, est enim præceptum potissime justorum, & filiorum. Unde juste damnata est ab eodem Pontifice propositio 7. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.*

17. Præceptum ergo suavissimum amoris Dei adeo in utroque testamento com-

mendatum *sæpius* ad sui adimpletionem dulciter obligat. Nihil enim dulcius, quam Deum diligere. Si Deus est summum bonum, omnia bona in se continens, summeque amabilis, quomodo non amatur ab omnibus? imo quomodo a tam paucis amatur? R. Quia diligunt homines tenebras magis, quam lucem. Si Deus, qui non indiget nobis, diligit nos ab æterno, continuisque cumulat beneficiis, in ipso enim, & ex ipso gaudemus vita, sensibus, motu, viribus, & cæteris donis naturæ, & gratiæ, cur non sæpe, sæpius eum diligemus? O! Diligamus sæpe optimum Dominum. Sed quia tempus hujus obligationis hucusque ab Ecclesia non est præfixum, ideo cum communiori dicimus obligare temporibus supra assignatis. Verum quia circa obligationem in ingressu usus rationis non levis est controversia, illam ratione fulcire, & ab objectionibus vindicare opere prætium judicamus. Quare:

18. Dicendum est, præceptum dilectionis Dei obligare *per se* in ingressu morali usus rationis. Assertio est D. Thom. 1. 2. *q.* 89. *art.* 6. ubi concludit: *Si vero non ordinet se in debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est.* Prob. ratione: præceptum dilectionis Dei super omnia aliquando obligat; sed nullum tempus opportunius designari potest huic obligationi quam illud, in quo homo rationis compos factus deliberare de se ipso valet, quod est instans morale usus rationis, ergo tunc obligat per se.

19. Confirm. in primo rationis instanti morali debet homo deliberare de fine ultimo, ad illum se, suosque actus dirigere, arripereque viam salutis; sed præceptum charitatis ad hoc ordinatur, ut quis se, suosque actus dirigat in ultimum finem, erg. tunc obligat.

20. Confirm. etiam ex propositione 1. ab Alexandro VIII. damnata, quæ loquens de ultimo fine, inquit: *Hunc homo non tenetur amare, nec in principio, nec in decursu vitæ suæ moralis*, ergo tenetur Deum amare in principio vitæ suę moralis. Et licet proscriptio non cadat præcise supra obligationem amandi Deum in principio vitæ moralis, non leve tamen infligit vulnus oppositæ sententiæ, nec parvum fulcimentum tribuit nostræ.

21. Objic. 1. Præceptum adeo arduum in tam tenera ætate derogat suavitati legis divinæ, ergo non datur. R. neg. antec. quia licet præceptum diligendi Deum super omnia sit ardum ex parte objecti, numquam est facilius, quam in illa ætate, in qua pueri nullis sordibus vitiorum mentem inquinatam, nullave fascinatione nugacitatis obscuratam habent; alias Deus præsto est ad conferenda auxilia, quibus si bene utantur, bonum honestum amplectuntur, & facillime adimplent divinum præceptum.

22. Objic. 2. Nequit obligare præceptum non cognitum; sed pueri in instanti usus rationis non cognoscunt præceptum diligendi Deum super omnia, ergo non obligat. R. Pueros in instanti usus rationis habere sufficientem notitiam hujus obligationis: nam Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in mundum utique rationalem. Neque illud instans est methaphysicum, sed morale. Est ergo instans, in quo homo discernit inter bonum, & malum, ut eligat, quod voluerit. Si igitur agnoscens bonum, & malum declinet a malo, & faciat bonum, adimplet præceptum; si secus, illud violat, & peccat mortaliter.

23. Objic. 3. Præceptum charitatis est indeterminatum, ergo non obligat in determinato tempore. R. neg. conseq. quia eo ipso, quod est indeterminatum, citius obligat: quia omne tempus comprehendit. Ut patet ex *Deuther.* 6. Ubi notificans Deus hoc præceptum, jubet Moysi habere illud in corde suo, narrare filiis suis, meditari sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, insuper ligare illud in manu sua, scribereque in limine, & ostiis domus suæ. En præceptum, quo expressius commendatum, nullum reperitur in sacra pagina!

24. Objic. 4. Vix aliquis meminit se in illa prima ætate hoc præceptum implevisse, nec de ejus violatione communiter fideles confitentur, ergo signum est, quod non datur. R. argumentum non probare intentum: quia sicut vix unus meminit se adimplevisse præceptum; ita non meminit contrarium. Circa debi-

tum

tum autem confitendi hujus præcepti omissionem, cum dubia sit, saltem sub dubio confiteri debet; quod ita fecisse fatetur doctor Navarrus, qui cum Cajetano affirmat, optime agere fideles omnes, si conditionate se accusent de hujusmodi omissione. Nota, quod ad meritum augendum non sufficit charitas habitualis, sed requiritur aliqua directio saltem virtualis operum ad Deum, quæ supposita prima initio anni, mensis, hebdomadæ, aut diei facta, renovari, fierique actualis facile valet dicendo: *omnia fiant ad majorem Dei gloriam*, vel *omnia sint propter Deum, aut pro ejus amore*, ita pii viri sæpe renovando præsentiam Dei, & actus charitatis, æternum gloriæ pondus augent meritorum.

Punctum III.

De præcepto diligendi proximum.

25. Inq. 1. An detur præceptum divinum speciale diligendi proximum? R. affirm. Constat ex *Matth.* 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Nomine proximi intelliguntur omnes Angeli, & homines, qui beatitudinis supernaturalis capaces sunt. Unde fideles, & infideles, amici, & inimici, justi, & peccatores absque ullius exclusione, dum sunt viatores, nomine proximi intelliguntur, & jubentur amari, sicut *te ipsum*. Hæc particula *sicut te ipsum*, non jubet amorem æqualem, sed similem, ut docet D. Thom. 2. 2 *q.* 44. *art.* 7.

26. Inq 2. An, qui diligit Deum super omnia, intransitive adimpleat præceptum diligendi proximum? R. neg. quia sunt duo præcepta distincta, quæ duplicem actum formalem ad sui adimpletionem postulant. Unde licet dilectio Dei formalis sit virtualis dilectio proximi, non sufficit, ut hoc præceptum impleatur, nec sufficiunt actus externi charitatis in proximum: sed necessarius est actus internus, & formalis, ut constat ex propos. 10. & 12. ab Innoc. XI. damnatis, nempe: *Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

27. Tenemur ergo amare proximum amore non solum externo, sed interno, & formali benevolentiæ propter Deum: nam si illum amamus, quia consanguineum, amicum, aut aliud motivum naturale, & non propter Deum, erit quidem amor naturalis honestus; sed non amor supernaturalis requisitus adimplendum præceptum divinum charitatis. Unde debemus nos, & omnia alia amare propter Deum, ut hoc divinum præceptum impleamus. Ita D. Thom. loco citato.

28. Inq. 3. Quo tempore obstringat hoc præceptum? R. obligare *directe*, & *per se* triplici tempore, nempe saltem semel in anno, & quando urget gravis tentatio contra charitatem proximi, quæ sine actu ipsius virtutis vinci non possit; & quoad actus externos, quando proximus est in necessitate corporali, aut spirituali, præcipue quando urget præceptum eleemosynæ, aut correctionis fraternæ. Obligat *per accidens*, dum instat aliud præceptum, quod adimpleri non possit, quin diligamus proximum actu interno, aut externo.

29. Inq. 5. An hoc præceptum sit naturale, vel supernaturale? R. esse naturale, & supernaturale. Est *naturale*, quia lex naturalis præcipit amare socium, & similem in natura. Est *supernaturale*, quia Deus præcepto, & motivo supernaturali illud nobis jubet: ideoque sicut Deum jubemur diligere amore naturali, & supernaturali, ita & proximum. Unde, qui amaret Deum, aut proximum amore mere naturali, quando supernaturali est diligendus, violaret præceptum supernaturale. Ut accidit in omnibus, qui totum annum, vel plures transeunt in lethali. Isti abs dubio peccant graviter, omittendo actum charitatis Dei, & proximi, qui incompatibilis est cum statu lethali. Ideo licet proximum diligant, aut ejus necessitates succurrant, ad summum satisfaciunt præcepto naturali charitatis, misericordiæ, aut pietatis: quod notare debent Confessarii, ut sciant, quot peccata committant pœnitentes, qui diu degunt in peccato mortali. Verum non suam, pœnitentiumque mentem multum torqueant in supputatione omissionum; sufficit enim agnoscere diuturnitatem in peccato, & statum pœnitentis, quin omissiones in particulari numerentur: maxi-

xime in illorum sententia, qui hoc præceptum omnibus festis sentiunt obligare.

Punctum IV.

De ordine charitatis servando.

30. Cum ordo sit *recta dispositio, qua unicuique, quod suum est, tribuitur*, in omni re est prudenter servandus; sed in charitate est modus intrinsecus virtutis: qua ratione cadit sub ejus præcepto. Ut autem majori claritate innotescat, duplex ordo distinguendus est, nempe ordo amandi, & ordo subveniendi: deinde ordo subveniendi potest esse in spiritualibus, & in corporalibus. Amor etiam quadruplex consideratur, videlicet, *apretiativus*, *intensivus*, *affectivus*, & *effectivus*. Quæ omnia triplici paragrapho explicabimus.

§. I.

De ordine amandi.

31. Inq. Quis ordo servandus sit in amando? R. In amore apretiativo servandus est sequens ordo: 1. Debes amare Deum super omnia: 2. te ipsum. 3. patrem. 4. matrem. 5. filios. 6. uxorem. 7. singularem benefactorem, qui te v. g. a morte liberavit. 8. fratres. 9. reliquos consanguineos, & affines juxta gradum conjunctionis. 10. benefactores. 11. amicos. 12. concives, & conterraneos. 13. omnes fideles, præferendo semper meliores, & nobiliores. 14. Infideles, Hæreticos, Judæos, Mahometanos, & alios barbaros; quos omnes charitas in communi amplectitur, ita ut nullum excludat, sive amicum, sive inimicum; in particulari autem secundum animi præparationem, & quando necessitas occurrat. Denique possunt, & debent amari creaturæ irrationales, & Dæmones, non amore amicitiæ, quia non sunt proximi; sed in quantum volumus eorum naturam conservari ad gloriam Dei: ut ait D. Th. 2. 2. *q.* 25. *a.* 11.

32. In amore intensivo circa proximum uxor omnibus præferenda est, quia isto amore dimittit homo patrem, & matrem, & adhæret uxori suæ. Deinde filii, parentes, & reliqui secundum majorem conatum diligentis: quia ordo hujus dilectionis intensive non cadit rigorose sub præcepto, nisi respectu uxoris quo ad habitationem.

33. Amore mere affectivo, seu complacentiæ post Deum, Angeli, & sancti omnibus præferendi sunt: quia in illis divina bonitas præcipue resplendet, tanto amplius, quanto majori sanctitate excellunt. Ex quo manifeste constat, beatissimam semper Virginem Mariam præ omnibus Angelis, & sanctis amore affectivo, & complacentiæ diligendam esse. Si ipsa nos diligit ut mater piissima, quod eam diligamus, ut obsequentissimi filii, justitia est.

34. In amore effectivo, & ordine subveniendi proximo in quavis necessitate præter extremam præponendi sunt primo filii. Ita expresse D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 9, ad 1. ubi dicit: *parentibus a filiis magis debetur honor; filiis autem magis debetur cura provissionis* Secundo uxor, quia circa domesticam, & æconomicam administrationem, sublata necessitate extrema, arctior est conjunctio viri cum uxore, quam cum patre, & matre. Tertio loco debet subveniri pater. Quarto mater. Deinde reliqui juxta gradum conjunctionis. *Sed in necessitatis extremæ articulo*, ait D. Thom. 2. 2. q. 31. a. 3. ad 4. *magis liceret desserere filios, quam parentes, quos nullo modo desserere licet, propter obligationem beneficiorum susceptorum.*

§. II.

De ordine subveniendi in spiritualibus.

35. Inq. 1. An quis debeat se diligere plusquam proximum? R. affirm. quia dilectio sui est exemplar dilectionis proximi, juxta illud Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; unde charitas bene ordinata incipit a se ipso, præcipue in bonis spiritualibus.

36. Dices: Moyses voluit pro fratribus deleri de libro vitæ, & Paulus pro illis anathema esse, ergo potest quis diligere proximum plusquam seipsum. R. neg. conseq. quia isti loquebantur per exagerationem, indicantes amoris ardo-

rem,

rem, & vehementiam, scientesque privandos non esse divina participatione, & gloria, nisi ad summum pro aliquo tempore.

37. Inq. 2. An debeat quis plus diligere proximum, quam corpus proprium? R. affirm. quia in proximo diligitur anima capax per se æternæ beatitudinis, quod non habet corpus proprium, nisi ratione animæ. Ex quo manifeste liquet, propriam animam esse magis diligendam, quam proprium corpus: nam spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *a.* 5.

38. Inq. 3. An possit quis pati detrimentum spirituale ob bonum spirituale proximi? R. Duplex potest considerari detrimentum: aliud positivum, aliud privativum. Positivum est culpa, aut peccatum. Privativum est privatio alicujus lucri spiritualis sine peccato. Detrimentum ergo positivum numquam licet pati ob quodcumque motivum, nec committi peccatum quantumvis veniale ob totius mundi salutem, aut conversionem; imo esto per impossibile salus omnium damnatorum penderet ex uno mendacio levi, non debet illud proferri. Ex quo apparet, quam male se gerunt aliqui sacerdotes, qui, ne audientibus fastidium, aut indevotionem generent, nimis festinanter celebrant; peccant enim saltem venialiter, & detrimentum animæ patiuntur contra ordinem charitatis propriæ, Sed quid de illis, qui passim mentiuntur?

39. Inq. 4. An sit licita privatio propria in bonis spiritualibus, quæ necessaria non sunt ad salutem æternam consequendam, ob profectum spiritualem proximi? R. affirm. quia non tenemur ad opera meliora semper, maxime urgente aliorum necessitate. Unde ex motivo charitatis potest quis se abstinere ab opere non præcepto, ut proximo subvenire valeat. Hac ratione opera devotionis interdum differenda sunt, ut aliis succurratur: differri debet etiam ingressus in religionem, ut parentum inopiæ provideatur. Et sic de similibus. Vid. D. Thom. *ubi sup. a.* 4. *ad* 2.

40. Cæterum aliis gratiis supernaturalibus, quæ necessaria non sunt ad Deum absolute diligendum, licitum est velle se privari ob aliorum salutem. Hinc seraphica virgo Theresia ferventissima charitate optabat, se privari divinis charismatibus, & cœlestibus donis, quibus in contemplatione abunde fruebatur, ut Deus ea Regibus donaret ad majorem sui gloriam, & honorem, ut egregie ipsa scribit *cap.* 21. *n.* 1. *vitæ suæ.*

41. Inq. 5. An sit licitum velle se privari beatitudine ob profectum spiritualem proximi? R. quod volitio privationis beatitudinis in perpetuum numquam est licita: quia ordo charitatis postulat, nostram beatitudinem æternam præferri aliorum saluti. Verum optare dilationem beatitudinis pro aliquo tempore licitum est, ob motivum promovendi bonum spirituale proximi. Constat ex Apostolo ad *Philippenses* 1. Ubi desiderans dissolvi, & esse cum Christo, sustinet dilationem propter eos. Constat etiam ex S. Martino, S. Ignatio Loyola, & ex prætiosa charitatis victima S. matre Theresia, quę intensissime cupiens dilecti amplexum, volebat aliquandiu in exilio manere, ob aliorum profectum, *tom.* 2. *epist.* 4. *in fine.*

42. Inq. 6. An sit licitum, se privare satisfactione operum bonorum, & suffragiorum, eamque applicare animabus purgatorii, quamvis ex hac privatione aliquantulum nobis differatur ingressus gloriæ? R. affirm. quia est actus ferventissimus charitatis, quo sufficientissime compensatur temporanea illa privatio beatitudinis, per incrementum meriti, & gloriæ, quod apud Deum promeretur, qui per illum suffragatur animabus a se dilectis. Quapropter magnopere laudanda est, & numquam prętermittenda consuetudo, quæ apud nos invaluit, offerendi coram communitate nocte prima Novembris opera nostra satisfactoria pro animabus purgatorii, ut citius ab illo ergastulo liberentur, optando potius pro aliquo tempore felicitate gloriæ carere, quam sinere illas supra modum felices animas diu in illis tormentis cruciari. Quod Deo esse maxime gratum, & acceptabile, non dubitamus: cum sit actus charitatis valde excellens, quo ipsa charitas intenditur, & meritum essentiale augetur.

43. Inq. 7. An quilibet teneatur cum pe-

periculo vitæ subvenire proximo extremam necessitatem spiritualem patienti? R. per se loquendo teneri : constat ex illo Joannis 1. *cap.* 3. *Sicut Christus animam suam posuit pro nobis, & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Prob. ratione : quia bonum spirituale, utpote præstantius, debet præferri bono corporali, ergo cum detrimento hujus debemus illi subvenire, quando possumus sine detrimento proprio spirituali. Unde si potens subvenire est in peccato mortali, debet prius sibi consulere, quam proximo. Similiter, quando succurrentis persona necessaria est bono communi Ecclesiæ, aut reipublicæ, non debet exponi pro salute spirituali proximi. Idem teneas, quando alter, sive compos, sive impos mentis te invadit occidendum : quia ille non est in extrema necessitate, sed in extrema iniquitate, a qua potest, & debet recedere.

44. Ex dictis sequitur teneri fideles, etiam cum vitæ periculo, ad defendendam proximi dormientis vitam, si judicent, eum in peccato mortali existere, & moraliter credant postea meliorandum. Item, quando infans Christianorum filius non baptizatus rapitur ad mortem, si non est alius, qui baptizet, teneris cum vitæ discrimine illum baptizare. Obstetrix, quæ invalide innocenter, aut criminose plures baptizavit, tenetur cum periculo vitæ damnum reparare. Si peccator notorius morti proximus postulet Confessarium, tenetur iste illi subvenire, etiam cum periculo vitæ, si alius non adsit, nec sit spes, quod per contritionem justificetur.

45. Inq. 8. Si ex una parte infans non baptizatus sit in periculo mortis, & in eodem periculo adultus petat confessionem, cui prius subveniendum est? R. prius infanti subveniendum esse, quam adulto : quia hic habet medium contritionis ad salutem consequendam, quo omnino caret infans : isto ergo baptizato, debet subveniri adultus, si jam non decessit.

46. Inq. 9. An in necessitate gravi spirituali proximi tenearis cum vitæ periculo ei succurrere? R. sub distinctione : quia vel est persona particularis, vel ex officio tenetur, qui succurrere potest. Si primum, non tenetur cum periculo vitæ, famæ, aut facultatum : quia, sublata necessitate extrema, valet proximus aliter salutem æternam consequi, ergo nullus particularis tenetur cum dispendio gravi vitæ, famæ, aut facultatum ei subvenire. Unde non teneris cum dicto periculo peccatores a vitiis extrahere. Nec subvenire filiæ, quam pater prostituere parat : quia tantum laborant necessitate gravi, a qua possunt per se ipsos liberari.

47. Verum si communitas aliqua gravem pateretur necessitatem spiritualem, teneris illi subvenire etiam cum periculo vitæ : quia damnum commune semper præferendum est particulari. Quare concionator tenetur reprehendere peccata publica, quæ alios inficiunt. Similiter si populus esset in periculo amittendi fidem, aut amplectendi aliquem errorem, debes, etiam cum vitæ discrimine, illum instruere.

48. Qui autem ex officio tenetur, debet etiam cum vitæ periculo gravi spirituali necessitati proximi providere : quia hic ratione officii, & stipendii accepti strictius, quam alii, tenetur in omni necessitate ; sed alii tenentur in extrema necessitate, ergo iste in gravi. Igitur Episcopi, Parochi tempore pestis, si alios idoneos non substituant, tenentur ovibus suis ministrare sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, & etiam extremæ unctionis illis, qui aliud sacramentum nequeunt recipere. Nec possunt officium renunciare, alias nullus pastor esset obligatus ovibus assistere.

49. Inq. 10. An sit licitum se exponere probabili periculo peccandi, aut illud non deserere ob salutem spiritualem proximi? R. si probabilior sit spes constantiæ, & immunitatis a proprio lapsu, licita est talis expositio : quia honestatur ex motivo salutis spiritualis proximi. Si vero æqualiter lapsus, & victoria anceps sit, prius consulendum est saluti propriæ, quam alienæ. Cæterum quando salus spiritualis proximi necessario periclitatur, tua vero solum contingenter, potes, & debes periculo te exponere. Un si infans apud infideles necessario sine baptismo moriturus sit, nisi accedas : licet ex accessu timeas probabi-

biliter subversionem, teneris accedere, & baptizare infantem: quia iste non debet privari jure ad baptismum, ob malitiam infidelium, vel fragilitatem contingentem baptizantis. Similiter si Sacerdos reperiret mulierem solam partui proximam, & rogaretur, ut præstaret subsidium, ne pereat ipsa cum prole, deberet divino auxilio fretus, illi succurrere, præcipue propter prolem, ne baptismo privaretur.

50. Inq. 11. An mater gravida impotens parere, teneatur sectionem ventris pati, ut proles baptizetur? R. neg. quia nullus habet jus ad baptismum cum tanto detrimento, priusquam oriatur. Sic D. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 11. *ad* 3. *& alibi.*

§. III.

De ordine subveniendi in corporalibus.

51. Inq. 1. An possit quis alteri cedere panem, equum, aut tabulam, ut a morte liberetur, ipso in æquali necessitate constituto? R. licere ex motivo virtutis; constat ex illo *Joan.* 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hanc doctrinam legitimam docent Salmanticenses, quidquid in contrarium velit hic dicere Concina. Igitur licitum est ex motivo virtutis propriam vitam exponere pro salvanda alterius vita; & sic in naufragio potes donare alteri tabulam jam occupatam, in extrema famis necessitate utriusque panem alteri elargiri, in summo periculo vitæ donare equum ad fugiendum, nisi sis persona bono communi necessaria.

52. Verum absque dicto virtutis motivo illicitum est vitam pro vita exponere, quia esset contra ordinem charitatis. Hac ipsa ratione non licet vitam exponere pro honore, fama, aut bonis temporalibus alterius: quia vita est superioris ordinis ad omnia temporalia. Similiter est illicitum juste damnato, ut fame pereat, non sumere panem sibi clam oblatum: quia hoc esset se ipsum occidere, respuendo media ordinaria ad vitam.

53. Inq. 2. An ordo charitatis hactenus prælibatus semper obliget sub gravi? R. tantum in duplici casu graviter obligare. *Primo* in extrema necessitate: quia in illa præceptum charitatis maxime urget, ergo debet adimpleri secundum jus, quod unusquisque habet, ut subveniatur juxta ordinem charitatis. *Secundo* obligat in necessitate gravi proximi, quando subveniri valet levi incommodo corporali succurrentis: ratio est, quia, si necessitas gravis sit spiritualis, est ordinis superioris, ergo præferenda est incommodo levi corporali. Si autem necessitas gravis temporalis fuerit, charitas præcipit succurrere proximo grave detrimentum patienti, dum levi incommodo proprio id præstari potest. D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *a.* 4. *ad* 2.

Punctum V.

De inimicorum dilectione.

54. Inq. 1. An detur præceptum inimicos diligendi? R. Eodem præcepto naturali, & divino charitatis juberi dilectionem inimicorum, ac proinde obligare eisdem temporibus *per se*, & *per accidens*, ac ipsum præceptum charitatis erga proximum: quia inimicus proximus est. Unde licet nequeat diligi, ut inimicus, aut peccator, quia ut talis charitati repugnat; tamen ut proximus diligi debet in omni casu, in quo urget præceptum dilectionis proximi. In hoc sensu debet intelligi, si in aliquo textu reperiatur: *Oderis inimicum tuum*; nempe ut inimicum, minime, ut proximum: hoc est oderis vitium, non personam.

55. Verum quia hoc non parum difficile videtur humanæ fragilitati, Salvator noster specialius voluit exponere hoc præceptum, dicens *Matth.* 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Et tandem suo exemplo illud docuit, & confirmavit, dum in cruce pendens patrem pro persecutoribus exoravit.

56. Inq. 2. An in lege veteri esset hoc præceptum de inimico diligendo? R. In omni lege sive naturæ, sive scripta invaluise hoc præceptum. Quia ex una parte jus naturale exigit diligere fratrem, & consortem naturæ; & ex alia constat ex pluribus locis sacræ paginæ: Ut Pro-

verb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.*

57. Objic. Dominus loc. cit. Matthæi dixit: *Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Ergo in lege veteri licitum fuit odium inimici. R. neg. conseq. quia semper fuit illicitum inimici odium; est enim intrinsece malum, nec usquam lex divina illud permisit. Quapropter non dixit Dominus: *Legistis*, quia scriptum est; sed *audistis*, quia dictum est. Ita D. Thom. *in* 3. *dist.* 31. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. *In veteri lege etiam homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, sicut patet per authoritatem. Unde quod dicitur,* odio habebis inimicuum tuum, *non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in littera invenitur; sed est additum ex prava interpretatione Judæorum.*

58. Inq. 3. Quid jubeat præceptum inimicos diligendi? R. hoc præceptum esse affirmativum, & negativum. Quatenus negativum prohibet semper, & pro semper odium inimici, velle illi malum, seu gaudere de illius malo, & conservare livorem vindictæ contra illum. Quatenus affirmativum præcipit tria. Primum remittere offensam. 2. In amore generali erga proximum includere etiam inimicum, diligendo eum actu interno, & formali. 3. Præparationem animi ad illum diligendum in particulari, hoc est, dum videas illum in necessitate spirituali, aut corporali: vel dum quis graviter tentatur ad odium inimici, in quo casu tenetur arctius remittere offensam positive.

59. Inq. 4. An sit licitum excludere inimicum a beneficio toti populo, aut communitati liberaliter collato? R. per se loquendo non licere: quia esset signum interioris aversionis contra illum. Unde qui orans pro omnibus, vel eleemosynas omnibus pauperibus alicujus loci elargiens, & similia beneficia generaliter efficiens, inimicum excluderet, peccaret graviter contra præceptum charitatis. Cæterum si donans beneficium gratiosum sit Superior, aut Prælatus, poterit aliquando illum licite excludere, ob ejus correctionem, & emendationem, aut ex alia prudenti causa.

60. Inq. 5. An teneamur signa dilectionis inimico exhibere? R. Signa dilectionis communia tenemur inimicis præstare: quia oppositum esset livorem vindictæ conservare; signa vero specialia dilectionis non tenemur exhibere inimico: quia talia signa non sunt de præcepto, sed de consilio, & perfectione. Unde non teneris diligere inimicum speciali amore, hospitio recipere, familiaritatem cum illo habere, pluries ægrotum visere, aut mæstum solari. Cum hæc omnia, præciso scandalo, sint mere voluntaria, & nulli debita. Si vero scandalum sequatur ex tali omissione, aut salus spiritualis, vel corporalis inimici speretur ex talibus signis, debes ea illi præstare: ne credaris te illum odio habere. Similiter dicta signa specialia denegari nequeunt parentibus, filiis, fratribus, cognatis, & amicis: quia respectu horum potius reputanda sunt signa communia, quam particularia. Sæpe inimici plus nobis favent, quam amici pro exercitio virtutis, ut patet in Martyribus, & aliis sanctis: qui ideo illos diligebant speciali amore, tamquam veros benefactores sui profectus spiritualis.

61. Inq. 6. An teneamur salutare inimicum obviam factum? R. 1. Regulariter neminem teneri salutare inimicum, quia salutatio est speciale dilectionis signum, quod nec amicis tenemur sub gravi exhibere, R. 2. Quod si salutes simul plures, inter quos adest inimicus, teneris eum salutare, & non excludere illum a communi salutatione, quia alias præbes fundamentum ad credendum, te eum excipere ob inimicitiam, aut odium. R. 3. Filios, subditos, aut inferiores teneri salutare patrem, prælatum, judicem, aut superiorem, licet videatur inimicus: quia hoc exigit proba educatio, multo amplius pietas, reverentia, & humilis obedientia ipsis debita: & ideo saltem aliquo signo humilitatis debent ipsis submissionem pro salutatione præstare. R. 4. Inimicum nos salutantem, tenemur sub gravi resalutare: quia resalutatio est signum commune omnibus debitum; nisi aliquis excusetur ex justa causa, de qua statim.

62. Inq. 7. An Superior, Prælatus, aut pater possint denegare salutationem, & allocutionem subditis, aut filiis ob aliquam rixam, aut inimicitiam? R. 1.

Cau-

Causa odii, aut inimicitiæ numquam licere : quia odium, utpote repugnans charitati, semper est illicitum. R. 2. Causa correctionis posse denegare talia signa, ut ex vultus severitate, & negatæ allocutionis suam culpam agnoscant, & resipiscant. Neque enim decet Superiorem omnia verbo, & minus flagello corrigere. Oportet ergo aliquando, quod subditi ex vultu Superioris dignoscant, eorum defectus Superiorem non latere, eique displicere. R. 3. Parentes juste denegare ex eodem motivo correctionis salutationem, & allocutionem filiis, qui contra eorum voluntatem, aut honorem matrimonium contraxerunt : vel alia actione turpi familiam dehonestarunt. Valent insuper eos a domo expellere, aliis filiis, & domesticis jubere, ne cum illis conversentur : ut sic cæteri terreantur a similium perpetratione. Debent tamen curare, ne punitio excedat gravitatem delicti, nec diu ista absoluta denegatio perduret, sed arbitrio prudenti, congruo tempore transacto, temperanda est juxta regulas Christianæ charitatis. Sex mensium spatium, plus minusve sufficiens videtur ad leniendum dolorem parentum, & remittendam punitionem filiorum.

63. Inq. 8. An consanguinei, vel alii conjuncti omittentes consuetam allocutionem ex motivo alicujus rixæ, vel alterius causæ graviter peccent? R. Si per multum tempus sic aversi permaneant, absdubio graviter peccant. Tum propter conjunctionem sanguinis, quæ ex tali aversione maxime vulneratur contra præceptum mutuæ charitatis : tum propter scandalum, quod inde oritur apud omnes videntes familias sanguine conjunctas plus inter se rixatas, & divisas, ac si essent extranieres. Quare Parochus, & Confessarius curare debent eorum reconciliationem, etiam differendo ad tempus absolutionem. Hoc ipsum potiori ratione intelligendum est de personis religiosis ejusdem monasterii, collegii, aut communitatis, si aliquando inter illas contingat hujusmodi denegatio allocutionis : nam cum monasteria sint schola charitatis, ab eis procul exulare debet pestis odii, discordiæ, aut inimicitiæ. Unde nisi parvitas materiæ, aut brevitas temporis excuset, denegatio allocutionis erit læthalis inter personas religiosas. Nam quod in sæcularibus reprobant, in se ipsis amplius reprobare debent.

64. Circa prædicta duo præ oculis habenda sunt : nempe animus interior, & significatio exterior. Animus interior semper immunis debet esse ab odio, inimicitia, aut livore vindictæ, alias erit peccatum juxta ejus quantitatem, vel materiam, licet denegatio signi secundum se non sit notabilis. Significationem exteriorem possunt excusari a gravi, & quandoque etiam a levi aliquæ circumstantiæ: ut actualis inadvertentia, parvitas temporis, vel ostensio justi doloris. Hinc nobilis matrona, renuens resalutare mariti occisorem, excusanda est a gravi, quando resalutatio facienda esset brevi intervallo a morte mariti : quia tunc justo dolore oppressa, non gaudet mente integra. Verum quoties denegatio deliberata denotet indignationem internam, aut odium, vel scandalum grave in aliis pariat, erit mortale, licet desit interior animus graviter pravus. Non tamen peccatum scandali semper est grave, quare non omnia illico ad grave damnanda sunt; licet melius sit vitare omnem suspicionem, & liberales nos esse in materia charitatis ad exibenda signa dilectionis, imitantes Dominum, qui ita se gessit, nobis relinquens exemplum.

65. Inq. 9. An sit licitum optare malum inimicis, & peccatoribus? R. Quod optare malum sub ratione mali semper est illicitum; optare tamen inimicis, aut peccatoribus malum temporale, vel ob illorum bonum spirituale, ut a peccatis resipiscant : vel ad gloriam Dei, ut justitia ejus resplendeat, vel ut desistant ab aliorum infestatione, aut oppressione, licitum est. Quia hoc est optare absolute bonum, vel malum sub ratione boni. Possumus ergo optare peccatori ægritudinem, per quam impediatur a peccatis committendis. Possumus etiam imprecari tyranno, Turcæ, & hæreticis mortem, aut alia damna : ut per illa divina justitia ostendatur, & desistant a persecutione Ecclesiæ catholicæ. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 76. *art.* 1.

66. Inq. 10. An sit melius, & magis meritorium diligere amicum, quam inimicum? R. Quod simpliciter, & absolu-

te loquendo, & cæteris paribus, melior, & magis meritoria est dilectio amici, quam inimici, quia est actus nobilioris objecti, & in quo est major ratio virtutis, charitas enim jubet amare amicum præ inimico. Ita Angel. 2. 2. *q.* 27. *a.* 7.

67. Objic. 1. Matth. 5. dicitur: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Ergo videtur, quod dilectio amici meritoria non sit. R. Quod dilectio amici propter se amati nullam mercedem meretur, & ita intelligendus est textus; sed si ametur propter Deum, de fide est mereri vitam æternam; ideo dicitur cæteris paribus, factaque comparatione dilectionis amici, & inimici unice propter Deum, melior est illa, quam ista.

68. Objic. 2. Opus difficilius factum propter Deum melius, & magis meritorium est, quam opus facilius; sed dilectio inimici difficilior est, quam dilectio amici, ergo & melior. R. disting. min. dilectio inimici difficilior est, *ex parte objecti*, nego minor. *ex parte subjecti*, transeat minor, & nego consequentiam. Nam perfectio specifica, & absoluta actus sumitur ex parte objecti, non vero ex parte subjecti: alias dilectio inimici melior, & magis meritoria esset, quam dilectio ipsius Dei, quod non est verum. Aliquomodo autem præminet dilectio inimici dilectioni amici, in quantum animus hominis per illam ad remotiora se extendit: sicut virtus ignis ostenditur fortior, quando ad remotiora suum calorem diffundit; verum tamen ipse ignis in propinquiora fortius agit.

Punctum VI.

De præcepto reconciliationis inimicorum.

69. Inq. 1. An detur præceptum reconciliationis cum inimico? R. affirm. quia eadem charitas, quæ præcipit mutuum amorem, & unionem fraternam, jubet post divisionem mutuam reconciliationem, sed clarius voluit eam præcipere Dominus Matth. 5. dicens: *Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, & vade reconciliari fratri tuo.* Ubi, ut vides, jubet reconciliari fratri, quem læsisti, priusquam offeras munera Deo, qua major recomendatio fraternæ charitatis, & mutuæ reconciliationis excogitari non valet.

70. Inq. 2. Ad quid teneatur offensor? R. offensorem teneri in primis se dolere de offensa alteri irrogata. Deinde tenetur etiam sub gravi, quantocius moraliter possit, reconciliationem procurare illo modo, qui a prudentibus judicatur sufficiens, & opportunus pro qualitate personæ, loci, & temporis. Quandoque congruum erit illam aliquantulum differre, ut offensa deferveat, & dolor leniatur, sicut in casu matronæ dolore transfixæ ob mariti, aut filii occisionem. Circumstantiæ ergo inspiciendæ sunt, dummodo offensor paratus sit ad congruam satisfactionem exhibendam.

71. Quando duo paris conditionis se invicem offendunt per injuriam prudentum judicio æqualem, neuter tenetur ad petendam veniam, sed ad se mutuo reconciliandum, vel per se ipsos, vel per interpositam personam, exhibendo sibi invicem signa specialis benevolentiæ. Qui autem prius injuriam intulit, tenetur prior, per se loquendo, ad hæc signa præstanda. Item, qui gravius læsit, prius absolute debet se submittere mutuæ reconciliationi; cæterum, quia pluries difficile cognitu est, quis injuriare cæperit, vel graviorem injuriam intulerit, cum pauci se cognoscant, ideo uterque cogendus est ad mutuam reconciliationem, ne cum gravi scandalo reipublicæ odia, & inimicitiæ inter personas, & familias diu foveantur.

72. Parentes, Prælati, aut alii Superiores licet excedant in correctione inferiorum, non astringuntur eis veniam petere: *Ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur authoritas*, ut inquit S. Aug. *in regula*. Tenentur tamen modo non incongruo suæ authoritati satisfacere famæ, aut honori læso inferiorum: cum Prælatis, non solum ex charitate, sed ex debito justitiæ sui officii, stricte incumbat, inferiorum famæ, & honori prospicere. Filii, subditi, & alii inferiores semper tenentur Superioribus offensis veniam humiliter petere, & signa specialis dilectionis prævenire.

73.

73. Inq. 3. Ad quid teneatur offensus? R. Teneri in primis ad non concipiendum odium contra proximum, vel ad statim deponendum, si jam illud concepit: quia ad hoc tenetur ex præcepto charitatis, quæ semper, & pro semper odium prohibet. Deinde tenetur ad remittendam positive offensam ex corde, exhibendo signa communia dilectionis offensori, & succurrere illi in extrema necessitate. Non enim sufficit, non odisse, sed ulterius requiritur, & offensorem positive diligere, & illi in necessitate succurrere juxta præscriptum Domini: *Benefacite iis, qui oderunt vos*. Tandem tenetur acceptare reconciliationem rationabiliter oblatam, exhibendo tunc signa specialia dilectionis. Si tamen offensus esset pater, aut superior, posset ad majorem correctionem inferioris aliquandiu hæc signa prudenti moderatione differre.

74. Inq. 4. An in articulo mortis teneatur offensus reconciliari cum offensore, vel proprio occisore? R. affirm. casus iste decisus manet cum doctrina inclitæ virginis sanctæ Theresiæ matris nostræ *tract.* 2. *n.* 100.

75. Igitur licet in aliis casibus opportune differri valeat reconciliatio; minime in articulo mortis: quia post mortem non adest tempus; ideo ibidem diximus, quod esto teneamur sequi in vita easdem opiniones, ac in morte; sed periculum mortis variat casum.

76. Inq. 5. An teneatur offensus condonare non solum offensam, sed etiam satisfactionem, & damni compensationem? R. secluso omni odio, aut inimicitia, non tenetur offensus remittere satisfactionem, nec damni reparationem: quia ad utramque habet jus strictum, & utrique debet offensor ex justitia satisfacere. Imo aliquando nec convenit, nec potest offensus illas condonare, ut si est membrum communitatis, cujus honori, aut læsioni cedere non valet. Si est pater familias per cujus inhonorationem, aut dispendium læduntur filii, & sic de aliis. Adverte tamen, quod avidus recuperandi honorem illum sæpe plus amittit cum magno domus suæ, & filiorum dispendio.

77. Si offensor adæquatam offerat satisfactionem, & damni compensationem, debet offensus illam admittere, quin judicialiter eam exigat: quia solum habet jus, ut sibi honor, & damnum adæquate reparetur, ergo oblato hoc ab offensore, nihil amplius offensus valet juste exigere. Fatemur, quod si offensus peteret coram judice vindictam unica, & sincera intentione emendationis offensoris, vel ad justum terrorem aliorum malefactorum, vel ex motivo boni communis, aut pacis, & quietis reipublicæ, abs dubio licere illi eam exigere. Sed *quis est hic, & laudabimus eum? Eccl.* 31.

CAPUT II.

De eleemosyna, & correctione fraterna.

PUNCTUM I.

De eleemosyna.

78 ELeemosyna vox græca est, quæ latine dicitur *miseratio*, seu *misericordia*. Misericordia autem originem ducit a *miseria*, & *corde*, seu *misero-corde*. Est duplex, alia propria hominum, quia movetur ex compassione, seu tristitia alterius miseriæ, & nequit competere Deo, ut ex se patet. Alia, quæ proprissime convenit Deo, quia non ex compassione, sed ex mera bonitate movetur, quæ sic describitur: *Voluntas sublevandi alienam miseriam*. Hæc inter virtutes nobilissima est, & pene æquat charitatem. Distinguitur tamen ab ea in nobis, quia charitas succurrit pauperi immediate propter Deum; misericordia vero subvenit immediate propter bonitatem intrinsecam miserationis: Unde distinguntur specifice charitas, & misericordia propter distinctas rationes formales.

79. Inq. 1. Quid sit eleemosyna? R. est *opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum*. Vel *sublevatio alienæ miseriæ ex compassione propter Deum*. Dicitur *opus*, ut significetur esse actum exteriorem, *quo datur aliquid indigenti*, ad significandam materiam circa quam, scilicet passivam indigentiæ sublevationem, *ex compassione*, ad denotandam rationem formalem misericordiæ nostræ, *propter Deum*, ut in-

notescat imperium charitatis, cui subjicitur misericordia. Unde constat essentia eleemosynæ, & hanc esse actum imperatum a charitate, & elicitum a virtute misericordiæ. Cæterum si intendas alienam miseriam sublevare ex animo satisfaciendi Deo pro peccatis, erit actus imperatus a pœnitentia; si vero ordinetur ad cultum divinum, erit actus imperatus a religione, & sic de aliis. Licet autem omnium virtutum actus valeant imperari a charitate, eleemosyna potissime dicitur actus charitatis, quia majorem propinquitatem, & influxum habet cum illa, in qua præcipue charitas refulget.

80. Inq. 2. Quotuplex sit eleemosyna? R. est duplex, una corporalis, alia spiritualis. Utraque septem habet actus principales, qui communiter in vulgari catechismo quatuordecim *opera misericordiæ* dicuntur. Septem corporales sunt, pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, hospitare peregrinum, visitare infirmum, redimere captivum, & sepelire mortuum. Septem spirituales sunt, docere ignorantem, consulere dubitantem, corrigere errantem, solare tristem, remittere injurias, alienas infirmitates tolerare, & pro omnibus orare. Et licet alia misericordiæ opera dari possint; tamen quia ad præfata reducuntur, ea tantum enumerat D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 2. duplici versu sequenti:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Sub verbo *consule* duo comprehenduntur, & consilium indigenti dare, & docere ignarum.

81. Inq. 3. An eleemosyna spiritualis præstantior sit corporali? R. affirm. quia eleemosyna spiritualis nobilius respicit objectum, nempe animam, ideoque sicut anima præstantior est corpore, ita eleemosyna spiritualis secundum se, & absolute melior, & magis meritoria est, quam corporalis, ut docet D. Thom. *a.* 3. Verum aliquando eleemosyna corporalis spirituali præferenda est, ut dum quis fame moritur, potius pascendus, quam docendus est, *ait Ang. ibi.*

Punctum II.

De præcepto eleemosynæ.

82. Inq. 1. An detur præceptum largiendi eleemosynam? R. Dari præceptum naturale, & divinum de eleemosyna facienda. Naturale, quia ipsa lex naturalis exigit, ut diligamus proximos, non tantum verbo, & lingua; sed opere, & veritate, subveniendo illis in necessitate. Et similiter, ut, quod tibi vis, alteri facias. Præceptum divinum constat ex cap. 15. Deuth. *Ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi.* Et ex Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum . . . Esurivi enim, & non dedisti mihi manducare.* Constat etiam ex SS. PP. & est expressum in D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *a.* 5.

83. Inq. 2. Quando obliget præceptum eleemosynæ? Pro resolutione observandum est 1. Necessitatem esse triplicem, nempe *extremam, gravem, & communem. Extrema* est, quando proximus est in periculo proximo, vel probabili vitæ propriæ, aut suorum amittendæ. Ad hanc reducitur gravissima, ut periculum perpetui carceris, mutilationis principalis membri, morbi incurabilis, aut captivitatis periculosæ. Necessitas *gravis* est, quæ hominem constituit in notabili periculo patiendi grave damnum in corpore, honore, fama, statu, vel re familiari. *Communis* est, quam communiter pauperes patiuntur, cui occurrere per se ipsos valent cum aliquali sollicitudine emendicando, vel alio modo sibi non incongruo.

84. Observandum est 2. Bona quibus prædictæ necessitates sublevantur esse etiam in triplici differentia. Alia enim sunt necessaria ad sustentationem vitæ propriæ, & suorum. Alia ad statum decentem conservandum. Alia denique sunt superflua, quia neque ad vitæ, neque ad status conservationem sunt necessaria. Dari autem hæc bona superflua, præter quotidianam experientiam, constat etiam ex propos. 12. damnata ab Innocent. XI. *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tene-*

netur tantum ex superfluo statui. Quibus suppositis, triplici paragrapho resolvitur dubium.

§. I.

De necessitate extremâ.

85. Dicendum est 1. præceptum eleemosynæ obligare non solum ex superfluis, sed etiam ex necessariis statui, aut cum aliquo ejus detrimento in extrema, aut quasi extremâ necessitate proximi. Tum, quia si præceptum eleemosynæ aliquando obligat, potissimum in extrema, aut quasi extrema necessitate indigentis. Tum, quia in ordine charitatis vita proximi potior est, quam status personæ, ergo cum aliquo detrimento status teneris subvenire extreme indigenti. D. Thom. *a.* 5.

86. Inq. 1. An cum notabili detrimento status tenearis succurrere extreme indigenti? R. cum distinctione: vel necessitas est communis, vel particularis. Quando necessitas extrema communis est, debet etiam cum detrimento gravissimo status subveniri: ut si oppidum, civitas, aut regnum periclitaretur: quia bonum commune particulari præferri debet. Eadem ratione, si persona extreme indigens esset multum necessaria reipublicæ, aut Ecclesiæ, subveniri debet cum detrimento notabili proprii status. Vel necessitas est particularis, & tunc nemo obligatur ad subveniendum cum gravissimo detrimento sui status; nec tenetur ex nobili plebejum, nec ex divite mendicum fieri.

87. Ex dictis sequitur, quod non tenearis in extrema necessitate proximi adducere medicos distantes, nec medicinas exquisitas, aut copiosas divitias pro his consumere: quia hæc sunt media extraordinaria pro salute proximi conservanda, quæ nec pro vita propria tenetur quis adhibere. Verum est, quod si quis esset solus, & prudenter speraret ab infirmitate se posse liberari plures pecunias in medicis, & medicinis insumenda, proculdubio ad hoc teneretur, quia cum nulli præjudicium afferat, vita propria omni sumptu, & pecunia pretiosior est. Nihilominus tenentur divites, & nobiles restringere fastum, & luxum familiæ, ut pauperibus extreme indigentibus charitate christiana succurrant. Debent enim id efficere cum aliquo detrimento sui status, ut supra diximus. Nullus tamen tenetur quærere in hospitalibus, aut aliis locis extreme indigentes ad eis subveniendum; nisi ex officio eos quærere incumbat, ut Episcopis, Parochis, Judicibus, & Magistratibus.

88. Inq. 2. An ex necessariis ad propriam vitam teneatur quis subvenire extreme indigenti? R. neg. quia vita propria alienæ præferri debet: & in pari necessitate charitas bene ordinata incipit a se ipsa; nisi alias extreme indigens bono communi sit necessarius. D. Thom. *art.* 6.

89. Inquires 3. An satisfaciat præcepto eleemosynæ, qui extreme indigenti commodaret, mutuaret, aut venderet ad creditum rem, qua indiget? R. quod in extrema necessitate absoluta non satisfit præcepto, nisi per donationem absolutam rei. Primo, quia extreme indigenti jure naturæ debetur res, qua indiget, ergo injuste imponitur ei obligatio restitutionis, aut solutionis. Secundo, quia Scriptura, & Patres nomine eleemosynæ donationem absolutam intelligunt. Tertio, quia oppositum est parum pium, nam cum præceptum eleemosynæ obligat, gratuitam donationem jubet.

90. Si vero necessitas fuerit respectiva, satisfit præcepto per commodatum, mutuum, aut venditionem rei, quia sic indigens non est pauper absolute, sed respective, ergo non habet jus ad absolutam donationem. Unde si proximus in extrema necessitate solum indiget usu rei, non teneris eam absolute donare: ut si indigeat equo ad evadendum mortis periculum, hoc transacto, debet equum reddere domino. Necessitas *absoluta* illa dicitur, in qua homo constitutus nullibi habet, nec sperat bona, quibus talis necessitas sublevetur. *Respectiva* est, quando indigens, licet non hic, alibi tamen habet, vel sperat sufficientia bona, per quæ a necessitate liberetur.

91. Inq. 4. An sit licitum cuilibet accipere ab aliis in extrema necessitate, quod sibi est necessarium? R. affirm. quia

quia in necessitate extrema omnia sunt communia. Ideoque suum accipit, non alienum; nec dicitur furari, licet clam accipiat. Duo tamen observari debent: primum, quod non amplius accipiatur, quam quod necessarium sit ad necessitatem sublevandam, & siquid supersit ex acceptis, domino reddat. Secundum, quod dum commode possit, prius postulet, quod sibi necessarium videtur. D. Thom. 2. 2. *q.* 7. *ad* 3.

92. Inq. 5. An si quis furatus est rem alienam, & postea constitutus in extrema necessitate illam comsumpsit, teneatur ad ejus restitutionem, si ad meliorem frugem perveniat? R. affirm. sive illam consumpserit in necessitate respectiva, sive absoluta. Et quidem in respectiva apud omnes est compertum, ut ex dictis patet. In absoluta etiam videtur probabilius: & probatur exemplo ejus, qui furatur rem alienam, quæ absque ulla culpa periit, quam proculdubio restituere tenetur, ergo similiter in præsenti. Durum quippe videtur, alienumque a ratione, eum, qui apud Indos furatus est notabilem quantitatem, quam hic in extrema necessitate consumpsit, si postea ad meliorem statum pervenerit, liberum esse a restitutione, & potiori ratione si alienas res cum propriis permiscuit. Idem dicendum est, si res consumpta in extrema necessitate fuit antea mutuata; e contra vero si fuit commodata. Quia in mutuo acquisivit dominium cum obligatione tantumdem reddendi ante extremam necessitatem; cujus oppositum contingit in commodato, ubi per ipsam necessitatem factus fuit dominus rei, quam licite apud se habebat.

93. Inq. 6. An in extrema necessitate obligatio eleemosynæ sit tantum ex charitate, verum etiam ex justitia? R. obligationem eleemosynæ tantum esse ex charitate, non vero ex rigorosa justitia: quia ex eo quod alius sit in extrema necessitate, dominus rei non amittit ejus dominium, ergo non tenetur illi tribuere ex rigorosa justitia. Ex quo infertur, quod violans præceptum eleemosynæ in extrema necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia solum ex violatione justitiæ oritur obligatio restitutionis. D. Thom. *a.* 1.

94. Objic. 1. Teneris ex justitia non impedire extreme indigentem, qui rem tuam vult sibi accipere, ergo ex justitia teneris illam ei tribuere, teneris enim ex justitia tradere rem illi, qui jus strictum habet illam accipiendi. R. neg. conseq. nam extreme indigens habet quidem jus ad rem capiendam, quam post captionem, & non antea facit suam, ideoque teneris ex justitia illum non impedire a captione rei; non tamen ad eam illi tradendam, ad hoc enim sola charitas, non justitia te obligat.

95. Objic. 2. Nemo potest licite accipere rem, quam alius tantum ex charitate tenetur ei dare; sed extreme indigens potest licite accipere rem alterius; imo si impediatur vi, & armis se defendere usque ad occisionem illius, ergo iste tenetur ex justitia eam illi dare. R. neg. major, quæ fallit in extrema necessitate, in qua omnia fiunt communia, ita ut sint ejus, qui ea primus apprehenderit: habet ergo extreme indigens jus ad rem apprehendendam; non tamen rei dominium, quod cum ante apprehensionem remaneat apud dominum, iste nullum rigorosum jus violat per hoc, quod eam illi non tribuat. Non loquimur hic de Superioribus, & aliis, quibus ex officio incumbit alterius mortem, vel grave damnum impedire, isti enim ex justitia tenentur aliorum necessitatibus subvenire. Nec de ecclesiasticis, de quibus postea.

§. II.

De necessitate gravi.

96. Dicendum est 2. Omnes teneri eleemosynam facere non solum ex superfluis ad statum, sed etiam ex necessariis ad ejus decentiam, & splendorem in gravi necessitate proximi. Ita D. Tho. 2. 2. *q.* 32. *a.* 5. *ad* 3. *& alibi*. Ubi duplicem agnoscit eleemosynæ radicem: aliam ex parte dantis, nempe superfluitatem, aliam ex parte recipientis, nempe necessitatem. Ergo ubi adest superfluum, & necessitas gravis, ex utraque radice obligat præceptum eleemosynæ.

97. Quod autem ex superfluis ad statum

tum obliget eleemosyna in gravi necessitate, probatur 1. ex parabola servi, qui *Matth.* 18. damnatus est ex eo, quod in gravi necessitate conservi sui non est illius misertus, ergo in tali necessitate obligat præceptum eleemosynæ. Probat. 2. Quia ordo charitatis postulat defendere, ac præservare honorem, ac statum proximi, cum absque detrimento id fieri valet; sed nullum detrimentum vitæ, aut status proprii patitur, qui superflua erogat, ergo debet ex charitate illa tribuere proximo in gravi necessitate constituto.

98. Quod vero etiam ex necessariis ad splendorem status debeas succurrere gravem necessitatem patienti, probatur, quia omnes tenemur sub lethali proximum liberare a gravi malo, dum possumus absque gravi detrimento proprio; sed minuere aliquatenus splendorem status non affert grave detrimentum, & alias contra pietatem christianam est, te voluptuose vivere, laute epulari, & splendide indui, aspiciendo proximum fame, nuditate, gravique inopia opprimi, ergo teneris ex charitate in tali casu illi subvenire, ne damneris cum divite epulone Evangelii. Hoc declamant SS. Patres: hoc postulat ordo charitatis: Hoc commendant Scripturæ sanctæ: Et præcipue 1. *Joannis cap.* 3. ubi dicitur: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

99. Objic. 1. Si dicta vera sunt, fere omnes divites, eorumque Confessarii damnarentur; cum passim oppositum ab illis videamus, ergo. R. Hujus objectionis solutionem dedisse Salvatorem nostrum dicens: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Matth.* 19. Et docens Confessarios, & Consiliarios, ne sint cæci duces cæcorum, dixit: *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt, cap.* 15.

100. Objic. 2. Si peccarent divites superflua retinendo in gravi necessitate proximi, peccarent etiam acquirendo ea, vel pro filiis in statu collocandis, vel pro Ecclesiis edificandis, vel pro assequendo altiori statu, ergo. R. neg. sequelam: nam licet divites peccent in avara retentione superflui; non tamen in prudenti sollicitudine illud acquirendi, & conservandi. Quod autem retinetur pro filiis collocandis, non est superfluum. Idemque dicimus de necessariis ad congruum, & moderatum statum altiorem consequendum; dummodo cupiditati honestus finis præstituatur. Quod attinet ad Ecclesias edificandas, ordo charitatis inspiciendus est: Nam si templa, aut monasteria necessaria sint ad populi salutem, vel ad sacra peragenda, præferri debent particulari necessitati; sin autem, gravis necessitas proximi præferenda est, subveniendo potius templis vivis, quam materialibus.

101. Inq. 1. An in necessitate gravi licitum sit furari id, quod sibi necessarium videtur? R. neg. quia ex opposito magna inconvenientia sequerentur, & aperiretur janua pluribus latrociniis: quare merito damnata est ab Innocentio XI. prop. 36. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Igitur in extrema necessitate licitum est accipere aliena, quia tunc omnia bona sunt communia, quod non contingit in gravi.

102. Unde probabilius judicamus non licere de alienis necessaria accipere, cui dedecus magnum esset mendicare: nec puellæ in periculo amittendi pudorem ob inopiam constitutæ: quia in utroque casu adest necessitas gravis; non tamen extrema, aut gravissima: in quibus tantum ordo charitatis permittit accipere de alienis necessaria.

103. Inq. 3. An hæres in gravi necessitate excusetur a solutione legati pro celebratione Missarum pro animabus purgatorii? R. neg. quia animæ purgatorii majori necessitate gravantur: nam si necessitas hæredis consistat in eo, quod conjiciendus est in carcerem, acerbior carcer est purgatorium, Solvat, & solventur.

§. III.

De necessitate communi.

104. Dicendum est 3. in communi necessitate pauperum teneri divites ex superfluis eleemosynas facere. Probatur 1. ex D. Luca cap. 11. *Quod superest, date eleemosynam.* Probatur 2. ratione, quia divisio rerum communi consensu gentium facta non debet esse in præjudicium pauperum; sed si habentes superflua non tenerentur ea in pauperes expendere, esset in præjudicium eorum, qui inopia perirent, si divites illa retinere licite possent, ergo non possunt, & consequenter tenentur illa in pauperes expendere juxta unius cujusque facultates, ut dicitur *Tobiæ 4. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

105. Inq. 1. Quando erit peccatum grave denegatio eleemosynæ in communi necessitate? R. Quod si dives animum haberet numquam dandi eleemosynam pauperibus passim obviantibus, mortaliter peccaret: quia talis animus est quædam gravis inordinatio contra charitatem, & humanam pietatem. Verum qui aliquibus præbet, licet aliis deneget, non peccat graviter; imo interdum nec leviter: quia non est obligatio dandi omnibus, & singulis, sed aliquibus, pro ut sibi placuerit, & charitas dictaverit. Nec similiter committit peccatum leihale, licet aliquando communem pauperem asperis verbis a se repellat; nisi asperitas verborum esset nimis excessiva, aut injuriosa. Nec tenentur divites omnia superflua pauperibus præcise erogare; sed possunt in alios pios usus aliquid expendere, aut reservare: quia præceptum eleemosynæ in communi necessitate non obligat singulos in individuo; sed generaliter omnes divites, ex quibus si singuli aliquid elargiantur, communi necessitati sufficienter subvenitur.

106. Inq. 2. An peccet graviter, qui multum thesaurizat, & parum, dum vivit, indigentibus erogat, eo animo, ut post ejus mortem totum distribuatur in pauperes, aut ad virgines dotandas, ad erigendum monasterium, hospitale, vel aliud opus pium? R. Hunc degere in continuo peccato mortali: quia præceptum eleemosynæ obligat non tantum in morte, sed præcipue in vita; imo magis meritoria est in vita, quam in morte: in qua plus videtur necessaria, quam voluntaria. Tenentur ergo similes ad faciendas eleemosynas in vita secundum gradum suarum facultatum. Neque eximuntur ab hac obligatione per intentionem eas distribuendi post mortem: quia hæc intentio non salvat gravem præcepti transgressionem. Verum si, dum vivunt, decentes eleemosynas faciant secundum exigentiam necessitatum, qui magnam pecuniæ copiam sine alterius præjudicio congregant, ut, ipsis adhuc viventibus, aut post eorum mortem aliqua pia opera fundare valeant, laudabiliter se gerunt: quia isti necessitatibus occurrentibus sufficienter in vita satisfaciunt.

207. Inq. 3. An Princeps, seu Magistratus prohibere valeat, ne peregrini, aut exteri pauperes in sua ditione postulent? R. affirm. si hoc efficiant, ne exteri in suis ditionibus inveheant morbos, dissidia, proditiones, aut quid simile: vel quia pauperibus propriis non posset alias sufficienter subveniri: Nam ordo charitatis postulat, ut suis potius consulatur, quam extraneis. Cæterum nequit prohibere peregrinis, ne transeunter eleemosynam exposcant: quia hoc inhumanum, & alienum prorsus a charitate esset: nisi alias peste infectis accessus ad suam ditionem prudenter ad tempus recludatur.

108. Inq. 4. An Judices possint subditos compellere ad erogandam eleemosynam, quoties illam facere ex præcepto tenentur? R. affirm. quia judices habent potestatem ad compellendum subditos, ut faciant, quidquid conducit ad bonum commune; sed elargiri eleemosynas valde conducit ad bonum commune, ergo ad id possunt subditos compellere. Unde apud omnes valde laudabile est, & prudentissimum reipublicæ regimen construere xenodochia publica, in quibus per cives juxta cujusque facultatem pauperes alantur. Quod etiam apud

Gen-

Gentiles præclare invaluit, diciturque. Lycurgum Regem Lacedemoniæ xenodochiorum fuisse inventorem in favorem pauperum. Verum certius est, quod Abraham fuit hospitalitatis primum exemplar, & quod ex sacra pagina etiam gentiles didicere documenta charitatis, & misericordiæ erga pauperes. Locus similiter, quo anima Christi descendit e cruce, & ubi erant animæ sanctorum patrum, & pauperis Lazari, ex illius hospitalitate dicitur Sinus Abrahæ juxta S. Petrum Chrysol. *Serm.* 42.

Punctum III.

Qui possint, & teneantur facere eleemosynam.

Tres sunt species personarum, quæ eleemosynam dare queunt, nempe sæculares, ecclesiastici, & regulares, de quibus in triplici paragrapho breviter disseremus.

§. I.

De sæcularibus.

109. Dicendum est omnes sæculares, qui bonorum suorum dominium, & plenam administrationem habent, posse, & debere eleemosynam facere juxta dicta punct. antecedenti: quia eleemosyna est liberalis donatio; sed solum omnes, qui habent dominium, & plenam administrationem rei, possunt donare, ergo etiam eleemosynam elargiri. Hæc autem resolutio intelligitur extra necessitatem extremam, quia dum hæc adest, quilibet ex quibuscumque bonis potest, & debet proximo subvenire.

110. Ex quo sequitur 1. uxorem posse ex bonis paraphernalibus eleemosynas facere: quia habet dominium illorum, & administrationem. Imo & de aliis bonis secundum consuetudinem mulierum suæ conditionis, ex tacita mariti licentia. Idem potest de aliis bonis, quæ præter dotem servavit ad suos usus, quorum in Reg. nis Castellæ administrationem habet, & de aliis, quæ conceduntur a marito pro sumptibus extraordinariis, & voluntariis, vel de iis, quæ propria arte, vel industria lucratur, si sufficientem dotem secum detulit. Etiam de bonis quorum administratio, imo & dominium est apud maritum, potest uxor eleemosynas facere, tum ad avertendum malum, sive spirituale, sive temporale proprium, vel mariti, aut familiæ, ut prudenter fecit Abigail cum David. Tum ad alendos, & subveniendos parentes, & filios ex alio matrimonio habitos, & etiam ad fratres suos, & mariti: quia ad decorem utriusque attinet, ne fratres suos emendicare permittant. D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *a.* 8. *ad* 2.

111. Sequitur 1. Quod filius familias eleemosynas facere potest de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quorum dominium, & administrationem habet. Et etiam de bonis parentum sibi traditis ad honestam recreationem, & alios usus honestos, & semper ac præsumitur voluntas parentum. Idem dicimus de pupillis, & minoribus, tutores vero, & curatores possunt, & debent facere eleemosynas juxta conditionem pupilli, & minoris, & eorum facultates. D. Thom. ibid.

112. Sequitur 3. Quod servi, & famuli eleemosynas facere nequeunt nisi ex aliqua actione personali, qua nihil defraudent dominis: vel ex aliqua re propria, utcumque sit: Vel quando clare præsumitur voluntas domini. D. Thom. ibid.

§. II.

De ecclesiasticis.

113. Circa obligationem ecclesiasticorum ad elargiendam eleemosynam supponendum est 1. Bona ecclesiasticorum esse in triplici differentia. Alia *patrimonialia*, quæ successione, donatione, aut labore proprio comparantur. Alia *quasi patrimonialia*, quæ obveniunt intuitu alicujus ministerii ecclesiastici, ut prædicationis, lectionis, aut alterius actionis personalis. Alia sunt denique *mere eccle-*

siastica, quæ ex beneficio percipiuntur, ut annui redditus ex præbendis, aut capellaniis, & fructus ex decimis, & primitiis.

114. Supponendum est 2. ex bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, eodem modo ac sæculares, teneri ecclesiasticos ad eleemosynam. Quia hæc bona computantur ut temporalia, vel data a fidelibus in stipendium operis impensi. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. Quare præcipua difficultas est de aliis bonis pure ecclesiasticis, pro qua:

115. Dicendum est omnes ecclesiasticos, etiam summum Pontificem, & Episcopos teneri omnia bona ecclesiastica superflua, seu quæ supersunt ex sua congrua sustentatione, pauperibus erogare. Ita Concil. Triden. *sess.* 25. *de reform. cap.* 1. Ubi interdicit omnibus ecclesiasticis, etiam Cardinalibus, & Episcopis augere consanguineos, familiaresve suos ex redditibus Ecclesiæ, nisi pauperes sint; in quo casu permittit illis, ut pauperibus, distribuere: *Quia res ecclesiasticæ sunt Dei*; Quapropter solum in pauperes, aut alios pios usus impendi debent.

116. Explicatur amplius: Concilium non solum interdicit clericis expendere bona ecclesiastica in usus prophanos, sed causam declarat, & rationem reddit, nempe quia sunt *res Dei*, ergo non solum ex charitate, sed ex ipsa natura rerum oritur obligatio ea distribuendi tantum in pauperes, aut alios usus pios. Unde ulterius sequitur, in hoc Pontificem non posse dispensare: quia non est de mero jure ecclesiastico, sed de jure naturæ, quo ecclesiastici astringuntur omnia superflua in pauperes erogare.

§. III.

De hujus obligationis qualitate.

117. Inq. An clerici non solum ex debito charitatis, & ex jure positivo Tridentini; sed etiam ex justitia teneantur bona ecclesiastica, quæ suæ decenti sustentationi supersunt, expendere in pauperes, & alios pios usus? Circa hanc satis implexam quæstionem quatuor præcipuas invenimus sententias inter graviores authores. Prima asserit, ecclesiasticos, non dominos, sed dispensatores esse horum bonorum, unde si in alios usus, quam necessarios, & pios expendant, graviter peccant, & ad restitutionem tenentur. Ita S. Raymundus, Gratianus, Navarrus cum fere omnibus canonistis, Alexander Alensis, Henricus, Major, & alii. Secunda affirmat ecclesiasticos esse dominos portionum, quæ singulis applicatæ sunt; teneri tamen ad eleemosynam titulo justitiæ. Ita Paludanus, S. Antoninus, Petrus de Soto, Martinus Ledesma, & Araujo. Tertia sententia est Cajetani docentis idipsum, quod secunda, quando fructus, & proventus Episcopi, & clericorum sunt valde pingues, ut passim cernitur in Hispania in pluribus prebendis, & dignitatibus, licet non desint clerici, & ecclesiæ valde pauperes. Quarta opinio tenet Episcopos, & clericos esse dominos fructuum beneficiorum, ita ut solum ex charitate superflua erogare pauperibus teneantur. Ita Soto, Bañes, Petrus Ledesma, Serra, Lorca, Corduba, Prado, & alii tam intra, quam extra scholam D. Thomæ: quibus subscripserunt N. Salmanticenses morales, supposita divisione bonorum ecclesiasticorum.

118. Divisionem istam aliqui attribuunt S. Silvestro. Alii Simplicio Papæ, *in cap. de reditibus, caus.* 12. *q.* 2. Ubi fructus, seu proventus Ecclesiæ in quatuor partes divisit, propter negligentiam Episcoporum in recta, & fideli distributione eorum. Antea enim omnes clerici in communi vivebant, ab Episcopis que omnia bona Ecclesiæ a fidelibus oblata, singulis pro qualitate meritorum distribuebantur. Reliquum Ecclesiæ fabricæ, & pauperibus sublevandis signabatur. Frigescente vero charitate, invalescenteque avaritia; ad tollendas lites, & quærimonias unam portionem Episcopis assignavit, aliam clericis pro meritis eorum, tertiam fabricæ, quartum pauperibus.

119. Pro decisione autem ingenue fa-

te-

temur mentem D. Thom. esse saltem ambiguam in hac parte : idem plane fatetur Genettus. Unde provenit divisio etiam inter ejus discipulos, ut, omissis antiquis, videre licet inter P. Billuart, & P. Concinam, qui nimio ardore objurgat illum asserentem sanctum Doctorem stare pro sententia benigna *Quodlib.* 6. *q.* 7. *art.* 12. sed quidquid sit de eorum acri disceptatione, quod probabilius nobis apparet, sequenti exponimus resolutione.

120. Dicendum est, quod licet clerici habeant aliquod dominium bonorum ecclesiasticorum, quæ singulis sunt applicata, teneri tamen ex justitia expendere in pauperes, & pias causas ea, quæ ipsorum congruæ sustentationi supersunt, tamquam fideles dispensatores; itaut secus facientes restituere teneantur. Hæc resolutio quoad hanc præcipuam controversiæ partem est primitivæ Ecclesiæ quindecim sæculorum præscriptione munita, & SS. Patrum, ac Pontificum authoritate undequaque conclamata, veriorque, & conformior divinis litteris, sacris canonibus, traditionibus ecclesiasticis, & juxta plures ejus alumnos etiam menti D. Thomæ accuratius inspectæ.

121. Probat. authoritate S. Bernardi, qui *epist.* 2. *ad Fulc.* dicit : *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Ergo id, quo clericus indiget pro victu, & congrua, suum est, id autem quod inde superest, alienum est, pauperum est.

122. Prob. ratione : qui rem alicui ex natura sua debitam illi non tribuit, vel alio distrahit, injustitiam committit, & ad restitutionem tenetur ; sed quod superest clericis ex proventibus ecclesiasticis, debetur ex natura sua pauperibus, aut causis piis : quia est *res Dei*, ut ait Concil. Trident. & *patrimonium Christi, & pauperum*, ut dicunt SS. P. P. ergo si clerici hoc patrimonium in usus profanos expendant, injustitiam committunt, & ad restitutionem tenentur. Conseq. videtur legitima, major est principium elementale in sacra Theologia, minor vero conceditur ab omnibus doctoribus, exceptis Lorca, & Lessio, qui contendunt hanc obligationem clericis provenire ex jure positivo Tridentini, sed merito a cæteris improbantur. Ex natura igitur rei oblatæ Deo, aut Ecclesiæ oritur dicta obligatio, proindeque ex justitia, admodum quo, si quis fiat hæres agri gravati pensione dandi tantum pauperibus, erit utique dominus agri, sed sub illa obligatione justitiæ, quæ cum ipso agro transit ad quemvis hæredem : Ita sua proportione clericus, qui voto paupertatis non se astrinxit, fit dominus fructuum sui beneficii sub præmissa obligatione. Vid. Synod. lib. 7. cap. 2.

§. IV.

Satisfit objectionibus.

123. *Objic.* Clerici saltem in Gallia, & Hispania valide, & licite condunt testamenta ; sed non possent illa ita condere, si superflua pauperibus, aut causis piis tribuere ex justitia tenerentur, ergo non est talis obligatio. R. Hoc argumentum in primis nihil favere Episcopis, qui ut observantiores sacrorum canonum non testantur. Deinde neque favet clericis ex jure communi, in quo prohibetur eorum testamentum. In Gallia ergo, & in Hispania ex consuetudine testantur clerici ad causas pias, quod omnibus conceditur in cap. *Relatum de testam.*

124. *Instabis*, quod Superiores, & leges Castellæ tolerant, & approbant testamenta a clericis facta, etiam ad consanguineos, vel alios hæredes instituendos, ut patebit ex dicendis in tract. de testam. ergo signum est, quod etiam ad causas prophanas possunt licite, & valide testari.

125. R. 1. hoc argumentum nullatenus valere clericis attento jure communi, cui standum est, ubi non prævalet contraria aliqua lex, consuetudo ab omnibus approbata, vel dispensatio tacita, aut expressa. In Italia expresse dispensa-

savit Paul. V. in lege Concilii Lateran. III. *Cum in officiis.* ut clerici illius Nacionis conderent testamenta eodem modo ac laici.

126. In Hispania adest consuetudo antiquissima lege approbata, qua disponitur bona clericorum decedentium applicari debere hæredibus, ex testamento vel ab intestato, ut in tract. de testam. pag. 504. n. 236. dicemus. Quæ consuetudo immemorabilis approbata lege Regia habet vim mutandi rerum temporalium dominia, consentientibus Legislatoribus canonico, & civili, ut videre licet in bonis decimalibus pluribus laycis concessis, de quibus hoc idem asseritur a D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *a.* 3. *ad* 3.

127. Nostra autem doctrina vera est atento jure canonico. *cit. de testam.* cap. 1. ubi sic habetur. *Quidam clerici cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt. Hoc igitur quia antiquis canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decedant, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* Durus est hic sermo.

128. Sed durius fuit, quod expertus est infelix ille Cansellarius Parisiensis, qui post mortem apparens suo Episcopo ita exclamavit: *Ego sum reprobus ille Philipus, & ignorans Ecclesiasticus, qui propter tria damnatus sum in eternum: 1. quia mors invenit me plenum bonis, & redditibus ecclesiasticis cum prejudicio pauperum &c.* Cave ergo ne simile tibi contingat.

129. R. 2. Doctissimum Sotum, qui fere inventor oppositæ sententiæ putatur, serio monere Confessarios, quod clericis violatoribus præcepti eleemosynæ per modum sacramentalis satisfactionis *largissimas eleemosynas* imponant: *eodem prope modo, ac si lege justitiæ ad restitutionem tenerentur.* Quid autem interest, non teneri restituere ex præcepto justitiæ, si tenentur ex præcepto Confessarii? Hoc profecto demonstrat oppositam sententiam non omnino esse securam. Porro Paulus Comitolus dicit: *contrariam opinionem esse novam, ac periculosam, post mille, & quingentos annos in Christi Ecclesiam invectam.* Archidioconus dicere non dubitavit: *contrariam opinionem esse juris hæresim.* Petrus Sotus celeberrimus theologus inquit: *Contrarium credimus errorem gravissimum, saltem contra bonos mores, & justitiam: quidni etiam contra scripturam?*

§. V.

Alia dubia de eadem materia.

130. Inq. 1. Unde restituere debeat clericus male impensa, maxime si nihil habeat præter redditus beneficii, qui ex se debentur piis operibus? R. si habeat bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia, debet ex illis tantum pauperibus restituere, quantum ex proventibus ecclesiasticis in convitiis, ludis, canibus, pompa, & luxu prodegit. Si autem patrimonialibus careat, nec alia habeat, curet partius vivere, & plus deservire Ecclesiæ ad restituendum. Tandem si nullo modo valeat, impotentia physica, aut moralis illum liberat ab onere restitutionis.

131. Inq. 2. Cujus loci pauperibus debeat clericus subvenire? R. Episcopos debere succurrere pauperibus totius Dioccesis, omnium enim est pastor, & parens, & de omnibus debet curare, solicitudinemque suam, & charitatem cunctis ostendere. Idem intelligas de Parocho respectu suæ Parœciæ. Cæteri beneficiati, & canonici congruentius distribuere debent inter pauperes loci, in quo funguntur beneficio; imo hoc faciendum necessario est, si ibi occurrant graves necessitates. Istis vero seclusis, non est gravis inordinatio alios pauperes sublevare. Dum autem in majus bonum commune cederet, alibi superflua expendere, convenientius erit hoc facere: ut ad scholasticos inopes in universitate alendos, ad fundanda monasteria, collegia, vel quid simile.

132. Inq. 3. An pensionarii teneantur

su-

superflua in pia opera expendere ? R. Pensionarios clericales proprie tales teneri eodem modo, ac alii beneficiarii superflua pauperibus erogare. Nota vero differentiam pensionum ; non enim omnes sunt proprie clericales, ut dicimus tract. de beneficiis.

133. Supposita autem proprietate pensionis , ratio assertionis est , quia hæc obligatto est annexa redditibus beneficiorum ; sed pensio est portio extracta ab eadem massa beneficii , ergo transit cum eadem obligatione , & onere superfluum in pios usus expendendi. Hoc autem non intelligitur de cantoribus , & aliis , quibus in stipendium laboris personalis aliquid ab Ecclesia confertur : quia hoc inter bona patrimonialia , aut quasi patrimonialia computatur.

134. Inq. 4. Quantum possit clericus sibi ex redditibus beneficii pro decenti sustentatione computare , ut redundans in pia opera teneatur expendere ? R. Hoc decerni debere juxta arbitrium viri prudentis , & timorati , inspectis circumstantiis temporis , loci , abundantiæ , aut inopiæ , personæ , gradus , conditionis, & meritorum : ita ut non solum honeste possit vivere ; sed etiam illa decenti habitatione , & suppellectili , quæ personæ , & statui juxta morem regionis congruit.

135. Poterit etiam clericus aliqua moderata convivia amicis , & consanguineis, & aliquas donationes remuneratorias , & liberales , quæ expediunt suo statui , facere , ad conciliandos animos , & ad benevolentiam ostendendam. Similiter parentibus , & consanguineis donare , ut non indigeant ; nullatenus tamen ut ad altiorem statum illos erigant. Poterit eodem modo ex redditibus ecclesiasticis filias , etiam spurias alere , & moderate dotare ; non tamen valet illis ex fructibus beneficii tantum dotis donare , ac si forent legitimæ; aut ex patrimonialibus dotandæ essent.

136. Pro coronide hujus controversiæ placet nobis ob oculos ponere dictum Cardin. Bellarmini , qui controv. 8. & 9. ita ecclesiasticos admonet. : „ *Parum* refert „ utrum Prælatus damnetur ad inferos, „ quia peccavit contra justitiam , an quia „ peccavit contra charitatem , non bene „ distribuendo facultates , solum quæro, „ in quos usus debeat expendere suas ec„ clesiasticas facultates , ut non amittat „ vitam æternam.

§. VI.

De regularibus.

137. Dicendum est 1. Prælatos regulares teneri eleemosynas facere de bonis religionis , quia licet non sint domini bonorum monasterii , habent tamen eorum administrationem cum facultate prudenter ea dispensandi , ergo si superflua habeat monasterium , debet ejus Prælatus ex illis in pauperes distribuere.

138. Inq. 1. An Prælatus teneatur omnia superflua monasterii pauperibus erogare ? R. quod Prælatus in distributione bonorum monasterii proprias constitutiones consulere debet. Apud nos absque notitia clavariorum , nequit toto triennio impendere , etiam in utilitatem conventus , ultra centum , & quinquaginta ducatos. Cumque eleemosyna semper in splendorem conventus , & utilitatem cedere soleat , poterit Prælatus hanc summam per se expendere in pias eleemosynas , præter illas , quæ ad ostium frequenter fiunt. Istas enim semper fieri oportet , & si possibile sit , in dies augeri juxta facultatem monasterii , & secundum majorem , vel minorem necessitatum occurrentiam. Curent Prælati quantum propriæ constitutiones permittant , liberaliter se gerere in eleemosynis faciendis : quia hoc congruit perfectioni status & exemplo , & ædificationi aliorum. Ultra quod , experientia , etiam miraculis confirmata , attestante , eo abundantius Deus illis tribuit, quo ipsi liberalius expendunt cum sua communitate , & pauperibus : in quo sane verificatur , quod Dominus dixit Lucæ 6. 38. *Date , & dabitur vobis*. Vid. in Alapide in hunc textum exemplum gratiosum cujusdam miseri Prælati.

139. Inq. 2. An cæteri religiosi aliquas eleemosynas facere valeant ? R. solus religiosus a Prælato deputatus ad expendendas eleemosynas illas facere debet juxta præscriptum Superioris , & commissionem sibi datam , & non aliter. In extrema necessitate quilibet , consulto

Præ-

Prælato, & si nolit, etiam eo invito, potest subvenire indigenti. In magna autem necessitate solum potest religiosus succurrere pauperi ex consensu probabili Superioris, dum iste adiri non potest: sed postea tenetur illi facti rationem reddere.

140. Similiter monachus iter faciens, vel extra monasterium degens, poterit ex his, quæ sibi ad victum, vel ad usus honestos, vel aliunde accipit ad suam peculiarem utilitatem, aliquas parvas eleemosynas facere juxta consuetudinem suæ religionis, præcipue si proprium peculium habeat ex licentia Superiorum, quod licet a sacris canonibus, & concilio Tridentino severe prohibeatur omnibus religiosis, ex necessitate tamen aliquibus permittitur. Dictis casibus exclusis, nullus religiosus sine Prælati consensu expresso, vel probabiliter præsumpto eleemosynas facere valet: quia per votum paupertatis omni dominio caret. Nec aliud religiosæ paupertati congruit, nisi quod a ministro deputato per Superiorem eleemosynæ monasterii distribuantur. Caveant vero cæteri, ne sint paupertatis rei. D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *a.* 8. *ad* 1.

141. Inquires 3. An regularis beneficiarius teneatur superflua beneficii in pauperes expendere? R. quod regularis beneficiarius, nec dominium, nec usum fructuum liberum beneficii habet, nisi dependenter a voluntate Superioris, qui redundantia ex beneficio tenetur impendere in causas pias juxta decreta sacrorum canonum, & Tridentini. Ipse autem beneficiarius, sive perpetuus, sive ad nutum amobilis debet ex consensu expresso, sive probabiliter præsumpto sui Superioris aliquas facere eleemosynas in loco beneficii, si in eo extra monasterium degat serviens Ecclesiæ. Hoc intelligitur de jure: si vero, ut contendit Pellizarius cum aliis, Pontifex aliter disposuerit, tribuens regulari beneficium, & ejus plenam administrationem in perpetuum, tenebitur regularis omnia superflua pauperibus erogare.

142. Religiosi assumpti ad Episcopatum tenentur potiori ratione omnia superflua in pauperes, & pias causas distribuere: quia licet voto paupertatis astricti maneant, nec ullo gaudeant dominio, habent tamen plenam, & absolutam sui Episcopatus administrationem independenter a voluntate Superiorum ordinis, a quorum obedientia eximuntur per assumptionem ad Episcopatum. D. Thom. *ibi. q.* 185. *a.* 8. *ad* 3.

Punctum IV.

De quibus bonis facienda est eleemosyna?

143. R. faciendam esse ex propriis, & non ex alienis; quia datio eleemosynæ est actus dominii, ergo ex propriis facienda est. Imo non sufficit, quod bona sint propria, sed ulterius requiritur, quod habeat quis bonorum administrationem non impeditam, aut legibus prohibitam. In extrema autem necessitate potest fieri eleemosyna ex alienis, si propria non habeantur, D. Thom. ibi in corp.

144. Inq. 1. An qui simul habet bona propria, & aliena possit extreme indigenti subvenire ex alieno, reservatis propriis? R. neg. quia habens proprium tenetur de eleemosyna; sed eleemosyna facienda est ex propriis, cum habentur, ergo nequit facere de alieno. Unde qui in tali casu ex consilio aliena insumeret, parcendo propriis, ad restitutionem teneretur; quia præsumitur dolus, & sine justa causa accipit alienum.

145. Inq. 2. An ex injuste acquisitis possit fieri eleemosyna? R. si bona acquirantur in mercedem alicujus actionis illicitæ, ut occisionis, fornicationis, & similium sunt materia eleemosynæ: quia per tales actiones acquiritur dominium. Si vero acquirantur furto, rapina, aut usura, & res in specie maneat, nequit ex ea eleemosyna fieri extra necessitatem extremam. Si autem res in specie non existat, & alias ex largitione eleemosynæ impotens non fiat ad restitutionem, potest eleemosyna impertiri: quia tunc ex propriis, & absque alterius damno eam quis facit. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7.

146. Ex bonis fisco addictis ob aliquod delictum potest eleemosyna fieri: quia ante sententiam judicis non privatur dominio suorum bonorum, proindeque potest ex eis eleemosyna fieri; dummodo non fiat in fraudem fisci. Illi etiam, qui

cum

cum pecunia furata, vel per usuram acquisita, ludendo, aut per industriam alias lucrifaciunt, vel acquirunt, possunt ex istis eleemosynam facere: quia verum eorum dominium acquirunt.

147. Objic. 1. Deutheron. 23. *Non offeres mercedem prostibuli in domo Dei tui*, ergo ex turpiter acquisitis nequit fieri eleemosyna. R. negando conseq. quia in Ecclesia Dei non admittitur oblatio ex turpiter acquisitis: tum propter scandalum: tum propter sacrorum reverentiam; non tamen prohibetur ex illis fieri eleemosyna, aut donationes. D. Thom. *ibid.*

148. Objic. 2. Lucæ 16. dicitur: *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis.* Ergo potest fieri eleemosyna ex ablatis, aut usura acquisitis. R. ex D. Thom. loc. cit. *ad* 1. *Sicut Augustinus dicit, illud verbum Domini quidam male intelligendo, rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere, quod præceptum est. Intellectus iste corrigendus est. Sed omnes divitiæ iniquitatis dicuntur, quia non sunt divitiæ iniquæ, nisi iniquis, qui in eis spem constituunt.* Idest occasionaliter, quia, ut in plurimum, iniquiis sunt occasio iniquitatis.

Punctum V.

Quibus pauperibus eleemosyna largienda sit?

149. Pauperes sunt in triplici differentia. Alii sunt necessaria egestate, alii ex prava voluntate, alii ex pia voluntate. Primi patiuntur inopiam, quia nec labore, nec industria ab illa se liberare valent. Secundi tolerant egestatem, quia laborare nolunt, sed otio, & pigritiæ se tradunt. Tertii sunt religiosi, qui Christum Dominum, & Apostolos imitantes, voluntariam paupertatem profitentur. De istis sermo erit puncto sequenti, in hoc autem de reliquis.

150. Dicendum est, eleemosynam dandam esse omnibus pauperibus sive justis, sive injustis, amicis, & inimicis, fidelibus, & infidelibus, vivis, & defunctis: quia omnes sunt proximi, ad quos debet se extendere charitas, & misericordia, ergo omnibus succurrendum est juxta gradum, & modum, quem prædiximus agentes de ordine subveniendi proximo. Verum si tibi certo constaret, aliquem proprio labore sibi victum comparare posse, non debes illi subvenire, ne eleemosyna vertatur in otii, & ignaviæ fomentum. Nemo tamen absque evidenti fundamento præsumere potest, pauperes sibi obvios esse vagabundos: quia charitas non cogitat malum. Et præstat ex errore eleemosynam sæpius dare non egenti, quam semel negare indigenti. Examen hujusmodi pertinet ad Magistratus, qui eis prohibere debent, quod postulent, cogereque, ut inserviant edificiis publicis, agrorum culturæ, vel alteri ministerio sibi congruo.

151. Inq. 1. An hostibus reipublicæ danda sit eleemosyna? R. negat. adhuc in extrema necessitate: quia esto etiam inimicis teneamur benefacere; non tamen in casu, quo in sua malitia contra nos ea ratione foverentur, vel fierent potentiores ad nostrum detrimentum. Unde, nec tempore indutiarum cum prædicto timore tenemur eis subvenire. Si autem prudenter credatur non amplius nobis, nec reipublicæ graviter nocituros, potest, & debet hostibus eleemosyna impendi.

152. Inq. 2. An qui simulans se pauperem accipit eleemosynas, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur? R. affirm. & quidem omnes supponunt peccare mortaliter, supposita gravitate materiæ, ut qui parvis eleemosynis ad notabilem quantitatem pervenit, quia dolo extorquet gravem quantitatem, & veris pauperibus injuriam infert: ex qua ratione aperte sequitur teneri ad restitutionem, quia injustitiam inferens alteri per dolum, aut fraudem tenetur ad restitutionem; sed ita se gerit pauper fictus, ergo ad restitutionem tenetur. Deinde, qui per dolum, aut fraudem impedit alium, ne accipiat, quod ei donaretur, juxta omnes tenetur ad restitutionem; sed ita se habet pauper simulatus, ergo tenetur ad restitutionem.

153. Objic. 1. In largitione eleemosynæ causa principalis est Deus: fit enim propter Deum, miseria vero pauperis est causa impulsiva; sed, stante causa prin-

cipali, validus est actus, licet deficiat causa impulsiva, ergo. R. 1. instando argumentum in eleemosyna notabili donata ficto Episcopo, aut Magnati: in qua etiam causa principalis est Deus, & nihilominus juxta omnes restituenda est propter dolum, & errorem. R. 2. Deum esse causam generalem eleemosynæ, peculiarem vero sublevationem paupertatis: qua deficiente, actus est nullus propter errorem substantialem.

154. Objic. 2. In parvis eleemosynis interpretari voluntatem donantis non esse, quod restituantur, ergo. R. quod si hoc constaret, procul dubio non teneretur pauper fictus ad restitutionem: quia tunc esset absoluta donatio; dum vero hoc non constat, admittendæ non sunt interpretationes benignæ in favorem fraudum, & pauperum fictorum, sed cogere eos ad restituendum, quod dolose acceperunt, vel domino, si eleemosyna fuit magna, vel pauperibus veris, si fuit in parva quantitate pluries repetita.

155. Veri autem pauperes, qui, ut ampliorem eleemosynam accipiant, simusant sanctitatem, cognationem, amicitiam, aut ejulatibus, & clamoribus majorem inopiam exagerant, aut pigritiæ, & cupiditatis causa illam postulant, licet peccent mentiendo verbis, aut signis, non tenentur ad restitutionem: quia paupertas vera est, & subsistit causa principalis eleemosynæ.

156. Inq. 3. An tenearis subvenire avaro indigenti, qui nihil ex suo vellet insumere? R. si vere indiget ex depravata avaritia, & miseria, teneris illi succurrere, quemadmodum si quis ex animi infirmitate, vel cœca passione se vellet suspendere, vel in flumen dejicere, tenemur illum avertere. Sed in dicto casu ex bonis ipsius avari, si fieri potest, subveniendus est; alias ex propriis, cum jure tantumdem ab illo exigendi. Regulariter avarus non pauper potius est reprehendendus, & corrigendus, quam subveniendus.

157. Inq. 4. Quomodo se gerere debeat ille, cui testator aliquid relinquit distribuendum inter pauperes? R. 1. Si aliquam pecuniam relinquit distribuendam inter pauperes, non potest totam illam unico pauperi donare: quia injuriam faceret aliis. Potest inter pauperes computare se ipsum, & consanguineos, si vere pauperes sint. Si pecunia relicta sit determinatis pauperibus, vel alicujus civitatis, nequit aliis, nec alterius civitatis distribui. Hinc legatum factum pauperibus concurrentibus ad portam testatoris, non potest infirmis existentibus in hospitali distribui. Similiter, quod relictum est pauperibus verecundis, vulgo *envergonzantes*, non licet donari illis, qui ostiatim postulant, nec hospitalibus, nec religiosis mendicantibus.

158. R. 2. quod semper, ac voluntas testatoris possit adimpleri in specifica forma, & ad litteram, debet ita fieri. Unde legatum relictum ad nubendas orphanas, veris orphanis tribuendum est: istis autem deficientibus, potest dari fœminis, quæ parentes habent inutiles, & nihil ipsis deservientes: quia tales parentes vere sunt, quasi non essent. Quando certa pecunia relinquitur pro dotandis absolute fœminis, potest, & debet tribui, etiam illis, quæ, relicto sæculo, religionem ingredi velint; imo tota portio assignata pro unaquaque, illis tradenda est: quia meliorem statum amplectuntur, consultiusque rationabilem testatoris voluntatem adimplent: maritantur enim Christo Domino, ad quod supponuntur dote indigere, ut dicemus fusius *tr.* 20.

PUNCTUM VI.

De mendicitate religiosa.

159. Inq. 1. An mendicitas religiosa sit laudabilis? R. affirm. constat ex authoritate Ecclesiæ, quæ approbat religiones mendicantes, & laudat eos, qui suis eleemosynis favent religiosis. Imo quatuor titulis eleemosyna eis præ aliis pauperibus debetur. 1. quia ad exemplum Christi, qui cum esset dives, egenus pro nobis factus est, religiosi, abdicato temporalium dominio, paupertatem profitentur. 2. quia religiosi, præcipue mendicantes, sedulo fidelibus in spiritualibus deserviunt. 3. quia pro eis fundere continuas preces non cessant. 4. quia in eroganda eleemosyna pauperes melinres regulariter sunt præferendi, religiosi autem virtutis, & perfectionis statum præ

aliis,

aliis, sine dubio profitentur. Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 187. *art.* 4. & 5.

160. Nec obstat, quod legibus Regni, sacris canonibus, & a Tridentino, *sess.* 21. *de reform. cap.* 9. prohibentur *quæstores* eleemosynarum: quia locuntur de quæstoribus, qui non semel falsas reliquias, & indulgentias prædicando, campanulam pulsando, & aliis signis vanis, & apocriphis pecuniam extorquebant, uti declaravit Pius V. & postea *anno* 1621. S. congregatio decernens, fratres mendicantes non posse impediri ab Episcopis, quod in Dioecesibus, ubi conventus habent, eleemosynas quæritent. Si vero extra propriam Dioecesim postulare velint, suorum Superiorum licentiam ostendere debeant. Sixtus IV. in Bulla *Mare magnum* severe prohibet, ne aliquis Carmelitis, & aliis mendicantibus eleemosynæ postulationem impedire audeat sub pœna excommunicationis majoris *latæ sententiæ*, & quod secus facientes Inquisitoribus, ut hæretici, denuntientur. Novissime Clemens X. in Bulla *Exponi nobis. Die* 13. *Martii anno* 1674. præfatam Sixti sanctionem, aliamque sacræ congregationis declarationem in favorem mendicantium confirmans, indulsit Carmelitis Discalceatis posse eleemosynam postulare quacumque die, licet in eodem concurrant alii mendicantes, qui, putantes se priores esse debere, oppositum contendebant.

161. Ut autem communi edificatione, qua par est, religiosi semper procedant, numquam sine licentia in scriptis a suis Prælatis habita ad postulandum exeant, ut si opus fuerit, libenter illam cuilibet exhibere valeant. Neque extra districtos consuetos, & a Superioribus assignatos progrediantur, nec postulent: quia secus facientes ad restitutionem tenentur secundum qualitatem eleemosynę, quæ ad aliam communitatem pertinet. Nullis religiosis, etiam mendicantibus, licet postulare eleemosynas per sæculares, vel oblatos, nisi solum per fratres ordinis. Hospitalariis sancti Antonii Abbatis permissum est cum campanula eleemosynas colligere ex declaratione S. congregationis.

162. Inq. 2. An religiosi mendicantes possint recipere eleemosynas frumenti, aut vini, antequam Parochus primitias, vel decimas percipiat? R. affirm. Prob. 1. ex decreto S. congregationis Concilii ad instantiam rectoris Bononiensis *die* 2. *Junii* 1620. quam refert Barbosa *lib.* 3. *de jure eccles. cap.* 25. *n.* 7. *An regulares possint recipere triticum, uvas, ligna, & similia, antequam Parochus receperit suas primitias? Et respondit: non esse id prohibitum regularibus.* Prob. 2. ex alia sententia data in judicio contradictorio, quam Leander a Sacramento testatur, suo tempore protulisse in favorem regularium Illustriss. Julium Rospigliosium Hispaniarum Nuncium protegendo regulares in consuetudine recipiendi eleemosynas in areis ex cumulo ante decimationem,

163. Prob. 3. ratione: quia consuetudo sic faciendi rationabili causa fulcitur, ergo rationabilis, & licita est. Antec. patet: quia religiosi mendicantes sedulo, ut diximus, deserviunt fidelibus in spiritualibus. Ipsi enim pro auxiliandis morituris nocte, ac die incunctanter assistunt. Similiter pro confessionibus audiendis continuo addicti sunt. Ex quo non parum levamen, & solatium resultat bonis Parochis: Imo ipsi Parochi suadent suis ovibus, ut ad exonerandas plenius conscientias quærant regulares, ad quos etiam ex oppidis vicinis devote, & non semel turmatim confluunt, ergo cum æquum sit participantes in labore, etiam aliquid participent in mercede, prefata consuetudo fidelium dandi ex cumulo eleemosynas regularibus in sui obsequium spirituale laborantibus, rationabili causa fulcitur, ubi non adsit peculiare jus, seu lex in oppositum.

164. Certum est tamen, quod, seclusa consuetudine, ante omnia tenentur fideles decimas integre solvere computando portiones, si quas ex cumulo extrahunt ad eleemosynas largiendas. Nam aliud est, fideles teneri ex rigore decimas fructuum integre solvere; aliud valde diversum, posse ex consuetudine eleemosynas in area ex cumulo regularibus erogare: quia etiam ipse decimæ juxta diversas consuetudines diversimode plus, aut minus solvuntur. Romæ enim, licet adsint octoginta duæ Parochiæ, nullæ eis de vino, oleo, frumento, aut aliis fructi-

tibus solvuntur decimæ ex antiqua consuetudine.

Punctum VII.

De correctione fraterna.

165. Inq. 1. Quid sit correctio fraterna? R. est *admonitio proximi, qua nitimur eum a peccato revocare.* Appellatur tum correctio, tum correptio, sed quoad præsens in idem recidunt: quia utraque est eleemosyna spiritualis, & secundus effectus externus charitatis. Correctio est fratris ad fratrem; correptio vero Prælati ad subditum. D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *a.* 1.

166. Inq. 2. Quotuplex sit correctio? R. est duplex, nempe *judicialis*, & *fraterna*: illa est, quæ ordinatur ad punitionem; ista tantum ad emendationem delinquentis. Prima est actus justitiæ vindicativę, & solum attinet ad Superiorem. Secunda est actus charitatis, & misericordiæ, & potest fieri a quolibet particulari, de qua in præsenti.

167. Inq. 2. An detur præceptum naturale, & divinum positivum correctionis fraternæ? R affirm. quia ex ipso præcepto naturali charitatis, & misericordiæ tenemur impedire malum proximi, dum commode possumus; sed ad hunc finem ordinatur correctio fraterna, erg. Unde obligat non solum fideles, sed etiam infideles. Obligatio hæc patet etiam ex *cap.* 18. *Matthæi. Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Ergo datur etiam præceptum divinum positivum. Quæ quidem obligatio est gravis ex genere suo: & solum potest ejus omissio esse venialis ex inadvertentia, aut parvitate materiæ. Hoc præceptum est affirmativum, ideoque licet semper obliget, non tamen pro semper, sed data occasione, & opportunitate, quod commune est omni præcepto affirmativo. *Ang. ibi. a.* 2.

168. Inq. 3. Quot conditiones requirantur, ut obliget hujusmodi præceptum? R. quatuor. 1. notitia peccati gravis proximi. 2. spes emendationis. 3. opportunitas personæ correctæ, & temporis. 4. congruentia personæ corrigentis. Quas conditiones, & ordinem a Christo Domino designatum quinque paragraphis explanabimus.

§. I.

Notitia peccati.

169. Inq. 1. Quæ peccata sint materia præcepti correctionis? R. materiam hujus præcepti esse generaliter peccata mortalia: quia finis correctionis est lucrari fratrem juxta illud: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: in quo supponitur fratrem perisse, quod non fit nisi per peccatum mortale, ergo. Peccata autem venialia, si ex natura sua viam parent ad mortalia, ut ingressus ad suspectam domum, familiaritas cum mulierculis, etiam cadunt sub præcepto correctionis propter periculum, aut scandalum. Venialia vero, quæ simile periculum non afferunt, dum sunt habitualia, & ex plena deliberatione tenetur sub veniali corrigere: quia per illa patitur homo quamdam miseriam spiritualem, quam impedire debemus, si commode possumus. Alia tamen venialia, quæ ex fragilitate, aut inconsideratione procedunt, nec sub levi corrigere tenemur, sunt enim plurima, essetque alienum a prudentia illorum continua correctio.

170. Inq. 2. An Magistratus, & Prælati teneantur corrigere peccata venialia? R. quod Superiores sæculares, & Magistratus non tenentur corrigere peccata venialia, nisi aliqua, ex quibus pax reipublicæ turbaretur: ut ex frequenti ludo, compotatione, vel ex immoderato vestium luxu, & aliis similibus: quæ dispendium imminerent bono communi, quia ipsis commissum est impedire mala, non spiritualia, sed temporalia, quæ pacem, & tranquillitatem civilem, & politicam perturbare possunt. Circa peccata vero gravia præcavenda sollicite debent invigilare.

171. Prælati autem ecclesiastici, & præcipue regulares tenentur sub gravi corrigere peccata etiam venialia, & transgressiones leves, quibus paulatim observantia religiosa labefactatur: quia eis ex officio incumbit invigilare saluti, & perfectioni subditorum; necnon splendori, & augumento disciplinæ monasticæ, quæ in dies per leves defectus, si non corrigantur, languescit. Itaque Prælatus re-

gu-

gularis videns frequentes legum transgressiones, quæ, licet ex se peccata nec gravia, nec levia sint, viam parant relaxationi, & religionis nocumento, graviter delinquit, si dissimulet, aut serio, & opportune non corrigat. Neque excusari valet dissimulatio prætextu pacis, numquam enim pax est bona sine justitia. Consultius est bono bello repellere relaxationem, quam pace mala illam fovere. Hoc intelligitur de defectibus ob viis, & publicis: nam occulti non adeo nocent aliis, neque observantiæ regulari, nec tenentur Prælati eos sub gravi corrigere.

172. Inq. 3. An peccatum præteritum sit materia correctionis? R. quod si peccatum est omnino emendatum, & per pœnitentiam abolitum, non est materia correctionis fraternæ, quia deficit ejus finis, qui est emendatio, ad distinctionem judicialis, cujus finis est punitio. Verum si peccatum præteritum non est omnino emendatum, licet absit periculum relabendi, est materia correctionis: quia peccatum commisum, plusquam committendum præcipimur corrigere: Christus enim dixit, *si peccaverit*, *corripe*, ergo loquitur de peccato præterito. Deinde, qui est in peccato mortali, gravem patitur necessitatem spiritualem, ergo tenemur illi subvenire per correctionem, quæ est eleemosyna spiritualis.

173. Objic. 1. Incertum est, an peccator ex nostra correctione pœnitentiam acturus sit, ergo incerta est spes emendationis. Deinde incertum est, an peccator egerit pœnitentiam, proindeque an permaneat in statu peccati, ergo non tenemur illum admonere, aut corrigere. R. Nos debere præsumere de proximo, sentireque acturum pœnitentiam; alias vix correctio facienda foret. Ad additionem dicimus, quod si nobis non constat, proximum permanere in statu peccati, non est casus quæstionis, sermo enim est de eo, quem scimus esse in statu peccati.

274. Objic. 2. Delinquens solum tenetur pœnitere de peccato commiso, quando instat confessio, vel saltem non tenetur ad statim pœnitendum, ergo nec alius astringitur illum corrigere; cum non sit major obligatio corrigendi alterum, quam se ipsum. R. argumentum nihil probat in mea sententia asserente, peccatorem teneri ad statim conteri: sed neque in sententia opposita aliquid convincit: quia non semel tenemur potius alteri subvenire, quam nobis, quoniam bonorum suorum spiritualium quilibet est dominus, minime vero bonorum alterius. Potest quisque pati gravem necessitatem ex motivo virtutis, cui tamen in proximo subvenire debemus: ita pariter, licet quisque non teneatur statim pœnitere de peccato suo, debet tamen alterum avertere ab illo. Vid. tract. 27. num. 15.

175. Inq. 4. Quæ notitia peccati requiratur, ut proximum corrigere teneamur? R. requiri notitiam moraliter certam, nec sufficere illam, quæ habetur per dubia signa, aut rumorem: quia proximus est in possessione suæ famæ, quæ injuste læditur, si levi suspicione ei crimen imputetur. Verum si peccatum dubium vergeret in damnum proximi, aut reipublicæ, vel communitatis, adessetque spes emendationis, etiam cum dubio, aut suspicione correctio facienda est. Quod extendunt aliqui ad Prælatos, quos dicunt posse cum sola notitia dubia peccata corrigere: quia ex officio debent super gregem suum vigilare, & de peccatis subditorum inquirere. Cæterum prudentius erit tunc, si eorum rumor in communitate spargitur, non in particulari, sed in communi ea animadvertere, & reprehendere suppresso nomine.

176. Inq. 5. An teneamur corrigere peccata ex ignorantia commissa? R. 1. si peccata procedant ex ignorantia vincibili, apud omnes sunt corrigenda: quia ignorantia hæc a culpa non excusat. R. 2. quod si proveniant ex ignorantia invincibili contra jus naturale, & divinum, etiam abs dubio tenemur per se loquendo corrigere, seu admonere proximum: quia licet non peccet formaliter, peccat materialiter, quod non licet permittere, nisi ex gravi causa. Similiter peccata contra jus ecclesiasticum universale ex ignorantia sive juris, sive facti corrigenda sunt, dum commode fieri valet: quia ignorantia hæc grave malum est, cum bono gravi privet. Si denique peccata oriantur ex ignorantia invincibili circa jus peculiare alicujus Dioce-

ce-

cesis, aut oppidi, circumstantiæ expectandæ sunt, & cum opportunæ adsint, ignorantem docere charitas præcipit.

177. R. 3. Prælatos, Parochos, Confessarios, & alios, quibus animarum cura incumbit, teneri ad corrigendos ignorantes quacumque ignorantia contra quodlibet jus, nisi ex aliqua justa causa respective excusentur: quia eorum potissimum munus est errantes corrigere, & ignorantes instruere in omnibus, quæ ad salutem spiritualem spectant. Sed heu! quam pauci sunt, qui velint corrigi! Quam plures, qui correctionem reputant injuriam! Unde Prælati vix audent corrigere subditos, ne quærelis domum repleant. & ne ex ubis acetum, ac fel amarissimum sibi colligant.

§. II.

Spes emendationis.

178. Inq. 1. An sit nulla detur spes emendationis, tenearis ad correctionem? R. neg. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *a.* 2. & 6. ubi assignans distinctionem inter correctionem judicialem, & fraternam, de illa docet esse faciendam, quamvis non detur spes emendationis; de ista vero dicit esse omittendam: quia finis unicus correctionis fraternæ est proximi emendatio: hac ergo deficiente, deficit finis adæquatus legis, in quo casu nulla lex obligat. Verum licet pro tunc non detur fructus correctionis; si tamen decursu temporis speretur, utique facienda est.

179. Inq. 2. An requiratur spes certa emendationis, vel sufficiat probabilis? R. ex Angelico Doct. debere esse saltem probabilem, & minime requiri certam: Alias fere numquam daretur casus, in quo urgeret correctionis præceptum: cum talis certitudo dependeat ex alterius voluntate, cujus actuum scrutator solus est Deus. Ideo cum hæc probabilis spes de omni Christiano concipere debeamus, non bene procedunt, qui negligunt, vel metuunt fratrem corrigere, causantes raram esse spem emendæ, cum tamen passim videamus plures emendatos ex fraterna correctione, de quibus parum sperabamus.

180. Inq. 3. An teneamur corrigere, dum adest dubium de correctionis eventu? R. Si æque de profectu, ac de nocumento timeas, correctio omittenda est: quia imprudenter agit, qui dubius se operationi morali committit. Si dubites de profectu, nihil timens de nocumento, correctionem præstare debes: quia medicina sive corporalis, sive spiritualis, quam certo credis, non esse nocivam, & dubites, an sit profutura, applicanda est.

181. In extrema necessitate obligat correctio cum dubio æquali fructus, aut nocumenti; quia nocumentum, quod ex omissione provenire potest in articulo mortis, est maximum, & irreparabile, ergo prevalet malo, quod ex correctione timeri queat. Concionator etiam, & publicus doctor tenetur vera prædicare, & docere, licet timeat aliquorum ruinam, exemplo Christi D. S. Joannis Baptistæ, & aliorum; quia talis admonitio ad bonum commune ordinatur, ideoque ob privatum damnum omitti non debet.

182. Inq. 4. An facta correctione sine effectu, plusquam tertio repetenda sit? R. Repetendam esse, inspectis circumstantiis, quoties salus proximi speratur: quia semper est in necessitate spirituali, ergo subveniri debet, quoties salutis spes effulgeat.

§. III.

Opportunitas personæ corrigendæ, & temporis.

183. Inq. 1. An subditi teneantur suos Prælatos corrigere? R. affirmative, ex D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *a.* 4. quia correctio est actus charitatis, quæ ad omnes se extendit, ergo sicut Prælatos arctius diligere tenemur, ita eos admonere debemus. Triplex tamen circumstantia omnino observanda est in hujusmodi correctione. *Prima*, ut fiat cum magna humilitate, & mansuetudine, potius Prælatum obsecrando ut patrem, quam corrigendo ut delinquentem. *Secunda*, ut numquam fiat in publico, nisi in aliquo casu raro: ut si falsum dogma seminaret, aut quid simile publice ageret, quod publica correctione indigeret. Ut in casu Pauli, qui publice in faciem restitit

Pe-

Petro. *Tertia*, quod quando hoc necessarium judicatur, fiat correctio a gravioribus, vel senioribus, & solum in defectu istorum a junioribus. Verum est, quod quædam humilis admonitio in occulto a quolibet potest fieri Prælato. Caveant autem concionatores, ne in publicis concionibus ullo modo Prælatos increpent, imo nec Sacerdotes inferiores: plurimum enim convenit edificationi fidelium, congruitque honori Prælatorum, & decori Sacerdotum, ut saltem in publico, non nisi debita reverentia nominentur. Sacerdotes sunt *Christi* Domini.

184. Inq. 2. An excuseris a præcepto correctionis, quando prævides ab alio faciendam? R. neg. quia ipsi, & tibi incumbit obligatio. Tunc solum liber esse poteris, quando scias certo ab alio sufficienter adhibendam fore. Si autem agnoscas tuam etiam correctionem, simul cum aliena, esse necessariam ad emendationem efficacius consequendam, teneris illam præstare.

185. Inq. 3. An quolibet tempore correctio facienda sit? R. Licet per se omni tempore sit adhibenda, tamen ex circumstantiis judicandum est, quando opportunius fieri debeat. Nam si delinquens aliqua sit recenti passione perturbatus, expectandus est tempus, in quo animi serenitas affulgeat. Quia sicut in corporalibus opportunitas temporis est aptissima, ut medicina operetur, ita in spiritualibus contingit. Unde potest, imo debet correctio differri, dum prudenter judicatur proximo utilior futura alio tempore. Si autem timeas illum lapsurum in alia crimina tempore intermedio, tunc aspiciendum est, an correctio noceret, vel proficeret, saltem aliquid: si primum, diferri debet: Si secundum, adhibenda est. Aliqui sentiunt posse etiam diferri correctionem eo fine, ut peccator lapsus in pejora delicta, & ignominia suffusus, ferventius postea resurgat. Sed in hoc caute est procedendum, & ex circumstantiis colligendum, & vix permittendum. In extrema necessitate nequit differri correctio, nisi certe nociva foret: quia amplius non erit tempus. *Ang. a. 2. in corp.*

§. IV.

Congruentia personæ corrigentis.

186. Inq. 1. Quando tenearis ad correctionem proximi, etiam cum damno corporali proprio? R. in extrema necessitate, seu in articulo mortis proximi tenemur ei subvenire per correctionem, etiam cum dispendio vitæ: quia necessitas extrema spiritualis proximi prævalet omni nocumento temporali. Unde si proximum videas in articulo mortis laborare ignorantia vincibili, aut invincibili alicujus veritatis necessariæ ad æternam salutem, teneris, alio deficiente, illum docere, etiam cum periculo vitæ. Similiter, si aspicias hæreticum falsa dogmata evulgantem, catholicos pervertendo, debes cum vitæ dispendio te illi opponere ob bonum commune.

187. Cæterum in gravi necessitate non tenetur quis cum dispendio vitæ ad correctionem proximi, quia tunc amissio vitæ corporalis non est medium necessarius ad ejus salutem spiritualem. Potest enim ipse peccator divino auxilio semetipsum corrigere. Prælati autem, & quibus ex officio incumbit, tenentur corrigere subditos in gravi necessitate spirituali, etiam cum periculo vitæ. Isti enim urgentius astringuntur, quam cæteri, qui Prælati non sunt.

188. Inq. 2. An Superiores, & Prælati ex vi majoris obligationis ad correctionem teneantur inferiorum defectus inquirere? R. De correctione judiciali compertum est apud omnes, teneri Prælatos ad subditorum vitam, moresque solicite inquirendum: tum per se ipsos, tum per alios charitate, justitia, & veritate præditos. Ex vi enim officii astringuntur ad omnem diligentiam adhibendam, quæ necessaria sit ad illud recte obeundum. Similiter loquendo de correctione fraterna idem est de Prælatis ecclesiasticis, & regularibus, quia Prælatis hujusmodi incumbit peculiaris sollicitudo circa profectum spiritualem subditorum, ergo ad hunc finem eorum mores, ac defectus tenentur inquirere. Verum si Prælatus agnoscat potius turbationem, quam profectum ex hac inquisitione oriri, pruden-

denter se geret, omittendo illam. Regulariter enim, saltem in nostra sacra religione, abunde suo muneri satisfacit Prælatus, si corrigat defectus obvios, vel sibi notos, deinde publicos, denique denunciatos in capitulo a fratribus, & etiam in refectorio a zelatore communi, qui apud nos singulis hebdomadis assignatur.

189. Pro aliis autem religionibus, ubi hæc subsidia fraternæ correctionis deficiunt, & etiam pro nostra, si aliquando opus fuerit, quinque regulæ, ut inquisitio hujusmodi congrue exerceatur, communiter præscribuntur. 1. Quod teneantur Prælati adire loca, in quibus subditi delinquere solent, ut suo conspectu occasiones defectuum removeant. 2. poterit adhibere zelatores, viros quidem graves, & observantiores, qui aliorum crimina explorent, sibique media charitate denuncient. 3. quod si ad Prælati notitiam perveniat, aliquem subditum indigere majori solicitudine intra, vel extra conventum, ad eam proculdubio tenetur, assignando ei socium, vel zelatorem, ut ejus custodiæ attendat. 4. quod summopere renuant Prælati admittere speculatores leves, & spontaneos, obturentque gossipio, imo utraque manu aures suas, ne audiant fabellas eorum, qui ut hostes pacis, & insuflatores incendii sunt abigendi procul a communitate. 5. numquam Prælati incident, se subditis insidiari, nec sint nimis suspiciosi, aut exactores: quia, qui multum emungit, elicit sanguinem. Subditis nullo modo est licitum, nisi accedente obedientia, aliorum defectus inquirere: alias pax reipublicæ, aut communitatis penitus turbaretur.

190. Inq. 3. An Prælati ecclesiastici graviter peccent corrigendo in peccato aliorum delicta? R. neg. nam status gratiæ corrigentis non habet connexionem necessariam cum emendatione alterius: nec correctio, sive judicialis, sive fraterna ex natura sua gratiam deposcit in subjecto, sicut eleemosyna corporalis illam non exigit. Unde a fortiori sequitur, quemlibet privatum, licet in peccato existat, posse, & debere corrigere delinquentem, dummodo publicus peccator non sit: quo in casu debet prius se, deinde alium corrigere. Ita Angel. 2. 2. *q.* 33. *a.* 5.

191. Inq. 4. An concionari in lethali sit culpa gravis? R. neg. quia concio non est actio sacra, quæ statum gratiæ requirat, nec annexa per se ordini sacro, nec concionator facit, aut recipit sacramentum: quare, nisi esset peccator publicus, aut ratione scandali teneatur pœnitere, non apparet, unde graviter delinquat docendo alios in peccato. Unde status gratiæ bonus est, sed non necessarius sub gravi ad prædicandum. Quidquid alii dicere velint, de quibus mirum est, quomodo non requirant necessario gratiam sanctificantem in subjecto ad audiendum sacrum, & cantandas in choro horas canonicas. D. Thom. *in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2.

§. V.

De ordine correctionis fraternæ.

192. Inq. 1. Quid nobis præcipiatur circa ordinem correctionis fraternæ *Matth.* 18.? R. quatuor nobis præcipi. 1. quod si peccaverit occulte aliquis in nos, vel nobis scientibus, illum occulte corrigamus. 2. quod si correctio occulta non prodest, adhibeamus unum, vel duos testes, ut melius emendetur peccator. Si autem adhiberi commode possint testes conscii delicti, non sunt adhibendi ejus ignari. 3. si hæc non prosunt, dicamus Ecclesiæ, vel Prælato. 4. si Prælatum non audierit, sit nobis tamquam ethnicus, sive excommunicatus.

193. Hujusmodi ordo in correctione est de præcepto, non tantum de consilio, ut aliqui perperam putaverunt: quia licet in lege evangelica non sint alia præcepta positiva, nisi circa sacramenta, hic tamen ordo sub præcepto naturali charitatis clauditur; sed Christus Dominus ut mirabilis doctor charitatis voluit presius explicare, quod lex naturalis obscure præcipit. Nam ipsa natura dictat, corrigendum esse proximum minori damno famæ, quo possit, ergo si absque testium inductione, secreto corrigi valet, ipsa natura exigit, ut ita fiat. Deinde si unicus testis sufficiat, ad quid duo suet adducendi? Denique, si testi-

bus

bus adductis emendatur, cur Ecclesiæ, seu Prælato denunciandus est? Præceptum hoc, ut pote affirmativum, non obligat semper, & pro semper, sed debitis circumstantiis perpensis.

194. Inq. 2. An obliget prædictus ordo, dum judicatur Prælatum melius correcturum fore delinquentem? R. affirm. quia Christus absolute hunc ordinem præcipit. Deinde charitas obligat ad corrigendum proximum, non ad modum meliorem, ergo si per me ipsum corrigere possum, nequeo adire Prælatum. Si autem in aliquo casu raro, ut si ineptus esses ad corrigendum, vel alteri non displiceret denunciari ad Prælatum spiritualem, discretum, & sibi placatum, non inficiamur ita fieri posse, omissa pro tunc fraterna correctione.

195. Inq. 3. An liceat cedere juri correctionis fraternæ? R. Esto quilibet possit ob honestum finem cedere juri correctionis fraternæ: tamen alii tenentur proximum, juxta ordinem a Domino præscriptum, corrigere. Prob. quo ad primam partem, quia potest quis ob motivum honestum pati detrimentum vitæ, & salutis, ut cernimus in religiosis, qui abstinent perpetuo a carnibus, & alia amplectuntur asperitatis genera contra ipsorum salutem, ergo etiam poterit quis cedere suæ famæ ob motivum virtutis, & consequenter juri correctionis fraternæ.

196. Prob. quoad secundam partem: quia, perseverante fine correctionis, perseverat præceptum illius; sed licet quis cedat juri correctionis fraternæ, adhuc perseverat ejus finis, scilicet emendatio proximi, ergo etiam perseverat præceptum, seu obligatio correctionis. Hanc sententiam amplectuntur PP. Salmantic. & judicant in praxi sequendam. Nec oppositum Prælatus aliquis præcipere valet juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *a.* 7. *ad* 5.

197. Inq. 4. An in omnibus delictis ordo correctionis fraternæ servandus sit? Pro responsione nota 1. Alia peccata esse occulta, alia publica, quæ distinctio suo loco fusius explanabitur. Nota 2. quædam esse peccata in damnum solius peccantis, ut ebrietas, omissio sacri, & similia: Alia in damnum particulare tertii, ut furtum, homicidium, & contumelia: Alia in damnum commune, ut proditio civitatis, conspiratio, hæresis, seminatio doctrinæ falsæ contra fidem, aut bonos mores, & alia hujus generis. Quibus prænotatis.

198. R. 1. Ordo correctionis fraternæ obligat in peccatis occultis, quæ cedunt in damnum solius peccantis. Constat ex laudatis verbis Domini: *si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te, & illum solum*: quod potissimum intelligendum est de peccatis occultis in damnum solius peccantis, ut tenet communis sententia.

199. R. 2. In peccatis contra bonum particulare tertii, si vera spes emendationis concipitur, secreto est corrigendus delinquens; secus vero, si talis spes non concipiatur, quia ordo charitatis postulat, quod innocens defendatur, & peccator corrigatur; sed hoc consequimur in primo casu per correctionem fraternam, & in secundo per denunciationem ad Prælatum, ergo ita faciendum est. Unde si scirem Petrum velle interficere Joannem, aut ejus bona lædere, debeo, si adest spes emendationis, per me, aut per alios illum corrigere. Si autem hoc non sufficiat, teneor illum judici ut patri denuntiare. Verum, si adhuc fructus non speratur, debeo innocentem in communi monere, ut sibi caveat. Denique si adhuc instat damni periculum, aggressor declarandus est nominatim innocenti, ut a judice auxilium postulet.

200. R. 3. Præfatum ordinem non obligare in delictis publicis. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. ubi ex August. refert illud Apostoli *ad Timoth.* 5. *Peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* Ratio id ipsum suadet, quia publice peccans nullum jus habet, ut sibi secretum observetur, nec peccat in te, sed in omnes, cum omnibus scandalum præbeat, quantum est in se, ergo non occulte, sed publice est corrigendus. Si vero peccatum commissum fuerit coram duobus, aut tribus, adhuc non est publicum, ideoque secrete corripi debet, similiter omne peccatum, quod a majori parte collegii, aut communitatis ignoratur.

201. R. 4. In peccatis, etiam occul-

tis, quæ cedunt in damnum commune, non obligare correctionem fraternam; sed statim denuncianda esse respectivo Prælato. *Primo*, quia extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda. *Secundo*, quia talis peccans non est *in te*, ut dictum est de peccato publico, sed in bonum commune, quod cuilibet particulari damno præferendum est. *Tertio*, quia circa similia crimina vix spes emendationis concipi potest, ergo immediate Superiori denuncianda sunt. Quod quidem de hæresi, & de omnibus delictis, etiam occultis, quæ suspicionem hæresis generant, præcipue tenet ex decreto sanctæ Inquisitionis, & Alex. VII.

202. Inq. 5. An si religiosns committeret peccatum carnale, cederet contra bonum commune religionis, ac proinde Prælato immediate denunciandus esset? R. lapsum carnis exteriorem in religiosis non esse *absolute*, & *per se* contra bonum commune religionis; posse tamen aliquando esse *per accidens*. Explicatur, & probatur assertio: Peccatum carnis in religioso, qui appetitu impellente, & occasione non quæsita, sed casualiter oblata, semel cecidit, cum alias bene moratus, & cautus sit, non est censendum aliorum infectivum, nec contra bonum commune religionis, ideoque secreto corrigi debet: quia valde probabilis spes emendationis concipi potest de viro alioquin circumspecto, qui potius ex fragilitate, & occasionis impulsu, quam ex electione, & consuetudine labitur, ergo jus habet, ut secrete corrigatur,

203. Verum dictum peccatum in religioso parum cauto, & circumspecto, qui ex condicto, electione, & occasione quæsita labitur, præcipue, si eorum sit, qui vagationibus superfluis, mulierum allocutionibus, munusculis, & epistolis recipiendis, aut mittendis sunt assueti, censendum est infectivum aliorum, & contra bonum commune religionis, proindeque immediate Prælato denunciandum; quia de similibus spes veræ emendationis concipi nequit, neque præsumi valet ex mera infirmitate peccasse, sed ex malitia, aut consuetudine. Utrumque est de mente D. Thom. *in* 4. *dist.* 19. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 2. Ubi loquens de spe emendationis dicit: *Hæc concipi potest, quando peccatur ex infirmitate, & occasione oblata labitur in carnis delictum: secus vero quando ex electione, & consuetudine delinquitur.*

CAPUT III.

De vitiis charitati oppositis.

AGimus in hoc capite de vitiis oppositis charitati, & in sequenti de scandalo, quod præ aliis ad intentum morale spectat, prævia luce D. Thom. qui de illis luculenter disserit 2. 2. *q.* 34. *usque ad* 44.

PUNCTUM I.

De odio Dei, & proximi.

204. Inq. 1. Quot sint vitia charitati opposita? R. sunt decem, nempe odium Dei, & proximi, accidia, seu acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, bellum, rixa, seditio, & scandalum.

205. Inq. 2. Quid, & quotuplex sit odium Dei? R. Odium Dei est duplex, aliud *generale*, aliud *formale*. Odium *generale*, seu materiale adest in omni peccato, ut supra diximus. Odium Dei *formale* est *aversio a Deo, qua voluntas illum detestatur, in quantum peccata prohibet, pœnasque infligit*. Nam licet Deus in se inspectus sit summe bonus, & nequeat odio haberi: tamen ut apprehenditur causa effectuum pravæ voluntati repugnantium, vitia prohibendo, & pœnas condignas infligendo, hac consideratione apprehenditur infestus iniquis, a quibus proinde odio haberi potest. Hoc odium formale est etiam duplex, nempe *abominationis*, & *inimicitiæ*. Primum est *optare Deum non esse*: secundum autem, *optare Deo aliquod malum*, est peccatum omnium gravissimum, & insuper dicitur *peccatum in Spiritum sanctum*, quia ex certa malitia, & electione tendit contra divinam bonitatem. Unde solum ex defectu deliberationis potest esse veniale.

206. Inq. 3. Quid sit odium formale proximi? R. Est *formalis malevolentia, qua expresse proximo malum exoptamus*. Datur etiam odium *generale* proximi,

quod

quod consistit, & reperitur in qualibet injuria, seu injustitia irrogata proximo, ut in furto, rapina, usura, & aliis peccatis in proximum, quæ absque ejus odio possunt committi. Non tamen constituit diversum peccatum, sicut odium formale, sed est transcendens in hujusmodi injuriis. Ipsum autem odium formale proximi potest esse, vel *abominationis* contra personam, & naturam ejus, vel *inimicitiæ* contra bona illius. Ex genere suo est peccatum mortale, quia directe opponitur charitati proximi. Pluries autem est veniale, tam ex defectu deliberationis, quam ex parvitate materiæ, ut dum quis proximo exiguum malum exoptat. Aliquando licitum est optare proximo malum corporale ob majus bonum spirituale ipsius, vel ob alia motiva. Odium proximi distinguitur specifice ab odio Dei, quia hoc directe offendit bonitatem divinam, illud vero bonitatem creatam: quod sufficit ad refundendam in talia peccata distinctionem specificam, imo & genericam, cum habeant objecta etiam genere diversa.

207. Objic. Actus, quo diligimus proximum, non differt specie ab actu, quo diligimus Deum, ergo similiter dicendum est de actu, quo odio habemus proximum, & Deum. R. neg. conseq. disparitas consistit in eo, quod respectu dilectionis proximi bonitas divina est motivum formale, & ratio intrinseca; respectu odii proximi ratio intrinseca, & motivum formale est malum proximi, quod per se optatur a prava alterius voluntate. Verum est, quod si odium proximi procederet ex odio Dei, esset ejusdem speciei, sed hoc odium potius est Dæmonum, quam hominum.

208. Inq. 4. An odia in proximum distinguantur specifice juxta diversitatem malorum, quæ exoptantur? R. quod licet omnia odia conveniant in ratione communi odii, desideria, quæ proveniunt ex odio, distinguuntur juxta diversitatem specificam moralem malorum, quæ desiderantur; quia actus voluntatis sumunt suam speciem ab objectis, ergo distinguuntur juxta eorum diversitatem, ergo desideria terminata ad objecta specie diversa specie distinguuntur. *Confirmatur*: quia velle, & facere aliquid in moralibus sunt ejusdem speciei, ergo sicut ex odio faciens rapinam, vel homicidium diversa specie peccata committit, ita ex odio desiderans illa.

209. Nec valet recursus ad differentiam desiderii simplicis, & efficacis: quia complacentia de homicidio ad speciem homicidii pertinet, sicut complacentia alienæ conjugis ad speciem adulterii, quamvis desideria efficacia non sint: non alia ratione, nisi quia actus interni sunt ejusdem speciei, ac externi, eodemque præcepto, quo isti prohibentur, vetantur illi.

210. Objic. 1. Omnia nocumenta proximo irrogata conveniunt in ratione communi *mali*, quod est deformali ad odium, sicut omnia beneficia in ratione communi beneficentiæ, sed non dantur beneficentiæ specie diversæ, ergo nec odia. R. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 31. *art.* 4. *ad* 2. *Quod sicut omnia beneficia proximi exhibita, in quantum considerantur sub communi ratione boni, reducuntur ad amorem, ita omnia nocumenta, in quantum considerantur secundum rationem mali, reducuntur ad odium. Prout autem considerantur secundum aliquas rationes speciales, vel boni, vel mali, reducuntur ad aliquas virtutes, vel vitia.* Igitur licet desiderans proximo malum in communi, vel omne malum, committat solum peccatum odii: desiderans tamen ex odio malum particulare mortis, rapinæ, aut furti, duplex committit peccatum, nempe odii, & injustitiæ. Quod verum est, etiam si ad prædicta desiderium tantum simplex terminetur.

211. Objic. 2. Omnes invidiæ sunt ejusdem speciei, ergo similiter odia. R. quod invidia est mater legitima odii, & odium primogenitum invidiæ, licet plerumque ex aliis capitibus proveniat, ut ab ira, & veritate; ideoque idem dicimus de invidia, ac de odio. Itaque omnis invidia de bono proximi est ejusdem speciei, sicut omne odium terminatum ad malum proximi in communi. Verum invidia de bono particulari diversificatur juxta distinctionem specificam moralem bonorum, de quibus prava voluntas tristatur. Si autem invidia sit de bono spirituali proximi, ut a Deo collato, est apud omnes distinctæ speciei ab

invidia de bonis naturalibus ejus.

212. Unde ad praxim scias, quod desiderans proximo aliquod malum particulare ex odio, inquinatur peccato *odii*, & peccato speciei *mali desiderati*: ut si quis desideret proximo furtum, infamiam, aut mortem, sive per se, sive per alium inferenda, in tali desiderio datur peccatum odii, & peccatum injustitiæ, & a fortiori, si reipsa prædicta inferantur ex odio. Proindeque non sufficit dicere in confessione: *odio habui proximum*, sed explicari debent desideria sive simplicia, sive efficacia malorum ex odio concepta. Nec similiter sufficit fateri desideria, aut nocumenta proximo irrogata, sed explicandum est, an proveniant ex odio. Hæc est, vel debet esse mens, & sententia communis Theologorum, licet aliquatenus discrepent in modo loquendi. Videantur Cajetanus in 2. 2. *quæst.* 34. *art.* 6. *in fin.* & M. Prad. *qq. moral. cap.* 15. *quæst.* 1. *n.* 30.

213. Advertas etiam, odia in parentes, & alios ascendentes, in Prælatos ecclesiasticos, magistros, benefactores insignes, aut in fratres distingui specifice ab odio proximi, ita ut in confessione explicari debeant, propter specialem circumstantiam amoris, & pietatis ipsis debiti. Idem est de parentibus, & aliis ascendentibus respectu filiorum, & nepotum, & conjugum inter se, & de Prælatis respectu subditorum, propter eamdem rationem specialis amoris, & pietatis.

PUNCTUM II.

De discordia, contentione, & schismate.

214. De acedia, & invidia egimus exponentes hæc duo vitia inter cætera capitalia. Unde ad reliqua contra charitatem explicanda progredimur.

Discordia est *cordium divisio, & dissensio voluntatum a bono divino, & proximi, in quo debent consentire.* Distinguitur a rixa, quia ista consistit in exteriori opere, & supponit illam in corde, & voluntate, eorumque disjunctione. Est filia inanis gloriæ, & peccatum mortale ex genere suo: quia opponitur charitati, & concordiæ, quæ est unio cordium, seu voluntatum. Potest esse veniale ex parvitate materiæ, vel ex defectu deliberationis. *Ang. ibi. q.* 37. *a.* 1.

215. Contentio est *concertatio verborum inordinata ad impugnandam veritatem.* Vel *impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Est etiam inanis gloriæ filia, & peccatum grave ex genere: ut si quis veritatem agnoscens, eam impugnaret contra justitiam, vel sanam doctrinam, sicut fecit Lutherus. Si autem falsam quis impugnet debito acrimoniæ modo, vel veram disputationis gratia, erit laudabile; vel ad summum peccatum veniale, si excedat in modo, & absit contumelia, aut gravis confusio proximi. Semper tamen cavendum est in disputationibus, sive voce, sive scripto, nequis utatur stylo nimis acri, quo proximum pudore afficere valeat, aut audientes, vel legentes perturbet, & offendat: plerumque scripta plus lædunt, quam voces: hæ cito transeunt, illa diu permanent, & de manu in manum universum orbem transvolant. *Ang. q.* 38.

216. Verum quidem Neothericus, forte ad sui styli nimiam acrimoniam excusandam, dicit, cum vivis mite esse loquendum, cum defunctis non ita: verbis blande, scriptis acriter esse disceptandum. Addit, indulgens genio: *scripta pipere, & sale* condi debere. *Tædet quippe lectorem frigida lectio, acuit vero ejusdem palatum scriptum sale conditum.* Sed dicat nobis Neothericus, ubinam in doctrina mirabili D. Thomæ hujusmodi piperis condimentum? Nusquam sane. Etiam contra infideles, & hæreticos mitissime loquitur. Omnia ejus scripta charitatem redolent, mansuetudinem respirant, prudentiam præferunt, nativa majestate refulgent. Frigida ne ob hęc est ejus lectio? Minime. Non frigida, sed Angelica est ejus doctrina. Discamus omnes a communi magistro, & neminem pœnitebit. Tædet quippe prudentem lectorem contumeliosa lectio; ejus vero palatum acuit scriptum modestiæ, veritatis, ac validæ rationis sale conditum. Tract 7. n. 162. Vid. Bullam Bened. XIV. quæ incipit. *Solicita.*

217. Schisma est *ab unitate Ecclesiæ voluntaria separatio.* Est peccatum mortale

tale gravissimum : quia sciudit unitatem Ecclesiæ, quam charitas constituit. Unde non admittit parvitatem materiæ. Omnis hæreticus est schismaticus, quia per hæresim separatur ab unitate Ecclesiæ: schismaticus vero potest metaphisice inveniri sine assensu contra fidem, si alias credat omnes veritates fidei, & solum habeat voluntatem separandi se a capite, vel unitate Ecclesiæ. Tamen moraliter schismatici semper habent aliquam hæresim conjunctam, ut merito ab Ecclesia recessisse sibi videantur. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *a.* 1. *ad* 3.

218. Septem pœnæ ab Ecclesia impositæ sunt contra schismaticos. 1. Excommunicatio major *ipso facto incurrenda.* 2. Privatio exercitii ordinis, & jurisdictionis. 3. Inhabilitas ad beneficia in posterum habenda. 4. suspensio ordinis ab schismaticis scienter recepti. 5. Irritatio beneficiorum ab ipsis collatorum. 6. Suspicio vehemens hæresis. 7. Subjectio eorum judici ecclesiastico, ut eos puniat carcere, vel triremibus, aut alia digna pœna.

219. Inq. An quando in Ecclesia plures summi Pontifices insurgunt, omnes sint schismatici? Et quid tunc fideles facere debeant? R. quod si contra certum Pontificem alii Pontifices postea insurgunt, isti, & eorum sequaces sunt schismatici; si autem nullus sit certo Pontifex rite electus, ita ut de omnibus æqualiter dubitetur, omnes tenentur cedere, & conari ad unius veram electionem; quod si hoc renuant, omnes erunt vere, & realiter schismatici, Deoque reddent rationem suæ pertinaciæ, & damni inde Ecclesiæ provenientis. Tunc vero fideles nulli eorum debent, nec possunt obedire, ne exponantur periculo errandi; sed credere se esse membra Ecclesiæ, cujus caput principale est Dominus Jesus Christus, ut accidit, cum mortuo vero Pontifice, disponitur electio successoris, & appellatur *interregnum*, vel *Sedes vacans.*

220. Summus Pontifex etiam rite electus potes esse schismaticus, si incideret in aliquam hæresim, vel nollet communicare cum Ecclesia, aut protegeret aliquod schisma contra veram ejus unitatem.

Punctum III.

De bello.

221. Bellum juxta aliquos dicitur a Belo, Assiriorum Rege, *Patre* Nini, qui primus ferreum gladium produxit: cum antea homines se percuterent, non armis, sed pugnis, unde & *pugna* nomen accepit. Alii sentiunt, bellum sumere ethimologiam a belluis: eo quod belluarum sit mutuo se laniare. Undecumque vero dicatur, bellum est *dissidium quoddam inter Principes ad pugnam ordinatum, multitudine armata.* Tres conditiones requiruntur ad bellum, nempe *authoritas Principis, causa justa, recta bellantium intentio*, sub qua conditione comprehenditur, quod non fiat nimia crudelitate, sævitia, devastatione, aut religionis irreverentia. Cum his circumstantiis bellum esse licitum, & aliquando etiam obligatorium tenet communis sententia contra Tertullianum, Manichæos, & alios hæreticos. Constat enim expresse ex sacra pagina, ubi plura bella fuerunt a Deo laudata, & imperata. Et probat D. Thom. 2. 2. *q.* 40. *a.* 1.

222. Solum Principes supremi, & respublica perfecta, & libera possunt indicere bellum offensivum: quia est actus supremus justitiæ vindicativæ, qui ad solos supremos Principes attinet; nisi alicubi legitima consuetudine oppositum sit introductum, & præscriptum, vel Princeps esset nimis negligens, vel urgeat necessitas, & sit difficilis recursus ad Principem. Quibus in casibus poterit etiam respublica imperfecta inferre bellum offensivum. Defensivum autem pro vita, honore, aut bonis, quilibet ex propria authoritate gerere valet: quia jus naturæ dictat, quod vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sic ajunt omnes; sed meo videri minus proprie, quia respectu personæ privatę potius debet dici defensio naturalis, quam bellum.

223. Inq. 1. Quæ debeat esse justa causa belli? R. Triplicem causam belli ab omnibus admitti. 1. Est defensio propria, aut innocentis: quia hoc jus naturale postulat. 2. Vindicare injuriam veram,

ram , & gravem , quia offendens efficitur reus , & Princeps offensus supremus ejus judex. 3. Recuperatio bonorum , quæ ab alio injuste possidentur. Alias causas belli non omnes approbant: ut violatio fœderis initi in rebus magni momenti. Usurpatio alicujus civitatis. Rebellio subditorum. Publica contumelia in Principem ; vel in subditos. Quando prębetur auxilium ad injuste contra illum præliandum , vel denegatur transitus innoxius , & necessarius per aliena dominia ; sed quia communiter nocent , vel proximum periculum nocendi adest , dum armati transeunt , ideo sæpe armatis transitus licite denegatur. Alia causa est , si impediatur fidei prædicatio.

224. Inq. 2. An Princeps cum opinione probabili , quod sibi aliquod regnum pertineat , possit alteri Regi illud possidenti bellum inferre ? Hęc difficultas gravissima est , ac digna omni maturitate, consideratione , & prudentia : quia ex ea pendet concordia , aut discordia inter Principes , imo salus , & felicitas Regnorum. R. 1. Cum opinione æque probabili minime licere , bellum inferre: quia in pari casu melior est conditio possidentis. Deinde bellare necessitatis est , non voluntatis ; sed quando datur opinio æque probabilis , nulla necessitas urget , ergo. Denique bellum est consilium atrox , crudele præsidium , ferina concertatio , communi Regnorum bono maxime nocens , ideoque requirit summum studium , & maximam curam ad veritatem justitiæ certo cognoscendam, ergo bellum cum sola opinione æque probabili , aut etiam probabiliori est prorsus illicitum.

225. R. 2. Quod licet cum opinione utcumque probabiliori nequeat Princeps possessori bellum inferre ; si tamen protegatur opinione certo , & longe undequaque probabiliori , licite potest , ad suum jus recuperandum , illi bellum indicere. Probatur prima pars : quia Princeps solum potest indicere bellum ad repellendam injuriam sibi manifeste illatam ; sed quando solum habet sententiam utcumque probabiliorem sui juris, possidens non illi infert injuriam manifestam , sed probabilem , ergo nequit licite bellum inferre.

226. Prob. secunda pars : quia possidens Regnum , vel Provinciam absque justo titulo tenetur restituere ; sed possidens cum opinione minus probabili in conspectu longe , certoque probabilioris oppositæ possidet absque justo titulo , ergo restituere tenetur pro rata probabilitatis. Unde , si monitus non acquiescat, potest vi , & armis compelli. Quoniam in actionibus humanis non est quærenda præcise certitudo metaphisica , sed sufficit moralis , quæ de causis ,& negotiis haberi potest.

227. Verum licet hæc ita sint , debent nihilominus Principes omnia media prius tentare , & adhibere , ut ab inferendo bello abstineant. Secuntur enim ex bellis plurima maxime deploranda , multorum innocentum sanguinis effusio , virginum constupratio , religionis profanatio , templorum destructio , civitatum depopulatio , agrorum devastatio , alia denique gravissima mala , quæ fieri potius, quam numerari possunt. Ob quæ merito S. Eduardus Rex Anglo-saxonum dicere solebat , *Malle se carere Regno , quod sine cæde , & sanguine obtineri non possit.* Hoc exemplum potissime imitandum sibi proponant Principes catholici , ne unquam contra alios catholicos bellum indicent : quia *inhumanum valde est Christianum cum Christiano guerram facere*, Inquit D. Thom. *de erudit. Princip. lib. 7. cap. 8.*

228. Inq. 3. Quam notitiam de justitia belli debeant habere milites , ut obedire Regi præcipienti bellum licite valeant ? R. sub distinctione : vel sermo est de militibus subditis , & stipendiariis, qui esto alienigenæ , tamen stipendiis Regiis tempore pacis , & belli degunt ; vel de omnino extraneis , & conductis sponte inchoante bello. Primi possunt , & tenentur bellare , licet alias dubitent de justitia belli , ad ipsos enim non attinet examinare , sed obedire , quoties non eis certo constat de injustitia belli.

229. Secundi vero nequeunt militare, nisi prius certiores fiant saltem moraliter de belli justitia : quia cum ultronei se offerant , non sunt meri executores, sicut subditi , sed ferentes belli sententiam. Et idem est de militibus superioris ordinis , ac de omnibus , qui admittuntur

tur ad consilia, & ut causæ principales se habent : proindeque accurate examinare debent justitiam belli : & in dubio abstinere ; alias gravissime peccant, se, & alios exponendo periculo inferendi injuriam, & damna recensita utrique regno. Milites autem catholici preliari debent, sicut olim incliti Machabæi, *qui manus quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes*, prostraverunt superbum Nicanorem, ejusque audacem exercitum. 2. *Machab.* 15.

Punctum IV.

Quibus, & quando liceat bellare?

230. Inq. 1. An liceat clericis, & religiosis propris manibus in bello justo pugnare ? R. Prohibitum esse in jure clericis in sacris constitutis, & religiosis, etiam laicis, propriis manibus bellare. Rationem hujus prohibitionis tradit D. Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. quia religiosi, & clerici dicati sunt orationi, & cultui divino, quibus exercitia bellica sunt valde opposita. Nihilominus, si necessitas urgeret, se, suosque defendendi, aut bonum commune fidei, vel patriæ in gravi periculo esset constitutum, possent, & tenerentur id facere : quia lex naturalis omni legi humanæ prævalet. Et tunc casus religiosi, & clerici bellantes, licet propria manu occiderent, nullam incurrerent irregularitatem propter eamdem rationem. Nec prohibentur interesse exercitibus, & bello, ut subsidia spiritualia ministrent : quia hoc proprium sacerdotalis muneris est. Similiter possunt Episcopi, clerici, omnesque religiosi in bellis contra Mauros, hæreticos, aliosque Christiani nominis hostes, exercitibus catholicorum præesse, ut sancte, & laudabiliter fecerunt plures Præsules ecclesiastici, & venerabiles religiosi.

231. Inq. 2. An captivis Christianis liceat bellare pro infidelibus contra alios Christianos, quando ad id metu mortis coguntur ? R. neg. quia cum bellum sit injustum, intrinsece est malum cooperare ad illud : unde nequeunt propriis manibus contra eos dimicare, aut ignem tormentarium in naves Christianorum explodere. Valent tamen ex metu mortis, quidquid in oppositum dicat Concina, contra eos remigare, arma Turcis suppeditare, vel ad locum ab ipsis designatum transportare : hæc enim, eorumque motiva multum discrepant ab actionibus, & motivis famuli, de quibus loquitur propos. 51. damnata ab Innoc. XI. ut patet ex his, quæ promit Bened. XIV. *in Syn. lib.* 13. *c.* 20. *n.* 6.

232. Inq. 3. Quæ peccata solent committere circa bellum Principes, Duces, & milites ? R. Principes peccare. 1. Si indicent bellum offensivum absque urgentissima causa, & debito examine justitiæ. 2. Si contra Catholicos vocet in auxilium hæreticos, aut infideles non subditos. 3. Si non præficiant Duces moribus, & instructione digniores. 4. Si non invigilent supra Duces, & milites, ne modum Christianæ militiæ excedant, ne divina Majestas blasphemetur, aut ne crimina, & injustitiæ militum, saltem publica, impunita maneant. 5. Si militibus stipendia subtrahant. Si bello inchoato, illud prosequantur, oblata sibi condigna satisfactione.

233. Duces peccant gravissime contra justitiam. 1. Si Principum mandata transgrediantur, aut excedant modum justum damna inferendo, quæ ad victoriam non conducunt. 2. Si militibus stipendia suo tempore non solvant. Si non impediant pro viribus rapinas, stupra, vexationes in colonos, deprædationes, & alias injustitias militum. 4. Si victualia salubria, & alia necessaria militibus non ministrent. 5. Si pecuniam accipiant ab incolis, ne in suis locis diversentur, per quod alia loca plus gravantur : quia licet pro libito possint hic, aut alibi morari, injustum est hanc libertatem facere venalem, & alios populos ex pacto injusto gravare. 6. Si cum ex justo mandato Generalis exactiones colligunt a populis, conveniant pro tanta summa sibi danda cum aliquo particulari, ne ab ipso exigat portionem, quæ ei pro rata contingeret, ex quo alii necessario gravarentur. Si accipiant stipendia pro militibus jam mortuis, aut absentibus : vel alios supplantando, vel famulos pro militibus numerando. Peccant denique, si fideliter suo Regi non serviant, ita omnia

nia disponendo, ut victoria reportetur, seposita inertia, aut quocumque fine particulari.

234. Milites peccant 1. Qui parati sunt bellare sub quocumque Principe, qui majus stipendium præbeat absque respectu ad justitiam belli. 2. Qui castra, vel locum sibi designatum deserunt. 3. Qui ultra stipendium, seclusa extrema necessitate, aliquid surripiunt. 4. Qui temere periculo vitæ se exponunt. 5. Qui ultra sibi debita hospites gravant. 6. Qui debitum modum præliandi excedunt propter sævitiam, aut nimiam crudelitatem, vel rusticos vexant eorum agros, & bona depopulando. Hæc sunt peccata, quæ Duces, & milites solent frequenter in bellis committere. Aliorum testis est Deus.

235. Non licet in bello occidere directe innocentes: quia hoc jure gentium inhumanum est. Innocentes reputantur infantes, decrepiti, fœminæ, advenæ, peregrini, agricolæ, rustici, mercatores non habentes domicilia, Legati, & inter Christianos monachi, & Presbyteri. Hos omnes illicitum est occidere, nisi nocentes fuisse comperiatur: hoc est, nisi arma sumpserint ad præliandum. Nihilominus possunt aliquando occidi indirecte: si enim ita nocentibus admixti sint, ut sine illorum occisione victoria consequi nequeat, licitum est illos occidere: quia quando finis licitus est, etiam media ad illum necessaria licita sunt. E contra, nocentes, & rebelles occidi possunt tam in ipso conflictu, quam post illum, si eorum mors necessaria sit ad vindicandam injuriam, vel securitatem in posterum stabiliendam: quia vincens est judex, & superior eorum, & potest in pœnam delicti eos morte plectere, nisi sub promissione vitæ hostibus se se dederint. Possunt etiam victores privare libertate hostes captos, imo valent etiam innocentes in servitutem redigere, quando injuria civitatis hanc pœnam meretur. Tamen ex consuetudine inter catholicos præscripta, capti ab aliis Christianis in servitutem redigi non possunt. Hoc privilegio gaudent etiam hæretici; non tamen apostatæ.

236. Inq. 4. Ad quem pertineant spolia a militibus capta in bello? R. 1. Quod ubi adest consuetudo legitima deferendi omnia spolia mobilia ad Ducem, ut hic ea pro meritis distribuat, omnino observanda est. Inter benemeritos autem computari debent etiam illi, qui in exercitus ministerio spirituali deserviunt, sunt enim pars exercitus, licet ipsi de hoc non multum curare debeant. R. 2. quod bona mobilia in bello prædata fiunt primo occupantis. Ita statutum est jure Cæsareo ad lites vitandas, & milites animandos.

237. Ex his bonis excipiuntur, quæ gaudent jure postliminii, ut bobes, equi, & aliæ bestiæ, naves, currus onerarii, & similia, quæ si Turca, vel alius hostis in bello capiat, per milites vero nostros recuperentur, illis, quorum antea erant, debent reddi jure postliminii. Nam postliminium est *jus, quo restituitur alicui res usu capta, vel præscripta, quam amiserat propter captivitatem, vel servitutem, a qua reversus est.* Bona ergo immobilia in bello capta pertinent ad Principem victorem cum conditione, quod si inter ea reperiantur aliqua ab hoste injuste possessa, restituenda sint primis dominis, si ipsi hostes non sint.

238. Inq. 5. An repræssaliæ sint licitæ? R. Quod repressaliæ sunt *quædam compensationes damnorum, quæ ab hostibus sunt illata.* Vel sunt quoddam jus a Principe concessum invadendi terram, aut occupandi bona eorum, qui damnificaverunt usque ad justam damni compensationem. Sunt licitæ quinque conditionibus. 1. Ut authoritate legitimi Principis fiant. 2. Ut damna illata manifesta sint. 3. Ut qui mala intulerunt, debitam satisfactionem dare nolint. 4. Ut non amplius damni feratur, quam justa satisfactio exigit. 5. Ut non fiat contra personas ecclesiasticas, aut bona eorum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in particulares, & interdicti in communitates; nisi talem licentiam præsumptam intra mensem a die concessionis revocent. Ex cap. unico, *de injuriis in 6.*

239. Denique licitum est uti in bello stratagematibus, & insidiis ad impugnandum inimicos, & simulationibus, quæ mendacia non sint, judicanturque necessariæ ad victoriam consequendam. Ut

Jo-

Josue *cap.* 8. licite fugit, ut hostes abduceret ab urbe *Hai*, & reliqui milites irruerent in urbem. Numquam tamen sunt licitæ fraudes, & insidiæ contra fidem promissam, & jura belli. Unde non licet inficere veneno puteos, aquas, nec cætera necessaria ad victum. Nec corrumpere excubias, nec violare pacta, nisi prius hostes ea violaverint. Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 3.

240. Licitum est pugnare diebus festivis data necessitate, aut opportunitate, sine quibus nullo die potest licitum esse prælium. Vix enim, aut ne vix dari quit in bello actualis aggressio, absque necessitate: quia debet inchoari talibus circumstantiis, quæ anticipatæ, aut dilatæ exponunt maximo periculo amittendi victoriam, quod est contra bonum commune. *Ang. a.* 4.

Punctum V.

De rixa, duello, & seditione.

241. Inq. 1. Quid sit rixa? R. est *quædam contradictio in factis usque ad percussionem.* Vel *privatum bellum ex privata authoritate commissum, quo unus alterum lædere conatur.* Oritur ex ira, & est peccatum mortale ex genere suo ex parte aggressoris, pluries tamen est veniale ex parvitate materiæ, ut in puerorum rixis; ex parte vero se defendentis cum moderamine inculpatæ tutelæ nullum est peccatum, si autem cum gravi excessu læsionis se defendat, erit peccatum grave. *Ang. ibi. q.* 41. *a.* 1.

242. Inq. 2. Quid sit duellum? R. est *pugna singularis ab utraque parte ex condicto accepta, designato loco, & tempore cum periculo occissionis, aut gravis vulneris.* Dicitur *pugna singularis* ad distinctionem belli, qnod est præcise inter plures, & aliquando numero inæquales. Additur *ex condicto*, quia ex communi pacto inter partes indicitur. *Designato loco, & tempore*, quia alias erit pugna vaga: duellum vero requirit tempus, & locum præfixum, ita ut, si alterutrum deficiat, non est duellum. *Cum periculo occisionis, aut gravis vulneris*: quia si fiat absque tali periculo, ut si duo se provocent ad rixandum se pugnis, sine armis, aut instrumentis periculosis, non erit duellum: quapropter ad verum duellum quatuor requiruntur conditiones. 1. quod sit inter paucos. 2. quod fiat ex condicto partium. 3. designatio temporis, & loci. 4. quod fiat armis, seu instrumentis aptis ad occisionem, vel notabile vulnus. Duellum dicitur græce *Monomachia*, idest pugna singularis.

243. Inq. 3. Quotuplex sit duellum? R. est duplex, aliud solemne, aliud particulare, seu privatum. Primum fit carthelis, designatis patrinis, expectatoribus, & armis. Secundum privatim inter duo, quod proprie Monomachia est, aut inter quatuor, vel sex hinc, & totidem inde.

244. Inq. 4. An aliquando sit licitum duellum? R. solum esse licitum authoritate publica ad terminandum bellum, vel ad defensionem divini honoris, aut boni communis religionis: quia in primo casu bellum supponitur licitum, ergo potiori ratione duellum, in quo pauciores periclitantur. Unde videmus admissum, aut indictum duellum ad hunc finem a viris sanctis, uti fecit David contra Goliat, & S. Wenceslaus contra Ladislaum. In secundo quilibet potest occidere infidelem sacra prophanantem, aut exprobrantem agmina Dei, ejusque religionem, ergo valet admittere duellum pro defensione divini honoris, aut religionis,

245. Extra hoc casus illicitum est omnino duellum proprie tale: est enim peccatum gravissimum, inhumanum, & ferale prohibitum jure naturali, divino, & humano: quia tam provocans, quam acceptans absque justa causa se exponit periculo mortis, & propria authoritate alterum occidere intendit; quod est intrinsece malum, & ut tale prohibitum in quinto Decalogi præcepto. Deinde fuit reprobatum a Julio II. a Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 9. insuper a Pio V. a Greg. XIII. & a Clem. VIII. Exinde fuit damnatum ab Alex. VII. in propos. 2. quæ dicebat: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

243. Denique Bened. XIV. sua Constitutio-

tione, *Detestabilem*, circa illud proscripsit quinque propositiones sequentes.

I.

Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacare, sive offerat, sive acceptet duellum.

II.

Excusari possunt, etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas Dux, vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, & officii.

IV.

Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V.

Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia denegatur.

Quicumque prædictas propositiones, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsam impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi. Hucusque Bened. XIV. dicta Bulla edita die decima Novembris anno 1752.

247. Igitur licet olim variæ causæ putarentur sufficientes apud aliquos ad honestandum duellum, jam omnes latebræ opinionibus justissime ab Ecclesia occlusæ sunt. Unde nec ob timorem amittendi famam, honorem, officia, magistratus, dignitates, bona quæcumque, aut etiam ipsam vitam, potest indici, aut admitti duellum, etiam non animo pugnandi, nec vulnerandi, sed prætextu proprium honorem defendendi. Si autem scire cupias, quomodo notam timiditatis, aut animi dejecti evadere possit vir illustris ad duellum provocatus, respondeat: *Se ut Christianum, & Ecclesiæ filium nolle acceptare duellum prohibitum omni jure divino, & humano; verumtamen esse intrepide paratum ad sui justam defensionem propria manu, & ense suscipiendam contra quemcumque injustum aggressorem.* Vel dicat: *Ubicumque armis invasus fuero, armis me defendam; ita ut vitæ meæ consulam.* Nec enim verus honor situs est in vana vulgi opinione, sed in observatione legis divinæ, nec valor consistit in actionibus feralibus, sed in exercitio veræ virtutis. Ubique apud sapientes *fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit.*

248. Si vero casu occurrat tibi inimicus, aut alius, qui ad statim pugnandum provocet, & ibi sine mora acceptes, ac pugnes, licet grave peccatum committas, non tamen est formale duellum: quia non fit *ex condicto*: imo si tibi ille mortem ibi minetur, nisi acceptes, & prudenter timeas illum minas executurum, licite pugnare, & te defendere potes. Et etiam, si non aliter evadere possis, nisi occidendo, potes illum occidere, quia non acceptas duellum, sed vitam tuam necessario defendis.

249. Inq. 4. Quæ sint pœnæ impositæ contra duellantes? R. Imperatores, Reges, & alii domini temporales, qui locum ad duellum inter Christianos concesserint, ipsi bellantes, patrini, spectatores, non fortuito, sed ex proposito, & alii quavis ratione ad id suadentes, incurrunt pœnam excommunicationis *latæ sententiæ* reservatæ summo Pontifici, necnon perpetuæ infamiæ, privationis dominii, & territorii respective, ac proscriptionis omnium bonorum. Morientes autem in loco duelli, vel extra illum ex vulnere in duello accepto, licet signa pœnitentiæ dederint, vel a peccatis, & censuris absolutionem obtinuerint, privantur sepultura ecclesiastica, ex lauda-

ta

ta novissima constitutione Bened. XIV. declarativa, & extensiva aliarum. Omnes istæ pœnæ incurruntur propter quodlibet duellum vere tale, quantumvis privatum, ita ut censuræ, & privatio sepulturæ ecclesiasticæ incurrantur ipso facto, aliæ vero non, nisi post sententiam judicis, saltem declaratoriam criminis. Si bellaturi accedant ad locum destinatum, incurrunt excommunicationem, licet duellum impediatur, non ab ipsis, sed interventu amicorum. Duellator homicida minime gaudet immunitate ecclesiastica ex memorata constitutione Bened. XIV. patrini, expectatores deliberati, consulentes, fautores, seu complices, aut quicumque se immiscuerint, censuram incurrunt, licet duellum actu non sequatur, nisi per eos impediatur.

250. A prædicta excommunicatione propter duellum incursa, dum fuerit occultum, absolvere valent Episcopi, & etiam Confessari approbati per Bullam cruciatæ, nec non regulares. At, si fuerit publicum, solus Pontifex, vel qui ab eo facultatem, aut privilegium habent, absolvere possunt; & per Bullam cruciatæ semel in vita, & semel in morte.

251. Seditio est *tumultus ad pugnam unius partis reipublicæ contra aliam.* Si autem fuerit contra Principem, dicitur *rebellio*, quæ distinguitur specie a *seditione*, quia includit formalem inobedientiam, quæ reducitur ad schisma. Seditio ex genere suo est peccatum mortale: quia opponitur charitati, & unitati pacis. Causæ seditionis solent esse gravitas, & rigida exactio tributorum, variatio voluntaria consuetudinum populorum, aut regionum, violatio fœderum, aut privilegiorum, pœnuria victus, ministrorum nimius rigor, in exercitibus alimentorum, & stipendiorum morosa solutio: quare, ut tales tumultus evitentur, magna cura, & sollicitudine Proceres, & Duces has causas impedire debent. *Ang. q. 42. art. 1. & 2.*

CAPUT IV.

De scandalo.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio scandali.

252 INq. 1. Quid sit scandalum? R. Scandalum, quod græce idem sonat, ac latine offensio, est *dictum, vel factum minus rectum occasionem ruinæ spiritualis præbens proximo.* Sub nomine *dicti*, vel *facti* comprehenduntur etiam omissiones, ut in definitione peccati dictum est. Plurima scandala oriuntur ex omissionibus Principum, Magistratuum, Prælatorum, Judicum, & cujuscumque omittentis suo muneri satisfacere. Ponitur *dictum*, vel *factum*: quia debet esse actio externa: *Minus rectum*: quia non requiritur, ut sit vere malum, sed sufficit, quod habeat speciem mali. *Occasionem ruinæ spiritualis præbens*; non causam: quia a nullo extrinseco voluntas tamquam a causa trahitur ad peccatum: & quia non requiritur lapsus, sed sufficit occasio lapsus.

253. Dividitur scandalum in activum, & passivum. Activum est, quod jam diximus. Passivum *est ipsa ruina spiritualis proximi, accepta occasione ex dicto, vel facto alterius.* Deinde dividitur scandalum activum *in directum formale, directum non formale, in indirectum*, seu *interpretativum*, & in scandalum *per accidens.* Primum datur, quando inducitur proximus ad peccandum ex intentione expressa, & directa ruinæ spiritualis, ut alius gratiam amittat. Hoc peccatum est Dœmoniorum. Secundum datur, quando inducitur ad peccandum non propter ruinam, sed propter cupiditatem voluptatis, lucri, aut alterius utilitatis, ut qui inducit ad furtum, vel ad adulterium. Tertium datur, quando quis non inducit ad peccandum, tamen prævidens, aut prævidere debens, alios occasionem ruinæ accepturos, vel posse accipere, dicit, aut facit aliquid minus rectum, ut qui furatur, vel loquitur verba inhonesta coram aliis. Hæc tria sunt scandala per se. Quartum datur, quando quis in occulto pec-

cat, existimans a nemine videri; sed per accidens ab aliquo conspicitur, & forte scandalizatur: quod appellatur scandalum *per accidens*, & non constituit distinctum peccatum in confessione aperiendum; nisi forte ex sua culpa aspiceretur. D. Thom. 2. 2. *q.* 43. *a.* 1. *ad* 4.

254. Scandalum passivum dividitur in scandalum *fragilium*, *pusillorum*, *& Pharisæorum*. Primum est *ruina spiritualis proximi orta ex infirmitate*, ut si aliqui juvenes sint in platea, & per transitum innocentem puellæ moventur ad incontinentiam. Tunc, si ipsa hoc prævideat, & possit absque incommodo, debet alio transire, vel domi se continere. *Pusillorum*, vel parvulorum est *ruina spiritualis orta ex ignorantia causæ*: ut siquis in die jejunii carnem comedat ex necessitate: vel Sacerdos ingrediatur ad domum puellæ ad eam instruendam: ex quibus aliqui scandalizantur, debent isti moneri de causis, ne ulterius malum suspicentur. *Pharisæorum* est *ruina spiritualis orta ex pura malitia*: ut in dictis casibus, aut similibus post monitionem, & semper, ac opus, vel verbum undequaque bonum accipitur in malum: ut contingit in verbis, & miraculis Christi Domini, quæ in malum captabant Pharisei: ex quibus dicitur *scandalum Pharisæorum*.

255. Inq. 2. An semper scandalum activum reperiatur cum passivo? R. neg. potest enim dari cum passivo, ut dum quis præbet, & alter accipit occasionem peccandi; & potest dari activum sine passivo, ut quando quis dat occasionem, alter vero non accipit; sed contemnit. Similiter valet dari passivum sine activo, ut in scandalo Pharisaico, aut per accidens, ut in scandalo pusillorum, quando ex verbo, vel facto ex se bono sumitur occasio ruinæ ex ignorantia causæ. Ang. Doct. *ibi. ad* 4.

256. Inq. 3. An scandalum sit speciale peccatum? R. scandalum activum esse speciale peccatum contra charitatem, & correctionem fraternam. Constat ex Matth. 18. *Væ mundo a scandalis: necesse est enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit*. Ubi particula *væ* enormem malitiam scandali activi ostendit. Unde est peccatum mortale ex genere suo: potest autem esse veniale ex parvitate materiæ, & ex imperfecta deliberatione. D. Thom. 2. 2. *q.* 43. *a.* 3. *&* 4.

257. Objic. Quod est necessarium, non est peccatum; sed necesse est, ut veniant scandala, ergo scandalum non est peccatum. R. quod verbum Domini intelligitur, supposita hominum fragilitate, & malitia, quod non tollit voluntarium, & peccatum.

258. Inq. 4. An detur peccatum scandali, quin expresse intendatur proximi ruina? Ut dum quis furatur coram aliis, nullum inducendo expresse ad furandum. R. affirm. quia semel, quod sit scandalum, est de se inductivum ruinæ spiritualis proximi, ergo si prævideatur, licet expresse non intendatur, constituit speciale peccatum contra charitatem in confessione explicandum. D. Thom. *ubi sup. a.* 3. *in corp.*

259. Confirmatur: qui apponit ignem juxta segetes alterius, prævidens posse comburi, licet hoc non intendat, peccat contra justitiam. Ulterius, alius videns prædictum ignem appositum, prævidensque segetum combustionem, tenetur ex charitate ignem extinguere, si commode potest, & omittens extinctionem peccat contra charitatem, ergo similiter peccat, tribuens scandalum cum prævisione ruinæ spiritualis, esto illam non intendat. Declaratur amplius ex ethimologia scandali. Nam scandalum dicitur ab offensione, seu offendiculo posito in via, ut alter impingat. Igitur, qui lapidem offensionis, seu laqueum poneret in publica via, prævidens aliquos posse cadere, & offendi, licet hoc expresse non intenderet, proculdubio peccaret contra justitiam, & omnium damnorum esset reus, ergo pariter de scandalo, quod est offendiculum spirituale.

260. Objic. 1. Peccatum speciale opponitur speciali virtuti; sed scandalum non opponitur virtuti speciali, cum ruina proximi expresse non intenditur, ergo non est peccatum speciale. R. neg. min. quia ut scandalum sit peccatum speciale, minime requiritur, quod ruina proximi expresse intendatur, sufficit enim, quod indirecte, & implicite sit volita, & hoc accidit in omni circumstantia in objecto

præ-

prævisa : ut patet in furto rei sacræ, ubi ad sacrilegium sufficit, quod res sit sacra, licet non auferatur ut sacra.

263. Objic. 2. Scandalum activum, & passivum sunt correlativa, & sibi correspondent ; sed passivum non est speciale peccatum, ergo nec activum. R. neg. major. quia scandalum activum, & passivum non sunt proprie correlativa, datur enim activum, sine passivo, & passivum sine activo, quod contra rationem correlativorum est. Quando autem simul reperiuntur, non in omnibus sibi correspondent : quia passivum non participat rationem specificam, & formalem scandali, sed tantum rationem communem, proindeque divagatur per omnia vitia. Activum vero præter rationem communem habet rationem specificam oppositam charitati, & correctioni fraternæ. Sed pro majori claritate.

262. Inq. 5. Quot malitias includat peccatum scandali ? R. quod in peccato scandali saltem duplex malitia specie diversa includitur, una contra charitatem, & alia speciei illius peccati, de quo datur scandalum. Hoc in scandalo directo omnes fatentur. In scandalo autem indirecto idipsum esse verum nobis videtur. Unde qui consilium præbet quatuor personis, ut furentur, octo peccata committit : quatuor scandali, & quatuor furti; at dum quis furando incitat easdem personas ad furtum, committit novem peccata, nempe octo recensita, & aliud furti, quod ipse perpetrat. Et ita de reliquis, aut similibus.

263. Advertas autem, quod in casu consilii inducens ad furtum, tenetur ad restitutionem in defectu aliorum : quia est causa moralis furti ; in casu vero meri scandali, dum quis suo pravo exemplo, absque alia cooperatione, seu consilio inducit alios ad furandum, non est causa, sed præcise occasio, ideoque ad restitutionem non tenetur ; nisi ex pravo animo alios excitandi id efficeret, juxta alibi dicenda, aut alias ex officio teneretur ad impedienda damna proximi. Advertas etiam, quod in omnium sententia debent in confessione explicari prædicta peccata, omnesque circumstantiæ specificæ in eis repertæ : nam controversia inter nostram sententiam, & oppositam solum est, an scandalum sit peccatum speciale, vel generale, dum non intenditur expresse ruina proximi ; omnes tamen conveniunt in obligatione explicandi in confessione omnia, quæ diximus.

264. Inq. 6. An inducens alium ad peccatum veniale committat mortale ? R. neg. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 43. *art.* 4. ubi ait : *Si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale.* Ratio est, quia, cæteris paribus, gravius peccat causa phisica, & moralis peccati, quam tantum moralis; sed causa phisica, & moralis peccati venialis solum venialiter peccat, ergo a fortiori causa moralis, ut est inducens, aut consulens: igitur inducens ad furtum undique leve, licet duo peccata venialia committat, unum contra charitatem, aliud contra justitiam, minime tamen graviter peccat.

265. Objic. cum Vazquez oppositum asserente : Inducens ad malum grave temporali peccat graviter ; sed peccatum veniale est malum gravius omni malo temporale, ergo inducens ad peccatum veniale peccat graviter. R. disting. min. Peccatum veniale est malum gravius omni malo temporali in *diverso ordine*, concedo min. in *eodem ordine*, nego min. & consequentiam. Quodlibet malum in suo genere, seu ordine spectandum est : cum ergo peccatum veniale sit ordinis superioris, in quo absolute est malum leve, hinc inducens ad illud solum venialiter peccat.

266. Verum est, posse aliquando per actum de se levem, præberi scandalum grave proximo : Ut si Episcopus, Parochus, aut quis similis proferret leve mendacium, aut verbum minus honestum coram personis, quæ ex hoc grave scandalum paterentur. Et idem est de actione alias indifferenti, aut bona ex objecto: quæ omnia sollicite cavenda sunt, ne sint occasio ruinæ in proximum.

267. Inquires 7. An liceat consulere minus malum parato committere majus? Tria supponit quæstio : 1. quod non liceat consulere minus malum, si alia via possis impedire majus. 2. quod nequeas suadere minus malum infligendum Petro, ut retrahas a Paulo majus : sicut nec

suadere vales fornicationem illi, qui paratus est committere tantummodo adulterium, aut sodomiam: quia esses vera causa peccati, ad quod alter non erat paratus. 3. quod sensus quæstionis solum est, an parato perpetrare duo mala possis consulere minus, ut eum avertas a majori? Ut si Antonius paratus omnino est occidere Joannem, & ad ejus pecunias auferendum, possis suadere furtum, ut impedias homicidium.

268. R. affirm. Primo, quia tale consilium est conditionale, hoc est, *si utrumque malum commissurus es, contentus sis cum minori.* Secundo, quia sic consulens, potius inducit ad bonum, quam ad malum: inducit enim ad omissionem majoris mali, in quo nulli damnum infert, & omnibus deservit. Quia in primis deservit aggressori, quem a graviori crimine retrahit; deinde aggresso, quem a graviori damno liberat; denique Deo, cujus majorem offensam impedit, cupiens impedire etiam minorem, si posset, ergo licite, & prudenter agit. Quis enim improbare jure valet, quod si aggressor animo deliberato constituit occidere Petrum ad ejus pecuniam furandam: quia ignorat aliud medium ad furtum exequendum, tu sciens modum, & medium, non possis instruere aggressorem, quem alia via non vales avertere ab utroque crimine? Quod autem in hoc casu non detur peccatum scandali, luce clarius est, quia aggressor supponitur omnino determinatus ad utrumque facinus perpetrandum.

Punctum II.

Quæ opera omittenda sint ad vitandum scandalum.

269. Pro resolutione observa præcepta esse in triplici differentia. Alia sunt juris naturalis, ut subvenire in extrema necessitate. Alia sunt juris divini positivi, ut præcepta fidei, & sacramentorum. Alia juris humani, ut præceptum jejunii. Quæ omnia D. Thom. reducit ad veritatem *doctrinæ*, *vitæ*, & *justitiæ*. Veritas *doctrinæ* consistit in docendo ignorantem. Veritas *vitæ* dicit rectitudinem propriam per divinæ legis observationem. Veritas *justitiæ* sita est in ordine ad proximum, ne circa commercia humana aliquod nocumentum patiatur. Supponitur autem propter scandalum Pharisaicum nullum opus bonum esse omittendum: oritur enim ex pura malitia, propterea que omnino despiciendum. Quibus prænotatis.

270. Dicendum est 1. ob nullum scandalum posse omitti veritatem doctrinæ, falsum positive docendo, etiam in materia levi, aut quando est necessaria ad bonum commune religionis: aliquando tamen omitti licite valet, ne scandalum subsequatur. Tres partes continet conclusio, & probatur quoad 1. quia mendacium est saltem peccatum veniale; sed ob nullam causam quit committi peccatum veniale, ergo nec omitti veritas doctrinæ dicendo positive falsum, etiam in materia levi. Quoad 2. partem prob. Quia bonum commune, aut religionis omni alteri damno præferendum est, erg. quando veritas doctrinæ est necessaria ad bonum commune, seu religionis ob nullum scandalum, aut motivum omitti debet. Probatur quoad 3. partem ex illo Joan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, ergo veritas doctrinæ aliquando potest omitti juxta temporis, loci, vel audientium circumstantias. Ang. Doct. *art. 7. ad 2. & 4.*

271. Dicendum est 2. Præcepta negativa juris naturalis numquam posse violari propter scandalum: quia hujusmodi præcepta obligant semper, & pro semper, ita ut eorum transgressio sit intrinsece mala, sicut perjurium, homicidium, & similia, ergo ob nullum scandalum violari possunt. Idem teneas de præceptis fidei, ac sacramentorum, & de omni quod hic, & nunc est de necessitate salutis, & omitti nequit absque peccato: quoniam nemini licet peccatum etiam veniale committere ad vitandum quodlibet malum quamtumvis gravissimum, sive in se, sive in alio. Est enim implicatio contradictionis malum esse, & licere, aut peccatum esse, & fieri debere. Ut ait D. Thom. 2. 2. *q. 43. art. 7. ad 5.*

272. Dicendum est 3. Præcepta affirmativa juris naturalis, & positivi divini

ali-

aliquando posse, & debere differri, aut etiam omitti ad vitandum scandalum pusillorum, & fragilium: quia aliquando scandalum oritur ex proximi ignorantia, aut fragilitate, cui compati, & subvenire ex charitate debemus pro temporis opportunitate. Hinc licet correctio fraterna sit de jure naturali, & divino affirmativo, omitti potest, & debet, quando ex ea plus damni, quam utilitatis prævidetur consequendum. Deinde præceptum vitandi scandalum est naturale, ergo superat obligationem cujuslibet præcepti humani. Hinc si, te a domo exeunti, prævideas gravem rixam inter domesticos orituram, debes manere domi, & abstinere etiam a sacro audiendo. Item si Sacerdos prudenter timeat ex concursu civium ad sacrum graves discordias orituras, debet semel, aut iterum a sacro abstinere, donec opportuna media ad eas vitandas sumantur.

273. Alii idem dicunt de triplici casu sequenti, nempe de fœmina prævidente se impudice conspiciendum a juvene, si ad sacrum exeat. De omissione integritatis confessionis propter scandalum Confessarii ex auditione peccatorum: & de uxore prævidente maritum grave sumere offendiculum de suo jejunio quadragesimali, quo maceratur. Hi tres casus multum redolent scandalum Pharisæorum, ideoque rarissime, aut vix admittendi sunt, quia tota malitia oritur ex aliorum prava voluntate, & alias janua aperitur ad virtutis opera facile prætermittenda. Nec est simile de inserviente infirmis, aut de milite excubias agente, aliis deficientibus, vel de illo, qui a sacro abstinet, ne domus propria, aut aliena incendatur, sive spolietur, quia in his casibus malum non oritur præcise a malitia ejus, qui prava voluntate illud patitur, sicut in prioribus: nam in primo de serviente infirmis intervenit jus naturale absolutum absque illius malitia: in secundo de milite periclitatur bonum commune, & in reliquis, particulare.

274. Dices: concurrentibus duobus præceptis, quorum utrumque observari nequit, servandum est majus; sed præceptum vitandi scandalum est majus, quam præcepta audiendi sacrum, integritatis confessionis, & jejunii, ergo hæc omittenda sunt, ad illud observandum. R. principium illud admittit suas exceptiones, ut videre licet in præceptis administrandi viaticum, celebrandi vestibus sacris, aut jejuno Sacerdote: hic enim non potest celebrare non jejunus, nec sine vestibus sacris ad ministrandum viaticum, licet hoc præceptum sit divinum, & alia duo tantum humana. Igitur esto præceptum vitandi scandalum per se, & ex intentione datum sit naturale, & divinum; tamen si scandalum sit præter intentionem, & solum acceptum, non tenemur illud vitare, omittendo alia præcepta. Vide D. Thom. loco cit. *art. 7. in corp.*

275. Denique advertas, quod si ex omissione præcepti sequatur grave damnum proximi, adimplendum est, licet inde timeatur scandalum: qua ratione Pastor debet baptizare infantem morti proximum, esto alii sumerent occasionem blasphemandi sacramentum, vel quid simile. Mulieri in extrema necessitate, si per alium non posses, teneris subvenire per te ingrediendo ejus domum, quamvis ex ingressu sequatur scandalum: charitas enim magis favet innocentiæ, quam malitiæ, nec per hanc debet mulier fame perire.

276. Dicendum est 4. Opera de consilio omittenda, seu differenda esse propter scandalum pusillorum, donec moneantur, & instruantur de causa, & ratione: qua reddita, si adhuc scandalum duret, est contemnendum ut Pharisaicum: ratio eadem est, quam supra dedimus pro præceptis affirmativis. Unde si quis intendat ingredi religionem, aut sumere statum ecclesiasticum, prævidens parentes suos passuros scandalum pusillorum persequendo, & convitiando filium, & religionem, debet aliquantulum abstinere, usque dum eis de sua vocatione reddat rationem: qua data, si adhuc parentes non acquiescant, non tenetur desistere ab ingressu, vel statu sumendo; maxime si nimia dilatio cederet in damnum notabile profectus spiritualis; quia jam scandalum pusillorum transit ad Pharisaicum penitus negligendum. Ang. Doct. *ibi. a. 7. in corp.*

277. Inquires, an temporalia bona propter scandalum aliorum sint dimitten-

tenda? R. sub distinctione: Vel sunt nostra, vel nobis commissa ad custodiam, & depositum. Si hoc secundum, minime sunt dimittenda, sed accurate custodienda: quia nullum dominium habes in illa. Si autem commissa sunt alicui ad eorum rectam administrationem, ut Prælatis ecclesiasticis, aut regularibus prudenter ea administrare debent, ita ut, nec propter ipsorum ignaviam deperdantur, nec propter nimiam sollicitudinem, aut vexationem debitoribus factam, præsertim pauperibus, scandalum pusillorum oriatur; quando autem compelluntur juste vexate debitores, ostendant, se aliter suo muneri satisfacere non posse: quia proventuum Ecclesiæ, aut monasterii non domini, sed meri custodes, aut administratores sunt. Væ autem Prælatis illis, qui vel timore tantillum insumendi in vindicandis juribus monasterii, vel amittendi aliquorum amicitiam, vel sub pretextu fictæ pacis negligunt defendere jura, & bona suæ curæ, & fidelitati commissa, ex quo perpetuum non semel dispendium monasterium patitur. Vid. D. Thom. *a.* 8. *in corp.*

278. Si primum, hoc est, quando bona temporalia sunt propria, aliquando omittenda sunt propter scandalum pusillorum, aut alia via scandalum præcavendum: quia damnum spirituale proximi præferre tenemur bono temporali proprio, dum absque notabili incommodo nostro, aut alieno impediri possit. Raro evenire potest casus, in quo teneamur bona temporalia in notabili quantitate dimittere propter scandalum pusillorum. Sed accipe unum claritatis gratia. Si persona ecclesiastica, vel laica absque familia habens propria patrimonialia sufficientissima ad suum statum instituatur ab amico hæres omnium, vel fere omnium bonorum, cum testator haberet consanguineos, licet remotiores, pauperes cum periculo mendicitatis, vel agendi miseram vitam: in hoc casu teneretur hæres, vel cedere eis hæreditatem, aut portionem, vel curam eorum suscipere ad vitandum scandalum ipsorum, imo & prudentum, qui juste commoverentur contra retinentem hæreditatem, & nolentem succurrere consanguineis miseris, & derelictis. Hinc intelligas injuste agere illos, qui testantur in favorem famulorum sibi inservientium, relictis consanguineis pauperibus.

279. Circa scandalum Pharisæorum sic loquitur ad rem D. Thom. *Aliquando vero scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisæorum. Et propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda, quia hoc, & noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, quia retinendo aliena in peccato remanerent.* 2. 2. *q.* 43. *art.* 8.

Punctum IV.

De cooperatione ad peccatum scandali.

280. Circa actiones, quæ dici debeant cooperari ad peccatum scandali, tanta est varietas inter authores, ut fere arbitrarie aliqui in pluribus loqui videantur: quoniam absque ulla diversitate in cooperatione hanc reputant malam, & illam ab omni malitia liberant. Sit exemplum. Necessitate cogente, potes petere mutuum ab eo, quem prævides non tibi daturum, nisi sub usuris: at eadem necessitate, non vales locare domum meretrici, juxta aliquos; si autem disparitatem quæras, vix ullus adæquatam præbebit. Verumtamen.

281. Inq. 1. Quando aliquis dicetur cooperari peccato scandali? R. duplicem esse cooperationem; aliam proximam, & formalem, aliam remotam, & materialem. Proxima, & formalis est actio de se influxiva in peccatum, vel quæ hic, & nunc ordinatur ad peccatum: hujusmodi cooperatio penes omnes est peccaminosa, & illicita. Suas tamen admittit exceptiones, ut in conjuge cum causa redenti extra bimestre debitum alteri conjugi voto castitatis ligato, & in Parocho ministrante Eucharistiam peccatori occulto, eam publice petenti. In his autem, & similibus, licet cooperatio sit proxima, non tamen formalis, quia hæc semper est illicita, & peccatum scandali illius speciei, in quo alter peccat.

282. Cooperatio remota, & materialis est actio ex se non mala, seu indifferens, qua alter potest uti sine peccato. Hujusmodi autem cooperatio remota li-

licita est, dummodo adsint, juxta aliquos, septem conditiones 1. quod actio cooperativa de se sit non mala, sed indifferens. 2. quod intentio cooperantis sit eliciendi actionem propriam ordinatam ad finem honestum. 3. quod adsit justa causa ad talem actionem eliciendam. 4. quod non teneat ex officio impedire peccatum alterius. 5. quod talem actionem denegare non possim sine proprio damno. 6. quod, etiam me non cooperante, adhuc malum fieret. 7. quod alter actione mea non sit abusurus in damnum religionis, aut reipublicæ. Verum omnes istæ conditiones ad unicam reduci possunt, nempe quod adsit necessitas, seu causa rationabilis eliciendi operationem alias bonam secundum qualitatem negotii, & materiæ. Omnes aliæ, vel supponi debent, vel includuntur in ista.

283. Unde, justa causa, aut necessitate cogente, poteris petere sacramenta a ministro notorio peccatore; mutuum ab usurario; juramentum ab infideli; vendere res, quibus omnes uti possunt sine peccato; emere a mercatore, qui omni pene verbo in juramenta, & maledictiones erumpit. Potest similiter mulier se fenestræ exponere, & a domo exire, quamvis prævideat juvenem illam impudice conspecturum: quæ omnia absque necessitate, & causa rationabili sunt illicita, & penitus omittenda: Quia omne scandalum, etiam Pharisaicum, ex charitate vitare debemus, quando absque incommodo proprio possumus. Ex opposito autem, scandalum mere acceptum, aut passivum præter intentionem operantis, nemo tenetur vitare cum notabili detrimento proprio. Charitas enim non præcipit nobis impedire malum alterius, quod ex sua voluntate pendet, nisi cum commode valemus.

284. Si vero operatio principalis hic, & nunc nequeat fieri sine peccato, non potes cooperari ad illam, etiam per actionem alias bonam, aut indifferentem; quia ratione circumstantiarum exuit indifferentiam, & fit mala, ac proinde illicita. Unde non potes vendere venenum, si non habeat alium usum præter occisionem hominis, vel ad istam tibi petatur; nec potes vendere agnum Judæo, qui illum poscit ad immolandum, nec comitare herum ad furandum: vel quid simile faciendum. Nisi forte ex metu mortis; nam ex metu mortis possunt fieri actiones, quæ intrinsece non sunt malæ, licet ex malitia alterius exuant indifferentiam, ut patet ex dictis de captivis Christianis supra *num.* 231. Hinc valet resolvi ille casus, videlicet, an Petrus ex metu mortis incusso a Cajo, possit subripere clam a Paulo v. g. centum aureos? R. affirm. quia talis acceptio in casu non est furtum, non enim est acceptio invito domino rationabiliter: cum Paulus debeat præferre vitam Petri propriæ pecuniæ, consentireque acceptioni; nisi illa pecunia necessaria foret ad vitam ipsius domini conservandam.

285. Inq. 2. An liceat inducere ad jurandum verum, quod juraturus ignorat esse verum? ut quando scholasticus vult probare cursum, cui recte interfuit, sed carens testibus, qui ejus assistentiam viderint, adhibet alios, qui eum interese non viderunt, sed moraliter certi sunt de veritate, eoquod a fide dignis audierunt. R. neg. quia tales testes reipsa non jurant, quod sufficienter sciunt juxta præsentem materiam; in judicialibus enim solum potest certo jurari, quod oculis videtur: possunt quidem jurare se prudenter credere scholasticum interfuisse, nequeunt tamen jurare, ita rem esse. Idem teneas circa alia negotia, & materias.

286. Inq. 3. An possis inducere ad jurandum id, quod falsum esse cognoscis, jurans tamen credit esse verum? R. minime posse: quia nullus inducere valet ad id, quod est malum objective, esto illud committens excusetur a peccato ob ignorantiam; sed falso jurare est objective malum, ergo ad id inducere est illicitum, & peccatum scandali, licet committens, seu jurans ex ignorantia credat verum esse. Unde illicitum est, & peccatum scandali inducere alium ad jurandum Petrum esse nobilem, aut honorifica officia obtinuisse, quando inducens scit esse falsum, licet jurans crederet esse verum. Nec obest, quod non sequatur proximi ruina, quia essentia scandali non est sita in eo, quod sequatur, vel non ruina proximi, sed in eo quod opus ex se sit inductivum ruinæ. Unde sicut

non excusaris a peccato scandali ex eo, quod alius ob suam virtutem tuis pravis dictis, aut factis non scandalizetur, ita similiter de inducente ad prædictum juramentum.

287. Inq. 4. An caupones, aut famuli possint licite ministrare carnem, aut cœnam tempore jejunii hospitibus, aut heris? R. Si prædicti certo sciant hospites, aut heros nulla causa excusari, minime posse eis ministrare: quia nemini licet ministrare in actionibus prohibitis per aliquam legem, sub qua illas exercens comprehenditur, hoc enim est objective malum; sed ex suppositione, quod nulla causa excusentur hospites, aut heri, sub lege jejunii comprehenduntur, ergo caupones, aut famuli non valent eis carnem, aut cœnam ministrare. Sed quia famuli, & caupones præsumere debent dominos, vel hospites ob aliquam causam infirmitatis, aut fatigationis excusatos esse a lege abstinentiæ, vel jejunii; ideo quando sibi contrarium non constat, licite possunt eis petentibus ministrare cibos vetitos, cum rationabiliter præsumant exemptos esse a dictis legibus.

288. Inq. 5. An tabernarii possint vendere vinum illis, quos inebriandos prævident? R. tabernarius vendens vinum, ut suum munus adimpleat, non est reus peccati alterius se inebriantis; hoc enim provenit non ex venditione, sed ex immoderata potatione; & licet ob amissionem levis lucri nequeat tabernarius vendere vinum eis, quos inebriandos prævidet, quia damnum spirituale proximi præponderat damno temporali levi: id tamen efficere valet ex metu gravis jacturæ, quia venditio vini est actio ex se bona, & nemo tenetur vitare alterius peccatum cum gravi jactura propria. Qua ratione valet illud vendere ex metu mortis, etiam eis, qui illud petunt ad se inebriandos, nullus enim cum dispendio vitæ tenetur impedire alterius peccatum, quod ex sola sua malitia procedit. Caveant autem vendere vinum tabernariis, quos sciunt deinde aliis iterum vendituros illud aqua mixtum, pro viribus quippe impedire tenentur hujusmodi fraudes, & injustitias. Sicut etiam deponentes suas pecunias apud fœneratorem, qui eis abutitur ad usuras: hæc enim depositio non est licita absque gravi necessitate; ut si alium non invenias, cui secure conservandam pecuniam tradere possis.

289. Inq. 6. An fœmina sciens nobis Carmelitis extra domum carnes graviter esse prohibitas, peccaret mortaliter ministrando alicui nostrum eas, ita artificiose conditas, ut illas comedens non agnosceret. R. affirm. quia Carmelitis Discalceatis est prohibita comestio carnium extra conventum sub præcepto formali absque necessitate, & licentia in scriptis, ergo comestio earum, esto ignorata, est respectu illorum objective mala, ac proinde etiam inductio ad illam est illicita, & peccaminosa, eodem pari modo, quod inductio ad jurandum, quod jurans putat esse verum, inducens autem cognoscit esse falsum.

290. Nec obstat, quod inducens non intendat ruinam proximi, neque quod ista reipsa non detur propter ignorantiam comedentis; sufficit enim ad peccatum scandali inductio ad transgressionem, licet materialem, legis; alias licite posset quilibet sæcularis idem efficere cum alio sæculari die veneris, aut in quadragesima, quod nemo jure asserere valet.

Punctum IV.

De peccato scandali contra castitatem.

291. Cum malitia scandali fere totam Theologiam moralem transcendat, frequentius tamen candorem castitatis maculat, ideo illa dubia hic circa eam prælibanda censemus, quæ lucem aliis præstare valeant.

292. Inq. 1. An committat peccatum scandali, qui a fœmina parata ad copulam consensum exigit? R. affirmative, quia, ut sæpe diximus, ad peccatum scandali sufficit apponi opus inductivum ruinæ spiritualis. *Confirmatur*: esto fœmina parata sit ad copulas, non tamen hanc apponeret, alio non inducente, ergo hic est reus hujus numero copulæ, & consequenter peccati scandali respectu illius.

293. Objicies 1. Fornicatio ut sic non habet malitiam scandali; & nihilominus petit ex natura consortium alterius, ergo

go, vel ad illam inducere fœminam paratam non est peccatum scandali: vel ex se illud includit, quod est falsum. R. neq. conseq. Nam ut verificetur fornicationem ut sic non includere peccatum scandali, sufficit in aliquo posse absque illo inveniri, quod vere accidit in qualibet fœmina, aut viro ad eam inductis: quicumque enim habet copulam solutam ex inductione complicis, tantum committit peccatum fornicationis: Unde hæc ex natura sua non includit peccatum scandali; ex parte vero inducentis semper illud includit. Qua ratione fœmina inducens debet inductionem explicare in confessione; in viro autem supponitur, quando oppositum non declarat. Demum, si velis dicere fornicationem numquam peragi sine peccato scandali, non inficiamur, eo quod uterque, vel suggerit, vel consumat ruinam sui complicis, licet gravius peccet provocans.

294. Objic. 2. Petere mutuum ab eo, qui paratus est ad dandum illud sub usuris, non est peccatum scandali, ergo nec petere consensum a muliere parata ad copulam. R. neg. ant. si loquatur extra casum necessitatis, aut rationabilis causæ: cumque hæc nequeat dari ad fornicationem, ideo ista ex parte inducentis semper est peccatum scandali. Cur autem possit dari causa ad petendum mutuum, non tamen ad petendum prædictum consensum, ex se patet: Prima enim petitio concedi valet absque ullo peccato; minime vero secunda.

295. Inq. 2. An in ornatu mulierum detur peccatum scandali? R. ex D. Th. 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. Quod mulier se ornans, vel ut placeat viro suo, vel juxta qualitatem personæ, ac status sui decentiam, nullum peccatum committit: quia quilibet habet jus ad se induendum juxta exigentiam personæ, & status. Si autem se ornet prava intentione provocandi ad luxuriam, graviter peccat. Si id faciat ex quadam vanitate, & jactantia erit grave, aut leve secundum circumstantias, quæ occurrere possunt. Idem dicimus, quando ornatus est superfluus, dummodo non sit nimis superfluus, meretricius, aut præter consuetudinem aliarum ejusdem conditionis. Oportet enim distinguere duplicem ornatum, alium pretiosum auro, gemmisque intextum; alium impudicum, aut inverecundum. Primus ex se est indifferens, alias neque in Regina, aut Imperatrice liceret. Secundus semper est illicitus, & peccatum scandali juxta qualitatem excessus.

296. Inq. 3. An liceat mulieribus nudata pectora, & mamillas deferre? R. neg. quia hæc profana nuditas valde incitat ad venerem: unde omnes fœminæ incedentes hac pestifera nuditate indigne omnino sunt beneficio absolutionis, & a sacra Sinaxi, imo & a templis penitus repellendæ; utpote propinantes venenum, & continuo peccato scandali maculatæ. Idem dicimus de illis fœminis, quæ ita operiunt pectora linteolo raro, aut transparenti, ut omnino videantur: propter eamdem rationem, & quia similis opertura plus acuit, quam avertit attentionem.

297. Idipsum generaliter teneas de omni alio, quod pudorem christianum offendere possit circa vestium usum, vel abusum, luxum, aut nimium fastum: est enim peccatum scandali juxta gradum incitationis ad libidinem; imo ex alia radice illicitum est, nempe propter expensas, quæ sunt in ornatu superfluo, immoderato, & exquisito: quod pertinet ad prodigalitatem. Unde non semel vanæ mulieres notabile dispendium inferunt maritis, familiæ, creditoribus, & etiam pauperibus; cum enim omnia in vanitatibus insumunt, nihil ad solvenda debita, neque ad eleemosynam faciendam, sibi superesse arbitrantur. In quo genere peccati ipsi viri infeliciter participant, non solum propter permissionem, qua mulieribus nimium indulgent, sed propter excessum, quo se ipsos explendide induere satagunt. Non enim nobiles se reputant, nisi quotidie, ut camaleones, mutent indumenti colorem. Si autem hoc reprobatur in sæcularibus, quid dicendum de ecclesiasticis? Angelicus Doctor concedit eis, qui in dignitate constituuntur, & aliis dum altari deserviunt, pretiosas vestes tantum ad cultum, & honorem Dei: exinde docet, præcipue competere vilibus vestibus uti illis, qui verbo, & exemplo alios ad pœnitentiam hortantur, sicut fecerunt Profetæ, 2. 2. *q.* 169. *a.* 1. *ad* 2.

298. Inq. 4. An mulier prævidens se turpiter conspiciendam, possit licite in publicum exire? R. sub distinctione, vel mulier prudenter timet, quod, inspecta fragilitate humana, se propter suam venustatem ab aliquo in communi fœde conspiciendam absque determinatione personæ, loci, & temporis: in hoc casu, potest absdubio in publicum exire: quia est periculum remotum, ad quod vitandum nemo tenetur. Si hoc prævideret propter ornatum vitiosum, deberet illum moderare ad mensuram sui status, & conditionis. Vel prævidet se turpiter amandum ab aliquo in particulari, aut ab aliquibus in tali loco, aut convivio, in hoc casu debet differre exitum, & illuc non concurrere, si absque incommodo valeat, quia charitas præcipit vitare malum proximi, quod absque detrimento notabili præstari potest.

299. Unde si mulier prævidens alterius libidinem, aut turpem erga se amorem, se offerat indifferenter ejus aspectui, absque ulla necessitate, licet non intendat malum, sed suæ satisfacere levitati, committit grave peccatum scandali: econtra, si vir in omni via, & loco expectaret honestam fœminam, posset ista, postquam domi se aliquando continuit ad ejus periculum vitandum, sua libertate uti, & licite ex rationabili causa in publicum prodire, despiciendo ejus scandalum Pharisaicum. Circa aditum ad Missam audiendam, & negotia temporalia peragenda dicimus, quod si absque incommodo notabili possit adire Ecclesiam per aliam viam, aut differre prædicta negotia, debet quælibet fœmina ita se gerere ad vitandum detrimentum spirituale prævisum in juvene. Si autem non sit alia via ad Ecclesiam, nec possit absque jactura propria differre negotia temporalia, licitum est ei, sibi providere in spiritualibus de præcepto, & in temporalibus, neglecta alterius prava voluntate, & malitia. Væ autem fœminis, quæ immoderato cultu, & ornatu minus honesto pro sua voluntate, jactantia, & levitate se conspiciendas omnibus indiscriminatim offerunt: sunt enim velut mulier Babilonica propinans vas aureum plenum abominatione! Væ etiam illis, quæ suos pulitulos, venustulos, & amasios sibi in ascensu, in descensu, in incessu inservire permittunt, cum quibus prætextu humani famulatus, in amicitia sensuali, & continua flamma libidinis comburuntur. Hujusmodi absolvi nequeunt, quamdiu a tali consuetudine non recedunt.

300. Inq. 5. An sit licitum Principibus Christianis meretrices permittere? R. Quod, supposita corruptione humanæ naturæ, ubi tales fœminæ reputantur necessariæ ad majora mala vitanda, licite a Principibus permittuntur. Situ peculiari segregato. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 11. Ubi ad probandum permissionem Judæorum esse licitam exemplificat in meretricibus, & cum D. Aug. dicit: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Ubi Cajetanus advertit: permissionem criminum non esse malam secundum se. Idem docet Angelicus sequens D. August. *lib.* 4. *de regim. princip. cap.* 12. ubi ait: *Minus malum est mulieribus carnaliter commisceri, quam in vilia declinare flagitia.* Unde Augustinus dicit: *Quod hoc facit meretrix in mundo, quod sentina in mari, vel cloaca in palatio. Tolle cloacam, & replebis fœtore palatium, & similiter de sentina. Tolle meretrices de mundo, & replebis eum sodomia.*

301. Sed P. Concina, cui non arridet hæc sententia D. Augustini, & D. Thomæ, oppositum propugnat. *tom.* 2. *pag.* 165. *n.* 14. Objiciensque sibi primam authoritatem D. Thomæ, respondet: *Ad D. Thomam quod attinet, dicimus verum esse allegare Augustini authoritatem; sed obiter, & veluti per transenam, nullo adjecto examine.* Videat pius lector, si hæc responsio digna sit reverentia debita sanctis doctoribus Augustino, & Thomæ, vel si majori egebat examine, priusquam typis mandaretur. Si, inquam, indigebat novem annis, quos antiqui insumebant in examinando propria opera, ut maturius in lucem prodirent. Nobis enim placet doctrinæ utriusque luminis Ecclesiæ, nullo adjecto examine, libenter subscribere, humiliterque ab eis edoceri.

PUNC-

Punctum V.

Alia dubia de eadem materia.

302. Inq. 1. An sit licitum locare domum meretricibus ? R. Quod si domus locanda esset aptior ratione situs , vel alterius circumstantiæ ad meretricium, vel peteretur ad malum finem , omnes consentiunt fore illicitam locationem : quia tunc casus non est indifferens , sicut etiam dum petitur cubiculum ad fornicandum : petitur enim non tantum usus, sed etiam abusus , qui apud omnes est illicitus. Cæterum loquendo de locatione domus , ut sic , & cum petitur ad habitandum , communior sententia tenet , licitam esse locationem , & nos idem asserimus , necessitate compellente : quia prædicta locatio domus est ex se indifferens , ita ut tota malitia peccati oriatur ex prava voluntate abutentis ; sed propter hanc rationem licitum est petere mutuum ab usurario , necessitate cogente, ergo etiam locare domum prædicto modo meretrici. Unde inconsequenter procedunt hic , & alibi , qui ex una parte concedunt primum , & ex alia negant secundum. Idem teneas de vestibus , & aliis rebus , quæ non petuntur , nec ordinantur hic , & nunc ad malum usum, nec illum habent ex se , sed ex malitia alterius : possunt enim ex justa causa vendi, & locari , propter eamdem rationem.

303. Sed objicies cum P. Concina , qui contendit ex *nulla necessitate* posse licite locari domum , nec vestes vendi meretrici : qua hæc quæstum sui corporis, & lupanar aperire in domo locata intendit. Verum non procedit consequenter. Ipse enim astruit licere tabernariis vendere vinum ex metu mortis , aut vulneris , illis , quos prævident se inebriandos : quia non tenentur tabernarii , dicit ipse , cum tanta jactura propria impedire aliorum peccata. Cum ergo hic non tenet eamdem doctrinam , eadem ratione fulcitam ? Cur illa venditio non est intrinsece mala , & hæc locatio intrinsece mala est , cum utraque sit actio ex se bona , & in utraque prævideatur abusus ex sola voluntate alterius ? Dicit , quod hæc locatio comprehenditur in propositione damnata de famulis ; sed excedit , & contra communem sententiam declamat : quia actiones famuli portantis scalam , & similes sunt quædam cooperationes ad peccatum heri ascendentis , vel procurantis peccare , quæ longe distant ab actione indifferenti locandi domum , cogente necessitate.

304. Inq. 2. An sit licitum ancillis famulari meretricibus ? R. Sive meretrix dicatur a *mercede* , sive a *mercatura* sui corporis , in duplici differentia considerari potest. Nam aliæ ita dicuntur, quæ non frequenter , nec publice , sed in occulto , & tantum aliquoties prolabuntur, istis licitum est famulari circa negotia domestica , & res indifferentes , in quibus famuli , & ancillæ aliis dominis regulariter ministrant. Aliæ sunt meretrices , quæ ex detestabili quęstu vivunt, publice exposisæ , & omnium libidini destinatæ , quod proprie dicitur *prostibulum*. Istis illicitum est famulari , & etiam cum eis degere : quia talium consortium est continuum periculum , quod quilibet vitare tenetur. Unde fugienda est earum communicatio juxta præceptum Domini , *Matth.* 18. *Si oculus tuus scandalizat te , erue eum , & proiice abs te.* Hoc est , licet aliquis tibi sit adeo utilis , sicut oculus , pes , aut manus , tamen si tibi dat scandalum , devita illum , & fuge ab eo. Idem intelligas de famulis respectu dominorum , quibus , si non habeant in domo propria pellicem , aut concubinam , servire possunt in rebus domesticis , bonis , aut omnino indifferentibus. Verum , si domi suæ lænocinium exercent , aut frequenter iniqua jubent , ut usurarii publici , debent eos deserere , & iniquis mandatis minime obedire. Unde sequentia resolves.

305. Primo , non possunt famuli scribere , nec deferre litteras amatorias concubinæ domini , nec alterius cujuscumque. 2. Nequeunt portare ei munuscula, & alia mutui amoris incitamenta. 3. Non possunt famuli , nec aurigæ , sive cymba , sive rheda , curru , lectica , sella, vel alio modo adducere concubinam de uno ad alium locum , vel de una ad aliam domum cum prævissione lænocinii. 4. Nullus potest pingere concubinam amasio quacumque ex causa. 4. Nemo valet do-

donare aliquid pellici, aut concubinæ judicis, seu domini, ut apud illos intercedat: esset enim eam, & illos periculo exponere. 6. Non licet famulis comitari concubinam ad domum amasii, nec herum ad domum concubinæ, facem præferre, lectum eis sternere, nec cibos ministrare illa occasione, nec alia hujusmodi in obsequium eorum præstare, prævidendo malum finem, ad quem omnia hic, & nunc ordinantur: quia sunt proxime cooperationes ad actionem, quæ sine peccato fieri non potest. Et similes aliis, quæ in propositione 51. proscripsit Innocent. XI. *Famulus, qui summissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam virginem, & multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne male a domino tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

306. Inq. 3. An pingens imagines obcenas grave peccatum scandali committat? R. affirm. quia prædictæ imagines, esto non sint totaliter nudæ, & alias pudenda occultentur, semper sunt fomentum, & incitamentum amoris turpis omnibus eas intuentibus: Unde illicitum etiam est habere eas expositas in domibus, vel cubiculis adhuc velo tectas, vel prætextu ornatus, sed aboleri, aut comburi debent. Nec aliqua utilitas, aut necessitas excusare potest earum picturam, aut retentionem.

307. Inquires 4. An sit licitum præbere alteri occasionem peccandi, ut maritus uxori ad deprehendendam eam in adulterio: idem de domino apponente pecuniam famulo, ut ejus fidelitatem experiatur? R. Minime licere alicui occasionem peccati præbere: quia non sunt facienda mala, unde proveniant bona. Qui autem præbet occasionem peccati, influit in peccatum. Poterit tamen maritus, aut dominus mere permissive se habere, ut uxor, vel famulus comprehensi, & convicti de peccato, melius resipiscant.

308. Inquires 5. An choreæ sint licitæ? R. quamvis choreæ secundum se debita moderatione, & christiana gravitate peractæ, sicut alii ludii honesti ad recreandum animum ordinati, sint licitæ: tamen prout in plurimum fiunt inter personas diversi sexus, & mutationibus minus honestis, sunt illicitæ. Omnino igitur arcendæ sunt choreæ inter viros, & fœminas, nisi saltem aliquod linteolum mediet inter earum manus, ita ut nullatenus se tangant. Quoniam mulieris tactus est contagiosus. Aliter ejusmodi chorizantes nec a Confessariis valent absolvi, nec a Magistratibus permitti. Idem dicas de officio, aut de exercitio histrionum, de spectaculis, & comediis, quæ frequenter a personis venalibus, & vilibus peraguntur. Prob. quoad 1. partem: quia choreæ, spectacula, & comediæ ordinantur ex se ad solatium hominum; sed hic finis est honestus, & licitus habitus secundum quod a virtute eutrapeliæ dirigitur, ergo etiam prædicta media secundum se. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 168. *art.* 3.

309. Prob. quoad 2. partem: quia circa actiones morales resolvendum est moraliter, & prout in praxi communiter contingunt; sed in choreis, spectaculis, & comediis communiter adsunt plurimi abusus, ut quotidiana experientia satis, superque testatur, ergo sunt illicita. Unde convenientius foret, saltem loquendo de comediis, quod a Magistratibus penitus relegarentur, ac prohiberentur. Quod aperte deducitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 4. ubi dicit: *Si tamen operibus alicujus artis pluries aliqui male uterentur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen ab officio Principis a civitate extirpandæ secundum documenta Platonis.* Si hæc authoritas adeo luculenta non tenet, saltem de comediis hujus temporis, vix, aut ne vix de aliqua arte verificari valet. Quid enim sunt comediæ nisi theatrum Dœmonum, festum Diaboli, scena turpitudinis, gimnasium impudentiæ, schola lasciviæ, pestis reipublicæ, & universitas vitiorum? ita SS. PP. & fere omnes theologi.

310. Inq. 6. An sit licita mutatio vestis alterius sexus? R. ex necessitate, aut rationabili causa esse licitam prædictam mutationem; deficiente vero causa, aut necessitate, esse vitiosam. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 3. *De se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso, & præcipue, quia hoc potest es-*

se

se causa lasciviæ. . . Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus : vel propter defectum alterius vestimenti : vel propter aliquid aliud hujusmodi. Igitur permittendus non est usus vestium alterius sexus, præcisa causa, aut necessitate.

311. Inq. 7. Quid agere debeat, qui alium ad peccatum induxit, aut a bono retraxit? R. Quod si alterum induxisti ad peccandum falsa doctrina, vi, aut dolo, teneris ex justitia ad aperiendam ei veritatem, docendo sanam doctrinam, ad restituendam ei libertatem, & ad suadendum pro viribus, ut a peccato abstineat, vel pœniteat, aut resipiscat. Insuper teneris ex justitia ad restituenda damna temporalia, si quæ ille passus est ex tua falsa doctrina, vi, aut dolo : quia fuisti causa injusta omnis damni spiritualis, & temporalis. Si autem inductio solum fuit pravo exemplo, aut simplici prece, teneris ex charitate illum retrahere a peccato, non tamen ad damna temporalia ei restituenda : quia ipse voluntarie, & absque injustitia, ex tua parte, consensit in malum.

312. Similiter, si aliquem retraxisti a bono, ut ab ingressu religionis, vi, aut dolo, aut quid falsi imponendo religioni, teneris ex justitia ad omnia damna spiritualia, & temporalia pro viribus restituenda ei, & etiam religioni, secundum spem, quam ex illius ingressu percipere posset : nam licet religio non haberet jus ad ingressum illius, habebat tamen jus, ne injuste privaretur. Unde teneris in primis ad restituendum honorem religioni, deinde ad suadendum illi ingressum, & etiam in defectum hujus, alteri, si libere consentiat : aut alio modo conari ad compensandam injustitiam; non tamen teneris tu ipse ingredi religionem, si vocationem, & alia requisita non habeas. Si autem retraxisti absque vi, fraude, aut dolo, sed tantum precibus, vel suasione non falsa, sed revera non bona, nec congrua, teneris ex charitate ad damnum spirituale ei compensandum, suadendo pro possibili ingressum, & removendo ab eo scandalum, quod præbuisti. Denique si retraxisti illum ex rationabili causa, ut quia parentes, aut alii cognati eo indigebant, aut simili justo motivo, ad nihil teneris, quia prudenter egisti.

TRACTATUS DECIMUS

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

EXploratis his, quæ sunt præambula ad præcepta Decalogi, sermonem instituimus de primo ejusdem præcepto, quod est de uno solo Deo colendo; cum autem ad veri Dei cultum ex proprio munere nos dirigat virtus religionis, ideoque dicatur *eusebia* seu bonus cultus, accedimus ad eam explicandam ex doctrina Angel. Præcept. qui de illa disserit 2. 2. *a. q.* 81.

CAPUT I.

De virtute religionis.

PUNCTUM I.

Notio, & actus religionis.

1. Inq. 1. Quid sit religio? R. est *virtus, quæ debitum cultum tribuit Deo, tamquam primo omnium principio.* Quidam putant, quod hæc virtus dicitur *religio* a verbo *relego*, quia ea, quæ ad cultum Dei attinent, iterum, atque iterum sunt legenda. Alii derivari a verbo *religo*, eo quod ipsa nos Deo religat, seu iterum, aut fortius ligat; quia vinculo naturali ad colendum Deum ligati, per religionem iterata ligatione ei subjicimur. D. Th. 2. 2. *q.* 81. *a.* 1. *in corp.*

2. Inquires 2. quodnam sit objectum religionis? R. objectum *cui* est Deus; objectum autem quod est cultus Deo debitus. Unde non est virtus theologica, quia non terminatur immediate ad Deum, tanquam ad objectum *quod*. Ratio formalis *sub qua* est excellentia Divina sub ratio-

tione primi principii. Ideo licet actus religionis sint adeo diversi, est una virtus specie atoma, quia omnes tendunt ad tribuendum Deo cultum sub eadem ratione formali supremæ excellentiæ, supremique dominii. Et ideo, ait Angel. Doctor. 2. 2. *q.* 81. *a.* 6. in corpore. *Religio præeminet inter alias virtutes morales*: Quia proximius illis nos Deo conjungit, attingens immediatius, & nobilius Deum, ut objectum cui; ex parte creaturæ est justitia colere Deum; tamen solum est pars potentialis, non subjectiva justitiæ, quia non tribuit cultum ad æqualitatem debiti. Sed notandum excesum, qui a D. Thom. attribuitur religioni respectu virtutum moralium, intelligi debere salva manente excellentia virtutis pœnitentiæ, de qua postea tract. 27. n. 4.

3. Inq. 3. Quotuplex sit religio? R. potest esse falsa, & vera. Religio falsa est, quæ colit plures Deos, ut faciebant Gentiles. Vel quæ colit unum Deum modis indebitis absque vera fide, ut faciunt Turcæ, Mauri, Judæi, hæretici, & cæteri, qui sunt extra Ecclesiam catholicam Romanam. Vera religio est, quæ colit verum Deum modo debito. Religio vera alia est *naturalis*, seu *acquisita*, alia *supernaturalis*, seu *infusa*. *Naturalis* est, qua colimus Deum, ut authorem naturæ, & propter dona, & beneficia naturalia ab eo accepta. *Supernaturalis* est, qua colimus Deum, ut authorem gratiæ, & gloriæ, & propter beneficia, & dona supernaturalia nobis ab ipso collata. Sine hac, nec firma, nec salutaris est illa.

4. Quidam sibi sapientes, sed vere insipientes, ex quorum numero sunt Volterra, vel Voltaire, Rosseau, aliique hujus furfuris incautis suadere conantur, nulla opus esse superna revelatione pro vera religione sequenda: & quemlibet in sua religione salvari posse, ut somniasse fertur Marcum Anton. de Dominis, qui penitus despiciendi sunt, ut vere insipidi sine mica salis, adhuc scientiæ naturalis, qua solum præditi Epitectus: Cato, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca, & alii antiquiores agnoverunt nostrum intellectum esse velut visum Noctuæ ad percipienda entia spiritualia, indigereque juvamine altioris luminis ad veram notitiam Dei, ac etiam animæ rationalis. Agnovere, inquam, dari quasdam substantias eorum captu superiores, & sibi ignotas, de quibus plura potius conjectando, quam definiendo tradiderunt. Sed aliqua venia digni sunt, ex defectu enim divinæ revelationis id plurima deliramenta inciderunt, ut diximus tract. 1. n. 4.

5. Scituli vero moderni supernam revelationem despicientes, non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ præ omnibus reliquerunt posteris memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent: inepte docentes posse quemlibet amplecti religionem, quam maluerit, aperiendo januam idololatriæ, omnique falsitati, ac errori. Cautius Moyses siluit sapienter creationem Angelorum, ne populus rudis in errores laberetur, ait Angelic. 1. *p. q.* 61. *art.* 1. *ad* 1.

6. Inq. 4. Quot, & quales sint actus religionis? R. sunt in multiplici differentia, nam alii sunt interni, ut *devotio*, *& oratio*: alii externi, qui in tres classes dividuntur. Nam alii ipsum corpus Deo subjiciunt, ut *adoratio*. Alii, quibus aliquid de rebus exterioribus Deo offertur, ut *sacrificia*, *decimæ*, *primitiæ*, & similia, quæ communi vocabulo dicuntur *oblatio*. Alii denique, quibus divinum nomen ad aliquid assumitur, ut *juramenta*, in quibus nomen Dei ad testificandum veritatem assumitur, *vota*, quibus aliquid Deo promittitur, *adjuratio*, qua quis per nomen Dei ad aliquid inducitur, tandem *assumptio divini nominis in laudem*, quod fit per cantum, ad recitationem divini offici, aut per quamlibet laudem Deo præstitam. Ex quibus habes, quod actus religionis sunt decem, nempe devotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblatio, votum, juramentum, adjuratio, & assumptio divini nominis in laudem. D. Thom. *ubi sup. ad* 1.

7. Inq. 5. Quales sint actus principaliores religionis? R. sunt tres, videlicet: *Adoratio*, *sacrificium*, *& votum*: Verum inter omnes præstantissimus actus religionis est sacrificium altaris. Nota, quod religio habet duplices actus: alios a se elicitos, ut adorare, sacrificare, orare,

& alia hujusmodi ; alios a se imperatos ; elicitos tamen ab aliis virtutibus. Unde *Jacobi* 10. dicitur : *Religio munda , & immaculata apud Deum , & patrem , hæc est visitare pupillos , & viduas in tribulatione eorum ; & immaculatum se custodire in hoc sæculo* : hæc autem , & similia dicuntur actus religionis, quia ex vera religione imperantur , & ordinantur ad reverentiam Dei , ut ait D. Thom. 2. 2. *q.* 81. *a.* 1. *ad* 1.

8. Inq. 6. Quando obligent actus religionis ? R. obligant eisdem temporibus , ac præcepta fidei , spei , & charitatis , tam *per se* , *quam per accidens* proportione servata. Non quidem secundum omnes actus recensitos , sed ad exhibendum Deo optimo , & maximo aliquem cultum in protestationem supremi dominii , supremæque excellentiæ. Quoniam vere dignum , & justum est , ut qui tot a Deo accipimus beneficia , saltem dictis temporibus aliquam gratiarum exhibeamus actionem per aliquem cultum tanto benefactori præstitum. Compertum est autem ab omni fideli hoc præceptum adimpleri , quia nullus est adeo pravus , & scelestus , ut pluries in anno saltem aliquas preces non effundat , vel Missam non audiat. Verum non hinc inferas obligare per se omni die festo , quia alia est obligatio præcepti divini , & naturalis , alia ecclesiastica : illa semper est una ; hæc autem variabilis est juxta festorum institutionem , aut variationem.

Punctum II.

De devotione.

9. Inq. 1. Quid sit devotio ? R. est *voluntas quædam prompta tradendi se ad ea , quæ pertinent ad Dei famulatum. Voluntas* sumitur non pro ipsa voluntate , sed pro ejus actu ; cæteræ particulæ ostendunt naturam propriam devotionis. Devoti enim dicuntur homines dicati , seu dediti peculiariter in obsequium Dei : unde promptitudo animi , quæ hominem reddit celerem , ac fervidum circa omnia , quæ in obsequium Dei cedere possunt , distinguit devotionem a cæteris virtutibus. Vera quippe devotio non consistit in lacrymis , aut sensibili teneritudine , sed in prompta , ac fervida voluntate observandi divina mandata , & omnia , quæ attinent ad amorem Dei, & proximi , ut præclare docet seraphica doctrix sancta Theresia *in libro vitæ. cap.* 9. *n.* 8. *Mans.* 5. *cap.* 3. *n.* 11. & 12. & *D. Thom. q.* 82 *a.* 1. *in corp.*

10. Inq. 2. Quotuplex sit causa devotionis ? R. est duplex ; alia exterior nempe Deus , qui tribuit illam cui , quando , & quomodo sibi placet , & expedire cognoscit. Alia interior , nempe meditatio divinæ bonitatis, & beneficiorum, quæ incessanter gratis nobis ab eo conferuntur : unde habet etiam duplicem effectum , alterum *per se* , lætitiæ videlicet spiritualis , gustus , delectationis, & suavitatis , quam percipere solent vere devoti. Non tamen necessum est , ut has delectationes semper pariat , cum plures pios , sanctosque viros sciamus hujusmodi suavitatibus privatos , quin ob hoc vera devotione caruissent ; imo hęc suavitas , & dulcedo spiritualis alimentum pusillorum , seu infantium ; ariditas vero , desolatio , & obscuritas cibus perfectorum appellatur. Certum est autem veram lætitiam non posse procedere , nisi a testimonio bonæ conscientiæ : qua supposita , ex meditatione divinæ bonitatis, & liberalitatis erga nos , oritur ex corde quædam fiducia læta , suavis , & jucunda , quæ efficit animum hilarem , & fervidum ad omnia , quæ in beneplacitum Dei ordinantur.

11. Verum , quando meditatio versatur circa nostram ingratitudinem , vitia , peccata , mortem , infernum , aut similia , oritur *per accidens* ex devotione alter effectus tristitiæ utilis ad salutem. Uterque effectus salutaris procedere etiam potest ex attenta meditatione passionis Domini. Si enim consideremus amorem , bonitatem , & summam dignationem patientis , qui ex nimia charitate sua talia pro nobis passus est , gaudemus tenere lacrymantes , & lacrymamus suaviter gaudentes. Si autem consideremus nostra delicta , propter quæ abolenda voluit dominus crucis subire tormentum , vere contristamur , & justissime compatitur , & condolemus. *Vide D. Th.* 2. 2. *q.* 82. *art.* 4.

12. Tempus præfixum , quo devotio

per se obligat ad suos actus, non est facile assignare, cum nullum sit hactenus ab Ecclesia definitum. Verum cum actus religionis sit, asserimus obligare *per se* eisdem temporibus, quibus supra diximus, ipsam religionem ad aliquem cultum *per se* obligare. Obligat autem *per accidens*, quando urget gravis tentatio contra aliquam virtutem, & quando tenemur elicere alios actus, sive religionis, sive alterius virtutis, qui sine devotione elici nequeant.

13. Si vis, prudens lector, esse vere devotus, age cum devotis, age cum viris spiritualibus, & Deo dicatis, quia cum sancto sanctus eris; fuge quosdam saperdos, vel superbos hujus temporis, pietatis, & devotionis irrisores, ne cum perverso pervertaris, corrumpunt enim bonos mores, eloquia prava, & citius contrahitur morbus, quam sanitas, tam in physicis, quam in moralibus. Ven. Palafox in coment. ad 3. monit. S. Theres.

Punctum III.

De oratione.

14. Inq. 1. Quid sit oratio? R. est *petitio decentium a Deo.* Dicitur *petitio* ad genus orationis designandum, quia per illam convenit cum omni alia petitione, quæ oratio non sit. Ponitur *decentium* loco differentiæ ad denotandum materiam orationis esse rem honestam, & ordinatam ad honestum finem. Denique dicitur *a Deo* ad significandum, tum, quod oratio est actus religionis, tum, quod Deus est author specialis, & origo omnium bonorum, a quo nostra oratio est implenda. Unde, quando oratio fit sanctis, est solum tamquam intercessoribus apud Deum, & hæc oratio est actus observantiæ, seu duliæ, non vero religionis, ut infra magis patebit. Oratio in communi est *elevatio mentis in Deum.* D. Thom. *q.* 83. *a.* 1.

15. Oratio ergo est actus virtutis religionis; quia omnia per quæ Deo reverentiam, & honorem exhibemus, ad religionem pertinent: sed per orationem Deo reverentiam exhibemus: *in quantum ei se subjicit, & profitetur, orando se eo indigere, sicut authore suorum bonorum*; ut inquit D. Thom. ergo oratio est actus virtutis religionis. Est etiam actus intellectus practici, quia petere ordinationem quamdam importat, prout homo disponit aliquid per alium esse faciendum; sed ordinare pertinet ad rationem, seu intellectum, ergo oratio est actus intellectus practici deprecantis Deum, ut postulata concedat. D. Thom. *a.* 3.

16. Objic. Religio est habitus proprius voluntatis, & in ea residet, ergo si oratio est actus intellectus practici, non erit actus religionis, nec poterit ab ea elici. R. Ideo dici orationem elici a virtute religionis, quæ residet in voluntate, non quia sit immediate ejus operatio, sed quia non fit media alia virtute: & ubi unica virtus influit in actum, hic ab illa procedit elicitive, licet fiat per aliam potentiam.

17. Dividitur oratio ex parte orantis in *publicam*, & *privatam*. *Publica* est, quæ a ministro publico, ad id deputato, nomine Ecclesiæ pro salute populi, vel aliis fit. Hæc autem non mente sola, sed verbis semper fieri debet. *Privata* est, quæ a persona particulari, ut tali fit, pro se, vel pro aliis: hæc vel mente sola, vel verbis ad libitum fieri potest. Ex parte actus dividitur oratio in *mentalem*, & *vocalem*. Illa est, quæ interius, aut mente sola fit. Hæc vero, quæ mente simul, & verbis perficitur; nam si solis verbis fiat, oratio non est: ut inquit egregie seraphica Doctrix sancta Theresia *in via perfect. cap.* 23.

18. Inq. 2, An oratio sit necessaria necessitate *medii* ad salutem consequendam? R. Quod attentis decretis divinæ providentiæ disponentis fere omnia auxilia media oratione conferre, esse necessariam ad salutem necessitate *medii*: quia, supposita divina dispositione, oratio est causa moralis necessaria ad salutem impetrandam: Ideoque *Matth.* 7. dicitur: *Petite, & accipietis, & cap.* 26. *Orate, ut non intretis in tentationem*: Et alibi sæpe in sacra pagina præcipitur, & commendatur oratio, ergo hęc necessaria est necessitate medii in hac providentia.

19. Hoc autem non obest, quominus Deus ad suæ liberalitatis ostensionem, absque oratione tribuat cui placuerit gratiam, aut gloriam; ut patet in D. Pau-

lo,

lo, cui absque ullis meritis; imo cum multis demeritis, non oranti, sed persequenti tantam plenitudinem gratiæ contulit, ut de persecutore in Apostolum, & vas electionis repente mutaret. Unde constat orationem esse necessariam necessitate medii, non absolute, & in omni providentia; sed tantum in præsenti, suppositis decretis Dei. Constat etiam dari præceptum divinum speciale obligans ad orandum: quod probat D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. ex laudato textu *Matth. 7. Petite, & accipietis.* Probat. ratione: nam quod est necessarium necessitate medii ad salutem, cadit sub præcepto, ut patet in fide, spe, & charitate; sed oratio ita est necessaria ad salutem, attenta dispositione præsentis providentię, ergo cadit sub præcepto.

20. Inq. 3. Quo tempore obliget orationis præceptum? R. circa hanc difficultatem varia esse placita authorum, quæ ad praxim parum intersunt. Quoniam certum est, fideles omnes, vel fere omnes non solum adimplere, sed prævenire obligationem hujus præcepti. Vix enim reperietur, qui diebus festis sacrificio Missæ non assistat, quo supposito, procul dubio satisfacit præcepto orationis. Imo licet obligationem Missæ audiendæ culpabiliter aliquoties non adimpleat, nemo est adeo scelestus, qui pluries non solum in anno, sed in mense aliquas preces non effundat. Frustranea est ergo objurgatio cujusdam Neotherici contra authores, qui hoc ipsum docent, & obligationem orationis ex instituto Ecclesiæ præscriptam asserunt. Nam, posita hac suppositione, vel dicatur orationem obligare per se semel saltem in anno, vel pluries in anno, aut in mense, nihil officit rectitudini morum. Nec Confessarii interrogant, nec teneantur sollicite interrogare poenitentes de omissionibus, seu violationibus hujus præcepti: quia istæ ex conscientiæ statu, & aliis, quæ fatentur, sufficienter dignoscuntur.

21. Igitur dicimus præceptum divinum orationis obligare *per se* sua proportione eisdem temporibus, ac præcepta fidei, spei, & charitatis, & religionis: hæc enim præcepta non minus necessaria sunt ad salutem, quam præceptum orationis. Consulenda tamen est frequens oratio, quia in scripturis divinis nobis commendatur *semper* orare, & *sine intermissione*: quæ particulæ consilium, non præceptum continent. Obligat per accidens: 1. Tempore gravis tentationis. 2. Gravis calamitatis populi, vel proximi, quæ orationis præsidium exposcit. 3. Dum oratio est necessaria ad alia præcepta adimplenda, vel ad recipienda sacramenta. Tempus, quo obligat ex præcepto Ecclesiæ, constabit ex dicendis de horis canonicis, & aliis præceptis ecclesiasticis.

22. Inquires 3. An quando oratio obligat per accidens ratione alterius virtutis, v. g. castitatis, si hanc violes, omittendo illam, duplex peccatum committas? R. negative: quia hæc est differentia inter obligationem *per se*, & *per accidens*: quod violatio illius constituit diversum peccatum; non vero violatio istius. Ratio est: quia tunc una obligatio solum est propter aliam; nec omissio orationis prohibetur, nec ipsa oratio præcipitur, nisi ad conservandam castitatem, ergo hujus violatio in casu dicto solum constituit unum peccatum. *Explicatur*: quando præcipitur notitia diei festi, ut Missa audiatur, si hanc non audias, & illam omittas, unum peccatum solum committis. Cur? quia scientia diei festi solum obligat per accidens, & ratione alterius præcepti, ergo idem de oratione, quando solum per accidens obligat.

23. Pater Concina *tom.* 2. *pag.* 195. *n.* 13. oppositum tenet ductus hac ratione: oratio quando obligat per accidens, obligat, erg. qui eam omittit, peccat. Ideo enim peccat, qui eam omittit per totum annum, quia saltem semel in anno obligat. R. neg. conseq. quia variatur appellatio ab obligatione *per se*, ad obligationem *per accidens*. Oratio saltem semel in anno obligat *per se*; tempore vero tentationis obligat *per accidens*. Unde ex eo, quod sit distinctum peccatum prima omissio, non recte infertur, quod sit etiam secunda. Consequentius procederet Concina, si assereret, quod oratio in omni tentatione obligat *per se*. Dicere autem ex una parte solum obligare *per accidens*, & ex alia ejus omissionem constituere diversum peccatum, ma-

manifesta inconsequentia videtur. Astruit ipse alibi, quod, quando præceptum charitatis obligat ratione gravis tentationis contra castitatem, succumbens tentationi, non peccat contra charitatem, quia hæc pro tunc solum obligat *per accidens*. Cur ergo in præsenti non est idem dicendum?

24. Ultra, quod ex sua opinatione sequitur, in omni peccato adesse aliud specie distinctum contra præceptum orationis. Unde omnis fornicatio, omne furtum, desiderium malum, odium, aut quodcumque aliud crimen duplici malitia constaret, quod est contra commune Theologorum. Dicendum est igitur, quod quando oratio solum obligat *per accidens*, v. g. ratione tentationis, ejus omisio non est distinctum peccatum, alias numquam posset homo committere unum peccatum solum. Nota, hoc dissidium parum referre ad institutum morale, seu ad confessionem, nam pœnitens, qui confitetur peccatum, eo ipso manifestat, se non orasse tempore tentationis.

Punctum IV.

De his, qui orari, & orare valent, ac debent.

25. Inq. 1. Quis possit, & debeat a nobis orari? R. 1. quod ad solum Deum *per se*, & *absolute* debemus dirigere orationem. Primo, quia solus Deus est author, & principium omnis boni spiritualis, & temporalis, ergo solum ab eo debemus ea petere, & flagitare absolute, & per se. Secundo, quia oratio est actus religionis, & latriæ, qui solum dirigitur ad Deum, includendo omnes personas divinas; licet enim possimus unam personam sine alia invocare, numquam tamen aliquam excludere debemus: quia omnis actio absoluta ad extra est totius Trinitatis: includitur etiam in personis divinis J. Christus D. N. quia Deus est, & debet adorari actu latriæ, sive religionis. Igitur cum oramus dicentes: *Pater noster, qui est in cœlis*, aut *pater de cœlis Deus miserere nobis*, licet expresse solum patrem nominemus, cum tribus personis loquimur. D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *a.* 3.

26. R. 2. Angelos, & sanctos, & præcipue Reginam omnium sanctorum, & Angelorum posse a nobis orari, ut intercessores apud Deum. Nam licet Christus D. sit præcipuus mediator, & advocatus noster apud patrem, secundi tamen mediatores sunt beatissima Virgo, cæterique sancti, qui per merita Christi Domini intercedunt pro nobis ad Dominum. Ratione probatur: Tum quia sanctos, dum vivunt, orare possumus: ut patet in D. Paulo, qui in suis quatuordecim epistolis sedulo aliorum orationibus se commendabat, ergo melius dum regnant. Si enim sancti, quando in certamine adhuc pugnabant, orabant pro aliis, quanto magis post triumphum, & victoriam. Tum quia omnes beati cognoscunt in verbo nostras preces, & orationes ad eos directas, ergo eos orare possumus: nam ob oppositam rationem misere negant hæretici hoc dogma catholicum, delirantes orationes nostras non posse in cœlo a sanctis cognosci: ideoque non debere a nobis orari, nec ipsos posse pro nobis orare, in quo errant dupliciter Lutherus, Calvinus, eorumque sequaces, suscitando errorem Vigilantii.

27. R. 3. Animas in purgatorio existentes non posse a nobis orari, aut invocari, ut *per se* intercedant pro nobis: Probatur triplici ratione D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. *ad* 3. & alibi. *Prima* quia nequeunt per se agnoscere, nec exaudire nostras orationes. *Secunda*, quia reus, dum ut talis punitur, non est in statu fundendi preces pro aliis apud Regem, ob cujus offensam ab ipso torquetur. *Tertia*, quia numquam Ecclesia dirigit orationes ad animas purgatorii, ut pro nobis intercedant, ergo signum est, quod nec sunt in statu pro aliis deprecandi, nec nos debemus eas immediate orare.

28. Objic. 1. Moyses, Jeremias, Samuel, & Onias orabant pro aliis, dum essent in alia vita, ut colligitur *ex* 2. *Machab.* 13. ergo etiam animæ purgatori poterunt pro nobis orare. R. Prædictos sanctos non orasse in purgatorio, sed in limbo patrum pro communi necessitate populi, cujus notitiam habebant ex tempore, quo in terris degebant: vel per Angelos, aut per alios posterius illuc

trans-

transmigrantes.

29. Objic. 2. D. Paschasius existens in purgatorio miraculum fecit, ergo signum est, quod ibi detentus pro aliis Deum oravit. R. Miracula aliquando fieri a Deo propter fidem postulantium, ad quod non opus est sanctos existentes in purgatorio illa postulare, sed sufficit postulari ab orantibus per merita sanctorum, quorum vitam, & sanctitatem vul Deus miraculis approbare: & hoc accidit in D. Paschasio, juxta D. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. Potest etiam responderi, quod ipsi sancti per Angelos certiores facti devotionis sibi obsequentium, orare, & impetrare per ipsos Angelos a Deo miracula, & innumera beneficia, quæ quotidie benefactores illarum animarum felicium experiuntur. Nam licet, ut diximus, non possint per se ipsas orare, pro aliis tamen optime, & efficaciter valent per sanctos Angelos, consequi a Deo nobis plurima bona: ideoque earum ferventi devotioni nihil obstare debet assertio prædicta. Advertas etiam obiter, quod esto animæ in purgatorio non possint pro aliis per se ipsas orare, possunt tamen pro seipsis humiles preces ad Deum fundere, sicut nobilis incarceratus potest hoc ipsum cum Rege, seu Judice facere.

20. Objic. 3. Epulo in inferno sepultus oravit pro se, & pro suis fratribus: *Lucæ* 6. ergo potiori titulo poterunt animæ purgatorii orare pro se, & pro aliis. R. Quod Epulo non vere oravit, sed vi tormentorum declamavit ad Abraham, quem viribus naturæ videre potuit in limbo. Animæ enim separatæ possunt viribus naturæ cognoscere alias animas existentes in limbo, purgatorio, aut inferno, quin earum cognitioni obstet distantia localis, ut inq. D. Thom. 1. *p.* *q.* 89. *a.* 2. & 7. insuper *art.* 8. dicit, animas, quæ viventibus apparent, hoc facere per bonos, aut malos Angelos, aut aliquando ex speciali Dei dispensatione per se ipsas: quod utique inter divina miracula computandum est.

31. Ex dictis plane sequitur 1. SS. Patres, dum essent in limbo, non potuisse a viventibus invocari, & orari: quia non poterant ex vi status agnoscere viventium orationes. Sed nullus hinc inferat, nec S. Protoparentem nostrum Etiam posse nunc a nobis orari, & ad eum nostras preces dirigere: quia oppositum nos docet Ecclesia, concedens ex singulari privilegio (nulli vivo concesso) illum colere, celebrare, invocare, & orare, Missa, processione, & officio proprio. Qua ratione supposita, omnes aliæ rationes superfluunt: ita ut asserere ipsum, vel a nobis orari, vel pro nobis orare non posse, erroneum, & de fide suspectum esset.

32. Sequitur 2. omnes illos beatos posse pro nobis orare ad quos diximus, nos posse dirigere orationes, tamquam ad mediatores: hoc est dogma catholicum ab omnibus assertum contra hæreticos illud pertinaciter negantes. Sed, licet Christus D. sit principalis mediator noster, non solum dum in terris degebat, sed etiam nunc in cœlo semper vivens ad interpellandum pro nobis: qua ratione possumus privatim ipsum orare, ut intercedat pro nobis apud patrem; tamen in oratione publica non est dicendum: *Christe, ora pro nobis*, ne videamur convenire cum Ario, & Nestorio Christum verum Deum esse negantibus. D. Thom. *ubi sup. a.* 4.

33. Inq. 2. Qui possint, & debeant orare? R. omnes sive justos, sive peccatores posse, & debere pro se ipsis, & etiam pro aliis orare. Patet ex epist. *Jacobi* 5. *Orate pro invicem, ut salvemini.* De peccatoribus autem constat ex Lucæ 18. ubi Publicanus oravit dicens, *propitius esto mihi peccatori.* Constat etiam, quia oratio, ut impetratoria, non requirit gratiam in orante, sed nititur in Dei benignitate, ergo non est, cur nequeant orare tam pro se, quam pro aliis. Nec obest illud cæci apud Joannem *cap.* 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* Nam R. vel illud dixisse nondum illuminatum, vel de peccatore prava petente, vel absque pio desiderio de sua salute, vel volente confirmare miraculis suam iniquitatem. Vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *a.* 16.

34. Nota hic P. Concinam dicere, orationem posse esse meritoriam, quin sit impetratoria: in quo vere fallitur, aut nimis improprie loquitur. Nam aliud est orationem non esse impetratoriam, aliud non impetrare tunc petitionem. Ut enim

ora-

oratio sit impetratoria, non requirit impetrare precise id, quod petit; sed sufficit esse veram orationem; alias sacramentum non esset causativum gratiæ, dum actu illam non causat. Imo numquam vera oratio desinit impetrare aliquid ex Dei benignitate, esto non consequatur idipsum, quod poscit, ut patet in exemplo allato in oppositum a P. Concina. Quis enim in dubium vertere queat, D. Paulum, dum oravit stymulum carnis a se auferri, non impetrasse gratiam ad victoriam, licet non ablationem stimuli? Itaque in omni vera, & sincera oratione licet non impetremus id, quod poscimus, impetramus, quod poscere debemus, vel quod magis convenit nobis.

35. Inq. 3. Qualiter religiosi ad orationem mentalem teneantur? R. Qualitatem obligationis sub qua religiosi ad orationem mentalem tenentur, venandam esse præcipue ex regula, constitutionibus, & consuetudine legitima propriæ religionis: quia jus commune nihil decernit circa orationem mentalem, ergo ad cognoscendam obligationem sub qua religiosi ad eam astringuntur, consulendæ sunt peculiares leges, ac statuta cujusque religionis. Unde omnes, & singuli Carmelitæ sub veniali ad orationem mentalem tenentur, quia regula eorum, quæ sub veniali tantum obligat, ita decernit: *Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.* Hæc jugis meditatio, & continua oratio non est metaphisica, sed moralis, cui satisfit per orationes jaculatorias, pias cogitationes, ac Dei præsentiam. Item per studium sacræ scripturæ, ac theologiæ, vel alterius scientiæ, aut lectionis, quæ ad sacræ Scripturæ, aut theologiæ, vel animæ profectum conducat. Similiter fit ei satis per orationem vocalem mentali adjunctam, exceptis duabus horis quoad omnes, & tribus quoad Eremitas, a constitutione singulis diebus præcise ad mentalem præscriptis. Verum qui tantum dictis duabus, vel tribus horis orationi vacaret, obligationem regulæ sufficienter non adimpleret.

36. Quamvis autem obligatio orandi ex vi regulæ veniale non excedat; quia tamen obligatio tendendi ad perfectionem respectu cujuscumque religiosi est gravis, ex hoc capite omnes religiosi tenentur sub gravi vacare orationi mentali. Tum quia religiosus sine oratione est miles sine armis, aut corpus sine anima. Tum quia perdifficile est religiosum ad perfectionem tendere absque oratione mentali. Imo difficillimum est christianum sine aliqua oratione diu conservare gratiam, aut mandata divina observare. Nam unde tanta mitigatio in religionibus, nisi ex defectu orationis? Unde tanta morum dissolutio in republica Christiana, nisi ex defectu orationis? Vix est, qui serio meditetur mortem, judicium, aut infernum. Vix est, qui attente recogitet brevitatem præsentium, & æternitatem futurorum? Hinc, *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Jeremiæ 12. 11.

Punctum V.

Pro quibus sit orandum?

37. Inq. 1. Pro quibus possit orari? R. Quatuor sunt certa in hac materia. 1. Est certum pro beatis non esse orandum, quia sunt in termino suæ felicitatis, ubi nihil indigent. Injuriam enim facit Martiri, qui orat pro Martire. Possumus tamen orare pro aliqua gloria eorum accidentali: quia hoc est orare, ut Deus in electis suis amplius sanctificetur. 2. Est certum non posse nos orare pro damnatis, quia sunt in termino suæ infelicitatis, ubi nulla est redemptio. Quod autem refertur de Trajano eruto ab inferno orationibus D. Gregorii, *si vera est historia*, tribuitur privilegio singulari, quod non facit exemplar, nec potest admitti, nisi asserendo non fuisse absolute, & finaliter, sed conditionate damnatum. Possumus tamen orare pro illo, quem videmus decedere mortale operando, ut se jugulantes: quia forte in illo instanti Deus illi præbuit auxilium efficax ad veram contritionem. 3. Certum est posse, & debere nos orare pro cunctis viatoribus, sive justis, sive injustis, amicis, aut inimicis, eo pari modo, ac supra diximus nos teneri eos diligere, & subvenire. Pro excommunicatis etiam vi-

tan-

tandis potest quilibet, ut persona particularis, orare, sicut potest illis eleemosynam facere. 4. Est certum nos debere orare pro animabus purgatorii, & suffragia nostra illis prodesse: Ut constat ex sacra pagina, ex Conciliis, SS. Patribus, & omnibus Theologis contra hæreticos, qui non agnoscunt, nec agnoscent purgatorium, nisi depositis suæ sectæ tenebris, ad veram fidei lucem convertantur: quibus tamquam de fide suppositis.

38. Inq. 1. An sit melius pro animabus purgatorii, quam pro peccatoribus orare? R. Melius esse, & Deo gratius, nobisque utilius orare pro animabus purgatorii, quam pro peccatoribus. *Primo*: quia animæ purgatorii sunt objectum nobilius, quam peccatores: actus autem ad melius objectum terminatus, est melior, Deo gratior, nobisque utilior. *Secundo*, quia animæ purgatorii sunt amici Dei, peccatores vero inimici. *Tertio*, quia charitas ipsa magis inclinat ad subveniendum justis, quam peccatoribus. *Quarto*, quia illæ felices animæ sunt benemeritę spiritualis eleemosynæ, eo quod victoriam, & triumphum per gratiam Dei ab omnibus hostibus reportarunt, postquam in hoc sæculo strenue dimicarunt. *Quinto*, quia ex parte termini *ad quem* majus opus est, deducere animam ad cœlum, ad visionem beatam, ad fruitionem Dei, & ad gratiam inamissibilem, quam peccatorem ad gratiam amissibilem. *Sexto*, quia animæ purgatorii sunt objectum majoris compassionis, & misericordiæ, quam peccatores: tum quia isti non patiuntur acerbissimos cruciatus, & pœnam damni, sicut illæ: tum quia peccatores possunt se juvare, & mediante Dei gratia per se ipsos a statu peccati liberare; pauperrimæ vero animæ nec se juvare valent, nec ab illo horribili carcere per se ipsas eruere.

39. *Septimo*: quia hanc piam assertionem perpetuo nos docet S. mater Ecclesia, quæ hactenus non decrevit officium solemne pro conversione peccatorum, sicut instituit pro suffragio animarum die 2. Novembris. Necnon in omnibus liturgiis, ac sacrificiis a tempore Apostolorum in secundo *Memento* pro defunctis constituto. Præterea in cunctis feriis secundis jubet fieri earum commemorationem, & processionem. Deinde decernit, ut horæ canonicæ concludantur cum prece pro ipsis, dicendo: *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.* Quod omittit in completorio: supponens nullum esse adeo parum pium, qui, prece non fusa pro animabus, somno se tradat. Qua ratione in omnibus fere orbis Ecclesiis excitantur fideles ad hujusmodi orationem per cimbalum sub vespere pulsatum. Denique ad hunc finem piissimum approbat Ecclesia confraternitates, & communiones menstruas cum indulgentiis plenariis, ergo signum est, orationem pro animabus fusam meliorem, gratioremque esse Deo, ac nobis utiliorem, quam pro peccatoribus.

40. Si autem quis adhuc de hac veritate dubius existat, timeat, ne sibi, licet feliciter, contingat, quod S. Ludovico Bertrando, qui magis addictus orare pro peccatoribus, suasus sæpe fuit a fratre Benedicto ejusdem ordinis, juvandos potius esse defunctos, quam vivos. Quantumcumque Benedictus animarum lucro inhians eum rationibus suaderet, Bertrandus in sua persistebat opinione; donec sequenti nocte, apparens illi quædam anima ex purgatorio, adeo eum tota nocte coangustavit, ut penitus confici videretur: exindeque dolens mutavit sententiam, & cæpit benefacere defunctis, præferens illos peccatoribus. Vide Leonem a S. Laur. *Serm.* 1. *de carcere purgatorii num.* 7.

41. Inq. 2. An satisfactio, & suffragia defunctis, aut aliis applicata prosint eis infalibiliter ex justitia? Pro resolutione nota, quod oratio, aut quodlibet opus bonum triplicem potest habere effectum, nempe *meritorium*, *satisfactorium*, & *impetratorium*. Meritorius est, qui procedit ab opere hominis viatoris, & justi: quia, *meritum* est *opus conferens jus ad præmium.* Dividitur in meritum de condigno, & meritum de congruo. Primum fundatur in justitia perfecta, hoc est in gratia, & charitate, cui correspondet præmium vitæ æternæ, vel aliud operi condignum, aut augmentum gratiæ, aut virtutum: hoc meritum ita est proprium operantis, quod alteri nequeat applicari. *Meritum de congruo* fundatur in justitia imperfecta, hoc est, partim ex justi-

titia, & partim ex quadam decentia: decet enim, quod Deus, non solum remuneret opera justi conferendo ei præmium, sed communicando etiam aliis bona secundum applicationem, & orationem justi. Hoc meritum poterit alteri applicari, ideoque potest justus mereri de congruo gratiam peccatori. Et beatissima Virgo omnibus meruit de congruo Incarnationem filii sui.

42. Effectus *satisfactorius* consistit in eo, quod actus sit laboriosus, Deo gratus, ab homine justo factus, & possit assumi ad solutionem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. *Impetratorius* non requirit gratiam in operante, sed prout jam diximus, nititur in Dei benignitate, & clementia. Hic est præcipuus effectus orationis, alios autem duos quodlibet opus bonum habet. Oratio vero, cum ex natura sua sit *petitio decentium a Deo*, peculiariter habet inclinare Deum ad concedendum id, quod ab eo petitur. Huic triplici effectui operis boni solent aliqui addere quartum, nempe *propitiatorium*, hoc est, reddere Deum propitium. Quia quodlibet opus bonum ad salutem æternam ordinatum, licet a peccatore factum, reddit Deum placatum, aut propitium, vel ne statim puniat, vel ut tribuat auxilia ad resurgendum a peccato, vel ne ulterius prolabatur. Quibus prænotatis:

43. R. Orationes, aut satisfactiones oblatas, supposito pacto Dei, habere infalibiliter ex justitia aliquam pœnam eorum diminuere, non vero a tota pœna absolvere, licet condignæ, & superabundantes sint. Patet in sacrificio Missæ, quod, esto sit valoris infiniti, non tollit totam pœnam, cui applicatur; sed hoc pendet ex Dei voluntate, & acceptatione. Ita ut infalibiliter prosit ex justitia ei, cui applicatur; sed magis, aut minus pendet ex Dei clementia, & acceptatione. Pendet etiam ex dispositione illius, pro quo offertur: hæc autem dispositio consistit, vel in devotione, quam quis dum viveret, habuit erga altissimum Eucharistiæ mysterium, vel per frequentem communionem, vel ferventem Missarum auditionem, vel erga animas purgatorii omni modo possibili eis suffragari curando. Talis enim ex divina pietate copiosiorem satisfactionem ex suffragiis vivorum absdubio obtinebit. Videatur D. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3.*

44. Hæc sententia non solum est probabilior, & de mente D. Thomæ; sed etiam magis pia, fovet enim devotionem morituroram; ut disponant plures Missas pro se dicendas: quia cum quælibet infalibiliter aliquam partem pœnæ debitæ remittat, multiplicatis sacrificis, possunt totum debitum quantocius extinguere. Dispellit etiam aliquorum torporem, qui paucis sacrificis pro se offerendis post mortem contenti, quasi secure decedunt: verum absdubio postea hujus indevotionis, & ignaviæ pœnitebunt, quando eis occurrere non valebunt.

Punctum VI.

Alia dubia de oratione.

45. Inq. 1. An oratio pro pluribus facta, æque prosit, ac si fiat pro paucis? R. quod in ratione satisfactionis non æque prodest multis, ac paucis; in ratione vero impetrationis omnibus æque proficit. Ratio primæ partis est, quia hæc satisfactio est finita, ergo quo pluribus applicatur, minus singulis prodest: ut videre est *in* certa summa pecuniæ, quæ pluribus distributa, minus unicuique contingit. Ratio secundæ partis est, quia impetratio præcipue innititur in Dei misericordia, & liberalitate, ergo non minuitur, eo quod ad plures extendatur. Est enim impetratio sicut lux accensa in cubiculo, quæ sive uni, sive pluribus, æque omnibus lucet.

46. Inq. 2. Quando, vel quomodo eruentur a purgatorio animæ, quæ nullum habent, qui earum recordetur? R. quod, attenta pietate divina, tales animæ non patientur in purgatorio per omne tempus requisitum, ut per propriam satisfactionem, vel *satispassionem* extinguant omne debitum, sed Deum applicare eis suffragia, quibus aliæ, vel non indigent, vel eorum non sunt dignæ: quia hoc est valde credibile de divina misericordia: ut cum Damasceno docet D. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. quæstiunc. 3. ad 2.* Præterea Ecclesia, & fideles offerunt Missas, & suffragia pro defunctis in com-

communi : quæ quidem opera satisfactoria pie creditur Deum similibus animabus applicare , ut ex vi illorum sua debita solvant , ab illo que carcere citius, quam divina justitia exigebat , eruantur.

47. Tempus , quo animæ detinentur in purgatorio , ignotum est nobis ; latet enim aliquas , ipsas etiam felices , animas. Opinio dicens non detineri ultra decennium , nullo gaudet fundamento; nec, quæ quidam junior obtrudit in præsenti contra Salmanticenses , solidiori rationi nituntur. Animas ultra decem , viginti , & amplius annos cruciari in purgatorio habetur ex pluribus piis revelationibus, & præcipue ex quibusdam admissis , approbatis , & annotatis a V. Palafox , cujus singularis eruditio , egregia doctrina , & fama sanctitatis jam incipiunt præfulgere in Ecclesia. Utinam plene refulgeant !

48. Inq. 3. Quæ sint licite a Deo in oratione petenda? R. 1. Quod licet Socrates putavit , nihil ultra petendum a Diis , quam ut bona nobis tribuerent, quia ipsis patebat , quid unicuique esset utile : nos vero dicimus gratiam , gloriam , virtutes , dona supernaturalia , & omnia , quæ nos ducunt ad vitam æternam esse absolute a Deo petenda. Quia hæc omnia cedunt in gloriam Dei , & utilitatem spiritualem nostram. R. 2. Bona temporalia necessaria ad vitæ conservationem posse etiam absolute peti a Deo : quia hæc bona sunt per se appetibilia sicut ipsa natura , & quemadmodum tenemur conservare vitam , ita petere necessaria ad ejus conservationem. Unde Salomon petivit absolute victui suo necessaria , & Ecclesia frequenter orat pro salute , pro pluvia , & aliis ad vitam necessariis , ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti , sempiterna fiducialius appetamus. Hæc , licet minus principaliter, petimus in oratione dominica, cujus explicatio dabitur in fine operis.

49. R. 3. Alia bona non necessaria ad vitam , ut honores , divitiæ , & alia hujusmodi non esse absolute a Deo petenda , sed sub conditione , si conducant ad ultimum finem assequendum , vel ad actus virtutum deserviant : quia hæc malum eventum possunt ex se habere. Unde audax esset , & satis amens , qui a Deo peteret Episcopatum , Magistratum, Præfecturam , Dignitates , aut officia honorifica : quia esto objectum hujus desiderii malum non sit ; valde tamen periculosum est , cum sint onera Angelicis humeris formidanda. Videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *a.* 5. *&* 6. ubi de his omnibus agit.

CAPUT II.

De adoratione Dei , & sanctorum.

PUNCTUM I.

Notio , & divisio adorationis.

50. Inq. 1. Quid sit adoratio? R. est *actus , quo Deo , & sanctis exhibetur proprius cultus ob eorum excellentiam.* Dividitur primo in *latriam* , *hyperduliam*, & *duliam.* Quoniam adoratio distinguitur juxta adorati excellentiam , hæc autem est triplex. Prima increata , quæ est propria Dei , & huic excellentiæ correspondet *latria.* Secunda propria beatissimæ Virginis Mariæ propter eminentem dignitatem , gratiam , & perfectionem super omnes sanctos , cui correspondet *hyperdulia.* Tertia excellentia est propria sanctorum propter gratiam , & sanctitatem a Deo participatam , cui correspondet *dulia.* Adoratio autem , quæ tribuitur Superioribus ob motivum naturale , dignitatem , aut officium , dicitur *observantia.* D. Thom. 2. 2. *q.* 103.

51. Secundo dividitur *adoratio* in *internam* , & *externam. Interna* est actus interior , quo nos summittimus Deo tamquam supremo omnium rerum principio, & ita Angeli , & animæ beatæ Deum adorant. *Externa* est actus interior signo exteriori manifestatus : ut inclinatione capitis , genuflexione , aut prostatione. Hæc adoratio principaliter est in interiori , secundario autem in corporalibus humilitatis signis : unde licet possit dari adoratio interna sine externa ; non vero econtra : quia sola exterior adoratio potius est fictio , quam actus religionis.

52. Tertio dividitur in *absolutam* , & *respectivam. Absoluta* est quæ tribuitur creaturis , quæ ex se sunt capaces excellentiæ , superioritatis , gratiæ , sanctitatis,

tis, & virtutis: unde solum creaturæ rationales capaces sunt adorationis absolutæ propter excellentiam, & virtutem a Deo participatam. *Respectiva* est, quæ exhibetur alicui, non ob propriam excellentiam, sed ob respectum quem dicit ad alium adoratione dignum: & hoc pacto adoramus crucem, & sanctorum imagines ob respectum ad suum prototypum, & exemplar. Quarto dividitur adoratio in *publicam*, & *privatam*. Publica est, quæ tribuitur authoritate, & nomine Ecclesiæ. *Privata* vero, quæ fit nomine proprio, vel ex privata devotione: sive in publico, sive in secreto fiat. Ita communiter Theologi cum D. Thom. *ubi sup.*

53. Inq. 2. An detur præceptum divinum adorandi Deum? R. affirm. Patet ex cap. 20. *Exodi.* Ubi præcipitur: *Non habebis Deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile.* In quibus verbis includitur præceptum affirmativum adorandi Deum, & negativum non adorandi idola, vel falsos Deos. An si diceret; *me solum ut Deum verum adorabis, & colles, nec alium præter me.* Prob. ratione, quia etiam jus naturale exigit, ut non solum mente, sed etiam corpore Deum adoremus, & colamus; constamus enim anima, & corpore, & utrumque a Deo accepimus, ergo datur præceptum divinum naturale adorandi Deum adoratione interna, & externa. Ratio cur præceptum adorationis tradatur per verga negativa, potius quam affirmativa est, quia adeo naturale est homini, ut nulla fuerit natio tam barbara, quæ primum suarum legum fundamentum supra cultum Dei non jecerit: quare sat fuit per præceptum negativum prohibere idololatriam, ad quam Hebræi proni erant, ut homo suapte natura Deum verum adoret, & colat, despectis falsis, vanis, & fictis Diis.

54. Inq. 3. Quo tempore hoc præceptum obliget? R. quod hoc præceptum ut negativum obligat semper, & pro semper: quia hoc est proprium omnis præcepti negativi prohibentis actionem intrinsece malam: verum ut affirmativum obligat per se omnibus Dominicis, in quibus Deus coli debet ex præcepto substantialiter divino. Ex præcepto autem ecclesiastico tenetur omnis fidelis adorare Deum diebus festis, quia ad hoc sunt instituti: quare huic præcepto satisfacit, qui prædictis diebus sacrificio Missæ devote assistit.

55. Inq. 4. An loco determinato sit Deus adorandus? R. quod de jure naturali, aut divino nullus est locus designatus; sed cum Deus ubique sit præsens, in omni loco possumus, & debemus eum adorare. Nihilominus Ecclesia, Deo ipso inspirante, erexit templa, in quibus sacrificia, solemnesque divini cultus celebrentur. Triplicem rationem congruentiæ assignat D. Thom. 2. 2. *q.* 84. *art.* 3. *ad* 2. ubi dicit: *Primo quidem propter loci consecrationem, ex qua specialem devotionem percipiunt orantes, ut magis exaudiantur; sicut patet ex adoratione Salomonis* 3. *Reg.* 8. *Secundo propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertio propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis.* Addit ibidem *ad* 3. convenientius nos adorare Deum vultu, & facie templi versa ad orientem, tum propter Christum, qui oriens, & lux mundi appellatur. Tum propter paradysum in oriente constitutum, quasi quæramus ad eum redire, dum versus illum oramus.

Punctum II.

De adoratione latriæ.

56. Inq. 1. Quid sit latria? R. est *qua tribuitur Deo proprius cultus ipsius.* Hæc debetur Deo, & cuilibet personæ sanctissimæ Trinitatis, ita ut possimus eas adorare simul, vel etiam unamquamque seorsim, absque exclusione tamen aliarum. Motivum hujus adorationis est suprema, & increata Dei excellentia, quæ nulli creaturæ competere potest. Actus præcipuus *latriæ* est *sacrificium altaris*, quod offertur in signum supremi dominii, & excellentiæ Dei. Deinde *votum*, quod soli Deo offerri potest. Denique actus *latriæ* sunt *Gloria in excelsis Deo*: *Te Deum laudamus*, & similia, quæ unice Deo conveniunt. Alia autem signa adiaphora, seu indifferentia, quæ Deo, & creaturis tribui queunt, ex intentione adorantis ordinari possunt ad colendum Deum, vel creaturas: ideo quando pri-

va-

vati actiones externas adorationis publice exhibent, non sufficit eos bonam habere intentionem, sed circumstantiæ loci, & temporis, personæ, & consuetudinis spectandæ sunt, ut absque offendiculo adstantium fiant.

57. Christus Dominus non solum ut Deus, sed etiam ut homo adorari debet adoratione latriæ: quia eadem adoratione adoramus personam, & omnes partes illius. Et qui adorat Regem purpuratum, adorat purpuram illi unitam, ergo eadem adoratione *latriæ*, qua adoramus personam Christi, debemus adorare humanitatem illi hipostatice unitam. Cæterum humanitas Christi Domini potest etiam privatim adorari, ut abstracta a Verbo, seu præcisive considerata, adoratione *hyperduliæ*: hoc autem in praxi non solum est licitum; sed potest esse valde laudabile, & meritorium, cum ex una parte adoratur adoratione *latriæ* propter personam divinam, cui est unita; & ex alia adoratione *hyperduliæ* considerando in ea tantam plenitudinem gratiæ, & sanctitatis: hoc enim nihil aliud est, quam adorare humanitatem duplici titulo, vel pluribus adorationibus ob varias perfectiones sibi debitis, de quibus simul, vel seorsim potest, & debet gaudere, sibique congratulari omnis anima vere devota; non excludendo adorationem superiorem, cum exhibet inferiorem, sed adorando eam tum propter excellentiam increatam, tum propter perfectiones creatas. Videatur D. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 2

58. Eadem adoratione *latriæ* erat adorandum corpus Christi, & sanguis ejus naturalis in triduo mortis propter unionem ad Verbum divinum. Similiter est adorandum *latria* admirabile Eucharistiæ sacramentum: quia continet Deum: idemque dicendum propter eamdem rationem, si in triduo mortis fuisset consecratum. Hinc vero non inferas irreverentiam Eucharistiæ irrogatam esse sacrilegium contra personam sacram; solum enim est, licet gravissimum, contra rem sacram, ut ait Angel. 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 3.

59. Inquires 2. An sit absolute adoranda hostia a Sacerdote in Missa elevata, an vero sub conditione, si est consecrata? R. licitum esse eam adorare absolute, quia non est ratio prudens suspicandi non esse consecratam: sufficit ergo, quod adorans eam habeat conditionem implicitam, & habitualem, ita ut, si sciret non esse consecratam, nullatenus eam adoraret.

60. Inquires 3. An sit adoranda cultu *latriæ* caro, sanguis, vel puer aliquando in Eucharistia miraculose apparens? R. affirm. ex D. Tham. 3. *p. q.* 76. *art.* 8. *in argum. sed contra*: ubi sic ait: *Sed contra est, quia, tali apparitione facta, eadem reverentia exhibetur ei, quod apparet, quæ etiam primo exhibebatur: quod quidem non fieret, si vere non esset ibi Christus, cui reverentiam latriæ exhibemus.*

61. Inquires 4. An crux Christi, & alia ejus passionis instrumenta sint cultu *latriæ* adoranda? R. 1. Crucem, in qua Christus passus fuit, & alias ad ejus similitudinem factas, adoratione *latriæ* esse adorandas. 1. Quia imago alicujus eadem adoratione, qua prototypus, adorari debet. 2. quia crux est signum, & speciale vexillum Redemptoris, ergo adoratio *latriæ* ei tribuenda est. Unde crux, in qua Christus fuit exaltatus, duplici titulo meretur adorationem *latriæ*. Ex quo oritur alia differentia hujus crucis ab aliis ad ejus similitudinem efformatis, quod istæ, si amittant figuram crucis, jam non sunt colendæ; illa vero licet eam amittat, vel in partes scindatur, ut accidit, semper cultu *latriæ* adoranda est. Verumtamen si hæc crux præcisive a verbo sumatur, solum cultu *hyperduliæ* adorari debet, ut docet D. Thom. *in* 3. *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4.

62. R. 2. omnia instrumenta inanimata passionis Christi ut funes, flagella, corona, clavi, lancea, & alia, quæ ejus corpus tetigerunt esse *latria* adoranda: quia ratione contactus physici, & aspersionis sanguinis ejus sunt reliquiæ insignes ejusdem. Instrumenta vero animata, ut labia judæ osculantis, & manus crucifigentium, esto ob rationem contactus adorari possent, tamen ob Deicidium ab eis commissum, indignæ sunt adoratione.

63. Objic. 1. Nullus filius colit funes, nec patibulum, in quo ejus pater sus-

pensus fuit, ergo nec fidelis colere debet instrumenta, quibus Christus turpissime occisus fuit. R. prædicta instrumenta non adorari a fidelibus, ut inferentia infame supplicium Christo Domino, sed ut vexilla victoriæ, & signa redemptionis nostræ. Quilibet autem filius coleret ut trophæa, instrumenta occissionis patris, qui ob commune bonum patriæ vitam gloriose profudit.

64. Objicies 2. si ob contactum physicum Christi adorantur *latria* instrumenta passionis ejus, eadem adoratio debetur manibus beatissimæ Virginis, sancti Joseph, & discipulorum; imo & asello, in quo Hyerosolimam intravit; sed hoc est falsum, ergo & primum. R. quod beatissima Virgo, & alii sancti, qui tetigerunt corpus Christi, sunt capaces adorationis ratione propriæ excellentiæ, ideo ne detur occasio idololatriæ, non adorantur *latria*: quod non tenet in instrumentis inanimatis, utpote incapacibus propriæ adorationis. Unde melius, & perfectius est in B. Virgine, & sanctis adorari *hyperdulia*, & dulia propter se, quam in cruce, & aliis instrumentis *latria* propter alium. Assellus autem nullo modo est adorandus propter indecentiam, sicut nec sputa sanctorum, vermes, vel putrida in eorum corporibus reperta.

65. Objicies 3. Si aliæ cruces ob similitudinem ejus, in qua Christus pependit, adorantur *latria*, ergo omnes clavi, omnia flagella debent ita adorari. R. neg. conseq. quia cruces efformatæ ad similitudinem primæ sunt imagines crucifixi, qua ratione debent omnes adorari *latria*. Verum flagella, coronæ, clavi, & similia non sunt crucifixi imagines, ideo solum illa, quæ habuerunt contactum physicum, adoranda sunt: cætera autem nullo modo, ita Angelic. 3. *p. q.* 25. *art.* 4. *ad* 3. Nihilominus quando clavi, aut coronæ sunt in aliquo crucifixo, vel assumuntur actualiter ad representandam Christi passionem, debent cultu *latriæ* adorari propter actualem representationem. Nota etiam, quod si cruces casualiter, & per accidens formentur, nullam merentur adorationem, ideoque cum ex diversis lignis, aut paleis in terra formatæ reperiuntur, licitum est eas, sicut alia ligna, vel paleas calcare. Unde aliqui scrupuli circa hanc materiam tamquam ridiculi despiciendi sunt, quia solum cruci ex professo efformatæ debetur supradicta adoratio.

66. Nomina Dei, & Jesu adorari debent eadem adoratione *latriæ*, quia representant Personas divinas tali adoratione dignas. Et idem est de nomine *Mariæ*, Angelorum, & sanctorum, quod est adorandum *hyperdulia*, & *dulia*, ut repræsentatio, seu imago suorum exemplarium.

Punctum III.

De hyperdulia, & dulia.

67. Inquires 1. quid est hyperdulia? R. est virtus, *qua damus B. Virgini Mariæ proprium cultum ipsius.* Motivum hujus adorationis est illa plenitudo gratiæ, & virtutis, qua beatissima Virgo supra omnes Angelos, & sanctos eminet, ac refulget. Actus præcipui hyperduliæ sunt *Ave Maria*, *Salve Regina*, *Linania Lauretana*. Alia autem signa adorationis communia ex intentione adorantis determinari queunt ad hyperduliam, quæ quidem meritissime debetur cœlorum Reginæ, non solum quia mater Dei, sed quia omni perfectione, & sanctitate plena est. Unde justissime proscripta est ab Alex. VIII. sequens propos. 26. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.* Nam cum beatissima virgo Maria non solum sit laude, & honore digna quatenus mater Dei, sed etiam quatenus gratia, sanctitate, & perfectione omnes cœlites superat, ideo universalis Ecclesiæ Pastor prædictam propositionem summo jure damnavit.

68. Inq. 2. Quid est dulia? R. *est virtus, qua Angelis, & sanctis tribuimus proprium cultum ipsorum.* Motivum hujus adorationis est dignitas, & excellentia, gratiæ, & gloriæ, quibus Angeli, & sancti gaudent, nobisque superiores existunt. Actus præcipui *dulia* sunt peculiares orationes, seu collectæ, & litaniæ sanctorum, in quibus tan Angelos, quam sanctos, aliquos in particulari, omnes in communi adoramus. Licitum est ado-

ra-

rare Angelos, & sanctos. Est dogma catholicum ab omnibus fidelibus non minus jucunde, quam utiliter admissum: nam si in terris privatos, amicos, & propinquos regis honorare optamus propter eorum dignitatem, & nostram utilitatem; potiori ratione hoc ipsum cum privatis, amicis, & propinquis regis cœlestis optare debemus. D. Thom. 2. 2. *q.* 103. *a.* 5.

69. Objic. tamen 1. Cum hæreticis; *Deutheronom.* 6. *Matth.* 4. & alibi, præcipitur Deum solum adorari, ergo. R. Deum solum esse adorandum adoratione omnino absoluta, & propria Dei, quæ est *latria* propter excellentiam increatam; sed nullibi prohibetur sanctorum adoratio propria ipsorum, quæ est *dulia*, aut *hyperdulia*, propter excellentiam creatam, & a Deo participatam.

70. Objic. 2. *Apocalypsis* 29. Angelus prohibuit se a Joanne adorari, & *Actorum* 10. Petrus, & Paulus prohibuerunt sibi adorationem offerri, ergo. R. Angelum prohibuisse se adorari a Joanne, vel propter hominis dignitatem, quam adeptus est per Christum, & ejus incarnationem; aut propter reverentiam ad Apostolatum, & Sacerdotium ad quod elevatus erat Joannes. Quid simile legitur in vita sancti Francisci Salesii de quodam juvene, cui Angelus præibat, sed post Sacerdotem sequebatur. Apostoli nutem prohibuerunt se adorari, vel ex affectu humilitatis, vel potius adoratione soli Deo debita.

71. Inq. 3. An Dulia, qua sanctos adoramus, sit virtus distincta a religione? R. affirmative: quia ubi est diversa ratio formalis adorationis, debet dari diversa species virtutis; sed in Deo datur diversa ratio formalis adorationis, ac in sanctis; Deum enim adoramus propter excellentiam increatam, sanctos vero propter creatam, & participatam, ergo dulia, qua adoramus sanctos, differt specie a latria, qua adoramus Deum. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 84. *art.* 1.

72. Objic. 1. Eadem est virtus charitatis, qua amamus Deum, & proximum, ergo eadem debet esse virtus religionis. qua colimus Deum, & sanctos. R. neg. conseq. quia ratio formalis intrinseca diligendi proximum est bonitas increata, & ideo eadem charitate diligimus Deum, & proximum. Ratio vero formalis intrinseca, qua colimus sanctos, est excellentia creata in ipsis reperta, ideoque distincta virtute colimus sanctos, ac Deum. Si autem sancti colantur propter excellentiam increatam, quatenus in illis Deus splendet, tunc eadem virtute religionis coluntur Deus, & sancti cultu *latriæ*, & adoratione respectiva ob divinam excellentiam.

73. Objic. 2. Irreverentia, seu injuria sanctis irrogata est sacrilegium, ergo reverentia, seu adoratio ipsis exhibita est actus religionis: nam omne sacrilegium est contra religionem. R. neg. conseq. Quia etiam irreverentia Sacerdoti facta est sacrilegium; reverentia vero ei exhibita est actus, non religionis, sed observantiæ, quod ideo est, quia actus malus sumit speciem ab objecto cum omni circumstantia in eo reperta, & cognita, quin ad hanc directe terminetur. Semel enim cognita circumstantia mala, indirecte est volita, ad differentiam actus boni, qui solum sumit speciem ab eo, ad quod directe terminatur: plus enim requiritur ad bonum, quam ad malum. Cum ergo in sanctis reperiatur, non solum excellentia creata propria ipsorum, sed etiam specialis conjunctio cum Deo, & participatio excellentiæ increatæ: hinc irreverentia eis irrogata est vere sacrilegium, & peccatum contra religionem. Econtra reverentia eis facta, quia non terminatur directe ad illam specialem conjunctionem cum Deo, sed ad excellentiam creatam propriam ipsorum, nec est actus religionis, nec sumit speciem ab objecto religionis.

PUNCTUM IV.

De cultu exhibendo sanctis canonizatis, beatificatis, & aliis personis cum opinione sanctitatis demortuis.

74. Inq. 1. Quid est canonizatio? R. est *publicum Ecclesiæ testimonium*, & *ultimum judicium de vera sanctitate*, & *gloria alicujus hominis jam defuncti*. Antiquitus sufficiebat canonizatio ab Episcopo facta, sed post Alexand. III. nullus præter Romanum Pontificem valet ali-

aliquem, quantumvis miraculis præclarum, in cathalogo sanctorum collocare. Sanctis ergo, qui, vel antiquitus communi populi consuetudine, vel Episcopi approbatione, vel jam testimonio Romani Pontificis regnare in cœlo declarantur, cultus *duliæ* deferendus est: quia statim, ut aliqui in numero sanctorum solemniter adscribuntur, *primo*, ab omnibus *sancti* appellari possunt. *Secundo*, in publicis Ecclesiæ precibus invocari. *Tertio*, in eorum memoriam altaria, & templa erigi. *Quarto*, Missa, & officium divinum de eis celebrari. *Quinto*, dies festi in eorum laudem institui, & coli. *Sexto*, valent pingi eorum imagines cum radiis, & splendoribus. *Septimo*, eorum reliquiæ publice possunt honorari. *Octavo*, valent in patronos regni, provinciæ, aut civitatis eligi.

75. Inq. 2. An Pontifex in sanctorum canonizatione errare possit? R. neg. cum omnibus catholicis contra hæreticos. Imo graves Theologi defendunt esse de fide Papam in sanctorum canonizatione errare non posse. Sed D. Thom. *Quodlib.* 9. *art.* 16. docet: sententiam Papæ in canonizatione sanctorum medium tenere inter declarationes rerum fidei, & sententiam latam circa facta particularia: hoc est, non esse de fide; esse autem certiorem qualibet alia sententia circa facta particularia prolata. Unde juxta omnes oppositum affirmare est saltem erroneum, temerarium, scandalosum, & sapiens hæresim: ut si quis assereret, aliquem sanctum in inferno torqueri.

76. Objicies ex D. Augustino: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna*. R. quod, si prædicta verba sunt D. Augustini, intelliguntur de gentilibus, & hæreticis, aut iniquis catholicis, quorum corpora venerantur hic superbis sepulcris: animæ autem torquentur flammis æternis.

77. Inq. 3. Quid sit beatificatio? R. est *permissio, seu indultum Pontificis alicui provinciæ, vel religioni concessum, ut possit aliquem nominare beatum, & de eo officium, & Missam celebrare*. Solum accidentaliter, & tamquam magis, & minus perfectum distinguitur a canonizatione; hæc enim est ultimum Papæ pro tota Ecclesia de sanctitate alicujus judicium; illa vero via, & præparatio ad illud, vel quædam canonizatio particularis pro hac provincia, aut civitate. Ex quo sequitur. *Primo*, beatificatum posse appellari absolute *sanctum*: dummodo non sit ad significandum illum esse canonizatum. *Secundo*, posse illi tribui cultum publicum authoritate, & nomine Ecclesiæ.

78. Inq. 4. Quis cultus publicus possit exiberi beatificato? R. posse illi præstari tantum illum cultum, qui in ejus beatificationis Bulla conceditur, & assignatur: quia indulta, & privilegia tantum valent, quantum sonant; beatificatio autem est quodam indultum, seu privilegium. Unde solum illud officium, illa Missa, illo die, loco, civitate, aut Ecclesia, & ab illis personis in Bulla explicite, vel implicite assignatis valet celebrari de beatificato. Si autem dies ejus officio designatus impediatur majori solemnitate, poterit transferri juxta rubricas breviarii, & missalis. Potest etiam erigi, non templum, sed altare, vel capella in ejus honorem, ibique ejus statua, imago, aut corpus publicæ veneration exponi; hoc enim implicite conceditur in facultate de eo Missam celebrandi. Similiter potest beatificatus, vel ejus imago cum radiis, & splendoribus depingi, ut a non beatificatis secernatur. Verum nec invocari in litaniis, nec eorum reliquiæ publice deferri in processionibus, nec eis templa dicari, nec tandem *patroni* regni, aut civitatis eligi possunt; ita constat ex variis declarat. S. congregat. apud Merat. tom. 1. in serie decret. N. 361. & seqq.

79. Inq. 5. Qui cultus tribui possit personis decedentibus cum opinione sanctitatis nondum beatificatis? R. 1. non posse eis licite tribui cultum publicum. Quia cultus publicus institutus est solum pro canonizatis, aut beatificatis, ergo illicitum est aliis eum deferri. Unde non licet Missam, officium, aut diem festum de eis celebrari, aut institui, eos in litaniis, aut precibus publicis invocari, nec eorum reliquias in altari collocari, nec publice adorandas exponi, nec votum aliquod a toto populo in eorum honorem Deo offerri, nec radiis, splendoribus,

bus, aut laureolis depingi, nec templa, aut altaria eis dicari, nec tabellas, aut lampades, inconsulto Ordinario, ad eorum sepulcra appendi, nec *sanctos* absolute nominari, sed cum additione *sanctus vir*, *beatus pater*, nec tandem eorum gesta, revelationes, aut miracula absque approbatione Episcopi imprimi, ut constat ex quodam decreto Urbani VIII. qui tamen permittit hęc omnia exhiberi illis, qui ex communi consuetudine Ecclesiæ, aut tolerantia Ordinarii a fidelibus pie coluntur.

80. R. 2. posse prædictis defunctis dari cultum privatum. Constat ex universali Ecclesiæ praxi, & consuetudine fidelium, qui ad eorum sepulcra pia devotione concurrunt, ab eis exorando, & pluries impetrando infirmis sanitatem: unde licitum est eorum manus, aut pedes devote osculari, capillos, vestes, aut alias reliquias servare, & venerari, eorum corpora ad satisfaciendum devotioni per aliquos dies insepulta conservare, ea honestiori loco decenter spelire; dummodo non sit sub altaribus, & sub gradibus eorum. Similiter possunt fideles in eorum honorem votum privatum offerre, in die anniversario ipsorum a servilibus privatim abstinere, aut in vigilia jejunare, vel aliud pium opus pro eorum reverentia devote adoriri, dummodo omnia privatim fant; alias nocerent, & impedimenta apponerent sua anticipata devotione illorum cultui publico, ad quem initio causæ inquiritur a sac. Congreg. peculiari articulo, de *non cultu* prius eis exhibito.

Punctum V.

De cultu sacrarum imaginum, & reliquiarum.

81. Inq. 1. An usus sacrarum imaginum sit pius, & licitus? R. affir. Constat ex cap. 21. *Exod.* ubi dixit Dominus ad Moysem: *facies duos Cherubim aureos ex utraque parte Oraculi.* Constat etiam ex Tridentino *sess.* 25. Ubi decernit imagines Christi, Deiparæ, & sanctorum præsertim in templis habendas, & retinendas esse. Suadetur ratione: Illud est pium, & licitum, quod excitat ad virtutem, & devotionem; sed sacræ imagines excitant ad virtutem, & devotionem, erg. earum usus est pius, & licitus. Minor patet. 1. Quia imagines profanæ provocant ad profanitatem, obscenæ ad obscenitatem, erg. devotæ ad devotionem, & virtutem. 2. Quia visa imagine v. g. crucifixi excitat ad paupertatem, humilitatem, patientiam, obedientiam, compassionem, & supra omnia ad amorem: omnis enim figura ejus amorem spirat, & ad redamandum provocat, caput inclinatum, manus expansæ, pectus apertum, & sicut quidam devote cecinit: *illum ego de Lybica natum jurabo Læena, cui tua crux non moverit, o bone Christe!* Unde licitum est imaginem Dei Patris, & cujuslibet personæ SS. Trinitatis depingere, ut constat ex sequenti propositione damnata ab Alex. VIII. *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.*

82. Si autem cum hæreticis objicias; quod *Exod.* 20. & alibi prohibetur sculptile, aut simulacrum fabricari. R. tantum prohiberi sculptilia, aut idola fabricari ad representandos Deos alienos, inanes, & falsos; minime vero ad representandum verum Deum, Angelos, & sanctos.

83. Inq. 2. An sacræ imagines sint adorandæ? R. Sacras imagines esse adorandas eadem adoratione, ac earum Prototypi: Ita D. Thom. 3. *p. q.* 25. *a.* 3. ubi concludit: *Sic ergo dicendum est, quod imagini Christi in quantum est res quædam (puta lignum sculptum, vel pictum) nulla reverentia exhibetur: quia reverentia non nisi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo, quod ei exhibeatur reverentia solum in quantum est imago. Et sic sequitur, quod eadem reverentia exhibetur imagini Christi, & ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quod ejus imago sit etiam adoratione latriæ adoranda.*

84. Inq. 3. An imagines sanctæ, quæ aliquando in visionibus apparent, sint adorandæ absolute; vel solum sub conditione, *si Deus, aut sanctus est?* R. Prædictas Imagines, supposita recta intentione, posse adorari absolute, quia Christus v. g. sub quacumque imagine appareat est dignus absoluta adoratione;

sed

sed ibi Christus sub illa imagine apparet, ergo absoluta adoratione dignus est. Cumque idem debeat dici de omni alia imagine sacra, de omnibus idem tenendum est. Nec in illis adoratur, quod latet, sed quod apparet, & per illas representatur. Hanc assertionem docet seraphica, ac illuminata Doctrix mater Theresia variis in locis, sed præcipue *lib. Mans. cap. 9. n. 7. Mans. 6.*

85. Inq 4. An detur præceptum utendi sacris imaginibus? R. Non dari præceptum naturale, aut divinum, sed tantum ecclesiasticum obligans in *generali*, ortum ex communi consuetudine, & usu fidelium, ex quo usu duplex oritur præceptum, aliud negativum sacras imagines non injuriandi, aut despiciendi, quod obligat semper, & pro semper, aliud affirmativum eas adorandi, quod obligat temporibus determinatis, ut quando earum adoratio necessaria est ad fidem confiterdam, vel ad vitandum scandalum.

86. Verum esto non detur præceptum singulos obligans ad usum sacrarum imaginum, non possumus non improbare abusum, quem paucis ab hinc annis introductum animi dolore conspicimus, vix enim aspicies imaginem sacram, aut devotam in domibus divitum, quia fere omnes ab eis expulsæ sunt, ut eorum loco alias figuras profanas ab hæreticis invectas, ad domorum ornamentum pretio comparent, & magna æstimatione habeant, vanitatem fovendo, & devotionem relegando: ita ut domus catholicorum parum, aut nihil jam a domibus hæreticorum secernantur.

87. Inq. 5. An reliquiæ sanctorum sint adorandæ? R. 1. Sanctorum reliquias, sicut eorum imagines dignas esse adoratione. Constat ex Concil. *Nicæno* 2. Ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. & ex communi fidelium praxi, quæ contra errores hæreticorum hoc ipsum firmiter testatur, & tamquam articulum fidei tenet, & credit. R. 2. Sacras reliquias adorandas esse eadem adoratione, ac ipsi sancti. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 4. & 6. Quia sacræ reliquiæ sunt partes corporum, quæ fuerunt organa, & habitacula spiritus sancti, & dicunt relationem ad ipsos sanctos, ergo debent adorari eadem adoratione, ac ipsi sancti. Unde præputium Christi, & ejus sanguis, etiam nutrimentalis in aliquo passionis instrumento manens, adoranda sunt *latria*, capilli, & lac beatissima Virginis *hyperdulia*; reliquiæ tandem aliorum sanctorum *dulia* veneranda sunt.

88. Objic. cum hæreticis: si reliquiæ sacræ ob contactum cum sanctis essent adorandæ, etiam vermes, in quos aliquando eorum corpora convertuntur, os Judæ, manus crucifigentium, asellus super quem Christus sedit, deberent adorari, quod est absurdum. R. omnia prædicta, & similia non posse terminare religiosam adorationem propter indecentiam. Ex quo non sequitur alias reliquias sacras, mundas, decentes, & honestas adorari non debere.

89. Inq. 6. Quæ certitudo sit necessaria, ut reliquiæ colantur tamquam veræ? R. Quod pro cultu privato sufficit certitudo moralis de earum veritate ex testimonio viri gravis, & prudentis. Pro cultu vero publico requiritur recognitio seu approbatio Episcopi; valent etiam collo suspensæ deferri, dummodo absit periculum prophanationis, aut indecentiæ, hoc est, derisionis, aut despectus. Verum, qui eas deferens furatur, aut mœchatur, non committit sacrilegium, quia hæc peccata illarum cultui directe non opponuntur.

90. Licitum est sacras reliquias ab infidelibus furari, vel pretio emere, quia liberantur a periculo irreverentiæ: tamen furari reliquias a fidelibus sacrilegum furtum est, quia pluris, quam temporalia a fidelibus æstimatur. Unde ad cognoscendam gravitatem furti, attendi debet major, aut minor æstimatio possessoris, quia non mensuratur a quantitate rei ablatæ, sed a qualitate, rarilate reliquiæ, ab æstimatione, aut contristatione ejus, a qua auferitur. Peccant mortaliter Duces, vel milites, qui etiam in bello justo, capta civitate, reliquias ab Ecclesiis subripiunt: quia iniquum est, & sacrilegum Ecclesias expoliare, aut ecclesiasticos punire propter delictum civitatis. Non est licitum sacras reliquias extra capsulas positas publicæ exponere veneration, ne sacra ossa, si jam carne sint spoliata, a rudi populo minus decenter venerentur.

91.

91. Inq. 7. An licite exponi possint sacræ reliquiæ, ut hac occasione eleemosynæ largiores offerantur? R. Præciso omni pacto, licitum esse sacras reliquias exponere, ut fideles devotione permoti eleemosynam omnino gratiose conferant. Verum si intentio principalis dirigatur ad eleemosynam, erit culpa saltem venialis. Simonia autem est sacras reliquias quomodocumque pretio vendere, aut emere, nisi ratione materiæ, quæ utpote pretio estimabilis vendi, aut emi potest; quod etiam verum est de cereis formis, quæ *Agnus Dei* communiter appellantur; quæ vendi, aut emi licite possunt ratione materiæ, & expensarum in eis asportandis, vel ornandis; non tamen pluris quam ipsa materia, vel expensæ æstimantur: sicuti calices, & alia vasa sacra vendi, aut emi ratione materiæ licite possunt. Dictos Agnos pingere, deaurare, minio, vel alio colore afficere prohibitum est sub excommunicatione *latæ sententiæ*, illos vero cum reverentia, aut necessitate contrectare, aut tangere omnibus etiam laicis licitum est. Eorum autem materia, ac virtutes his explicantur versibus:

Balsamun, & munda cera cum chrismatis unda,
Conficiunt agnum, quod munus dò tibi magnum,
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit, & omne malignum:
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit.
Prægnans servatur simul, & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis.
Portatus munde, de fluctibus excipit undæ.

Punctum VI.

De cultu vestibus, ac vasis sacris, & aliis rebus ad Dei obsequium destinatis tribuendo.

92. Inq. 1. Quis cultus templis, vasis sacris, & similibus debeatur? R. templa, indumenta sacerdotalia, vasa sacra, & omnia ad Dei cultum destinata adoranda esse *latria*. Quia ut pote ordinata ad cultum Dei, sunt velut ejus imagines symbolicæ, erg. debent adorari *latria*, sicut ipsæ imagines Deum, aut Christum representantes. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 25. *a.* 6.

93. Inq. 2. An vasa sacra, corporalia, & vestes benedictæ tangi licite a laicis valeant? R. Quod esto secundum jura antiqua prohibitum esset laicis tangere etiam casulas, & alias vestes ab Episcopo benedictas; communi tamen usu licitum est utriusque sexus laicis tangere quælibet vestimenta sacra, maxime ex justa causa eas reficiendi, lavandi, aut decenter conservandi: Idemque est dicendum circa vasa non consecrata. Cæterum vasa consecrata, ut calicem, & patenam, etiam vacua, nec non aram, & corporalia nequeunt laici immediate tangere sub peccato veniali. Laici tamen religiosi, qui sacristiæ inserviunt, possunt prædicta immediate tangere ex privilegiis concessis laicis Minorum, & ab aliis participatis. Nec prima tonsura initiati comprehenduntur sub prohibitione tangendi vasa sacra, & corporalia.

94. Calix continens sanguinem Christi, vel patena, aut pixis cum ejus corpore a solo Sacerdote, & Diacono tangi licite valent; solumque, necessitate urgente, ab aliis tangi poterunt. Similiter nefas est, etiam clericis minoribus, chrisma, seu sanctum oleum, aut Eucharistiam tangere, sublato casu necessitatis, ut si sacra hostia in terram caderet, aut ab hæreticis conculcanda esset, absente Sacerdote, a quolibet etiam laico reverenter a terra elevari deberet, & Sacerdoti quamprimum tradi in sacrario reponenda. Vel si Sacerdote communionem distribuente, particula consecrata caderet in sinum mulieris, ab hac, non a Sacerdote extrahi deberet. Corporalia, & purificatoria, saltem prima vice, semper ac altari deserviunt, a Sacerdote, vel Diacono lavanda sunt, ut tenet communior Theologorum. *Cap. In sancta, de consecr.*

95. Inq. 3. An res sacræ ad usus prophanos converti possint? R. 1. Quod res sacras ad usus prophanos convertere, quamdiu propriam retinent formam, est peccatum grave sacrilegii. Ideo enim Bal-

thasar Rex morte fuit punitus, ut patet ex *cap.* 5. *Daniel.* Imo res sacræ, aut vasa consecrata, licet per fractionem, aut scissionem amittant consecrationem, aut benedictionem, adhuc in usus propha nos converti non debent. Unde imagines sanctorum jam pervetustæ, aut deformatæ, non comburendæ, sed sepeliendæ sunt. Ligna quoque, & saxa Ecclesiæ dirutæ, vel comburendæ, vel in alia religiosa loca construenda insumi debent, ut ex jure canonico probat D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *ad* 3. Calix consecratus, aut patena, ut vendi, aut converti possint ad usus profanos, debet prius ejus materia igne, aut ferro ita immutari, quod totaliter priorem formam amittat.

96. Inq. 4. An res, quæ usibus prophanis deservierunt, possint ad sacros usus converti? R. quod res prophanas, mutando primam formam, aut figuram, convertere ad conficienda vestimenta, seu paramenta sacra licitum est. Patet ex communi praxi, qua matronarum vestes in casulas, & alia paramenta Ecclesiæ convertuntur. Ita etiam ipsę domus prophanæ media benedictione in templa sacra, & Ecclesias dicatæ sunt, ut domus S. Lucinæ, S. Ceciliæ, Panteon quoque, seu templum omnium gentilitatis Deorum. Quia esto aliquam impuritatem, & fœditatem per priorem usum contraxissent, per consecrationem, aut benedictionem ecclesiasticam omnino purgantur.

CAPUT III.

De vitiis religioni oppositis.

PUNCTUM I.

De superstitione.

97. Inq. 1. Quæ sint vitia religioni opposita? R. alia sunt per excessum, alia per defectum. Per excessum est *superstitio*, cujus sunt quatuor species, nempe *idololatria*, *divinatio*, *vana observantia*, & *magia*. Per defectum opponitur religioni *irreligiositas*, cujus pariter sunt quatuor species, *tentatio Dei*, *sacrilegium*, *blasphemia*, & *simonia*. Ita Angelic. 2. 2. *a q.* 92.

98. Inq. 2. Quid sit superstitio? R. est *cultus vitiosus veri*, *vel falsi numinis*. Dicitur *veri*, *vel falsi numinis*, quia cultus potest esse vitiosus, vel quia exhibetur, cui debetur, sed modo indebito, & dicitur *cultus incongruus*: vel quia exhibetur, cui non debetur, ut tribuere creaturæ cultum proprium Dei, & est *cultus indebitus*. Primus subdividitur in cultum *falsum*, & in cultum *superfluum*. Cultus falsus potest esse duplex; vel ex parte *rei cultæ*, vel ex parte *colentis*. Ex parte *rei cultæ*, ut si tribuatur cæremoniis judaicis, vel comentitia miracula, vel falsas reliquias venerationi exponendo, aut divinis officiis turpia miscendo, quæ omnia sunt peccatum mortale; non solum in cultu publico, sed etiam potest esse in privato, ut si quis diceret orationem dominicam *Pater noster* pro se tantum, alios excludendo, quia oratio dominica pro omnibus est instituta. Ex parte *colentis*, ut siquis se fingeret Sacerdotem, & Missam celebraret, aut quid simile efficeret. Cultus *superfluus* est, ut si quis audiret Missam tot candelis, & non aliter, vel Sacerdotis talis nominis, vel cum colore tantum albo, vel præcise nigro.

99. Inq. 3. An cultus superfluus semper sit peccatum grave? R. neg. quia non semper gravis irreverentia cultui divino per illum infertur, ut qui hanc, vel illam cæremoniam non valde gravem adderet, ut dicere *Alleluja*, quando dicenda non est, vel signare se, aut genuflectere, quando fieri non debet. Huc spectat sane plorandus modus canendi in Ecclesiis invectus, qui plus ad demulcendas aures, quam ad devotionem acuendam deservire experientia testatur; ideoque justissime a Christianorum templis, domibus compunctionis, orationis, & adorationis Dei in spiritu, & veritate penitus relegari deberet. Ang. *ibi. q.* 93.

100. Inq. 4. An qui die Dominico jejunaret, graviter peccaret? R. quod jejunare die Dominico pio animo, & propter carnis macerationem ex se opus bonum est. Nihilominus consultius omittitur jejunium tali die, ut omnes ad Ecclesiæ ritum, & morem se conforment. Qui autem je-

ju-

junaret diebus Dominicis propter aliquam adhæsionem hæresi Manichæorum, qui in contemptum Resurrectionis Christi Domini tali die jejunabant, gravissime peccaret. Ex quibus sequitur cultum superfluum posse esse peccatum grave, aut leve juxta gravitatem materiæ, & colentis intentionem. Quod quidem aliquando accidere potest etiam in cultu, qui dicitur *falsus*, propter parvitatem materiæ, ut si divinis officiis admisceantur aliqua tantum vana, non tamen turpia: quod, secluso scandalo, non reputatur irreverentia gravis, aut divino cultui notabiliter injuriosa, dummodo raro fiat.

Punctum II.

De idololatria, & divinatione.

101. Inq. 1. Quid sit idololatria? R. est *cultus divinus exhibitus creaturæ*. Vel, *cultum proprium Dei tribuere creaturæ*. Si quippe cultus, non Deo soli debitus, creaturæ tribuatur, non est idololatria; nec similiter, si cultus Deo debitus, tribuatur creaturæ, non ut tali, sed in quantum in ea Deus splendet. Igitur omnis cultus, sive internus, sive externus soli Deo debitus, & creaturæ ut tali exhibitus, est idololatria. Ex genere suo est gravissimum peccatum, quia velut alium Deum ponit, & agit contra supremum Dei dominium, excellentiam, & honorem, quod est crimen læsæ Majestatis divinæ. Unde inter omnia peccata religioni, & omni virtuti morali opposita, maximum est idololatria. Odium autem Dei, infidelitas, & desperatio gravia sunt, utpote virtutibus theologicis opposita. D. Thom. 2. 2. *q.* 94. *a.* 3.

102. Potest idololatria esse, vel cum errore intellectus, credendo alium Deum, aut plures Deos; vel absque errore spontanea, & libera; vel solum propter metum gravem, ut qui ad vitandam mortem idolis sacrificaret. Primo modo includit infidelitatem, & subjicitur *excommunicationi latæ* contra hæreticos. Secundo modo solum opponitur confessioni fidei, & incurritur excommunicatio non reservata illata a Joanne XXII. Tertio modo minus grave peccatum est: igitur triplex datur idololatria, nempe *perfecta*, *imperfecta*, & *ficta*. Quodlibet peccatum dicitur etiam idololatria juxta illud *ad Philipens.* 3. 19. *Quorum Deus venter est*. Sed hæc est idololatria generalis. Ante diluvium non fuerunt idola, cæperunt coli post illud. Primus fuit Nemrod, seu Belus pater Nini primus Rex simul, & tyrannus mundi, fundator Babilonis, & ejus superbæ turris. Author ergo tyrannidis, & confusionis fuit principium idolorum, de quo *Genes.* 10.

103. Inq. 1. Quid sit divinatio? R. est *prænuntiatio futurorum*. Tripliciter potest fieri; nempe ope Dei, vel ex vi causarum naturalium, vel ope Dæmonis. Prima fit per revelationem, & dicitur *prophetia*. Secunda per cognitionem causarum naturalium. Tertia a Dæmone acquiritur, & est secunda species superstitionis, de qua loquimur in præsenti. Definitur *prænuntiatio futurorum ope Dæmonis facta*. Potest esse, vel cum pacto expresso, vel implicito Dæmonis. Quæ fit cum pacto expresso, & communi vocabulo dicitur *necromantia*, in novem species dividitur. *Prima* est *præstigium*, quæ fit, quando Dæmon fictis corporibus, figuris, aut præstigiis apparet. *Secunda* est *divinatio per somnia*: quando divinatores sperant per somnia instrui. *Tertia* est *necromantia*: quando quibusdam præcantationibus, sanguine adhibito, videntur resuscitari mortui; & ad interrogata respondere. *Quarta* est *divinatio per Phytones*: Quando Dæmon futura prænuntiat per homines arreptitios, qui dicuntur *Phytones* a Pythone Appolline, qui primus Author divinandi olim putabatur. *Quinta* est *geomantia*: cum Dæmon per aliqua inanimata ut ligna, ferrum, lapides futura docet, aut prænuntiat. *Sexta* est *hydromantia*: quando signa apparent in aqua. *Septima* est *hiromantia*, si appareant in aere. *Octava pyromantia*, si fiat in igne. *Nona* dicitur *aruspicium*: quando fiunt signa in visceribus animalium immolatorum in aris Dæmonum: Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 3.

104. Divinatio cum pacto implicito Dæmonis etiam est duplex. Prima datur, quando ad cognoscenda futura aliquid consideratur in vanis dispositionibus rerum,

rum, quæ nullam ex se habent virtutem ad illa cognoscenda. Dividitur in alias sex species. *Prima* est *genethlia* : cum ex syderum motu, aut situ inquiruntur natalia hominum, & eventus eorum. *Secunda* est *augurium* : Cum aliqua quæruntur ex garritu, aut vocibus avium, & aliorum animalium, aut sternutationibus hominum. *Tertia* est *auspicium* : Cum fit ex avium volatu, vel motu aliorum animalium. *Quarta* est *omen* : Cum prædicitur ex hominum verbis, aut vocibus casualiter prolatis. *Quinta* est *chiromantia* : Quando divinatio sumitur ex lineamentis manuum. *Sexta* vocatur *spatulamantia* : Quando sumitur ex quibusdam signis in spatula alicujus animalis apparentibus. *Ang. ibi.*

105. Secunda divinationis species, quæ fit cum pacto implicito Dæmonis, sumitur ex consideratione eorum, quæ eveniunt ex quibusdam ab hominibus serio factis. Et dividitur in duas species, quarum prima est *geomantia* : Cum per protractionem punctorum notitia futurorum investigatur. Secunda est *sortilegium* : Cum notitia quæritur v. g. ex taxillorum projectione, vel ex festucis inæqualibus propositis, quis majorem, aut minorem deducat, aut aliis modis similibus.

106. Inq. 2. An omnes divinationis species assignatæ sint moraliter diversæ? R. negat. Quia licet divinatio facta per astra, ignem, aut aquam differant physice, & materialiter, ut furtum auri, argenti, vel vestis, non tribuit peccato diversitatem moralem ; unde nec opus est eam in confessione manifestare, nisi aliqua specialis circumstantia occurrat.

107. Inq. 3. An divinatio per pactum expressum cum Dæmone specie differat ab ea, in qua tantum est pactum implicitum ? R. negat. tum quia taciti, & expressi eadem est ratio ; tum quia tantum differunt sicut perfectum, & imperfectum : Ideoque solum physice, non moraliter distinguntur. Omnes tamen conveniunt in eo, quod divinatio per pactum expressum debet in confessione manifestari ; quia saltem regulariter loquendo in pacto explicito Dæmonis plura alia peccata includuntur, aut ex eo consequuntur. Imo pactum expressum numquam potest adesse absque peccato gravi ; pactum vero implicitum aliquando absque mortali potest reperiri, vel ratione ignorantiæ, vel parvitatis materiæ.

108. Inq. 4. An pacisci cum alio, quod præmoriens superstiti appareat, ut eum moneat de suæ animæ, & conscientiæ statu, licitum sit ? R. quod, quamvis pactum istud cum debita subjectione ad divinam voluntatem, absolute sit licitum; cæterum ob periculum illusionis consultius est a tali curiositate abstinere.

Punctum III.

De divinatione per astra.

109. Inq. 1. An divinatio per astra aliquando sit licita ? Pro resolutione nota, astrologiam esse duplicem. Aliam *naturalem*, aliam *judiciariam*. *Naturalis* est, qua ex situ, motu, splendore, ortu, & occasu astrorum prænuntiat eclypses, ventos, pluvias, & similia ex coelorum motu pendentia. Hæc licita est apud omnes, quia tales effectus per suas causas cognosci valent, & conducere potest ad medicinam, navigationem, & agriculturam. Verum a Theologis parum utilis, & incerta merito reputatur, quia astrorum virtus valde incognita est, pendetque a multiplici causarum concursu, qui pluries impeditur ; quare, experientia teste, Ephæmerides quotannis divulgatæ nihil aliud certo prænuntiant, quam vulgi crumenarum spolium. Unde, qui eas certo crederet, peccatum leve superstitionis comitteret.

110. Astrologia *judiciaria* est, quæ ex astrorum cursu, conjunctione, & aspectu prædicit futuros eventus fortuitos, præterita, vel præsentia, prorsus occulta, & actiones hominum liberas. Quatuor continet partes : *Prima revolutionum*, quæ ex astrorum vario concursu prænuntiat anni vicissitudines, sterilitatem, aut abundantiam, morbos, aut sanitatem. Hęc parum, aut nihil differt a naturali ; ideoque licita est, dummodo non certo, sed conjecturaliter credatur. *Secunda* appellatur *Magisteria nativitatum*, vel *genethliaca*, quæ prænuntiat homini omnia, quæ ei in toto vitæ decursu eventura sunt, ut si pauper, aut dives erit, si

uxo-

uxorem pulchram, aut deformem ducturus sit. *Tertia* est *electionum*, quæ prædicit in omni negotio, quid sit agendum, vel omittendum, quando domo exeundum, navigandum, aut equitandum. *Quarta* dicitur *imaginum fabricatarum*, consistens in eo quod Astrologi quasdam figuras, & characteres efficiunt, quæ ex sympathia cum figuris, quas in cœlis ad esse commentiuntur, ut angues, ursas, naves, & similia contendunt habere virtutem a prædictis constellationibus participatam ad aliquos effectus causandos. Quibus suppositis.

111. R. Omnes istas tres partes esse prorsus illicitas, & superstitiosas: quia nec prædictæ figuræ, nec ipsę costellationes habent virtutem, aut influxum naturalem ad effectus liberos producendos. Unde ridiculum est tribuere cœlorum influxui, quod Æschiles casu testudinis ab Aquila volante demissæ occissus sit, & alia futura libera, ut matrimonia, divitias, paupertatem, & similia. Solum ergo aliqua futura, casusque fortuiti in communi conjecturaliter ut bella, aut dissensiones possunt licite prædici, aut prænuntiari ab astrologia judiciaria; minime vero in particulari adhuc conjecturaliter, ideoque in hoc sensu damnata est a Xisto V. in constitutione *Moderator cœli, & terræ*, edita anno 1586.

112. Astrologi nequeunt ex horoscopo, & puncto nativitatis certo prædicere temperamentum, & naturales inclinationes hominis: quia motus cœli rapidissimus est, nec plene potest agnosci præcisum punctum nativitatis. Unde solum ex conjecturis, & tantum contingenter prænuntiari possunt prædictæ inclinationes. Similiter illicitum est consulere Astrologos ad revelanda delicta occulta, quia ad hæc cognoscenda nulla virtus est in astris. Idem dicas de illis hominibus, qui *Zahories* hispane vocantur, non enim videre queunt virtute naturali thesauros in terræ visceribus occultos, nec cadavera sub sarcophagis constituta, nisi superstitiose, & ope Dœmonis. Solum ergo agnosci naturaliter possunt metalla in terræ visceribus inclusa, & venæ aquæ ex vaporibus, & aliis signis naturalibus ex ipsa terra, & aqua promanantibus. *Ang. ibi. a.* 5.

Punctum IV.

De divinatione per somnia, auguria, & omina.

113. Quatuor sunt causæ somniorum: duæ intrinsecæ, & duæ extrinsecæ. Prima causa intrinseca est *animalis*, sic dicta, quia oritur a passionibus homini, & brutis communibus: qua ratione etiam bruta somniare asserunt Philosophi. Secunda est corporalis orta ex temperamento, & humoribus corporis, qui, si fuerint frigidi, aut terrei, causant summersiones, navigationes, afflictiones, vel alia somnia tristia; si autem sanguinei causant somnia læta. Prima causa extrinseca est corporalis, nempe aeris ambientis temperies, vel influxus astrorum. Secunda spiritualis nempe Deus, sive Diabolus. Quibus prænotatis cum D. Th. *a.* 6.

114. Inq. 1. An sit licita divinatio per somnia, sive *onyromantia*? R. 1. Licitum esse divinare per somnia a Deo immissa, ut patet in utroque Patriarcha Joseph, & in tribus Magis, qui in somniis admoniti fuerunt a Deo, sive immediate per se, sive per Angelos, imo grave peccatum esset eis fidem non præbere, quando certo, aut probabilius constaret esse a Deo: quia Deo loquenti fides adhibenda est. Signum autem erit a Deo esse, quando honesta sint, nec animum perturbent, sed ad bonum potius inclinent. Si vero his contraria offerant, signum est a Diabolo provenire. Ideoque somniorum discretio a prudenti Confessario caute discutienda est, ab eoque eisdem regulis, quibus revelationes, etiam somnia examinanda sunt. In dubio tamquam a Dœmone immissa sperni debent.

115. R. 2. Divinationem per somnia naturalia esse licitam, quia hæc somnia ex causis naturalibus oriuntur, nempe ex humorum abundantia, & qualitate temperamenti: quilibet autem potest licite causas ex effectibus divinare. Unde medici optime observant somnia, ut agnoscant causas morborum, infirmique temperamentum, & de remedio opportuno provideant.

116. Resp. 3. Divinare futura libera, aut

aut casus fortuitos per somnia esse illicitum, & grave peccatum: quia eventus fortuiti, & multo minus futura libera ex somniis nullo modo dependent, ergo siquis ea ex somniis certo prænuntiat, signum est a Diabolo accepisse. Quapropter superstitiosi sunt illi, qui certa positura, situ, vel modo in lecto se collocant, ut in somniis eis futura revelentur: sicut & alii, qui infirmorum pulvinaribus stateras, instrumenta textoria, & alia subjiciunt, ut tranquillum somnum capiant: quia nulla connexio inter somnum quietum, & talia instrumenta naturaliter intervenire potest.

117. R. 4. Quod licet somnia eventibus comprobentur, caute tamen observanda sunt: quia possunt immitti ab astutia Dæmonum, *ut in his observationibus homines implicati curiosiores fiant, & se magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris*, inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 3. *ad* 2. Unde credere certo somnia, aut per ea passim se gubernare ad agendum, grave peccatum superstitionis est: quia hoc esset somniis a Dæmone immissis fidem præbere: quod quidem grave scelus merito computatur, sive cum pacto explicito, sive implicito fiat. Regulariter autem somniis aliqualiter credere, vel ex eis timere, aut aliquid expectare per simplicitatem, aut ignorantiam, non est grave peccatum; imo aliquando a peccatis resipiscere ob metum in somniis incussum, licitum, & laudabile erit, quia tunc prudenter credere potest a Deo procedere, ut ad meliorem frugem reducatur. *Ang. ibi.*

118. Inq. 2. An divinare per *auguria*, hoc est ex cantu, & volatu avium sit licitum? R. quod divinare, aut prædicere aliquos effectus naturales, ut tempestatem, vel pluviam ex motu, volatu, voce, aut aliis signis avium, aliorumque animalium esse licitum: quia tales motus, & voces animalium sunt prædictorum aeris effectuum signa naturalia: nam cum eorum phantasia mutationem aeris cito percipiat, ad illas actiones naturaliter moventur. Verum futura contingentia, aut libera ex eis divinare, superstitiosum est, quia nulla inter hæc futura libera, & animalium voces, aut motus, datur naturalis connexio, & dependentia. Unde *Deutheronom.* 16. dicitur: *Non inveniatur in te, qui observet auguria.*

119. Objic. Ex illo *Genes.* 44. Ubi Joseph fratribus suis dixit: *An ignoratis, quod non sit similis mei in scientia augurandi*, ergo. R. quod Joseph ibi fuit locutus non serio, sed joco, & juxta morem gentilium, qui ejus spiritum propheticum credebant augurium.

120. Inq. 3. An divinare per *omina*, hoc est, ex vocibus humanis, aut eventibus fortuitis licitum sit. R. neg. quia nec verba humana, nec prædicti eventus ullam connexionem, aut influxum naturalem habent cum futuris contingentibus. Unde superstitiosa sunt sequentia; si quis mane domo egrediens canem, aut fellem offendat, si ei monoculus, aut claudus, vel porcus, aut mustella occurrat. Si mane externutaverit, & similia, quæ a gentilibus accepta sunt ut infausta.

121. Inq. 4. An divinare ex corporis humani membris sit superstitio? R. Quatuor modis hanc divinationem fieri posse. 1. Ex lineis manuum, & dicitur *chiromantia.* 2. Ex pedum lineis, & vocatur *pedomantia.* 3. Ex qualitate vultus, & lineis frontis, & dicitur *metoposcopia.* 4. Ex toto corpore, ejusque membris, & appellatur *phisiognomia.* Hæc autem divinatio potest esse naturalis, vel astrologica: prima est licita: patet *ex cap.* 19. *Ecclesiastici. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Quare parvi oculi invidiam, magni stupiditatem indicant: quia primi similes sunt oculis simiæ, secundi bobis, & asini, in quibus animalibus prædicti defectus inveniuntur. Unde illud proloquium verum reputatur: *A signatis a natura cavendum est.* Cæterum divinare ex prædictis lineamentis corporis futura libera, & futura contingentia, superstitiosum est: qua ratione consulere Egiptias, vulgo *Gitanas*, ut ex manuum ostensione sortem, aut fortunam annuntient, si serio peragatur, grave peccatum superstitionis est; si autem joci causa fiat, peccatum veniale curiositatis esse docent communiter authores.

PUNC-

Punctum V.

De sortilegio, aut divinatione per sortes.

122. Inq. 1. Quid sit sors? R. est *actio aliqua facta, ut ejus eventu considerato, aliquid occultum innotescat.* Dividitur in *divisoriam*, *consultoriam*, & *divinatoriam*. *Divisoria* est, per quam dignoscitur, quid unicuique contingat. *Consultoria*, per quam a Deo quæritur, quid agendum, vel cavendum sit. *Divinatoria*, per quam a Dœmone tacite, vel expresse quæritur occultorum revelatio, quidve futurum sit. Hoc semper est illicitum. D. Thom. *ibi. q.* 95. *a.* 8.

123. Inq. 2. An sit licitum uti sortibus divisoriis? R. affirm. quia istæ nihil aliud sunt, quam mutuum pactum, quo homines conveniunt, ut ex eventu sortium decidatur, cui res, honor, dignitas, aut officium debeat applicari. Unde cum res est indivisibilis, & æquali jure, & probabilitate de ea contendunt litigantes apud judicem, potest hic sortibus litem dirimere. Idem dicendum de duobus æqualiter idoneis ad aliquod officium, aut dignitatem temporalem.

124. Cæterum nulla electio per sortes ad beneficia ecclesiastica est licita: quia ita cavetur *cap.* Ecclesia; *Extra*, *de sortilegiis*: ubi dicitur: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Electio facta per sortes Prælati habentis jurisdictionem ecclesiasticam, sive in criminalibus, sive in civilibus, est nulla: constat *ex cap. Quia propter*, *de elect.* Possunt tamen lites circa electionem ad beneficia, vel ad quamcumque dignitatem ecclesiasticam licite per sortes terminari authoritate Judicis ecclesiastici, ad quem spectat titulum beneficii, aut dignitatis conferre. Similiter controversia inter duos uter in summum Pontificem vere sit electus, valet licite dirimi per sortes consensu, & authoritate Cardinalium, ad quos electio Pontificis attinet.

125. Inq. 3. An divinatio per sortes *consultorias* sit licita? R. Sortitio consultoria, quæ a Deo debitis circumstantiis imploratur, est licita: patet ex pluribus locis sacræ paginæ ut *Josue cap.* 17. 1. *Reg. cap.* 14. *& Actor.* 1. Ubi Apostoli per sortes elegerunt Matthiam in Apostolum. Ad licitum tamen sortitionis usum quatuor requiruntur circumstantiæ. 1. Necessitas spiritualis, aut temporalis; alias erit tentatio Dei. 2. Magna reverentia, & obsequium erga Deum, uti fecerunt Apostoli in electione Matth. 3. Ne divina oracula ad terrena negotia convertantur, ut si quis paginis evangelicis, aut sanctorum reliquiis ad temporalia uteretur. 4. Ne hæc sortitio ad beneficia ecclesiastica adhibeatur. Verùm, quia raro prædictæ circumstantiæ nunc adesse possunt, vix hujusmodi sortitio licita esse quit: cum his temporibus magis velit Deus ex scripturis sanctis, Ecclesiæ oraculis, sapientumque consiliis suam mentem rimentur homines, quam sortibus consultoriis indigitent. Ita D. Th. *ibidem.*

126. Inq. 4. Cur fatui, & stupidi, & morti proximi divinant præ aliis sana mente pollentibus? R. Hoc provenire ex eo, quod pueri, aut stupidi prudentia, & acumine destituti quamdam habent affinitatem cum brutis, quæ hominibus præstant in cognitione effectuum a causis naturalibus provenientium: unde pisces nautis tempestatem, aves agricolis, & armenta pastoribus pluviam, mures etiam festinanter fugientes domus ruinam incolis prænuntiant. Econtra dormientes præ vigilantibus divinant: quia anima in somnis a sensibus, & rebus externis abstracta, interius colligitur. Hinc est, quod Deus dormientibus aliqua revelavit: quia animam tranquillam, & solutam ab externis impedimentis reperiebat. Hac ipsa ratione asserunt Philosophi, & SS. Patres homines morti proximos sæpe futura divinare, quod si verum est, fieri credimus, vel Deo revelante, ut in Jacob, Moyse, & aliis justis: vel propter rationem naturalem supra expositam. Moribundi divinare dicuntur, quia vis animæ proximæ æternitati sua subtilitate aliquid peculiare sentit, ac prævidet, ut ait D Gregor. *tom.* 3. *Dialog. lib.* 4. *cap.* 26. *&* 27.

Punctum VI.

De vana observantia.

127. Inq. 1. Quid sit vana observantia? R. est *superstitio, qua mediis inutilibus nec a Deo, nec natura institutis, aliquis effectus exterior intenditur.* Dividitur in tres species: Prima est *ars notoria.* 2. *observantia sanitatum.* 3. *observantia futurorum eventuum. Ars notoria* est, qua quis expectat se scientiam adepturum sine labore, & studio per quarumdam figurarum inspectiones, jejunia, & similia omnino vana, & inutilia; ex genere suo est peccatum mortale, quia nec a Deo, nec a natura ad scientiæ acquisitionem talia media sunt ordinata, ergo solum potest adipisci ex pacto implicito, vel explicito Dœmonis. Nihilominus, si vere acquiratur, dummodo in sui conservatione a Diabolo non dependeat, ea uti licitum est. Scientia enim ex se bona est, & peccatum jam pertransiit. Sed nullus umquam per Dœmones scientiam acquisivit, ait D. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 1.

128. *Observantia sanitatum* est adhibere cæremonias, orationes, imagines astronomicas, vel alia media ex se inefficacia ad conservandam vitam, seu morbos curandos: quia hæc media nec a Deo, nec a natura habent influxum, nec proportionem ad tales effectus. Ideoque superstitiosum est secum deferre amuleta, periamata, brevia, involucra, reliquias, preces descriptas, & similia, cum certa confidentia, quod sine confessione non morientur, vel quod ab his, vel illis armis non lædentur.

129. Unde, ut superstitiosi habendi sunt sequentes casus: anulum ferreum e filo pendentem moveri quibusdam sacris verbis prolatis. Anulum factum ex primo nummo crucifixo oblato in die Parasceves morbum contractionis depellere. Aliquos natos tali die, dum canitur passio Domini, videre in visceribus terræ thesauros, aut cadavera occulta. Colligere herbas medicinales, vel rorem matutinum diebus S. Joannis, & S. Petri, credendo ex hoc majorem virtutem ad sanitatem prædictis rebus accrescere. Circumducere equos, aut jumenta circa templum S. Antonii in die ipsi dicato, maxime si credatur novies id fieri debere ad eorum incolumitatem. Sed aliud est, quod fit, aliud quod fieri debet. Portare jumenta, ut benedicantur circa fores templi, licitum est.

130. Superstitio etiam est observare dies faustos, vel infaustos: ut Hebræis infaustus est dies Lunæ, quia putant eo die natum fuisse Cain. Atheniensibus infaustus est dies Martis, & alii aliis arbitrarie excogitati: quia revera omnes dies sunt ejusdem naturæ. Observantia vero dierum, quos *criticos* vocant, nulla est superstitio, nititur enim causis naturalibus: ideo observatio etiam dierum lunæ crescentis, vel decrescentis licita est: & juvare valet pro rerum naturalium conservatione; nam experientia constat ligna tali die lunæ abscissa cito corrodi; sana vero consistere si alio die præcidantur. Pro omnibus observanda est regula, quod tunc superstitio in aliqua actione, aut opere censenda est, quando causa ad aliquem effectum producendum adhibetur, quæ nec ex se, nec ex divina institutione ullo modo in talem effectum influere valet. *Ang. q.* 96. *a.* 3.

131. Inq. 2. An catholici debeant observare aliquos dies faustos, & infaustos? R. affirm. in primis debent sæpe recolere tamquam faustissimum diem, quo baptismum receperunt, ingressique fuerunt januas veræ Ecclesiæ, quæ tot nationibus sunt occlussæ. Deinde si sacerdos sit, aut religiosus, debet dies suæ ordinationis, aut professionis celebrare, recogitans hæc beneficia intimo cordis affectu, gratias assiduas agendo munifico omnium largitori. Dies infaustos deplorate debet catholicus illos, in quibus forte amisit gratiam in baptismo receptam, & alios in quibus Deum graviter offendit. De istis intime semper doleat, de primis gratus Domino jugiter gaudeat.

132. *Observantia futurorum eventuum*, seu fortuitorum est *præcognitio rei prosperæ, seu adversæ ex observatione quorumdam impertinentium*: hujusmodi est observare dies, tempora, occursus hominum, vel animalium ad aliquid agendum, vel omittendum: ut credere infaustum ungues præcidere die veneris, domo

mo egrediens pedem sinistrum primum deducere, vestem rodi a soricibus: unde illud dictum a Catone consulto a quodam, qui sibi a soricibus caligas corrosas dicebat, respondit non esse illud monstruosum; sed revera monstruosum habendum fore, si sorices a caligis roderentur. Omnes itaque similes observationes spernendæ sunt, utpote reliquiæ antiquæ superstitionis a gentilibus derivatæ, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 96. *a.* 3.

Punctum VII.

De magia.

133. Inq. 1. Quid sit magia? R. est *ars, per quam mira, & insolita ab hominibus operantur.* Dividitur in *naturalem*, & *superstitiosam. Naturalis* est, quæ causas naturales, communiter occultas, applicando mira operatur. *Superstitiosa* est, per quam homines ope Dæmonis operantur. Magia naturalis non solum est licita, sed laudabilis apud omnes gentes. Patet ex *cap.* 30. *Genes.* ubi Jacob virgas amigdalinas ex parte deglabratas in canalibus aquæ affixit, ut oves eas intuentes parerent maculatas. Similiter Tobias hac magia usus est, dum felle piscis visum patri restituit ex consilio Raphaelis. Quoniam mirabiles sunt virtutes a natura insitæ animalibus, arboribus, herbis, lapidibus, aquis, & aliis mixtis, ut experientia comprobatur in magnete, torpedine, & pisce *Echine*, vulgo *remora.*

134. Difficultas autem præcipua est in cognoscendo, quando effectus mirabiles a causa naturali, vel superstitiosa procedant. Sed licet difficilis sit eorum discretio, cognoscetur tamen dari magiam superstitiosam, si causa nequit naturaliter ex se effectum producere: si adhibeantur ligaturæ, characteres, nomina ignota, vel alia ad rem inutilia: denique si detur actio in distans, vel effectus breviori tempore, quam natura exigit, habeatur, aut humanam superet industriam, ut si homo repente sanus fiat, aut si brevi tempore plures leucæ conficiantur. In dubio autem præsumendum est effectum esse a causa naturali, dummodo nihil superstitionis in ea appareat, nec intendatur: quia non omnium causarum naturalium virtutes dignoscuntur, & plures earum adeo effectus mirabiles producunt, ut miracula videantur, licet re ipsa naturales sint. Vid. pag. 261. n. 153.

135. Inquires: An detur in aliquibus personis virtus sanandi rabiem, & alios morbos? R. dari virtutem, non quidem naturalem, sed supernaturalem, & *gratiam gratis datam* aliquibus concessam ad medendas quasdam infirmitates. Ut patet in Galliæ Regibus, de quibus asserunt aliqui contra alios habere gratiam sanandi Strumas, vulgo *Lamparones.* Et de aliis familiis nobilibus non longe a civitate Lucronensi comprobata est similis virtus, præcipue ad unienda, solidandaque ossa confracta: de quibus imprudentia, & temeritas esset malum suspicari: non enim aliud lucrum ex sua operatione reportant, nisi exercitium patientiæ, & charitatis. Unde similis virtus reperitur etiam in aliis hominibus, qui Salutatores vulgo appellantur, licet non omnes, qui tali munere funguntur, veram gratiam sanitatis habeant, ideoque accurate examinari ab Episcopis debent. Posse autem reperiri *gratias gratis datas* in peccatoribus, aut etiam in gentilibus, ut prophetia in aliquibus Sibyllis, & precipue in ea, quæ prænuntiavit de Christo: traditur a D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 3.

136. Nec cito credens, nec incredulus debet esse homo, sed caute procedere. Regulariter vero despiciendi sunt ut superstitiosi sequentes: qui se futura cognoscere dicunt: qui laminas ignitas sine læsione calcant: carbones ardentes manibus contrectant: clibanum accensum ingrediuntur: halitu fornacem calefaciunt: qui habent rotam sanctæ Catharinæ: vel palmam sanctæ Quiteriæ in corpore impressam: qui se invicem agnoscunt, quin umquam viderint: qui vino madidi efficaciorem habent virtutem: qui in adventu alterius, vel præsentia majorem virtutem habentis, se nihil posse dicunt: qui salutandi munus ab aliis discunt: Qui hanc virtutem se habere credunt ex septimo partu masculino, vel ex eo, quod nati sunt feria 6. Parasceves: qui denique ad medendum utuntur certis verbis, vel signis, sine quibus nihil se posse fa-

facere putant. Quia in his omnibus, cum sint ex se peccaminosa, vel inania, nullamque ad effectum vim habentia, pactum explicitum, vel implicitum cum Dœmone invenitur.

Punctum VIII.

De ensalmis, & fascinatione.

137. Inq. 1. Quid sit ensalmus? R. ensalmus, qui sic appellatur, quia communiter ex Psalmorum verbis componitur, est *quædam orationes ex certis verborum, præsertim sacrorum, formulis ordinatæ ad morbos, & vulnera sananda.* Dividitur in *invocativum*, & *constitutivum. Invocativus* datur, quando certis verbis sacris oramus Deum ad obtinendam salutem corporalem pro infirmo; vel ad advertendum a nobis, vel a proximo aliquid nocivum, sperando, non infallibiliter, sed ex divina misericordia effectum: quod quidem bonum, & laudabile est, & a Deo, & Ecclesia approbatum. *Constitutivus* est *oratio certis verbis composita, cui tribuitur virtus infallibilis, aut ex opere operato ad sanandum*: qui quidem est prorsus illicitus, quia talibus verbis nulla inest virtus naturalis, nec a Deo communicata ad sanitatem, ergo solum a Dœmone potest provenire.

138. Fascinatio est *passio oculis innata, & concepta, profecta ex quadam affectione animæ maligna illius, qui intuetur.* Dividitur in *naturalem*, & *diabolicam. Naturalis* physica, seu vulgaris est *immutatio cordis, ex vehementi imaginatione, ex qua generantur humores putridi*, quorum virus per oculos ad aerem contiguum transit, & intra determinatam distantiam inficit eos, ad quos visio terminatur, maxime si sint debilis complexionis. Verum quia opinio vulgi credit solam visionem aspicientis invido animo ad hoc sufficere, dicitur fascinatio vulgaris. Fascinatio diabolica est *perniciosa quædam qualitas Dœmonum arte illata inficiens eos, quos maledicus livide aspexerit ex pacto tacito, vel expresso cum Dœmone.*

139. Inq. 2. An detur virtus naturalis fascinandi? R. 1. Quod fascinatio vulgaris consistens in sola visione est impossibilis, nisi ex pacto Dœmonis: quia visio non fit per emissionem radiorum, sed per receptionem specierum ab objecto viso, & est actio immanens, ergo si sola visione aliqui lædunt, arti Dœmonis tribuendum est. Quod plerumque malefici efficiunt, quia paciscuntur cum Dœmone, ut quos livide, & iracunde aspexerint, ipsos inficiant. R. 2. dari virtutem naturalem fascinandi, quæ quidem consistit in quibusdam spiritibus venenosis, qui egressi per oculos, nares, os, aliosque meatus corporis, aerem proximum, homines, arbores, & alia inficiunt, ut patet in Basilisco, muliere menstruata, & aliis, qui solo contactu carnes, & pisces putrefaciunt. Quod provenit ex infectis qualitatibus aspicientis, aut tangentis, a quibus spiritus venenosi prodeunt: hoc autem non est proprie fascinatio, sed infectio, aut contagium. Igitur habens hanc virtutem naturalem alios inficiendi tenetur sub gravi, quantum fieri possit, ab hominum consortio, & aspectu abstinere: nam quilibet tenetur ex charitate, & justitia cavere, ne alicui inferat nocumentum.

Punctum IV.

De maleficio.

140. Inq. 1. Quid sit maleficium? R. est *ars, seu magia, qua quis ope Dæmonis alteri nocet.* Est duplex: *veneficum*, quo utuntur malefici ad nocendum hominibus, animalibus, vel plantis: & *amatorium*, quo utuntur ad excitandum amorem carnalem, vel odium eorum, quos amare debemus. Veneficum maleficium, quod ita vocatur a veneno, quo conficitur, pluries fit injecto pulvere in cibum, & potum, aut per vestes disperso, juxta varietatem autem coloris nocumentum inferunt. Si fuerit rufus, morbus tantum contrahitur, si fuerit niger, mors evenit. Hoc vero non ex varietate coloris, sed ex pacto Dœmonis provenire potest. Maleficium amatorium, quod *philtrum* græce dicitur, duplici modo exerceri solet. *Primo*, dando hominibus aliqua in cibum, vel potum, quibus ad amorem, & venerem excitentur. *Secundo*, assuendo maleficium vesti, vel abscondendo sub

lecto,

lecto, vel in limine ostii, aut ex cera, argila, plumbo, aut simili materia imagines fabricando.

141. Remedia, quæ antiqui Philosophi scripserunt contra hoc maleficium, vana sunt: quare herba *promethea*, hirci urina, lupi virga, & alia ridicula prorsus illicita, & superstitiosa sunt ad hæc maleficia, & philtra sananda: quapropter solum adhiberi debent remedia ab Ecclesia instituta, nempe exorcismi, assidua novissimorum meditatio, sacramentalium frequentia, signum crucis, usus sacramentorum, continua ad Deum, B. Virginem, & sanctos humilis deprecatio, corporis mortificatio, & alia hujus generis, quæ vera sunt remedia contra Dæmonis maleficia.

142. Nihilominus licitum est uti naturalibus remediis, quæ prodesse possunt indirecte ad Dæmones expellendos, & directe ad sedandos humores noxios, quibus residere solent: unde *Tobiæ* 6. & 8. legitur: quod fumus jecoris piscis compescuit Asmodeum. Et 1. *Reg.* 16. quod pulsatio citharæ David refocilabat Saul, & spiritus malus recedebat ab eo. Plures quoque herbas, ut rutham, verbenam, abrotonum, salviam, aliasque plantas valde contra maleficia prodesse, in quantum pravos humores expellunt, aut corrigunt, docent communiter philosophici, & medici. D. Th. 2. 2. *q.* 96. *a.* 2.

143. Inquires 2. An sit licitum maleficium alio maleficio tollere? R. negative: quia esset unum peccatum alio peccato compescere, quod omnino illicitum est. Ideoque reputatur perpetuum maleficium, quod absque ope Dæmonis tolli nequeat.

144. Inquires 3. An sit licitum petere a malefico, ut maleficium auferat, quando constat, illum posse mediis licitis tollere? R. affirm. quia licitum est petere pecunias ab usurario, & sacramenta a Sacerdote indigno, necessitate cogente, non alia ratione, nisi quia ipsi licite possunt ea tribuere, & malitia, si quę sit, ex sola eorum prava voluntate oritur, ergo similiter in præsenti. Unde etiam potest quilibet signa maleficii destruere, quia signorum destructio non est effectus artis magicæ, sed operatio naturalis ex charitate, & justitia debita. Ut si dicat Dæmon, durabit maleficium, donec patiens non se lavet, vel vino non utatur, ut tale filum non rumpat, poterit hoc rumpere, se lavare, & vino uti. Adverte tamen, quod si ignores, aut dubites, an maleficus habeat media licita ad tollendum maleficium, non vales ab eo petere, ut illud auferat: quia tunc te exponeres periculo cooperationis, peteres enim actionem, quam ignoras, posse licite fieri.

145. Inquires 4. An maleficus, qui Dæmoni chirographum proprio sanguine subscriptum tradidit, debeat illud prius recuperare, ut bene pœnitere possit? R. neg. quia per veram pœnitentiam omne delictum, & chirographum deletur.

146. Inquires 5. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum maleficis? R. quod præter alia necessaria ad veram, integramque confessionem, debet eos interrogare 1. An pactum cum Dæmone inierint? Deoque, ejus fidei, aut sacramentis abrenunciaverint? Et tunc illis dicet pactum, seu chirographum penitus tolli per dolorosam confessionem prædicti criminis, renuntiarique Dæmoni, & ejus artibus. 2. An crediderint Dæmonem esse Deum, vel ut talem adoraverint? In quo casu dantur diversa peccata hæresis, & idololatriæ. 3. An maleficium ex rebus sacris confecerint, credendo in eis adesse virtutem ad pravos effectus? Et tunc sacrilegium, & hæresim committunt. 4. An cum Dæmone congressus carnales habuerint? in quolibet enim saltem triplex peccatum gravissimum committunt, nempe contra castitatem, contra naturam, & religionem. 5. An per maleficia damnum intulerint? quia tunc ex violatione justitiæ ad restitutionem tenentur. 6. An habeant libros, instrumenta, vasa, aut alia, quibus nocere solent. Tunc enim absolvendi non sunt, quin prius ea omnia tradant Confessario, destruant, vel comburant. Instruendi sunt in doctrina sana, ne amplius in similia crimina dilabantur. Hæc omnia intelligas etiam de lamiis, & sagis, de quibus statim.

Punctum X.

De lamiis, seu sagis.

147. Mulierculæ quædam præsertim vetulæ, quæ tamquam discipulæ obsequio, & doctrinæ Dæmonis se mancipant, quasque communi vocabulo hispane dicimus *Brujas*, quadruplici nomine dignoscuntur. 1. Dicuntur *lamiæ* a lamia animal quoddam monstruosum facie muliebri, pueros, & juvenes blanditiis allectos devorans, de quo Jeremiæ 4. *Sed, & lamiæ nudaverunt mammam*. 2. Vocantur *sagæ* a sagacitate, sive a sagiendo: eo quod futura, & occulta scire cupientes Dæmoni instruendas se tradunt. 3. Dicuntur *veneficæ*, seu maleficæ, quia maleficiis nocere student, & a veneno, quo utuntur. 4. Appellantur *striges* a quadam ave nocturna Strix dicta, quæ noctu volans stridet, & infantum sanguinem sugit.

148. Causa autem, cur mulieres præ viris hujusmodi maleficiis inveniantur deditæ, multiplex est. 1. Innata mulierum levitas, & credulitas, ex qua aptius a Dæmone decipiuntur. 2. Debilitas complexionis facilior ad suggestiones Dæmonis amplexandas. 3. Nimia ira, vindictæque cupiditas contra ipsas despicientes, aut injuriantes, unde cum nequeant armis, se ulciscuntur maleficiis. 4. Imperfectio intellectus, ex qua sunt magis dispositæ ad Dæmonis illusiones. 5. Carnalis libido, quam non valentes cum hominibus, cum Dæmonibus explent in nocturnis congressibus. Unde sequitur, etiam vetulas potius quam juvenes hujusmodi scholam frequentare. Tum ob prædictam rationem, tum quia odio habent pueritiam, eo quod ipse jam florem juventutis amiserunt, & ab omnibus despiciuntur, tum quia sanguinem infantum ad vitam conservandam, ex Dæmonis suggestu aptissimum credunt.

149. Cur vero puerulis præ adultis noceant, difficilius capitur, cum pendeat præcipue a divina voluntate ita permittente. Nihilominus congruenter respondetur, hoc accidere in pœnam parentum, vel ad eorum probationem, vel quia puerilis ætas imbecilior est ad resistendum, & impotens ad eas revelandum, vel quia credunt ad conventicula nocturna se deferri non posse, quin prius ex eorum corporibus truncis, abscissis pedibus, manibus, & capite unguentum pessimum conficiant.

150. Inquires 1. An lamiæ, seu sagæ de loco in locum a Dæmone asportentur? R. affirm. quia hoc non excedit virtutem naturalem Dæmonum, ideoque licet frequentius mere phantastica sint commercia sagarum cum Dæmonibus; interdum tamen vere, & realiter in corporibus illa exercent, Dæmonumque conventiculis nocturnis sagæ intersunt. Quod satis superque constat ipsarum confessione. Nihilominus esto eis videatur domos januis clausis, ope Dæmonis ingredi, non ita contingit, sed Dæmon velocissime eas aperit, & claudit.

151. Inquires 2. An ex congressu carnali cum Dæmone possit dari vera generatio? R. affirm. quia licet non habeat, nec possit ex se emittere verum semen, potest tamen semen hominis abripere, & applicare matrici aptæ mulieris: unde communior Theologorum opinio sentit dari Dæmones vere incubos, ex quibus possit proles generari, & ita genitum fuisse Lutherum asserunt aliqui, & D. Hieronymus in Isaiam *cap.* 16. tradit ex Dæmone incubo Antichristum esse generandum. Nihilominus hujusmodi homines nec sunt, nec debent haberi ut filii Dæmonis, sed illius hominis, cujus fuit semen furatum; proindeque vere contrahunt peccatum originale, quia procedunt ex viro, & muliere per seminalem propagationem. Ita cum D. Aug. D. Thom. 1. *p. q.* 51. *art.* 3. *ad* 6.

152. Olim in quibusdam oppidis Salmanticæ vicinis fiebat mansueta cicuratio Tauri truculenti, qui vocatus in nomine Domini, & sancti Marci hujus pervigilio armenta deserens velut ovis vocantes sequebatur, templum ingrediens, divinisque officiis assistens cum omni tranquillitate, usque dum illis persolutis, abire permittebatur; tunc autem recuperata antiqua ferocitate revertebatur ad pascua. Inquiritur an prædicta cicuratio facta fuerit miraculose, vel virtute Dæmonis? R. 1. non factam fuisse miraculose, quia Deus miracula non facit absque

que necessitate, aut utilitate, quæ in præsenti casu non aderant. Præterea sancti non oblectantur nisi rebus, quibus Deus colitur; assistentia autem tauri divinis officiis Deus non colitur, sed potius offenditur, cum ex ea solum sequatur Ecclesiæ conspurcatio, adstantium indevotio, populi disolutio, & puerorum inquietudo.

153. R. 2. illam cicurationem non factam fuisse per artem magicam, imprudens enim, & simplicis plebiculæ proprius est recursus ad virtutem Dœmonis in operum patratione, quæ per industriam humanam fieri possunt, & solent. In tauri ergo cicuratione quid invenitur industriam hominis excedens? Non vidimus, & legimus Ursos, Leones, & alia fera animalia fere supra fidem per solertiam hominum mansuefacta? quid ergo mirum, quod in nostro casu armentorum custos, pecuniæ, & vanitatis incentivis allectus, taurum in anni decursu mansuefaceret? Nihil ergo miraculi, nihil Dœmonis interveniebat, omnia naturaliter contingebant. Et nihilominus admiscebatur aliquid superstitionis, quia indebito modo cultus Deo tribuebatur, & ideo abolita est talis consuetudo: ita Feyjoo cum Laguna, aliisque quamplurimis Criticis. Vide pag. 257. n. 134.

154. Inquires 4. Quas pœnas incurrant magi, & malefici? R. eos, qui hæresim externam committunt in suis artibus magicis incurrere excommunicationem latam contra hæreticos. Deinde qui astrologia judiciaria inquirunt, vel dividant de statu reipublicæ Christianæ, vel de vita, aut morte Pontificis pro tempore existentis, innodantur ipso facto excommunicatione lata ab Urbano VIII, & reservata Papæ a Benedicto XIV. in constitutione *Pasto bonus*. Denique Sacerdotes cujuscumque conditioneis sint sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure contra ipsos statutas, incurrunt perpetuam inhabilitatem ad sacrificii celebrationem ex decreto laudati Pontificis in congregatione generali Inquisitionis 5. *Augusti* 1745.

155. Inquires 5. Quis sit Judex criminis magiæ superstitiosæ? R. semper, ac detur hæresis admixta, aut vehemens illius suspicio, vel usus astrologiæ judiciariæ circa particularia contingentia, cognitio criminis pertinet ad fidei Inquisitores. Signa vehementis suspicionis hæresis quoad præsens quatuor sunt, nempe, pactum expressum cum Dœmone, miscere res sacras in maleficiis, Diabolum adorare, & consulere illum de rebus, quæ naturaliter cognosci non valent. Si autem crimen divinationis, aut maleficii sistat in mera superstitione absque hæresis suspicione, non attinet ad Inquisitores, sed ad Judices ecclesiasticos, vel laicos: quia est mixti fori, & datur locus prævention: ut cavetur in cap. *Accusatis* §. *sane*, *de hæreticis in* 6.

Punctum IV.

De tentatione Dei, sacrilegio, & blasphemia.

Punctum I.

De tentatione Dei.

156. Inq. 1. Quid sit tentatio Dei? R. est *inordinatum experimentum alicujus divinæ perfectionis verbis, aut factis.* Dicitur *inordinatum experimentum*, quia si ordinatum fuerit, justa interveniente causa, vel ex divino instinctu licitum erit. Et ita tentaverunt Deum Abraham, Gedeon, & S. Elias. Additur *alicujus divinæ perfectionis*, ut de Sapientia, Justitia, aut de Misericordia. Denique ponitur *verbis*, *aut factis*: quia utroque modo potest de Deo sumi experimentum. Igitur malitia hujus peccati consistit in irreverentia, quæ Deo fit, quando absque justa causa ex aliqua ignorantia, aut dubitatione verbis, aut factis de aliqua divina perfectione experimentum sumi intenditur, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 97. *art.* 2. * Nota, quod tentatio in nobis est *motivum alliciens ad malum*, vel *retrahens a bono*. Provenit a tribus hostibus animæ, qui sunt Dœmon, mundus, & caro; a quolibet enim ex his oriri valet, & de facto oritur tentatio nostra, sed de hac non loquimur in præsenti.

157. Dividitur tentatio Dei in *expressam*, & *interpretativam*. *Expressa* est, quando quis dictis, aut factis intendit de Deo experimentum sumere, ut qui ea

in

intentione oraret, ut exploret Dei potentiam, aut aliud divinum attributum: vel si e rupe te projicis, ut experiaris, an Deus te lædi permittat. Tentatio *interpretativa* est, quando licet expresse non dubites de aliqua perfectione Dei, neque intendas de ea experimentum sumere; agis tamen, vel dicis, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad experimentum sumendum: ut si toto quadragesimæ tempore ad imitationem Christi velles ab omni cibo abstinere, sperans a Deo te miraculose servandum: quod proculdubio esset Deum tentare.

158. Si autem quis temere periculo gravi se committat, quin a Deo opem expectet, quamvis peccet contra charitatem propriam, non tamen peccat contra religionem Deum tentando: quia ad tentationem Dei requiritur se exponere temere periculo cum spe, quod a Deo liberetur, in quo casu duplex committit peccatum, aliud contra charitatem, aliud contra religionem. Nec refert, quod sancta Agatha dixit: *Medicinam carnalem corpori meo numquam exhibui*, sperans a Domino salutem: quia hoc dixit, & fecit ex superiori instinctu, quo sciebat divinam voluntatem, ut vel infirmitates non pateretur, vel *quod statim sentiret divinæ sanationis effectum*, inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. *ad* 3.

159. Inquires 2. An tentatio Dei sit semper peccatum mortale? R. affirm. nisi ex imperfecta deliberatione excusetur: quia in primis, si procedat ex dubio, aut ignorantia divinæ perfectionis, includit hæresim: alias probare Dei attributa ex causa, aut signo levi est gravis irreverentia: quia sic tentans vellet Deum cooperari vanæ suæ curiositati, ergo non admittit parvitatem materiæ: unde, qui in morbo levi despicit medicinam, sperans se a Deo miraculose sanandum, contendit Deum in rebus levissimis exercere suam omnipotentiam. Cæterum non inferas omni morbo levi statim adhibendam medicinam: hoc enim esset verum facere: *qui medice vivit, miserrime vivit*; præsertim religiosi potius debent inspicere suam professionem, quam suam complexionem, & contemptis morbis levibus, propriæ studere professioni, & carnis macerationi; imo omnes plus debent attendere præceptis ecclesiasticis, quam corporis commoditati, & naturæ relinquere, ut plures indispositiones leves medeatur: nam aliud est tentare Deum in levibus, aliud levia patienter sustinere, donec Deo aliter fieri placuerit.

160. Inquires 3. An tentet Deum, qui ferro candenti, aqua ferventi, aut similibus contendit suam innocentiam manifestare? R. affirm. quia tali probatione expectatur a Deo miraculum absque justa causa: cum ad veritatem indagandam sufficiant testes, & alia signa a jure statuta. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *ad* 3.

161. Objicies 1. *Numer.* 5. præcipitur, quod mulier suspecta de adulterio amaris aquis probetur. 2. Purgatio delicti ex ferro candenti pluribus miraculis fuit a Deo approbata. 3. Quia in Concilio Vermaciensi *cap.* 15. & habetur *cap. Sæpe. Causa.* 2. *q.* 5. decernitur dare Eucharistiam monacho suspecto de furto ad ejus purgationem, ergo.

162. R. ad 1. fuisse decretum cæremoniale, quod jam cessavit. Ad 2. Accidisse, vel quia talis probatio fiebat ex speciali Dei instinctu, vel quia, supposito peccato, voluit Deus illo medio innocentiam accusati manifestare. Ad 3. quod decreta illa abrogata sunt per contraria Ecclesiæ documenta: ut docet D. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 6. *ad* 3.

163. Ex quibus sequitur 1. Deum tentare, qui ad hæreticorum conversionem, seu ad veritatem nostræ religionis confirmandam a Deo miracula absolute petit, aut offert, nisi ex peculiari Dei instinctu procedat; quia ad talia miracula nulla est necessitas, cum ad fidei confirmationem, & hæreticorum conversionem sufficiens sit testimonium Ecclesiæ, & credibilitas fidei, & alias sciamus plures tyrannos ex miraculis potius fuisse obduratos, quam ad fidem conversos.

164. Sequitur 2. Tentare gravissime Deum, qui duellum acceptat ad ostensionem propriæ innocentiæ spectans sibi auxiliaturum: quia tale medium est crudele, repugnans ipsi Deo. 3. Qui absque prævio studio, & labore, causa non urgente, concionari præsumit sperans Deum sibi dicenda præstiturum. 4. Simi-

liter

liter tentaret Deum, qui se tyrannis ad martyrium ultro offerret absque causa, & speciali impulsu Spiritus sancti, quo concitati plures sancti id fecere: alias esset velle Deum sibi auxiliari præter insolitum, & provocare infideles ad peccatum grave committendum: quod etiam bona intentione sine causa illicitum est.

165. Inq. 4. An tentatio Dei expressa differat specie ab interpretativa? R. neg. quia taciti, & expressi eadem est ratio: unde professio explicita non differt specie a professione implicita: ita ergo nec tentatio Dei expressa ex se, nisi hæresim includat, specie differt ab interpretativa, sicut de pacto explicito, & implicito cum Doemone diximus.

Punctum II.

De sacrilegio,

166. Inq. 1. Quid sit sacrilegium? R. est *violatio rei sacræ.* Distinguitur a tentatione Dei, & aliis vitiis religioni oppositis in eo, quod hæc tendunt immediate contra ipsum Deum. Dividitur in sacrilegium *contra personam sacram*, contra *locum saerum*, & contra *res sacras.* Contra *personam sacram*, ut percussio religiosi, monialis, aut cujuslibet clerici, vel peccatum luxuriæ votum castitatis habentis. Contra *locum sacrum*, ut furari, occidere, aut fornicare in Ecclesia. Contra *res sacras*, ut irreverentia contra calices, sanctorum reliquias, & imagines, contra sacramenta, & præcipue contra sacrosanctam Eucharistiam.

167. Inq. 2. An præfata divisio sacrilegii sit specifica? R. affirm. quia diversitas sanctitatis in personis, locis, & rebus sacris est formalis, ergo divisio sacrilegii in personam, locum, & res sacras est specifica. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 99. *art.* 3.

168. Inq. 3. An prædicta divisio sacrilegii sit in species infimas: hoc est, an comprehendat omnes species sacrilegii? R. affirm. nec dari aliam speciem sacrilegii ultra numeratas: quia licet possint dari plures modi læsionis. v. g. contra personam sacram, ut percutiendo clericum, & imponendo ei tributum; tamen diversitas est materialis respectu sanctitatis personæ, ergo non dantur species sacrilegii præter tres enumeratas.

169. Inq. 4. Quæ actiones sint sacrilegium in personam sacram? R. sequentes 1. personæ sacræ violenta percussio. 2. Ejusdem pertractio ad forum seculare, & impositio vectigalium. 3. Impudicitia ab habente votum castitatis, vel cum ipso peracta. 4. Commixtio carnalis Confessarii cum filia spirituali, etiam extra occasionem confessionis. 5. Eadem commixtio cum persona spiritualiter conjuncta per baptismum, aut confirmationem. 6. Violatio cujuslibet voti, vel juramenti.

170. Inq. 5. Quænam sint sacrilegia in locum sacrum? R. Sequentia: 1. Incendere, infringere, diruere, aut demolire loca sacra, seu altaria. 2. Extrahere per vim aliquem ab Ecclesia, seu oratorio publico, vel quolibet loco immunitatis privilegio gaudente. 3. Occisio hominis, & voluntaria effusio sanguinis, & seminis humani, licet occulta sit. 4. Mercatus, negotiationes, & convivia peragere in Ecclesiis, scenas, seu commedias representare, ludos, & quodlibet turpe in eis exercere, sues, vel jumenta, aut immunditias in Ecclesiam, velut in stabulum inducere. 5. Sepelire in Ecclesia excommunicatum vitandum, vel infidelem non baptizatum. 6. Congressus conjugalis absque necessitate. 7. Furtum de quibuscumque rebus in Ecclesia perpetratum: ut patet *ex cap.* Quisquis 17. *q.* 4. Ubi Joannes Papa declarat: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro.* Cæterum sacrilegus non est, quia a clerico res proprias, etiam ex beneficio ecclesiastico provenientes extra Ecclesiam furatur.

171. Inq. 6. An existens in Ecclesia, habensque voluntatem occidendi, aut mechandi extra locum sacrum, sacrilegium committat? R. negat. nam actibus mere internis sanctitas loci sacri non violatur, ergo per voluntatem occidendi, aut mæchandi extra locum sacrum non committitur sacrilegium. Idem intelligas de delectatione morosa absque periculo pollutionis in materia luxuriæ, & de desideriis circa alia peccata extra locum sacrum

crum perpetranda. Cæterum si contra accidat, quod existens extra Ecclesiam velit in ea occidere, aut mœchari, sacrilegium committit: quia actus interior, & exterior circa idem objectum ejusdem rationis, & speciei sunt, sed occisio, & mœchia in Ecclesia sunt sacrilegium, ergo & actus interior occidendi, & mœchandi in ea. Unde sit regula generalis, quod omnis actio externa graviter peccaminosa in materia quinti, sexti, & septimi præcepti facta in Ecclesia grave sacrilegium est ob irreverentiam gravem loco sacro irrogatam, peccata vero mere interna in Ecclesia perpetrata non sunt sacrilegia gravia ob oppositam rationem, quia locus non offenditur nisi per actionem exteriorem, quamvis aliquam indecentiam afferant coram Deo, ob reverentiam peculiarem loco sacro debitam.

172. Inq. 7. Quæ actiones sint sacrilegium contra res sacras? R. sunt omnes actiones injuriosæ, quæ fiunt contra ipsas. Quatuor autem ordines, seu gradus rerum sacrarum assignantur a Div. Thoma. In primo sunt sacramenta, & eorum ministri. In 2. Vasa sacra, imagines, & reliquiæ sanctorum. In 3. Paramenta Ecclesiæ, & vestes ministrorum. In 4. Bona mobilia, & immobilia ad eorum sustentationem deputata: ut decimæ, & primitiæ. Unde indigna administratio, & receptio sacramentorum, gravis injuria contra res sacras, & reliquias sanctorum, vel contra vasa sacra, & vestes ministrorum, & quodcumque peccatum simoniæ est grave sacrilegium. Qui autem res sacras indigne tractavit, exprimere debet in confessione qualitatem rei sacræ, & actionis; distinctum enim sacrilegium est irreverentia v. g. contra imaginem Christi, ac contra imaginem alicujus sancti.

173. Pariter est grave sacrilegium abusus verborum sacræ Scripturæ, non solum ad stabilienda mendacia contra fidem, sed ad facetias, seu profana, fabulosa, scurrilia, vel detractoria exprimenda. Item res & vestes sacras convertere in usus profanos. Appellatur denique sacrilegium in jure furari ea, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive mobilia, sive immobilia, & similiter retinere decimas, & primitias eis debitas, licet hoc proprie sacrilegium non sit.

174. Omissione etiam circa hæc omnia sacrilegium, licet non adeo proprie, committitur. Unde hujus sacrilegii obnoxii sunt non raro sacristæ, & Parochi, qui negligunt sacra chrismata, & Eucharistiam clavibus diligenter custodire, nec non vasa sacra, corporalia, aliaque paramenta Ecclesiæ nitida, & munda, atque dealbata non servant, sed maculata, & fœda ad altissimum sacrificium ministrant: similiter ut sacrilegi procedunt, & severa reprehensione digni sunt, si in pixide sacras particulas corrumpi negligenter permittant, & qui nollent adorare Eucharistiam, dum elevatur in Missa. Etiam juxta aliquos sacrilegium est omissio adimpletionis cujuscumque voti Deo facti, quia violatur res Deo dicata. Alii autem proprius tenent quod est infidelitas, ex D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. Vide *tract.* 11. *n.* 6.

175. Inq. 8. An omissio receptionis sacramentorum ex præcepto debitæ sit peccatum sacrilegii? R. neg. nam qui sacramenta non recipit, nullam rei sacræ injuriam irrogat, ergo licet violet præceptum obedientiæ, nullum sacrilegium committit. Unde qui in diebus festivis omittit sacrum, aut operibus servilibus vacat, peccat quidem contra Ecclesiæ præcepta, tamen sacrilegii crimen non committit.

176. Inq. 9. Quanta sit gravitas sacrilegii? R. peccatum sacrilegii ex genere suo esse mortale: ideoque gravius, quo sanctior est res sacra, quæ violatur. Admittit tamen parvitatem materiæ, ideoque veniale esse potest, non solum ex imperfecta deliberatione, sed etiam ex materiæ levitate, ut patet in percussione levi clerici, & in furto etiam levis materiæ. Valet tamen aliquando esse peccatum grave: licet materia videatur levis, ut si laicus leve tributum clerico imponeret, aut brevi tempore incarceraret: quia in his, & similibus casibus sacrilegium non sumitur ex quantitate tributi, sed ex jurisdictione usurpata, quæ etiam in parva pecunia, aut brevi tempore tota usurpatur; graveque sacrilegium constituit.

177. Inq. 10. Quæ pœnæ sint institu-

tæ

tæ pro crimine sacrilegii? R. quod alia est pœna pecuniaria, quæ ante judicis sententiam non debetur. Alia spiritualis, quæ ipso facto incurritur in sequentibus. 1. In percusione violenta clerici, vel monachi. 2. In violatione ecclesiasticæ immunitatis; sive tributa imponendo, sive personas ecclesiasticas ad forum sæculare trahendo, vel bona ecclesiastica usurpando, vel reos a loco sacro extrahendo. Denique excommunicantur ipso facto expoliantes res sacras, Ecclesias effringendo, ut patet ex *cap. Conquæsti.* 22. *de sent. excom.*

178. Aliæ sunt pœnæ, quæ pro judicis arbitrio contra sacrilegos possunt imponi, etiam usque ad mortem sacrilegi. Unde siquis furaretur pixidem, in qua sacra Eucharistia asservatur, licet levissimæ valoris esset, pœna capitis puniri deberet: quia esto in ratione furti non esset adeo grave peccatum, in ratione tamen sacrilegii gravissimum foret.

Punctum III.

De blasphemia.

179. Inq. 1. Quid sit blasphemia? R. est *falsa locutio in Deum per modum convitii.* Dicitur *locutio*, quia proprie consistit in locutione sive interna, sive externa. Additur *falsa*, quia tribuit Deo, quod non habet, ut si dicat esse *injustum*, vel neget, quod habet, ut si dicat *non esse sapientem.* Aliquando etiam locutio ex se vera potest esse ex prava intentione blasphemia inhonorativa, ut nominare pudenda Christi, vel illud Juliani Apostatæ: *vicisti, Galilee, vicisti.* Dicitur in *Deum*, quia solum respectu Dei est proprie blasphemia, utpote dehonoratio bonitatis divinæ. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 13. *a.* 1.

180. Dividitur 1. in blasphemiam *cordis*, & *oris.* 1. dicitur, dum quis in mente tantum concipit in Deo, quod non habet, aut deficere ei, quod habet. Secunda datur, quando derogatio interior divinæ bonitatis verbis manifestatur. Secundo dividitur in blasphemiam *hæreticalem*, & *simplicem. Hæreticalis* est, quæ fidei opponitur: ut dicere *Deus non est sapiens*, *abnego Deum*, *aut crucem Christi*, quod, si dicatur cum errore intellectus, est hæresis; si autem absque errore proferatur, dicitur *hæreticalis.* Blasphemia *simplex* est, quæ nulli veritati fidei opponitur, sed aliquod malum Deo optat, vel imprecatur, ut qui diceret, *maledictus sit Deus: tædeat Deum*, aut similia. Ad hanc blasphemiam simplicem reducuntur blasphemiæ per facta, aut gestus, ut expuere in crucifixum, & maledictiones in creaturas, quatenus sunt creaturæ Dei. Item alia est blasphemia in Christum, alia in Spiritum sanctum. Primam proferebant Judæi dicendo Christum potatorem, & voracem: secundam, dum irridebant ejus virtutem mortuos suscitandi. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 14. *a.* 1.

181. Tertio dividitur in blasphemiam in *Deum*, & in *sanctos.* Illa est, quæ immediate fertur contra Deum: ista vero, quæ fertur immediate contra sanctos, & mediate contra bonitatem divinam, prout est in sanctis. Unde sicut laus sanctorum redundat in Deum, ita & blasphemia in sanctos derogat divinæ bonitati.

182. Inq. 2. Quibus verbis committatur blasphemia? R. plures esse formulas blasphemandi juxta varietatem regionum: quæ præcipue inspicienda est ad dignoscendum, an verba prolata sint blasphemia. Igitur regulariter committunt blasphemiam, qui jurant per Jovem, Mercurium, vel alios Deos falsos, quia sic jurans demonstrat illos esse summe veraces, nisi juret per irrisionem. Qui jurat per *creaturas* sistendo in eis, quod est tribuere illis honorem Deo debitum. Qui jurat per *Dei vitam*: quia sensus illius est, *amittat Deus vitam, si ita non est*; quod est juramentum execratorium. Dicere, *vivit Deus*, non est blasphemia, sed juramentum in Scriptura usitatum. Formula sequens, *hoc ita verum est, sicut Evangelium*, & similes ex se sunt blasphemiæ, licet aliquando excusentur a gravi propter ignorantiam. Jurare falsum non est blasphemia, sed perjurium, illa autem est pejor isto, ut inquit D. Th. 2. 2. *q.* 13. *a.* 3. *ad* 2.

183. Inq. 3. Quanta sit gravitas blasphemiæ? R. ex genere suo esse peccatum mortale, quia repugnat charitati Dei, utpote derogans bonitati divinæ. Qua ratio-

tione non admittit parvitatem materiæ, nec potest esse veniale ; nisi ex defectu deliberationis. Imo ex genere suo est peccatum maximum, quia intra genus suum potest augeri usque ad maximum peccatum, ut blasphemia ex odio Dei prolata; licet illa, quæ tantum opponitur virtuti religionis, & appellatur *simplex*, non sit adeo gravis, ut prædicta procedens ex odio Dei, & aliæ, quę includunt infidelitatem, hæresim, aut desperationem.

184. Inq. 4. An omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei? R. blasphemias hæreticales, & ex odio Dei procedentes distingui specie a blasphemiis simplicibus: quia includunt odium Dei, vel afferunt hæresim, aut saltem opponuntur confessioni fidei ; sed hæc peccata distinguntur specie a blasphemia simplici, ut ex se patet, ergo prædictæ blasphemiæ cum hæresi, & odio Dei prolatæ absque dubio specie differunt a simplicibus ; ideoque debent in confessione distincte manifestari, sicut etiam blasphemiæ in B. Virginem, & in sanctos, quia istæ includunt præter speciem propriam aliam malitiam specie distinctam contra hiperduliam, aut duliam.

185. Inq. 5. An eodem impetu irę proferens plures blasphemias, plura peccata committat? R. probabilius esse unum peccatum tantum committere ; pro praxi autem explicandum est tempus, seu diuturnitas blasphemiarum, ut Confessarius discernere valeat saltem in confuso animum, & statum pœnitentis.

186. Inq. 6. Quæ pœnæ constitutæ sint blasphemis? R. in lege veteri pœnam capitis impositam fuisse blasphemantibus, ut constat ex *Levit.* 24. Similiter jus civile commune ultimo supplicio blasphemos decernit puniendos, & omissis aliis pœnis gravissimis per leges civiles municipales impositis, jus canonicum in capite *Statuimus, de maledictis*, blasphemos septem diebus Dominicis ante fores Ecclesiæ, dum sacra peraguntur, astare decernit, ultimoque die Dominico absque pallio, & calceamentis ligatos corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis, antequam Ecclesiam ingrediantur, in pane, & aqua jejunare. Quod si facere renuerint, ingressu Ecclesiæ, & ecclesiastica sepultura privantur. Alias pœnas tam pro clericis, quam pro laicis statuit Concilium Lateranense, ex quibus omnibus colligitur gravitas, & atrocitas peccati blasphemiæ, ut eam Confessarius perpendens pœnitentibus serio exponat.

187. Inq. 7. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum blasphemis? R. Si blasphemiæ sunt simplices, & ab Episcopo non reservatæ, valet Confessarius pœnitentem recte dispositum absolvere. Si autem blasphemiæ procedant ex errore, aut hæresi, sunt reservatæ Pontifici, & in Hispania sanctæ Inquisitioni. Verum blasphemiæ hæreticales absque hæresi, aut errore interno possunt a Confessariis regularibus absolvi, sicut sortilegium, magia, & maleficium, dummodo ex errore mentis non proveniant. Debet autem omnis Confessarius severissimam pœnitentiam imponere blasphemis, ut sic a tanto flagitio resipiscant. Blasphemum consuetudinarium nullo modo debet absolvere, nisi studium emendationis in eo perspexerit. Poterit autem semel, modo in tract. de pœnitentia dicendo, imposita salutari pœnitentia illum absolvere. Si autem antea admonitus non adhibuit curam emmendationis, nullatenus absolvi valet, quantumvis clamet, & lacrimas effundat, sed mediis adhibitis absolutio differatur, experientia namque constat, hunc esse medium efficax ad curandas, & evellendas similes consuetudines.

188. Inq. 8. An inconsiderate ex inveterata consuetudine blasphemans graviter peccet? R. quod blasphemans ex habitu, vel consuetudine, licet inconsiderate blasphemias proferat, graviter peccat : quia tales blasphemiæ indirecte sunt volitæ, utpote ex habitu pravo procedentes. Si autem serio retractetur, & per pœnitentiam consuetudo deleatur, licet ex lapsu linguæ inadvertenter in blasphemias quis prorumpat, non erunt mortales ex imperfecta deliberatione. Nota aliud esse peccare ex consuetudine, seu ex vi habitus vitiosi ; aliud peccare ex certa malitia, seu abjiciendo remedia peccati. Hoc secundum, non primum dicitur peccatum, & blasphemia in Spiritum sanctum. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 14. *a.* 1.

TRAC-

TRACTATUS UNDECIMUS

DE VOTO.

CUm votum sit actus religionis, pertineatque ad primum Decalogi præceptum; idcirco immediate post virtutem religionis de eo agimus sub eodem præcepto, licet alii in secundo illud explicent.

CAPUT I.

De spectantibus ad votum.

PUNCTUM I.

Nomen, natura, & conditiones voti.

1. Inq. 1. Unde dicatur votum? R. a verbo *voveo*; & tripliciter accipi valet. Primo, pro desiderio, proposito, aut voluntate aliquid faciendi, seu habendi: ipsa quippe desideria pia *vota dicuntur*, juxta illud in canone Missæ: *tibique reddunt vota sua. Secundo*, pro ipsa materia promissa, ut patet ex *Psalm.* 49. *Redde Altissimo vota tua. Tertio*, pro ipsa promissione ad Deum facta, & in hac acceptione est proprie votum, de quo agimus in præsenti ex D. Th. 2. 2. *q.* 88.

2. Inq. 2. Quid est votum? R. est *deliberata promissio Deo facta de meliori bono.* Quinque requiruntur conditiones ad verum votum. *Prima*, deliberatio, qua intellectus agnoscat obligationem, quam sibi imponit: *Secunda*, propositum, seu voluntas promittendi, seque obligandi. Aliqui addunt, & *exequendi promissum*; sed perperam, quia absque hac conditione stat verum votum. *Tertia*, ipsa promissio, qua quis se obligat Deo. *Quarta*, quod hæc promissio fiat Deo, cui soli vota proprie diriguntur. *Quinta*, quod sit de meliori bono: quidam ajunt, quod sit spontanea, sed vota etiam ex metu missa, jure saltem naturæ sunt valida. D. Thom. *ubi supra a.* 1.

3. Non requiruntur verba, aut signa externa ad verum votum, sicut nec ad juramentum votivum: quia Dominus, ad quem dirigitur, intuetur cor, in quo distinguitur votum ab omni promissione homini facta, quæ ut acceptetur, necessario debet signis, aut verbis manifestari. Aliquando tamen ad majorem certitudinem, & affectus excitationem optime potest, imo in professione religiosa debet votum verbis declarari, juxta illud *Psalm.* 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Votum essentialiter consistit in actu intellectus practici connotando voluntatem, quia est lex privata, quam sibi quisque imponit: igitur, sicut lex consistit in recto in imperio practico intellectus connotando voluntatem Legislatoris, ita & votum. D. Thom. ibid.

4. Inq. 3. Quænam deliberatio ad votum requiratur? R. ad votum necessariam esse plenam, perfectamque deliberationem, prout ad grave peccatum, seu ad perficiendum quemlibet contractum: quia obligatio voti est gravis, ergo ad eam imponendam perfecta deliberatio requiritur. Verum minime exigitur longum tempus, aut spatium, ut votum validum evadat, sed quod actus, quo emittitur, sit perfecte liber, voluntarius, & humanus, sicuti ad peccatum grave hoc ipsum sufficit, & requiritur. Similiter ad votum etiam de re levi, seu obligans tantum sub veniali requiritur perfecta deliberatio; quia votum ex natura sua plenam postulat deliberationem, sicut quælibet lex, esto alias de materia levi, illam exigit.

5. Objic. Ad peccatum leve contra ipsum votum, vel aliud præceptum sufficit semiplena deliberatio, ergo etiam ad votum faciendum. R. neg. conseq. Quia peccatum est de genere mali, & malum ex quocumque defectu: sed votum est de generi boni, bonum autem ex integra causa. *Ultra* quod; peccans nullam legem sibi imponit, sicut vovens: ad legem autem etiam in materia levi imponendam requiritur deliberatio perfecta.

6. Inquires 4. An qui absque debita consideratione præcipitanter votum emittit, grave peccatum committat? R. quod regulariter solum venialiter peccat, quia ut dicitur Eccles. 5. *Displicet Deo infidelis, atque stulta promissio* : Nimirum quæ fit imprudenter, & non perpensis circumstantiis. Aliquando tamen, licet raro, potest esse peccatum grave, ut si prævideret ex tali præcipitatione se exponere periculo aliquid graviter illicitum vovendi. In hoc casu probabilius est grave peccatum committi, quidquid in oppositum sentiat P. Concina.

7. Objic. Si votum præcipitanter emissum peccatum est, non acceptatur a Deo, ergo non erit validum. R. Quod licet tale votum non acceptetur a Deo ad meritum gloriæ, acceptatur tamen quantum ad obligationem : quia licet promissio stulta displiceat Deo, non tamen res promissa, quam supponimus esse bonam, & Deo acceptam. Vota ergo fieri debent cum magna discussione, prudentia, & consideratione, ne postea sibi pœniteant : fiunt enim faciliter, & difficulter adimplentur.

8. Inq 5. An deliberatio, seu libertas virtualis ad votum sufficiat? R. Quod libertas virtualis contenta in actibus præcedentibus sufficit ad votum in eo, qui, dum vovet, sui compos est. Sicut intentio virtualis sufficit ad facienda sacramenta, licet in ipso actu distractus proferat verba. Unde qui tempore professionis illam recitat, licet actualiter distractus de votis non cogitet, valida vota emittit. Idem est de matrimonio, & aliis contractibus, & actionibus humanis, quæ distractione actuali, intentione tamen virtuali frequenter exercentur.

9. Inquires 6. An propositum sufficiat ad votum? R. neg. quia propositum solum est intentio aliquid agendi, promissio vero ultra intentionem addit obligationem implendi promissum : ideo in promissione, non in proposito, essentia voti consistit. Unde licet in sacramento pœnitentiæ quis cum proposito efficaci dicat, & sæpius proponat se amplius non peccaturum, non emittit votum : quia non adest promissio inducens novam obligationem religionis, quæ constituit votum. Nota obiter, quod propositum ex natura sua nullam inducit obligationem, qua ratione in ejus violatione nulla committitur culpa. Verumtamen raro violatur propositum absque aliqua culpa, vel inconstantiæ, vel negligentiæ, aut ejis similis. Et in hoc sensu intelligendi sunt aliqui PP., dum dicunt cadere illum, qui a bono proposito resilit ; hoc est, qui a bono incœpto absque ulla causa ob negligentiam, aut pigritiam retrocedit. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *ad* 3.

10. Objic. Propositum peccandi sufficit ad peccatum, ergo propositum etiam sufficit ad votum. R. neg. conseq. Quia peccatum supponit legem prohibentem voluntatem peccandi, & ideo sufficit ad peccatum voluntas, seu propositum peccandi. Votum autem nullam supponit obligationem in vovente ; quapropter requiritur, quod ipse sibi illam imponat per promissionem.

Punctum II.

De qualitate promissionis ad votum requisitæ.

11. Innq. 1. Quo animo promissio fieri debeat, ut votum validum constituat? R. Quod vovens, aut jurans tripliciter potest se habere in promissione. Primo, si solis verbis promittat absque animo promittendi. Secundo, si promittat animo promittendi, sed absque animo adimplendi. Tertio, si promittat animo promittendi, sed absque animo se obligandi.

12. Igitur, qui primo modo se habet, nullum efficit votum, aut juramentum, quia promittit ore, sed non corde, quod verum est, sive coacte, sive spontanee verba proferat : nisi ita proferat, ut velit vere vovere ; quo in casu, licet simul habeat, vel dicat habere animum non se obligandi, vere tamen vovet. Supposita enim voluntate vovendi, & emisso voto cum ea, vel sub illa voluntate, posterior voluntas est velleitas insufficiens ad priorem elidendam. Aliud est vovere, aut jurare animo serio vovendi, aut jurandi ; aliud vovere, aut jurare absque animo vovendi, aut jurandi : hic vovet, aut jurat verbis, non corde ; ille autem verbis, & corde. Vi

de

de D. Thom. *q.* 88. *art.* 1.

13. Qui secundo modo se habet, vovens cum animo promittendi, sed absque animo implendi, validum votum emittit, & ad illud tenetur; quia essentia voti consistit in promissione Deo facta animo se obligandi; sed talis promissio datur in vovente hoc secundo modo, ergo validum emittit votum. Unde vere promittens sponsalia, licet absque animo implendi, id illa tenetur: emittens veram professionem, esto sine animo vota servandi, aut perseverandi in religione, vere est professus, ligatusque manet omnibus professionis oneribus.

14. Objic. 1. D. Thom. dicit: *quod promissio procedit ex proposito faciendi*, erg. ubi non est propositum faciendi, nec est promissio, nec votum. 2. Qui homini promitteret, & statim subderet se non habere animum implendi, non verus promissor putaretur. 3. propositum faciendi est de essentia promissionis, erg. R. Ad primum, quod D. Thom. loquitur de promissione perfecta, & meritoria, quæ vere procedit ex proposito faciendi, & illud essentialiter includit; non vero de promissione imperfecta, quæ, licet sufficiat ad votum constituendum, minime sufficit ad meritum propter defectum propositi faciendi, quod essentialiter non includit, ex quo constat ad tertium. Ad secundum dicimus; quod si vere homini aliquid promittitur, promissis standum est; sed quia homines de externis tantum judicant, illam promissionem non serio, sed joco factam putarent, quod non tenet in Deo, qui animum, & intentionem conspicit.

15. Qui tertio modo promittit, hoc est, cum animo promittendi, sed absque animo se obligandi, verius est obligari; quia si vere promittit, obligationem excludere nequit; sicut qui ignem ad stipulam vere applicat, nequit impedire combustionem, quæ ex vera applicatione naturali sequela consurgit. Si autem non vere promittit, coincidit cum promittente solis verbis sine animo promittendi, qui utique invalidum elicit votum: quia ore tantum, non corde vovet. In quo omnes Authores reipsa convenire videntur, licet diversimode se explicent.

16. Objic. Apponens conditionem contra substantiam contractus nullum efficit contractum, ergo idem de voto. R. quod sciens conditionem esse contra substantiam contractus, & illam apponens, solis verbis contrahit: idemque est de voto. Solum autem est quæstio de vovente animo deliberato promittendi, qui, si illum revera habuit, tenetur ad votum. Verum, si animo deliberato minime se obligandi vovit, verbis, & non corde promisit: *in dubio animi voto astringitur.* Vix *intelligi* valet verus animus promittendi, secluso animo se obligandi; in casu tamen primi animi adimpleri debet promissum, quia ex vera promissione vera obligatio necessario consurgit. Nota tamen, quid diversum esse promittere sponte, ac promittere cum animo; ille solum verbis valet promittere; iste autem serio promittit.

17. Inq. 2. Quod peccatum committat vovens rem bonam absque animo vovendi? R. regulariter peccat venialiter: quia solum est quædam inordinatio non conformandi verba cum mente; nisi hoc faciat in professione religiosa, aut in ordinis susceptione, in quibus læthaliter peccaret, fallendo religionem, aut Ecclesiam in materia gravi. Qui vovet rem bonam sine animo adimplendi, peccat juxta materiæ gravitatem; ita ut, si votum fuerit de materia gravi, peccet graviter; si vero de materia levi, venialiter.

18. Inquires 3. An vota possint fieri non solum Deo, sed etiam sanctis? R. Lutherani, Calvinistæ, & eorum asseclæ derident vota a nobis sanctis dicata, ac si eis proprie, & principaliter offerrentur, sed misere falluntur, quia catholici optime norunt, quod vota proprie soli Deo fieri possunt: quia sunt actus *latriæ*, quæ soli Deo debetur. Vota autem, quæ fiunt sanctis, offeruntur ipsis tamquam mediatoribus, & intercessoribus, per quos a Deo beneficia facilius assequi confidimus. Unde si quis aliquid promitteret in honorem sancti, quatenus peculiari excellentia affulget, non esset votum, sed promissio sacra inferior voto, pertinens ad *duliam*, aut *hyperduliam*. Si autem aliquid promittas sanctis, prout communiter fit, quatenus

bo-

bonitas divina in eis splendet, verum votum emittis. Idem est de votis, quæ fiunt Prælatis; solum enim sunt vota, quatenus Deo in eis promittitur. Uno verbo: in tantum sunt vota promissiones sanctis, & Prælatis factæ, *in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum, quod sanctis, & Prælatis promittit*: Inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 5. *ad* 3.

Punctum III.

De materia voti, ubi particula de meliori bono *explicatur.*

19. Inquires 1. Quid sit materia voti? R. Quod licet opera præcepti, & consilii possint esse materia voti; tamen materia proprissima voti solum sunt opera consilii, & supererogationis; quare licet votum se extendat ad opera alias præcepta, nihilominus ut præcepta non sunt proprissima hujus materia. Imo ipsa opera præcepta, dum voventur, jam sunt debita alio titulo, proindeque opus supererogationis: nam aliud est jejunare ex præcepto, aliud observare præceptum jejunii ex voto. Hoc secundum opus utique liberum, & supererogationis est: quia nemo tenetur facere votum custodiendi opus præceptum. Quod non tollit opera præcepta posse esse materiam voti juxta illud Psalmi 118. *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Qui autem violaret opus præceptum voto firmatum, duplex specie peccatum committeret, aliud contra præceptum, aliud contra votum. D. Thom. *ubi sup. a.* 2.

20. Objic. Accessus clerici ad concubinam vocatur simplex fornicatio in cap. *Quia circa*, *de Bigamis*: Similiter in baptismate omnes vovent servare legem evangelicam: denique, Tertiarii ordinum vovent servare præcepta Decalogi; sed nec baptizati, nec Tertiarii committunt duo specie peccata violando legem Dei, aut præcepta, erg. R. Accessum clerici in sacris ad concubinam esse sacrilegium; vocatur tamen simplex fornicatio, prout distinguitur a copula maritali. Hoc est, non incurrit bigamiam accedens ad concubinam, sicut illam incurreret accedens ad uxorem. Vota autem, quæ in baptismate, & a Tertiariis emittuntur, solum improprie, & largo modo sunt vota; ideo non constituunt peccatum specie distinctum, sed tantum aggravans intra eandem speciem.

21. Inq. 2. Quid intelligatur per illam particulam *de meliori bono*? R. Non intelligi bonum comparative ad aliud bonum, sic enim nullum votum foret validum, nisi de bono omnium perfectissimo: Intelligitur ergo de bono meliori comparate ad ejus oppositum, seu omissionem, ut melius est jejunare, quam non jejunare, servare castitatem, quam non servare, dare eleemosynam, quam omittere. Sed melius bonum ex genere potest ex aliqua circumstantia non esse hic, & nunc melius in particulari. Unde melius bonum ex genere suo est materia voti ut sic; votum autem in particulari debe esse de meliori bono hic, & nunc, inspectis circumstantiis voventis, ut patebit ex dicendis.

22. Verum P. Concina non sibi constat, dum aliquando utrumque concedit, *ut lib.* 4. *in Decalogum*, *dissert.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. sed postea *num.* 21. dicit: *Quod voti materies melius bonum esse debet absolute, & per se, minime respectu hujus, aut alterius hominis.* Quod patet esse falsum in astricto ex justitia ad contrahendum matrimonium, nec potente aliter justitiæ satisfacere, in quo abs dubio materia voti debet esse melius bonum non absolute, & per se, sed respectu voventis.

23. Inq. 3. An votum de materia consiliis opposita sit validum? R. Vota contra consilia evangelica absolute accepta esse invalida: quia nequeunt esse Deo placita, ideo votum nubendi, non jejunandi, non ingrediendi religionem, non mutuandi, & similia nulla sunt, utpote impeditiva majoris boni. Verum ratione alicujus circumstantiæ possunt esse valida, ut votum nubendi, quod absolute est nullum; tamen votum ducendi in uxorem puellam a se defloratam potest esse validum ex circumstantia justitiæ, ad quam tenemur: per quod confirmatur, quod numero præcedenti dictum manet; vovere autem, vel jurare contra consilia agere, regulariter ex levitate, aut ignorantia non est peccatum grave; nisi casu, quo ad præcepta transirent consilia, ut

elee-

eleemosyna in extrema necessitate. Cæterum, qui pertinaciter voveret agere contra consilia, peccaret graviter: quia re ipsa contemneret consilia evangelica, & obstinate indicaret hoc Deo placere.

24. Inq. 4. An votum, vel juramentum Deo factum de matrimonio contrahendo sit validum? R. Invalidum esse tale votum, aut juramentum absolute Deo factum. Tum quia est contra consilia evangelica. Tum quia non est de meliori bono. Validum tamen foret, ut diximus, sub aliquibus circumstantiis, ut si teneretur ex justitia ad ducendam fœminam a se defloratam. Similiter si matrimonium esset necessarium ad bonum commune, ad pacem reipublicæ, ad vitanda scandala, aut seditiones, vel ex suppositione, quod aliquis vellet nubere, emitteret votum contrahendi cum hac paupere ad sublevandam ejus inopiam, aut cum meretrice ad liberandam eam a periculis. Dicitur ex suppositione, *quod vellet nubere*: quia votum absolute emissum contrahendi cum paupere, aut meretrice etiam ad vitandum earum pericula, sive corporalia, sive spiritualia invalidum est, utpote impeditivum majoris boni spiritualis proprii; ideoque gratius est Deo, ut quis suæ saluti, quam alienæ provideat.

25. Objic. Qui juraret fœminæ se illam in uxorem ducturum, teneretur ad juramentum, erg. juramentum nubendi validum est. R. neg. conseq. quia juramentum Deo factum debet esse de meliori bono, juramentum autem homini factum sufficit, quod sit de re bona, licita, & honesta, Unde esto juramentum nubendi fœminæ factum valeat, non tamen Deo emissum.

26. Inq. 5. An in eo, qui ob suam fragilitatem stimulis carnis multoties succumbit, nec alia remedia admittit, validum sit votum de contrahendo matrimonium? R. affirm. quia validum est votum de eo, quod hic & nunc est melius; sed hic & nunc melius est nubere, quam uri respectu illius, qui ex fragilitate uritur ardore concupiscentiæ, quin alia remedia suppetant, ergo ejus votum de contrahendo matrimonio est validum. *Confirmatur*: validum est votum de eo, ad quod quis tenetur; sed hic in dicta hypothesi tenetur nubere ad animæ remedium, ergo validum est ejus votum. Ita Cajetan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. & novissime Cuniliati *tractat.* 4. *cap.* 10. §. 3. *num.* 6.

27. Proculdubio votum contrahendi matrimonium est invalidum absolute emissum, ut antea diximus; sed quando fit sub aliqua circumstantia, potest matrimonium esse melius bonum respectu voventis, & ita locuntur authores in præsenti.

28. Hæc dicta sint, ne quidam recentior putet solam sententiam negativam, cui adhæret, esse veram. Cæterum juxta propriam mentem loquendo sentimus votum de matrimonio contrahendo in remedium concupiscentiæ non esse approbandum: quia tale votum potius est fomentum, & incitamentum, quam remedium concupiscentiæ. Nubat utique juxta monitum Apostoli ille, qui agitatus stimulis carnis alia remedia pro continentia adhibere non curat; votum autem ad quid? Profecto nulla conspicitur utilitas in emissione hujus voti; alias materia ejus tantum sub dubio est licita, ergo repelli, aut improbari omnino debet tale votum.

29. Inq. 6. An esset validum votum non contrahendi matrimonium, aut ingrediendi religionem in vexato stimulis carnis? R. affirm. quia esset de meliori bono, & aptius remedium contra libidinem; suggestiones enim carnis æterna, & seria resolutione castitatis summopere dispelluntur. Nec putes contraria nos asserere, dum votum præsens oppositum sit voto numeris præcedentibus probabiliter asserto. Non utique ita est, quia in præcedentibus locuti sumus de eo, cui alia remedia præter matrimonium non suppetunt, vel non amplectitur, quia ad illa non tenetur, in qua suppositione melius est nubere, quam uri. Sed in præsenti sermo est de illo, qui potest, & vult ad religionem, seu ad alia remedia pro continentia servanda confugere, fretus auxilio Dei, qui facienti, quod est in se, non denegat gratiam.

30. Inq. 7. An votum religionis, castitatis, aut cælibatus evadat nullum propter supervenientes carnis vexationes? R. neg. quia voto semel astrictus tenetur

adhibere omnia media opportuna ad ejus observationem. Unde licet causam habeat ad dispensationem postulandam, ea tamen non obtenta, votum observare tenetur; nec ullo modo audiendi sunt contrarium sentientes, esset enim januam aperire gravissimis inconvenientibus, & aliquomodo cum hæreticis convenire.

31. Inq. 8. An votum de non vovendo sit validum? R. non est validum absolute emissum: quia melius est absolute vovere, quam non vovere, cum votum sit actus *latriæ*. Cæterum votum de non vovendo nisi prudenti consilio, aut spiritualis magistri ductu, seu in scriptis, vel coram testibus ad vitandum periculum transgressionis validum, & prudens est, quia magis placet Deo prudenti consideratione vovere. Si vero postea contra hoc votum ageres, vovens absque dictis circumstantiis, tantum peccatum veniale committeres, nisi in aliquo casu raro magni momenti, quo agnosceres multum tuæ saluti, expedire non aliter vovere. Votum autem absque præfatis circumstantiis emissum, esto illicitum, validum esset; nisi in priori expressam habuisses intentionem numquam te obligandi, nisi talibus circumstantiis adhibitis; quia sicut Legislator declarans, se nolle obligare nisi cum his, aut aliis circumstantiis, non obligat per legem absque illis latam, ita est de vovente.

32. Inq. 9. An votum non petendi dispensationem, commutationem, aut irritationem sit validum? R. omnes convenire in valore voti non petendi dispensationem, aut commutationem sine causa, quia hoc melius est. Absolute autem loquendo communior, & probabilior sententia tenet esse validum tale votum; non tamen obligare, quando utilius esset animæ dispensationem petere; quia ex una parte velle stare obligationi per votum contractæ bonum est, erg. ex hac parte validum est votum. Ex alia prudenter judicatur voventem exclusisse casum, quo utilior esset animæ petitio dispensationis, ergo non obligat. Verum si, non obstante voto de non petenda dispensatione, illam quis obtineret, teneret dispensatio, quia nullum votum inferioris tollere valet a Superiore potestatem dispensandi, commutandi, aut irritandi.

33. Inq. 10. An vovens non petere dispensationem valeat petere commutationem, aut irritationem, vel econtra? R. affirm. quia dispensatio, commutatio, aut irritatio sunt actus diversæ rationis, nec unus in alio includitur, erg. nisi aliud constet de expresssa intentione voventis, potest petere commutationem, aut irritationem, qui vovit non petere dispensationem, vel econtra.

34. Inq. 11. An sint valida hæc vota? Promitto me nullam aliam religionem, nisi hanc ingressurum: non recitaturum, nisi flexis genibus: non daturum eleemosynam, nisi decem aureos? R. Esse valida præfata vota, & similia: quia vovens hanc religionem ingredi, & non aliam, ex suppositione, quod ingredi velit, tenetur ad ingressum in ista; sed melius est esse ligatum obligationi conditionali hujus religionis ex affectu peculiari ad illam, quam omnino liberum, ergo validum est hoc votum; & idem de cæteris.

Punctum IV.

De voto circa res indifferentes, aut malas.

35. Inq. 1. An votum de indifferentibus sit validum? R. Invalidum esse votum de indifferentibus ut talibus: quia indifferentia ut talia non sunt accepta Deo: ideo talia vota magis sunt deridenda, quam servanda, ut dicit D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 3. Unde votum, aut juramentum non amputandi ungues certa die, non exeundi ad agrum, non navigandi, non equitandi, absolute sumptum vanum est. Idem intellige de voto ob finem indifferentem emisso. Non autem excedit culpam venialem similia vovere, quia non offertur aliquid repugnans bonitati Dei. Cæterum indifferentia secundum se possunt ex aliqua circumstantia esse bona, aut mala; & sic validum est votum ea faciendi, aut fugiendi. Ut ire Romam est ex se indifferens, sed ire illuc ad loca sacra invisenda est bonum, & materia voti: ingredi in talem domum ex se est indifferens, sed ex circumstantia fœminæ periculosæ potest alicui esse malum, & ma-

te-

teria voti ab illa fugiendi ; obligabit autem solum, quandiu perseverat circumstantia : qua sublata, suspenditur, & qua reversa, revertitur etiam votum. Si autem illud emisisses, antequam circumstantia adesset, erit nullum, esto postea circumstantia adveniret.

36. Verum notandum est *primo*, indifferentia non extrahi ab ordine indifferentium pro libito operantis, nisi in ipsis rebus adsit aliquid conducens ad finem intentum; quia vera voluntaria ordinatio non facit rem esse bonam. Unde votum non nendi, aut coquendi panem in sabbato in honorem Virginis est vanum : quia his præcise operibus, & non aliis servilibus vacare non cedit in honorem Virginis. Esset tamen validum votum ab omni opere servili in ejus honorem abstinere. Similiter vanum, & superstitiosum est votum non comedendi carnes assas in honorem sancti Laurentii, vel capita animalium in honorem sancti Joannis Baptistæ : nisi vellet se abstinere a prædictis ob peculiarem appetitum ad eorum essum : quia, seclusa hac circumstantia, nihil ad honorem sanctorum talis abstinentia conducit. Invalidum est etiam votum tauros agitandi in honorem alicujus sancti : quia saltem est de re indifferenti sanctis ipsis parum grata.

37. Notandum est *secundo*, quod honestas, aut circumstantia extrahens rem ab ordine indifferentium adesse debet tempore, quo votum emittitur ; alias esto postea adveniat, invalidum est votum, ut supra diximus.

38. Inq. 2. An votum, aut juramentum de re illicita possit esse validum ? R. neg. quia res illicitæ abominabiles sunt Deo. Imo esset blasphemia practica promittere Deo aliquid, etiam leviter illicitum, ut postea dicemus. Hoc adeo compertum est, quod solum in dubium verti queat, pro solutione sequentium quatuor objectionum.

39. Objic. 1. Jepte in catalogo sanctorum ab Apostolo relatus filiam innocentem occidit, ut votum impleret, ergo validum est votum de re illicita. R. neg. conseq. Aliqui excusant Jepte ob ignorantiam invincibilem casus particularis vestiti circumstantia voti. Alii sentiunt non occidisse filiam, sed in ruento virginitatis sacrificio Deo illam consecrasse. Alii denique asserunt, quod Jepte in vovendo fuit stultus, & in reddendo impius, esto laudetur ejus devotio, ex qua motus est ad vovendum ; & propter victoriam, quam obtinuit : Ita D. Th. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 2.

40. Objic. 2. Si quis voveret immoderatas vigilias, aut jejunia, teneretur ad votum, & tamen esset de re illicita, utpote saluti contraria, ergo. R. quod vigiliæ, jejunia, & similia solum sunt Deo accepta, in quantum sunt opus virtutis discretione, & prudentia directum. Sed quia in his, quæ ad ipsum pertinent, de facili homo fallitur in judicando talia vota, congruentius juxta arbitrium Superioris servari, vel prætermitti debent ; nisi manifestum dispendium salutis afferant, quo in casu, si non adest facilis recursus ad Superiorem, observari non debent. D. Thom. *ubi sup. a.* 2. *ad* 3.

41. Objic. 3. Validum est votum non peccandi nisi cum tali fœmina ; sed in eo includitur peccatum cum ea, ergo. R. Si validum est prædictum votum, nullo modo adest voluntas peccandi cum fœmina. Si enim talis voluntas adesset, nullus asserit illud valere ; nam qui sentiunt esse validum tale votum, dicunt præscindere ab obligatione peccandi cum ista, vel quia expertus est se magis fragilem cum illa, effugit se obligare voto, ne peccata multiplicet, vel quia ad evitandum peccatum cum hac, putat se non indigere voto ob aversionem, aut abominationem ad illam. Quomodocumque sit, tale votum imprudens est.

42. Objic. 4. Votum jejunandi die Dominica est validum ; & tamen est prohibitum jure ecclesiastico, erg. R. tale votum esse validum, quia nulla lege est prohibitum ; licet Ecclesia cap. *Ne quis jejunet. de consecratione dist.* 3. olim prohibuerit jejunare die Dominica ad vitandum errorem Manichæorum, qui negabant Resurrectionem Domini ; nihilominus satius est omnes se conformare Ecclesiæ consuetudini non jejunandi die Dominica, sed anticipandi jejunium ad Sabbatum præcedens, dum vigilia alicujus sancti occurrit in Dominica.

Punctum V.

Alia dubia circa eamdem materiam.

43. Inq. 1. An votum de re bona ob finem pravum sit validum ? Ante resolutionem nota quatuor distingui fines in quolibet opere ; & sunt *finis operis* , *finis operantis* , *finis motivus* , *& finis impulsivus. Finis operis* dicitur , qui ipsi operi intrinsecus est , ut in jejunio temperantia ; *finis operantis* est , qui extrinsece ab operante intenditur , ut in jejunio aliquod beneficium a Deo consequendum ; *finis motivus* est , qui principaliter movet ad operandum , ut si in jejunio principaliter intendas Dei cultum, & honorem ; *finis impulsivus* est , qui ad libentius operandum movet , ut in jejunio culparum satisfactio. Hic finis impulsivus solet etiam dici , & vere est finis motivus secundarius , seu causa motiva secundaria , quia vere movet esto secundario , ut patet in clerico eunte ad Ecclesiam propter distributiones , alias forte non iturus : est ergo finis applicans, seu impellens ad operandum. Quibus prænotatis ::

44. R. 1. Votum emissum ob pravum finem motivum , seu ad effectum malum consequendum semper est invalidum: Quia res alias bona ad malum finem ordinata fit mala , ergo nequit esse materia voti. Unde votum dandi eleemosynam, ut puella , vel concubina potiaris , ut assequaris victoriam ex lite , aut bello injustis , ut fratrem , aut inimicum occidas, ut beneficium simoniace obtineas , & similia sunt nulla , quia finis pravus inficit promissionem , & ipsum votum.

45. R. 2. Quod si finis malus non inficiat votum , sed ipsum voventem , validum est votum , esto illicitum. Quia tunc votum non vitiatur ex pravo fine, sed in sua bonitate specifica remanet , ergo est validum. Ut si voveres eleemosynam propter inanem gloriam concomitantem. Idem teneas de votis Deo factis pro rebus temporalibus obtinendis, quæ re ipsa fiunt , ut a Deo authore naturæ impetrentur , & valida sunt , nisi raro quis stulte illa bona intenderet sistendo præcise in eis , quo pacto sunt indifferentia , & non materia voti.

46. R. 3. Votum emissum in gratiarum actionem pro actu turpi jam facto, vel consecuto , est invalidum : quia gratias agere Deo pro tali actu est illum facere authorem ejus , quod blasphemiam redolet. Idem dicito de voto in actionem gratiarum ob victoriam ex bello , aut lite injustis , & ob lucrum ex ludo pariter injusto : quia tam victoria , quam lucrum injusta sunt , & injuste retinentur , erg. displicet Deo gratiarum actio pro illis. Econtra votum in actionem gratiarum pro filio ex concubina suscepto , aut pro incolumitate ex duello, aut bello injusto reportata est validum: quia objectum ejus licet provenerit ex turpi , aut injusta actione , bonum est; filius enim , & salus bona sunt absque mixtione malitiæ in se ipsis: ideoque licitum est pro illis gratias agere Deo. Votum jejunandi , recitandi rosarium, aut quid simile , si habuerit filium ex adulterio jam commisso , vel si commiserit tala peccatum , in pœnam delicti emissum , vel ut conditio pœnalis , validum est ; minime vero si emittatur ad consequendum adulterium , aut aliud peccatum. *Ang. ubi sup. in corp.*

47. Inq. 2. Quale peccatum committat , qui vovet rem malam ? R. vovens rem malam in materia gravi peccat graviter , esto non habeat animum adimplendi , aut se obligandi. Si voveat animo exequendi duplex peccatum committit in confessione explicandum, aliud , quia offert Deo rem pravam , aliud , quia habet voluntatem illam exequendi , ut patet in eo , qui ex animo voveret occidere hominem. Similiter vovens rem malam in materia levi peccat graviter, quia velle peccatum , etiam veniale , cedere in cultum Dei indicat Deo illud placere , quæ est quædam blasphemia practica , in qua non est parvitas materiæ. D. Thom. *q. & art. proxim. cit.*

48. Inq. 3. An votum de re possibili, simulque impossibili sit validum ? R. si vovens per modum unius , & dependenter unius ab alio promittat possibile , & impossibile , stultum , & nullum emittit votum , quia rem impossibilem solum stulti promittunt. Si autem votum fiat independenter , & promissum sit divisibile,

le, cujus una pars impleri queat, ad istam vovens tenetur. Ut si vovisti dare mille aureos in eleemosynam, & solum potes quinquaginta, aut minus, ad hoc teneris: vovisti jejunare per totum annum, solum vales aliquot dies, ad hos astringeris: vovisti peregrinationem nudis pedibus, sed ita non vales, debes implere calceatus: Si vovisti pedester, & non potes, debes curru, vel equo perficere: vovisti ædificare Ecclesiam, non potes totam, teneris non ad quamlibet partem inutilem, sed ad illam, quæ in cultum Dei cedere possit; unde si alii tecum edificare illam velint, teneris cooperari pro tuo possibili. Ita D Thom. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 1. *&* 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. *ad* 2.

49. Inq. 4. An votum numquam peccandi sit validum? R. votum numquam peccandi mortaliter est validum: quia est de re moraliter possibili; omnes enim auxilio Dei ordinario valent omnia peccata mortalia vitare. Votum autem numquam peccandi venialiter est invalidum: quia nulli præter beatissimam Virginem constat concessum esse privilegium vitandi omnia venialia. Nec refert exemplum sanctæ matris nostræ Theresiæ, quæ vere admirabili voto se obstrinxit efficiendi semper, quidquid perfectius esse intelligeret: quia illud, utpote adeo excellens, rarum, & singulare, emisit ex peculiari dono, gratia, & impulsu Spiritus sancti. Votum non peccandi venialiter in determinata materia, vel cum advertentia validum est, & etiam confitendi omnia venialia, quæ memoriæ occurrunt; non vero confitendi omnia venialia absolute.

Punctum VI.

De voto, & juramento non ludendi.

50. Inq. 1. An votum non ludendi sit validum? R. affirm. quia est ex se de meliori bono. Nam vel ludus sumitur ut origo rixarum, & aliorum malorum, & ita nulli dubium est validum esse votum non ludendi. Vel sumitur causa honestæ recreationis, & sic etiam melius est ab eo abstinere in honorem Dei. Si autem contingat alicui esse necessarium moderate ludere ad animi levamen, suspenditur obligatio voti pro tali eventu, quo cessante, eadem remanet obligatio.

51. Inq. 2. An qui vovit, vel juravit non ludere, possit moderate ludere? R. negat. quia votum absolute emissum, absolute est intelligendum, ergo comprehendit ludum moderatum, nisi expressa intentione illud in voto excluderet. Similiter vovens non ludere, si ludat nomine alterius, violator est voti: quia vere, & proprie ludit, esto alterius nomine. Econtra vero, si tribuat nummos alteri, ut suo nomine ludat, & ludum aspiciens assistat, non violat votum: quia si daretur lex prohibens sub censura lata ludere, non illam incurreret mandans, nec aspiciens ludum. Cur? quia lex solum prohibet ludere, ideo, nisi censura feratur etiam contra mandantes, & aspicientes, isti illam non incurrunt, erg. pariter, cum vovens expresse solum promittit non ludere, ad hoc, & non amplius tenetur ex voto.

52. Hoc autem verum est, etiamsi votum emisisset, ne ludens tempus insumeret: quia revera potius attendi nebet ad verborum propriam, & naturalem significationem, quam ad finem voti, aut juramenti, sicut in legibus non finis Legislatoris, sed verborum legitima significatio attenditur, & dum hæc observatur, licet illa deficiat, lex non frangitur. Unde eadem ratione vovens non ludere, ne in ludo insumat tempus, si illud terat otio, aut alia occupatione inutili, non violat votum, esto agat contra ejus finem.

53. Inq. 3. Unde colligenda sit gravitas, aut levitas peccati in fractione voti non ludendi? R. Colligendam esse tum ex mente jurantis, tum ex qualitate, & duratione ludi. Si enim, omnibus inspectis, materia exposita sit levis, & duratio brevis, non adest fractio, aut culpa gravis. Si autem finis voventis fuit se privare ludi oblectatione propter Deum, & notabili tempore ludat, præciso omni alio, peccat graviter, si brevi spatio, leviter, esto unico jactu summam gravem ludo exponat. At in hoc ultimo casu aderit gravis culpa, si finis voventis fuit vitare pecuniæ jacturam, quia tunc non ex duratione, sed ex gravitate pecuniæ ex-

expositæ, mensuranda est quantitas culpæ. Denique si finis fuit vitare rixas, discordias, & similia, attendenda est circumstantia tum personarum ludentium, tum quantitatis expositæ, ex quarum occasione oriuntur prædicta mala, ut gravis, aut levis reputetur obligatio vitandi eorum periculum.

54. Inq. 4. An votum, seu juramentum non ludendi præcise cum hac, seu illa persona, aut tali loco, vel hac specie ludi, sit validum? R. supposito fine honesto vitandi aliquem defectum, qui in similibus communiter occurrit, validum est votum, aut juramentum: quia non solum est de re honesta, sed pluries etiam debita. Ideo hæc vota emitti solent a lussoribus, quia experientia eos docet, ludum in talibus circumstantiis, præ aliis sibi esse occasionem alicujus defectus. Verum si jurans, aut vovens, non propter periculum mali vitandum, sed tantum ex tædio, ira, aut rancore contra aliquem emisisset juramentum, aut votum non ludendi cum illo, proculdubio esset nullum, cum non sit de re honesta; intentio tamen, & forma juramenti attente inspici debent, ne in re adeo gravi obligatio, si qua est, faciliter in frustra reddatur.

55. Hæc breviter dicta sint ad præstandam aliquam lucem Confessariis, ne gravent pœnitentes obligationibus, ad quas nos astringuntur, nec eos liberent ab illis, ad quas vere tenentur. Ad quod recte adimplendum accurate dignoscere studeant formam, intentionem, causam, aut occasionem voti, aut juramenti. Advertant etiam, quod licet similia vota, aut juramenta, ut in plurimum subito, & præcipitanter fieri soleant, valida sunt. Fiunt enim cum sufficienti deliberatione ad eorum valorem. In dubio autem æquali in favorem voti, aut juramenti interpretandum est.

Punctum VII.

De divisione voti.

56, Votum proprie tale dividitur *primo* in *mentale*, & *vocale*, seu in *internum*, *& externum*. *Mentale* dicitur, vel ex parte promissionis, quando in corde, aut in mente aliquid Deo promittitur: vel ex parte materiæ, ut si voveas actus fidei, spei, charitas, aut orationem mentalem. *Vocale* est, quod ore profertur. Vota autem de solis actibus externis, excludendo internos, nulla sunt; quia actus mere externi sunt quid indifferens. Cæterum vovens absolute actus externos in aliqua materia, tenetur vitare omnes actus, etiam internos, illius materiæ: ut si voveas non furari in Ecclesia, teneris abstinere ab omni voluntate, & desiderio ibi furandi, ne sacrilegium commitas. Si autem solum vovisti non furari in Ecclesia, non teneris ex vi voti ad vitandum furtum extra Ecclesiam, & sic in quacumque alia materia.

57. *Secundo dividitur* votum ex parte materiæ in *affirmativum*, & *negativum*. *Affirmativum* est, quo promittis aliquid facere, ut audire sacrum. *Negativum* est, quo promittis aliquid omittere. Ex parte actus omne votum est affirmativum, ut ex se patet. *Tertio* dividitur in *absolutum*, & *conditionatum*. *Absolutum* est promissio absque ulla conditione eam suspendente. *Conditionatum* est promissio cum conditione eam suspendente. Conditiones generales non faciunt votum conditionatum, ut si *vixero*, *si possim*, si *Deus voluerit*. Nec similiter conditiones assignantes tempus opportunum, ut *voveo religionem*, si *pater obierit*, si *cursum studiorum consumavero*, si *vigesimum annum attigero*: quia in his, & similibus particula *si* idem est, ac *quando*. Si autem diceres *voveo religionem, si ex hac infirmitate convaluero, si ex hoc periculo evasero*, est votum conditionatum, ortum ducens ex affectu ad salutem, seu incolumitatem. Nulla conditio de præsenti, aut præterito suspendit votum, nec facit illud conditionatum; ut si dicas voveo religionem, si pater meus obiit, aut si vivit.

58. *Quarto* dividitur votum in *perpetuum*, & *temporale*. *Perpetuum* est, quod obligat per totam vitam, ut votum dandi eleemosynam usque ad mortem; quod est perpetuum per accidens ad distinctionem perpetui per se, ut votum castitatis absolute emissum. Etiam reputatur perpetuum votum faciendi aliquid per octoginta, aut centum annos. *Tempora-*

le

le dicitur, quod fit per tempus determinatum, ut per annum, mensem, aut diem, quibus transactis, finitur votum. *Quinto* dividitur in *simplex*, & *solemne*. *Simplex* est promissio absque solemnitate. *Solemne* vero, quod fit cum solemnitate in jure præscripta. Consistit autem hæc solemnitas in perpetua traditione voventis constituente statum, quod solum reperitur in professione religiosa, & susceptione ordinis sacri. Non est idem votum simplex, & solemne, ac privatum, & publicum; quia potest votum esse publicum, & non solemne: nam licet fiat votum coram multitudine, numquam erit solemne, nisi in prædicto duplici casu professionis religiosæ, & sacri ordinis. Votum solemne non differt specie a simplici, esto graviorem intra eandem speciem inducat obligationem, ut dicit D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 7. *ad* 1.

59. *Sexto* dividitur votum in *reservatum*, & *non reservatum*. *Reservatum* est, ad quod dispensandum Prælati inferiores jurisdictionem non habent. *Non reservatum* est, cujus dispensatio omni Prælato etiam inferiori competit. Tandem dividitur votum in *reale*, *personale*, *pœnale*, *& mixtum ex reali*, *& personali*. *Reale* est, quod afficit rem. *Personale*, quod afficit personam. *Pœnale*, quo promittitur pœna aliqua subeunda. *Mixtum ex reali*, *& personali* est votum afficiens rem, & personam.

Punctum VIII.

De obligatione voti.

60. Inq. 1. Qualis obligatio oriatur ex voto? R. Certum esse de fide votum obligationem ex genere suo gravem inducere. Constat ex Deut. 23. *cum votum voveris Domino Deo tuo*, *non tardabis reddere*, *quia requiret illud Dominus Deus tuus*, *& si moratus fueris*, *reputabitur tibi in peccatum*. Prob. ratione: quia major est obligatio hominis ad servandam Deo fidelitatem, quam alteri justitiam; sed hæc obligat per se sub gravi, erg. potiori jure votum, quod est obligatio hominis ad Deum: Ita D. Thom. *loc. cit. art.* 3.

61. Objic. Obligatio voti pertinet ad fidelitatem; sed fidelitas ex natura sua solum obligat sub veniali, ergo etiam votum. R. Fidelitatem ex voto pertinere ad virtutem religionis, quæ sub gravi obligat. Unde licet fidelitas ad aliam virtutem non elevata solum levem inducat obligationem; tamen consecrata Deo per votum obligat graviter juxta naturam religionis, ad quam transit.

62. Inq. 2. An sit melius, & magis meritorium aliquid facere ex voto, quam spontanee sine illo? R. quodcumque opus factum ex voto melius, magisque meritorium esse, quam absque illo. *Primo*, quia opus per votum elevatur ad materiam religionis, & ab ea nobilitatur. *Secundo*, quia agens ex voto magis tribuit Deo; subjicit enim ipsi, non solum actum, sed potentiam, aut voluntatem: sicut plus tribuit dans alteri arborem, quam dans solum ejus fructum. *Tertio*, quia opus factum ex voto procedit a voluntate magis firmata in bono, erg. melius, ac magis meritorium est. Ita D. Thom. *loco cit. art.* 6. Et ibi *art.* 4. *ad* 3. docet, quod Christus Dominus non emisit votum, quia ejus voluntas erat firmata in bono. Apostoli vero vota perfectionis fecerunt, quando secuti sunt ipsum. Unde colligi videtur fuisse veros religiosos; cum tria vota constituant statum religiosum.

63. Igitur expediens est, & consulendum vota facere prudenti consilio; cum opera ex voto magis grata Deo, nobisque utiliora sint. Nec est par ratio juramenti: quia licet juramentum sit etiam actus religionis; numquam tamen est jurandum absque necessitate: juramentum enim solum debet sumi ut medicina ad subveniendum humanæ infirmati in necessitate confirmandæ veritatis. Ideo divina eloquia nos docent, ne frequentemus juramenta, ut *Eccles.* 23. *Vir multum jurans replebitur iniquitate*. De votis autem oppositum innuit *Psalm.* 15. *Vovete*, *& reddite*.

64. Inq. 3. An sit major obligatio voti, quam juramenti? R affirm. quia votum includit majorem firmitatem ex parte Dei, cui offertur. Nec officit, quod pluries vota firmantur juramento: quia hoc fit, ut res promissa duplici vinculo firmetur, & ad majorem solemnitatem promissionis. Si autem cupias scire, ad

quod

quod Decalogi præceptum pertineat votum ? R. Pertinere ad primum de uno Deo colendo : ex quo apparet gravitas ejus fractionis ; est namque contra *latriam* Deo debitam. Unde gravius peccatum est violatio voti castitatis , quam adulterium; esto minus grave , quam peccatum contra naturam , ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 12. *ad* 2.

65. Inq. 4. An transgressiones omnium votorum sint peccata ejusdem speciei ? R. affirm. quia omnia tendunt contra eundem religionis actum formalem , qui est votum. Quapropter , si votum non cadit supra materiam alias præceptam , seu prohibitam , unum tantum peccatum committit violator illius ; quod verum est, licet vovens vellet se obligare , etiam ex motivo illius virtutis , cujus actum promisit , ut si ex motivo temperantiæ voveas jejunium , ad quod alias non teneris: tunc violando jejunium tantum peccas graviter contra votum , supposito , quod regulam temperantiæ non excedas. Quia fractio jejunii solum tendit contra votum jejunandi.

66. Inq. 5. An vovens materiam gravem sub obligatione tantum levi maneat graviter ad eam obligatus ? R. neg. 1. Quia votum est lex privata a voluntate Legislatoris pendens in sui obligatione , ergo si voluntas voventis , qui est Legislator , solum est de obligatione levi , nequit votum obligari sub gravi . 2. Quia inintelligibile est hominem assumere voluntariam obligationem contra ejus voluntatem , ergo si vovens expresse repugnat obligationi gravi , inintelligibile est eam in voto assumere . 3. Quia Deus nullum vult obligare per votum, nisi juxta ejus animum , & intentionem, ergo si hæc excludit obligationem gravem , Deus utique eam nec vult , nec acceptat. 4. Quia vel est possibile votum in materia levi , vel non ? Si primum , tunc maxime , quando vovens non vult se obligare , nisi sub veniali. Si secundum , erg. non datur votum , ac proinde ita vovens non manet obligatus sub gravi. Hoc dilemma efficax est ad intentum , quidquid aliquis blateret contra Salmanticenses , & contra illud ; evincit enim non posse dari votum obligans sub gravi contra expressam voluntatem voventis. Quod adeo verum judicamus , ut si quis professionem religiosam emitteret nollens se obligare sub gravi , & de hoc certo constaret , nulla esset ejus professio.

67. Objic. 1. Licet sit in voluntate hominis vovere , vel non vovere , semel tamen quod voveat in materia gravi , nequit impedire gravem obligationem ; sicut , semel applicato igne materiæ aptæ, nequit impedire combustionem. R. esse magnam disparitatem inter causas naturales , quæ agunt , quantum possunt , & inter liberas , quæ solum agunt , quantum volunt : quod maxime tenet in obligationibus sibi voluntarie imponendis , uti est votum.

68. Objic. 2. Juramentum semper obligat sub gravi ad veritatem dicendam, ergo pariter votum ad obligationem subeundam. R. neg. conseq. quia juramentum circa veritatem non pendet a voluntate jurantis ; votum autem circa quantitatem obligationis omnino pendet a voluntate voventis , & solum juxta ejus intentionem Deus illud acceptat , est enim *benignus exactor* , ut ex Augustino inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 4.

69. Objic. 3. Nemo potest se obligare tantum sub levi in matrimonio , sponsalibus , aut professione religiosa , erg. nec in voto. R. neg. conseq. quæ non recte infertur a contractu utrimque oneroso , & perfecto ad gratiosum , & imperfectum. Sicut non recte arguitur : nemo se potest obligare tantum per mensem in matrimonio , erg. nec in voto. Imo a contrario hac paritate instauratur nostra sententia : quia sicut præfati contractus exigunt perpetuitatem , ita votum ex natura sua illam postulat ; & tamen potest votum limitari ex voluntate voventis ad annum , mensem , diem , aut horam , erg. pariter licet ex natura sua exigat obligationem gravem , poterit limitari tantum ad levem. Equivocatio sententiæ oppositæ stat in defectu distinctionis voti perfecti , & imperfecti. Verum est,votum undequaque perfectum non posse consistere absque obligatione gravi ; falsum vero de voto imperfecto , quale est omne votum de obligatione levi , aut de materia levi.

70. Inq. 6. An vovens materiam levem

vem possit se obligare sub gravi ? R. neg. quia sicut Legislator nequit obligare subditos in materia omnino levi sub culpa gravi , ita nec vovens sui Legislator valet talem obligationem sibi imponere. Hanc sententiam communissimam amplectitur Concina *lib.* 4. *in Decal. dis.* 2. *cap.* 1. *num.* 17. Sed paulo post *num.* 25. astruit oppositum contra Salmanticenses , contendens votum vitandi peccatum veniale obligare sub gravi. Et *num.* 30. dicit , neminem in praxi serio vovere aliquid leve , nisi ob gravem aliquam causam. Si hoc verum tenet , ruit prius assertum : quia si nullus deliberate vovet materiam , nisi ob gravem causam , & ideo tenetur sub gravi ad votum , nec valet dari votum de materia levi ; sed cum hoc adeo sit aperte falsum, ut communi sententiæ repugnet , doctrina Salmanticensium sustinenda est.

71. Ex qua sequitur , votum vitandi aliquod peccatum obligare graviter , aut leviter juxta quantitatem peccati : unde si vovisti vitare mendacium ex affectu ad veracitatem , & mentiaris , duplex peccatum veniale committis , aliud contra veracitatem , aliud contra religionem : nisi ex aliqua circumstantia peccatum alias leve transiret in grave , ut si tibi esset magnum impedimentum ad spirituale profectum. Quamvis autem voveat quis aliquid leve ob causam gravem , non inde universaliter infertur obligari sub gravi , si ipse id noluit. Regula nostra v. g. præscripta est utique ob gravem causam ; & tamen solum sub veniali nos obligat : Si ergo Legislator humanus hac gaudet potestate respectu subditorum , cur eadem non gaudebit votum emittens , qui sui ipsius Legislator est ?

72. Inq. 7. An omittens eadem die plures materias partiales diversorum votorum grave peccatum committat ? R. neg. quia prædictæ omissiones partiales non habent unionem moralem ad peccatum grave constituendum , ergo solum erunt plura peccata venialia. In hac assertione vix aliquis dissentit. Sed circa omissiones totales , quando quis violat plura vota in materia levi totali eadem die , asserunt plures commitere peccatum grave ; quia omnia vota dicunt conflare materiam gravem ex eo , quod omnia conveniunt in cultu Deo exhibendo , erg. transgressio talium votorum Deum privat cultu gravi pluribus votis illi promisso. Sed revera hoc suam continet difficultatem : quia sicut omnia vota levia , aut de materia levi conveniunt in cultu Deo exhibendo , ita pariter materiæ partiales leves diversorum votorum conveniunt in eodem cultu Deo exhibendo , erg. si transgressio talium votorum Deum privat cultu gravi ; cur non transgressio multiplex materiæ levis partialis privat Deum eodem cultu ? Vota de materia levi non sunt perfecta , nec simpliciter vota , ideoque nec reservata, sed sunt ex parte actus partialia. Unde non videtur universaliter verum eum , qui violat plura vota in materia levi eodem die , peccare mortaliter.

73. Inq. 8. Unde gravitas , vel levitas materiæ voti colligenda sit ? R. materiam voti gravem censendam esse illam , quæ communiter reputatur gravis , ut rosarium beatæ Virginis : vel illam , quæ respectu legis , aut præcepti gravis judicatur : ut jejunium , auditio sacri , susceptio sacramentorum , & similia. Illa etiam gravis materia censenda est , quæ graviter cedit in cultum Dei , aut in voventis utilitatem spiritualem.

PUNCTUM IX.

An obligatio voti ad alios transire valeat.

74. Inq. 1. An votum obliget alios præter voventem ? R. obligatio voti , aut juramenti , sive personalis , sive realis ex se solum astringit personam voventis. Quia vota solum obligare possunt eum, qui se voluit obligare , sibique legem imponere. Unde si vota realia alios obligant , solum est , quatenus succedunt in voventis bonis , quæ cum illo onere transeunt ad hæredes.

75. Objic. 1. Parentum vota tradendi in religionem filios , istos obligant. 2. Juramenta facta per procuratorem obligant mandantem. 3. Vota populi obligant posteros , erg. vota , & juramenta obligant alios. R. Ad 1. Vota parentum non obligare filios , nisi isti expresse consentiant : nec sufficit taciturnitas , sed requiritur consensus expressus , ut ad ingressum

sum religionis teneantur. Ad 2. mandantem præstare verum consensum circa vota, vel juramenta per procuratorem emissa. Ad 3. vota populi obligare posteros, vel quia constituunt eandem communitatem formalem, vel in vi pacti, vel consuetudinis, seu legis municipalis ab Episcopo promulgatæ, vel confirmatæ.

76. Inq. 2. An qui non potest per se ipsum implere votum, teneatur implere per alium? R. 1. quod nullus tenetur, imo non potest votum personale per alium implere: quia debet implere, quod promisit; sed promisit actionem personalem, ergo nec potest, nec debet illam implere per alium. Quod verum est, etiam si sua culpa factus sit impotens ad votum observandum; ut si vovisti jejunare tali die, & tua culpa infirmatus es, non teneris jejunare per alium, sed pœnitentiam agere de culpa commissa. Nec hæredes ad vota personalia defuncti tenentur, nisi testator instituerit hæredem liberum sub conditione adimplendi ejus vota personalia; quia tunc, si acceptet hæreditatem, ad ea tenebitur, non tanquam ad vota personalia, sed ut ad onera sibi a testatore imposita.

77. R. 2. Quod vota realia per alium impleri valent, ut si vovisti dare eleemosynam, adimples votum, curando, ut alius tuo nomine eam tribuat: quia votum reale solum obligat ad promissum præstandum, quod sive per se, sive per alium fieri potest. Imo satisfacit voto reali, qui rem promissam suo nomine, ipso inscio, ab alio præstitam postea ratificat. Si vero, invito vovente, præstita sit ab alio, est majus dubium. Negant plures, concedunt verius alii, quibus subscribit Concina obligans ventem tantum ad detestationem omissionis, & resistentiæ præteritæ. *Tom.* 3 *p.* 117. *n.* 7. *in fine.*

78. An autem hæc assertio cohæreat cum opinione, quam alibi tenet contra Salmanticenses, defendens eum, qui die festo primo mane audit Missam, non intendens per illam, sed per aliam satisfacere præcepto, teneri aliam audire, quin sufficiat mutare primam intentionem, alii judicent.

79. R. 3. Eum, qui non potest implere per se ipsum votum reale, teneri implere per alium: quia in voto reali non exigitur actio personalis, sed præstari promissum. Idem est de voto mixto circa partem, qua reale est: Unde vovens peregrinationem, & eleemosynam notabilem ibi tribuendam, factus impotens ad peregrinationem, debet per alium eleemosynam mittere. Cæterum vovens factus pauper, non tenetur ad petendas pecunias ab amicis, nec eas emendicare, aut laborare labore sibi incongruo, ut ex mercede votum adimpleat; quia ad hæc non se obligavit. Si autem aliqua arte laborans victum sibi comparabat, debet in ea laborare ad satisfaciendum voto: quia ita præsumitur se obligasse. Tenetur etiam acceptare pecuniam, sive hæreditatem sibi oblatam, qua voto satisfacere valeat.

80. Inq 3. An qui tot Missas vovit celebrandas, & tribuit eleemosynam Sacerdoti bene morato, satisfecerit voto, si ille Missas non celebravit? R. affir. quia vovens bona fide fecit, quod in se erat, tradens eleemosynam ministro fideli reputato: Ergo ad nihil aliud tenetur. Maxime cum debita ex voto non sint ex injusta actione, sed ex gratuita obligatione sibi ultro imposita.

81. Inq. 4. An hæres teneatur ad vota realia defuncti? R. affirm. quia bona defuncti transeunt ad hæredem cum onere solvendi omnia debita, ergo sicut hæres sive voluntarius, sive necessarius tenetur ad alia debita realia, ita ad vota defuncti solvenda. Si autem plures sint hæredes, quisque pro rata tenetur juxta portionem hæreditatis acceptam; non tamen in solidum, nisi vel alii nolint, aut non possint, vel res promissa uni obtingat, quo in casu cæteri debent pro rata ipsi satisfacere. Nec potest testator hæredem eximere ab obligatione implendi vota, seu juramenta realia, sicut se ipsum eximere non valet: nisi votum fuisset tantum pro vita testatoris, ut erogandi eleemosynam omnibus diebus vitæ suæ. Cæterum non tenetur hæres vota defuncti solvere ante aditam hæreditatem, nec ea adita, ultra vires hæreditatis, esto non faciat inventarium: quia in foro conscientiæ nemo tenetur alterius debita ex propriis bonis solvere. Nec testator potest gravare hæredem necessa-

rium

rium ad sua vota solvenda ex legitima propter eandem rationem ; legitima enim hæredi necessario jure debita est. Vota solvenda sunt ante omnia legata , etiam pia , sed post omnia debita ex justitia, atque expensas necessarias funeris. Vota realia , cujus bona fisco addicta sunt, debent solvi a Principe , sicut alia debita ex justitia.

Punctum X.

Quando votum impleri debeat.

82. Inq. 1. An vovens teneatur statim votum implere ? R. Si votum absolute sit emissum , nullo assignato tempore , debet impleri quam primum commode possit : Constat aperte ex textu Deuteronomii supra citato *n.* 60. Ratio est : quia votum absolute emissum statim incipit obligare ; nec enim est ratio , cur obliget uno tempore præ alio , cum nullum sit designatum. Tamen sicut in materia admittit parvitatem , ita etiam in mora; hæc autem in quibusdam votis longior requiritur ad mortale , quam in aliis ; in votis quippe , quæ dilatione decrescunt, ut sunt votum ingrediendi religionem , inserviendi hospitali , & similia , dilatio excedens sex menses absque causa erit mortale : In aliis dilatio voluntaria ultra annum gravis reputatur , quidquid alii sentiant. Omnia ex circumstantiis pensanda sunt , & judicio prudentum metiendum , qualis dilatio gravis , aut levis censenda sit. Vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 3.

83. Causa rationabilis differendi potest esse spes melius , aut utilius in posterum adimplendi votum : ut si ad religionis labores perferendos speret fieri magis idoneus , vel si differat ad melius in litteris se instruendum , ad parentum reluctantiam temperandam , ad sororem matrimonio , vel alio statu collocandam. Omnia cum viro timorato , & prudenti consulenda sunt , ut in similibus , quid melius sit , aspiciat.

84. Quando tempus assignatur , debet votum impleri tempore præfinito , ut si vovisti tali die jejunare, teneris in ipso impleri. Si autem ex impotentia , aut negligentia jejunium omisisti , non teneris postea ad ejus adimpletionem , quia supponitur assignatio diei , ut terminus obligationis : sicut in præceptis auditionis sacri , officii divini , aut jejunii , quæ sunt affixa diei , illo transacto , non obligant. Si tempus assignetur , non ut terminus obligationis , sed ad executionem sollicitandam , omittens culpabiliter , seu inculpabiliter tenetur , eo transacto , ad ejus satisfactionem. Nam tunc non assignatur tempus *ad diem finiendam* , sed *ad diem non differendam* , ut si creditori tuo promittas intra mensem , hoc finito absque satisfactione , non liberaris a solutione. Est enim ibi duplex obligatio, alia solvendi , & alia solvendi tali tempore ; hac secunda non impleta , adhuc remanet prima. In votis realibus , nisi oppositum constet de intentione vovenlis , regulariter tempus non assignatur ad diem finiendam. In dubio qua intentione votum sit emissum , implendum est , etiam tempore transacto , quia in dubiis tutior pars est eligenda.

85. Inq. 2. An vovens teneatur prævenire voti adimpletionem ob impedimentum futurum ? R. quando votum emissum est pro die , mense , aut anno , non tenetur anticipare obligationem ante diem, mensem , aut annum : quia antea non incipit obligatio voti. Quando vero jam hæc incipit intra eundem diem , mensem, aut annum , si prævideatur impedimentum futurum posteriori eorum parte , debet in priori adimpleri , ut si vovens jejunare sex dies in mense , prævideat non posse ultimis diebus mensis , debet in prioribus jejunare. Quæ omnia patent exemplo præceptorum Ecclesiæ. Nullus enim tenetur anticipare jejunium ante diem assignatum ab Ecclesia , quia ante illum non incipit obligatio jejunii : tenetur tamen recitare mane totum diei officium , si prævideat vespere impedimentum : tenetur etiam anticipare confessionem annualem , qui prævidet impedimentum posteriori tempore ipsius anni , quia intra annum jam incipit obligatio confessionis.

Punctum XI.

De voto indeterminato.

86. Inq. 1. Quot modis potest esse votum

tum indeterminatum? R. posse esse quatuor modis, nempe, vel *circa tempus*, ut vovens jejunare non determinando quot dies; vel *circa quantitatem*, ut vovens eleemosynam, quin assignet quantam; vel *circa qualitatem*, ut promittens calicem, non determinando argenteum, aut aureum; vel *circa individuum*, ut promittens agnum, non designando hunc, aut alium. Pro omnibus sit regula generalis, votum, vel juramentum esse determinandum juxta intentionem promittentis; si autem de illa non constet, in benigniorem partem interpretandum est, quia obligatio est odiosa, & ideo, salva verborum proprietate, & voventis intentione, limitanda est, quantum prudenter fieri possit. Qui vovit audire sacrum, debet illud audire ea attentione, qua omnes fideles in die festo illud audire tenentur. Vovens autem audire quotidie Missam, non tenetur diebus festis audire duplicem, seclusa alia intentione, vel nisi votum sit de Missa audienda tali die, nam ex modo vovendi colligitur aliquem ad amplius se voluise obligare. Qui vovet jejunium debet illud observare juxta præceptum Ecclesiæ, excepto, quod vovens jejunare omnibus feriis sextis, aut sabbatis, tenetur jejunare, etiam si festum Natalis Domini in aliquo illorum incidat. Qui vovit rosarium, tenetur illud recitare attente, ac devote, sicut astricti officio divino illud recitare debent. Satisfacit autem voto, nisi aliud de sua constet intentione, recitando tertiam partem rosarii integri, etiam alternatim cum socio, & etiam si recitata una decade, alteram in aliud tempus differat; quælibet enim decades computatur velut una hora canonica. Vovens absolute virginitatem tenetur etiam ea amissa ad castitatem, nisi aliud constet ex ejus intentione.

87. Si votum est indeterminatum circa tempus, regulariter obligat in perpetuum, ut votum castitatis, recitandi quotidie rosarium, aut quid simile: quia lex absolute pralata obligat pro semper. Cæterum si vovisti jejunare ut sic, sufficit uno die jejunare, seclusa alia intentione, cui standum est. Si vovisti absolute plura jejunia, satisfacis aliquoties jejunando, puta quinque, aut sex diebus: juxta aliquos duo sufficiunt, quod ad summum sustineri potest respectu ejus, qui vovit jejunare aliquot dies, quia plura in communi æstimatione plusquam duo significat. Vovens autem religionem, aut suscipere ordines sacros, non tenetur ex vi hujus voti ad castitatem, quia materia talis voti non est castitas, sed status religiosus, aut susceptio ordinis sacri, quibus castitas annexa est.

88. Inq. 2. An qui vovit abstinere a vino, teneatur abstinere a sicera, & cervisia? R. nisi votum sit absolute de vitanda ebrietate, aut vovens sua intentione velit illas comprehendere, minime sicera, & cervisia comprehenduntur in voto abstinendi a vino. Quia nomine vini saltem in his regionibus, non intelligitur sicera, aut cervisia, nec procedunt a vite, ergo cum votum intepretandum sit secundum propriam naturalem significationem, nec sicera, nec cervisia comprehenduntur in voto abstinendi a vino. Nec audiendis est quidam oppositum astruens contra P. Sanchez, cujus prudentem distinctionem circa intentionem a nobis expositam, non apte vocat *vanam*; & *arbitrariam*.

89. Inq. 3. Quid agere debeat vovens indeterminate religionem? R. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 2. ubi ait: „ ille, „ qui vovit monasterium aliquod intra„ re, debet dare operam, quantum po„ test, ut ibi recipiatur. Et si quidem „ intentio sua fuit se obligare ad religio„ nis ingressum principaliter, & ex con„ sequenti elegit hanc religionem, vel „ hunc locum, quasi magis sibi con„ gruentem; tenetur, si non potest ibi „ recipi, aliam religionem intrare. Si ve„ ro incidit in impossibilitatem implendi „ votum ex propria culpa, tenetur in„ super de propria culpa præterita poe„ nitentiam agere„. Igitur vovens absolute religionem, ab una, vel pluribus repulsus, adhuc tenetur postulare, ut admittatur, nisi absolute, & perpetuo sit repulsus. Cæterum non tenetur peregre proficisci ad quærendum monasterium, seu religionem, ubi admittatur. Vovens determinatum monasterium, faciens quantum in se est ad sui admissionem, repulsus ab illo, ad nihil amplius tenetur, quia ad nihil amplius videtur se obligare voluisse.

PUNC-

PUNCTUM XII.

De voto dubio, & ex errore, aut dolo emisso.

90. Inq. 1. An dubius de emissione voti teneatur ad illud? R. 1. nemo tenetur voto, de cujus emissione dubitat, si post diligens examen nulla appareat ei prudens ratio, quod votum emiserit. Quia obligatio voti absque prudenti fundamento affirmari non debet, nec aliquis tenetur obligationi, quæ nullo fundamento rationabili nititur. Hoc exploratum est apud omnes; sed maxima difficultas versatur circa dubium utrinque probabile, intellectum suspensum relinquens ob rationes in utramque partem probabiles. Tamen:

91. R. 2. Dubius de voto in æquali probabilitate tenetur ad votum. Prob. ex cap. *Ad audientiam* 12. de homic. *Cum in dubiis sententiam debeamus eligere tutiorem.* Et ex cap. *Illud*, de cleric. excommunic. *in dubiis via eligenda est tutior*; sed observatio voti est via tutior, ergo est eligenda. Prob. ratione: Quia dubius de voto dubitat de peccato agens contra illud; sed agens cum dubio de peccato peccat, ergo non potest ita operari; & consequenter debet observare votum, ne discrimini se committat. Unde resolvens sequentia.

92. Certus de voto, incertus de adimpletione, tenetur ad executionem: dubitans an conditio voti sit adimpleta, vel tempus obligationis inceperit, aut transierit, an voverit ante septennium, vel sufficiente usu rationis, vel animo se obligandi, an votum sit emissum tempore somni, ebrietatis, phrænesis, iræ, aut perturbationis, tenetur ad votum, quia in omni vero dubio tutior pars est eligenda. Eadem ratione dubitans an voverit metu coactus, vel ex metu gravi, aut levi, vel an amphibologice sit locutus in emissione voti, vel an voverit magnam, aut parvam quantitatem, tenetur ad magnam, & semper ad tutiorem partem eligendam, nisi prudenti ratione motus aliquando ab obligatione eximatur. Tunc autem non erit dubium æquale, de quo loquimur.

93. Inq. 2. An votum ex errore, aut dolo emissum sit validum? R. 1. votum, aut juramentum emissum ex errore, aut dolo circa substantiam illius est invalidum: quia cum tali errore, aut dolo est involuntarium; nihil enim volitum, quin præcognitum. Unde si emittens professionem religiosam putaret se per illam non obligari graviter, aut in perpetuum, nullam emitteret professionem: Idem est de matrimonio, & cæteris contractibus, quorum substantia, aut natura ignoratur. Si autem ignorans vellet votum emittere, sicut alii emittunt, aut facere, quod alii faciunt, validum est: quia virtualiter vellet votum. Et hoc modo putandum est quemlibet vovere, nisi de oppositio constet, quia nullus præsumitur velle facere actum invalidum. Idem est de ignorante ea, quæ ad substantiam rei promissæ reducuntur, ut si vovisti pergere Jerosolimam putans prope esse, vel ire posse absque navigatione, aut ingredi religionem Cartusianam, aut nostram Discalceatam, putans in eis carnibus vesci, non teneris ad votum, quia errasti in circumstantia notabili redundante in substantiam rei promissæ. Quidquid dicat Concina, qui admittens primum exemplum, respuit sine fundamento secundum: cum abstinentia perpetua a carnibus sit circumstantia notabilior, quam circumstantia peregrinationis; cum hæc laborem unius, vel duorum mensium, illa vero austeritatem totius vitæ addat.

94. R. 2. Votum, aut juramentum emissum cum errore, aut dolo circa circumstantias, quæ in substantiam rei promissæ non redundant, esse validum, quia tales circumstantiæ sunt accidentales, & relinquunt votum quoad substantiam voluntarium: ut si promittas dare eleemosynam pauperi, alias inimico, vel improbo, non promissurus, si scires inimicitiam, aut improbitatem. Ubi error solum est circa circumstantiam personæ cum vera cognitione eleemosynæ, quæ est objectum, & substantiale voti.

95. Nec ex eo, quod si prævidisses improbitatem, non vovisses, annullatur votum; quia hæc ignorantia non dat causam contractui. Alias, si ignorantia hæc votum redderet invalidum, plurima vota invalida essent propter difficul-

tates, ac labores, qui in eorum adimpletione passim occurrunt, sed non ideo desinunt obligare. Debent ergo vota matura consideratione emitti, præcogitando difficultates, quas si vovens non præveniat, sibi imputet. Quando autem censendum sit circumstantiam redundare in substantiam rei promissę, arbitrio prudentum mensurandum est.

96. R. 3. error circa finem, seu causam motivam invalidum efficit votum: Quia votum ex errore circa finem non est voluntarium; in tantum enim est volitum, in quantum conducit ad finem intentum, ergo deficiente fine, deficit votum; ut si promittas eleemosynam homini, quem putas pauperem, vel propter sanitatem patris, quem judicas infirmum, si ille pauper non est, nec hic infirmus, nulla est promissio. Cæterum error circa causam impulsivam non vitiat votum, quia hoc manet voluntarium circa objectum, & causam finalem. Quare vovens dare eleemosynam ei, quem existimat sanctum, aut doctum, esto talis non sit, tenetur ad votum, quia non errat circa causam finalem. Quod verum tenet, licet sciens talem non esse, minime promisisses, ut supra diximus.

97. Objic. D. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 1. dicit: quod illud, quod votum fiendum impediret, si presens esset, etiam voto facto, obligationem aufert, ergo vota, quæ non fierent cum notitia circumstantiarum, vel defectus causæ impulsivæ, non sunt valida. R. D. Thom. loqui de illis rebus, & circumstantiis substantialibus, quæ ab initio irritum facerent votum; non vero de circumstantiis accidentalibus, & mere impulsivis.

Punctum XIII.

De voto, aut juramento ex metu facto.

98. Inq. 1. An votum emissum ex metu sit validum? R. *Primo*: votum factum ex metu gravi ab intrinseco est validum. Quia in metu ab intrinseco votum voluntarie eligitur ad evadendum periculum, ad quod a nemine, nisi a se ipso cogitur. Unde vota ex metu mortis, vel alterius gravis damni, sive ab inimico, fera, naufragio, incendio, seu infirmitate imminentibus valida sunt. Similiter vota emissa ex metu gravi injuste ab extrinseco illato, non ad extorquendum consensum, sed alio fine: ut si pater puellæ mortem tibi minaretur ob tractatum illicitum cum illa, & ad periculum evadendum promitteres cum ea matrimonium contrahere. Pariter si metus ab extrinseco juste incutiatur ad extorquendum votum, quia jure cogitur, & ipse vovens sibi metum infert, ut si in exemplo apposito pater tibi nolenti minaretur cum judice, & voveas nubere cum illa, tenet votum; isti enim duo metus coincidunt cum primo, in quo votum elicitur ad vitandum damnum. Vota emissa cum metu levi, a quocumque proveniat, apud omnes sunt valida.

99. R. *Secundo* votum ex metu gravi ab extrinseco ex fine illud extorquendi esse validum jure naturæ. Quia coactio licet minuat, non tamen tollit voluntarium simpliciter; sed votum simpliciter voluntarium est validum, erg. An autem sit nullum jure positivo ecclesiastico, est major difficultas, communior tamen, & probabilior sententia asserit esse nullum tale votum: colligitur *ex capite: Cum locum, de sponsalibus.* Ubi dicitur: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit. Cap. Ad audientiam de his, quæ vi.* Pariter *ex cap. Cum dilectus.* cap. *Perlatum, eodem titulo.* Qui textus, licet expresse non loquantur de his votis, cum communi Juristarum intelligentia, quibus, ut peritis in arte credendum est, atque consuetudine Ecclesiæ intelliguntur, ita ut omne votum ex metu prædicto factum sit invalidum.

Punctum XIV.

De voto conditionato.

100. Inq. 1. Quotuplex sit conditio, quæ voto adjici possit? R. Alias esse conditiones generales, *ut si vixero, si vires suppetant*: alias particulares, & ex istis aliæ sunt de præsenti, aliæ de præterito, aliæ de futuro. Item conditiones de futuro, aliæ sunt necessariæ, ut *si cras sol oriatur*, aliæ contingentes, ut *si pater consenserit*, aliæ impossibiles, ut

si

si cœlum manu tetigero : aliæ honestæ, aliæ turpes contra substantiam voti, aliæ denique turpes extra voti substantiam.

101. Inq. 2. Quænam ex his conditionibus vitient votum ? R. *Primo* conditiones generales, & de præsenti, aut præterito non suspendere votum, sed relinquere illum absolutum. Quia vel supponuntur ut generales ; vel non suspendunt consensum, ut quæ sunt de præsenti, aut præterito : nam istæ sunt, vel non sunt, ut vovens castitatem, si pater vivit, aut heri vixit ; pariter conditiones necessariæ non faciunt votum conditionatum. Vota autem emissa sub conditione impossibili, aut turpi contra substantiam ejus sunt nulla, licet in ultimis voluntatibus, & matrimonio, ut non appositæ rejiciantur. Cæterum conditiones turpes extra substantiam voti validum illud relinquunt.

102. R. *Secundo* conditiones honestas de futuro contingenti suspendere votum, efficereque illud proprie conditionatum, ut *voveo religionem, si ex hoc periculo evasero, aut si pater consenserit, si soror nupserit.* Purificata autem conditione, votum absque novo consensu obligat eodem modo, ac si absolute a principio emissum esset. Si voventis intentio alligata fuit conditioni materiali, requiritur hanc impleri in specifica forma, aut literaliter ; si vero animus voventis fuit consequi utcumque effectum conditionis, sufficit hanc equivalenter impleri, ut teneat votum. Sit exemplum : Voves religionem, si patri de necessario provideatur, moritur pater, impleta est conditio equivalenter, quia pater non eget tuo subsidio ; proindeque teneris ad religionem, nisi alligaveris intentionem conditioni materiali, quod regulariter non præsumitur.

103. Vovens sub conditione ex propria voluntate pendente, ut promitto castitatem, si hoc anno Romam perrexero, non tenetur expectare eventum, sed potest pro libito nubere. Vovens autem sub conditione pendente ex aliena voluntate, ut voveo religionem, si pater consenserit, tenetur expectare, & non impedire vi, fraude, aut dolo eventum conditionis, peccaret enim contra votum aliter se gerendo, & voto astrictus maneret, quia malitia, & fraus nemini debet patrocinari, & de illo verificatur textus : *Quicumque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur. leg. in executione. § fin. de verb. oblig.*

104. An autem idem sit dicendum de eo, qui non malitiose, sed solum simplici prece suadet patri dissensum, alii negant, alii affirmant, sed medium tenendo rutissimus ibis ; itaque sine causa illicitum est, licitum vero cum rationabili causa. Nam subditus licite potest ex rationabili causa petere a Superiore irritationem voti, quod nihil aliud est, quam suadere ei, ne consentiat voto a se emisso. Nec est ad rem objicere, quod deficit in casu posito sinceritas, & bona fides voventis, ut quidam ait : idem quippe poterat dici de petente irritationem, & proprius de vovente sub conditione a voluntate propria pendente ; sed de isto non dicit ille, quod ei deficiat sinceritas, esto nolit conditionem ponere, ergo nec de alio debet dici. Sed, quod mutato animo, ex aliqua causa, licet ei innuere patri dissensum simplici prece, aut consilio, relinquendo suo arbitrio consensum. Potest enim adesse sinceritas in emissione voti, esto subinde, re maturius inspecta, mutetur animus, quia sæpe quæ heri visa sunt nobis facilia, hodie videntur difficilia. Alias etiam petenti ex causa dispensationem voti poterat objici defectus sinceritatis.

105. Inq. 3. An sit licitum vovere sub conditione ? R. licere cum causa, non vero sine ea. Primum patet in vovente religionem, si Deus eum liberat a naufragio, incendio, aut alia quavis tribulatione : quod votum licitum est, utpote de meliori bono, & ex causa honesta emissum. Secundum etiam liquet, quia conditio sine causa est inanis, & frivola : ut si dicas : *Si cœlum digito tetigero, voveo castitatem.* Hoc votum nec licitum, nec validum est. Alia vota emissa sub conditione inani possunt esse valida, esto sint illicita. Igitur causa rationabilis requiritur, tum ut conditio adjiciatur voto, tum ut conditio adjecta revera non ponatur, aut impediatur.

PUNC-

Punctum XV.

De voto, & juramento pœnali.

106. Votum pœnale dicitur illud, quod quis emittit ad se retrahendum a culpa, seu proficiendum in virtute timore pœnæ sibi impositæ, ut promittens jejunare, si luserit: vel portare cilicium, si actus fidei, spei, & charitatis qualibet hora diei non elicuerit. Potest esse simplex, & duplex. Simplex est, quando solum vovetur pœna subeunda, ut in exemplis appositis. Duplex est, quando vovetur omissio culpæ, aut actus virtutis eliciendus, deinde pœna pro culpa subeunda: ut promittens non ludere, si autem ludat, vovet in pœnam jejunare. In simplici non tenetur ex voto ad non ludendum, sed ad pœnam si luserit; in duplici tenetur ex voto ad non ludendum, & etiam ad pœnam si luserit.

107. Inq. 1. An violans votum pœnale ex oblivione teneatur ad pœnam? R. negative: quia ubi non est culpa, nulla debet esse pœna; in casu autem posito non est culpa, quia violatio voti est involuntaria. Quod verum tenet, etiamsi voti memor sit, immemor autem pœnæ, quando ignorantia est invincibilis; secus si vincibilis, quia ignorantia vincibilis, quando de culpa agitur, equiparatur scientiæ.

108. Inq. 2. An in voto duplici, obtenta dispensatione primi, liber sis a secundo? R. affirm. quia, ablato principali, corruit accessorium. Unde in exemplo num. præcedenti apposito dispensatus ad ludendum potest ludere absque ulla incursione pœnę, dummodo ante dispensationem eam non incurrisset; si enim ante dispensationem eam incurrit, debet illam subire. Pro obtinenda dispensatione prioris voti, aut pœnæ incursæ, seu incurrendæ explicandum est secundum, & omnia aperte exponenda, ut superior maturo judicio, & perfecta cognitione causæ procedat.

109. Inq. 3. An vovens vitare aliquid, puta ludum sub tali pœna, toties teneatur ad pœnam, quoties luserit? R. neg. nisi aliud constet de intentione voventis, quia salvatur sufficienter proprietas verborum promissionis subeundo pœnam pro prima violatione, ergo non est extendenda ad alias: maxime si tales sint pœnæ, ut vix repeti valeant, ut in vovente peregrinationem longiorem, castitatem, aut religionem in pœnam alicujus delicti. Verum aliæ pœnæ leves toties incurruntur, quoties votum pœnale violatur, ut pœna recitandi aliquas preces, quoties luserit. Intentio ergo voventis, & forma verborum attendenda est.

Punctum XVI.

De his, qui vota emittere valent.

110. Inq. 1. Qui vota facere possint? R. omnes pollentes usu rationis, & a Superioribus non impeditos posse vota emittere: quia tales possunt libere promittere Deo rem meliorem. Unde solum excluduntur jure naturæ a voti emissione amentes, furiosi, ebrii, & qui non habent usum rationis, ut pueri ante septennium. Post illum autem valent vota emittere. Vota religiosorum, filiorum, dum sunt sub patria potestate, uxorum, servorum absque consensu Prælati, patris, matris, aut domini de rebus, quæ in illorum præjudicium cedunt, nulla sunt: quia nemo potest promittere Deo, quod non est in sua potestate, nec de alienis sacrificium offerre. Si vero in eorum potestatis præjudicium non cedant, valida sunt. Deus non potest proprie votum elicere, licet possit per semetipsum minus proprie, & largo modo jurare, & vovere. Nec Christus Dominus potuit proprie vota emittere, ut supra diximus cum Angelico Præceptore. Angeli in via potuerunt vovere. Beatis non competit vota elicere; sunt enim summo bono inamisibiliter omnino conjuncti.

111. Probabilius est posse Ecclesiam aliquos inabiles declarare ad emittenda vota etiam particularia: quia nulla apparet repugnantia in eo, quod Ecclesia apponat aliquam circumstantiam, vel conditionem, sub qua, & non aliter teneat votum, etiam internum; ad quod sufficit potestas spiritualis, non contentiosa, sed voluntaria, aut gratiosa, qua nomine Dei non velit acceptare, quod reputat non convenire. Circa vota solemnia

nia nullus est ambigendi locus, irritat enim Ecclesia professionem ante decimum sextum annum, sicut matrimonium clandestinum, quia cum sint actus publici, & solemnes, sunt sub potestate Ecclesiæ quoad conditiones congruentes.

112. Inq. 2. An vota religiosorum sine consensu Prælati sint valida? R. *Primo* vota, quæ non præjudicant jurisdictioni Prælati, regulæ, aut constitutionibus, esse valida, habereque vim obligandi, quandiu a Prælato non irritentur. Quia supponitur rem promissam esse gratam Deo, ut recitare aliquas preces, aut quid simile. Non autem sunt firma, quia semper fiunt sub conditione, si Superior non contradicat. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 3.

113. R. *Secundo* vota a religiosis emissa de rebus contra ordinationes Superioris, regulam, aut constitutiones, etiam ad pœnam tantum obligantes, esse nulla, quia respectu religiosi sunt de re mala, esto dispensatio obtineretur; semper enim est melius leges communes observare, quam uti dispensatione, quæ est vulnus legis. Cæterum si tales res non absolute prohibeantur a lege, vel Prælato, sed ne fiant absque licentia, votum de his faciendis cum licentia est validum, quia concessio licentiæ non est dispensatio in tali casu, sed impletio legis; ut si Prælatus prohibeat, ne quis absque licentia ultra regulam jejunet, qui obtenta licentia jejunat, optime facit, nec vulnerat mandatum, sed adimplet; tenetur autem sic vovens petere licentiam, ne efficiat votum illusorium, nisi solam promitteret rem exequi, quando generalis licentia ad illam a Prælato daretur. Debet etiam subditus, quando licentiam postulat, suum votum manifestare Prælato, ut provideat de persona, voto, & licentia, quod magis expediens sibi visum fuerit. Vota a religiosis emissa observandi regulam, leges, aut constitutiones obligant, quandiu a Prælato dispensatio non impenditur, ipso tamen dispensante, desinunt obligare. Uno verbo religiosus quoad vota privata debet omnino se judicio Prælati submittere, ejusque dictamini acquiescere. D. Thom. *ubi supra.*

CAPUT II.

De cessatione voti.

PLura, quæ in hoc capite dicenda sunt, æque conveniunt votis, ac juramentis. Aliqua peculiariter ad juramenta spectantia capite sequenti prælibabimus. In præsenti discutiuntur causæ, per quas cesset utriusque vinculi obligatio. Ideo, quod dictum fuerit de voto, sua proportione de juramento, præsertim votivo, intelligendum est.

PUNCTUM I.

De voti irritatione.

114. Inq. 1. Per quot, & quas causas tollatur obligatio voti? R. tolli per sex causas, quæ sunt irritatio, dispensatio, commutatio, cessatio finis, impotentia physica, aut moralis, & condonatio. Plures enumerantur ab aliis; sed omnes includuntur in istis, ut interpretatio in cessatione finis, & mutatio notabilis superveniens in ipsa finis cessatione, aut in impotentia.

115. Inq. 2. Quid sit irritatio? R. est *annulatio voti ab habente potestatem dominativam.* Est duplex, *directa*, & *indirecta.* Irritatio *directa* datur, quando potestas dominativa est supra personam, ut in Prælatis regularibus respectu subditorum. *Indirecta* datur, quando prædicta potestas est supra materiam promissam, ut in Papa respectu fidelium, licet hæc potius suspensio, quam irritatio voti dici possit, ut in dominis respectu famulorum circa vota impeditiva famulatos. Potestas dominativa directa, & irritatio ab ea procedens non tantum jure ecclesiastico, aut civili provenit, sed ipso jure naturali, quo persona, & voluntas voventis subjecta est Superiori legitimo.

116. Inq. 3. An requiratur causa ad irritationem? R. ad validam irritationem nulla requiritur causa: quia votum inferioris semper emittitur sub conditione, quod Superior non contradicat. Unde solus dissensus Superioris sufficit ad valorem irritationis. Probabilius est, neque ad licitam irritationem ex se requiri causam;

sam ; quia liberum est Superiori dissentire a voto inferioris , nec ullo jure cogitur ad hujus consensum.

117. Cæterum quia Superior debet prudenter se gerere , & profectum inferioris non impedire , ex his , aut aliis capitibus potest irritatio absque causa esse peccatum leve , nunquam vero grave , præcisis aliis circumstantiis , quæ graviter irritationem vitiare possint : ut si irritaret votum ex ipsius licentia emissum , quo in casu irritans absque causa graviter peccaret. Valet Superior irritare vota inferioris , etiam ipso nolente , quia Superior non dependet a voluntate inferioris, sed econtra. Nec ad irritationem validam tenetur cognoscere causam in specie ; ad licitam autem sufficit agnoscere subditum esse anxiatum gravamine voti, & velle illum ab eo liberare. Potest Prælatus superior irritare subditis vota de licentia inferioris emissa ; sed non econtra. Similiter Prælatus succedens valet irritare vota emissa de licentia antecessoris.

118. Inq. 4. Quibus competat potestas vota irritandi ? R. potestas directa competit parentibus respectu filiorum , Prælatis respectu subditorum , maritis respectu uxorum , tutoribus , & curatoribus respectu pupillorum , & minorum , & dominis respectu mancipiorum , quia istis omnibus competit potestas dominativa respectu suorum inferiorum. Unde nec summus Pontifex respectu fidelium , nec Episcopus respectu clericorum , nec aliorum sæcularium possunt vota irritare : quia esto habeant potestatem jurisdictionis, non dominativam. Verum Papa respectu religiosorum , & Episcopus respectu monialium sibi subjectarum utraque gaudent potestate , ideoque vota simplicia eorum possunt directe irritare. D. Thom. *art.* 8. *ad* 3.

119. Inq. 5. An Prælati regulares valeant irritare vota omnia suorum subditorum ? R. affirm. quia inferioris voluntas per professionem voluntati sui Prælati quoad omnia subjecta est. Excipiuntur autem vota solemnia , aut simplicia constituentia statum , & ea , quæ sunt annexa tali statui , ut in Minimis votum abstinentiæ quadragesimalis , & votum transeundi ad arctiorem religionem , quæ nec a Papa irritari valent , esto in eis dispensare possit. D. Thom. *ibid.*

120. Inq. 6. Qui sint Prælati habentes potestatem dominativam ad vota inferiorum irritanda ? R. esse omnes sive superiores , sive immediatos , qui vere Prælati sunt : in eorum autem absentia eadem facultate potiuntur Prælati secundarii , sive Supriores , sive alio nomine nuncupentur , quando per viginti quatuor horas , aut diem naturalem præsident , quia in hoc casu ad eos tanquam ad Prælatos cura , & administratio communitatis jure transfertur. Similiter Abbatissę , seu Priorissæ vota suarum monialium irritare possunt , quia licet careant potestate spirituali , habent potestatem dominativam , sicut illam habent aliæ fœminæ , dum tutrices , aut curatrices filiorum deputantur. Prælati nequeunt vota novitiorum irritare , quia in eos ante professionem potestatem dominativam non habent ; possunt tamen eorum vota commutare , & etiam dispensare per jurisdictionem ecclesiasticam , qua supra illos gaudent. Si autem novitii a religione exeant , cessat commutatio , quæ tantum pro tempore novitiatus facta præsumitur.

121. Inq. 7. Quæ filiorum vota parentes valeant irritare ? Ante responsionem nota , quod impuberes , seu pupilli dicuntur viri ante decimum quartum annum completum , fœminæ vero ante duodecimum , & in hac imbecilli ętate , deficientibus parentibus , assignatur tutor primo pro personis impuberis , seu pupilli tuendis , secundo pro rebus. Ab anno quartodecimo completo in viris , & duodecimo in fœminis usque ad vigesimum quintum expletum dicuntur puberes, seu minores , quibus in defectu parentum deputatur curator ad curandum primario de eorum re familiari , & secundario de ipsorum personis. Patria potestas durat in filiis legitimis , quandiu per emancipationem , mortem civilem , Episcopatum, magnam Præfecturam, aut matrimonium cum velationibus non finiatur. Si pater , aut filius defunctus resurgeret , revivisceret patria potestas. Quibus prænotatis.

122. R. 1. parentes posse irritare omnia vota filiorum impuberum , quia isti in tam tenera ætate regi debent volun-

ta-

tate alterius. Vota autem personalia puberum, quæ non præjudicant gubernationi domesticæ, nequeunt irritari a parentibus, quia homo pubertatem nactus, jam præsumitur gaudere sufficienti discretione. Sed vota realia puberum possunt irritare parentes, quia filii puberes carent administratione bonorum, & sub parentum cura permanent. Vota vero filiorum de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, & de adventitiis, quorum dominium, & administratio est apud ipsos filios, nequeunt a parentibus irritari: nec similiter votum Romam eundi pro absolutione ab excommunicatione. Denique nulla vota a filiis emissa postquam egressi sunt a patria potestate, irritari valent a parentibus, quia jam sub cura, aut custodia parentum non sunt. D. Thom. *ibidem.*

123. R. 2. tutores, & curatores posse irritare vota suorum pupillorum, & minorum, sicut parentes suorum filiorum, quia succedunt in defectu parentum ad curam, & regimen eorum. Propter eandem rationem avi, & aviæ deficiente patre, matre, tutore, & curatore possunt irritare vota nepotum; ita ut ascendentes ex linea paterna possint irritare vota, quæ pater poterat; & ascendentes ex materna, quæ poterat mater. Similiter potest curator irritare omnia vota ab impubere emissa, non confirmata post pubertatem; cæterum tutor, aut curator finito eorum officio nequeunt irritare vota emissa a pupillis, aut minoribus, quia postquam isti egressi sunt ab eorum cura, nullam in eos potestatem habent, neque exercere possunt: parentes vero possunt quocumque tempore irritare vota filiorum, nisi confirmata fuissent post pubertatem ab ipsis filiis, quia patria potestas non finitur tempore sicut officium tutoris, aut curatoris, sed per capita supra recensita.

124. Communior sententia tenet, quod mater, vivente patre, & ipso præsente, vel eo mortuo, assignato tutore, non valet irritare vota impuberum. Tum quia solus pater gaudet patria potestate, tum quia solus est caput familiæ; tutor autem succedit loco patris: igitur mater, ipsis præsentibus, non habet talem potestatem. Habet tamen illam, ipsis longe absentibus, & cum assignatur tutrix, aut curatrix filiorum, in quo casu potest etiam vota realia puberum irritare, quia tunc ad matrem devolvitur administratio domus, & familiæ.

125. Magistri, aut heri, etiam in defectu parentum, nulla possunt irritare vota discipulorum, aut famulorum, quia nullo jure hoc ipsis conceditur. Domini solum possunt irritare mancipiorum vota, quæ eorum obsequio præjudicant. Unde nequeunt irritare votum castitatis, aut fundendi aliquas preces a servo, seu a mancipio emissum. Heri solum valent suspendere famulorum vota, quæ eorum famulatum impediunt.

Punctum II.

De votis, quæ conjuges possunt sibi invicem irritare.

126. Inq. 1. Quæ vota uxoris valeat maritus irritare? R. 1. maritus potest irritare omnia vota uxoris tempore matrimonii emissa, quæ obsunt ipsi matrimonio, aut domus, & familiæ gubernationi: quia circa hæc mulier subdita est viro. Potest etiam suspendere vota ab ipsa ante matrimonium edita, quæ huic subjectioni repugnant, propter eandem rationem.

127. R. 2. Maritus non potest irritare vota ab uxore emissa ante contractum matrimonium, vel tempore legitimi divortii, neque ea, quæ implenda sint dissoluto matrimonio, nec vota observandi præcepta divina, aut ecclesiastica, aut fundendi aliquas preces, frequentandi moderate sacramenta, aut elargiendi eleemosynas congruentes de bonis paraphernalibus: quia hæc, & similia non præjudicant mutuo conjugum officio. Idem est de voto emisso ab uxore non petendi debitum, quia in hoc jure pares sunt conjuges: qua ratione, nec uxor potest irritare tale votum in marito. Nihilominus abstinendum est conjugibus ab emissione voti non petendi, nec redendi, uti asserit Angelic. Doct. 4. sent. d. 32. a. 4. ad 3. his verbis: *alii probabilius dicunt, quod neutrum potest unus absque consensu alterius vovere.*

128. Inq. 2. Quæ vota mariti potest

uxor irritare? R. posse irritare omnia, & sola vota, quæ juri matrimoniali repugnant: quia in jure matrimoniali conjuges sunt equales, erg. sicut maritus potest irritare vota, quæ huic juri obstant, ita uxor mariti vota, quæ in illius præjudicium cedunt. Similiter potest irritare votum mutandi habitum laicalem in religiosum, aut eremiticum, quia est in uxoris præjudicium, potest enim illi ingerere horrorem. Potiori jure valet maritus irritare simile uxoris votum. Quare congruum est, ut nullus conjugum sine consensu alterius emittat votum mutandi habitum. Potest etiam uxor irritare mariti votum de longinqua peregrinatione, excepta Hierosolimitana, aut alia, ob publicam Ecclesiæ utilitatem. Denique potest suspendere vota mariti ante matrimonium emissa, si vitæ sociali officiunt.

129. Verum vota, durante matrimonio, mutuo consensu emissa nequeunt conjuges sibi invicem irritare, unde si votum castitatis mutuo consensu emittant, privantur jure petendi, & reddendi debitum: nec ex eo, quod postea eodem mutuo consensu matrimonio sacrilege utantur, liberantur, nec liberare possunt se invicem a voto, quod Deo promiserunt: quia licet in vi contractus valeant sibi invicem condonare; in vi autem promissionis Deo factæ, nullam habent potestatem condonandi.

Punctum III.

De dispensatione voti.

130. Inq. 1. Quid est dispensatio voti? R. est *annullatio obligationis voti ab habente potestatem spiritualem in foro externo.* Dicitur *in foro externo*, quia est potestas fori exterioris, quæ residere tantum potest in persona ecclesiastica: unde solum committi valet clericis, saltem prima tonsura insignitis; fœminæ autem incapaces sunt jurisdictionis spiritualis, sicut & ordinis. Omnes, qui possunt sive jure ordinario, sive ex delegatione dispensare vota, possunt etiam ea commutare, nam qui potest majus, potest minus in eodem ordine. Ex opposita ratione habens facultatem delegatam ad vota commutanda non potest ea dispensare, quia qui potest minus, non potest majus; commutare autem minus est, quam dispensare. Valens dispensare vota aliorum, non potest dispensare vota propria; proindeque recurrere debet pro dispensatione ad Superiorem, excepto Papa, qui Superiorem non habet; potest tamen concedere potestatem alteri, ut sibi vota dispenset, sicut tribuit jurisdictionem, ut eum ea peccatis absolvat. Aliud est circa legem propriam.

131. Inq. 2. In quo proprie consistat dispensatio voti? R. consistere, vel in eo, quod Deus per hominem sui vicem gerentem declarat se condonare rem sibi promissam, vel in eo, quod authoritate Superioris fit, ut hoc, quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinat in hoc casu non esse congruam hanc materiam voti. Et ideo cum Prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto juris naturalis, vel divini, sed declarat talem materiam non cadere hic, & nunc sub obligatione voti. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10.

132. Inq. 3. In quibus resideat potestas ordinaria dispensandi vota? R. in primis residet in summo Pontifice pro omnibus fidelibus; deinde in Concilio generali etiam pro tota Ecclesia; in Episcopis, & Archiepiscopis, & eorum Vicariis generalibus pro tota Diœcesi; in Legatis, aut Nuntiis, Patriarchis, aut Primatibus pro suo Regno, aut Provincia; in capitulo Cathedrali, Sede vacante; in Abbatibus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, & in omnibus Prælatis regularibus pro suis subditis. Omnes isti jure ordinario dispensare valent in omnibus votis suorum subditorum, dummodo non sint Pontifici reservata. Valent etiam hanc facultatem delegare cuilibet clerico; verum clericus in minoribus constitutus, si est conjugatus, solum ex commissione Pontificis capax est hujus delegationis. D. Thom. *ubi supra art.* 12. *ad* 3.

133. Inq. 4. Quis possit in votis communitatis dispensare? R. respectu communitatis, quæ votum emisit, potest Episcopus in illo dispensare ex justa causa; successores vero, qui non tenentur ex vi

vo-

voti ab ipsis emissi, sed ex præcepto, aut lege Episcopi, pro ejusdem Episcopi arbitrio dispensari queunt. Hoc astruit etiam Concina, immemor opinionis a se in materia de legibus propugnatę contra Salmanticenses, quod Legislator nequit valide in sua lege sine justa causa dispensare. Nunc autem asserit communitatem voventem posse ab Episcopo, justa occurrente causa, dispensari; successores vero, qui solum tenentur ex præcepto, aut lege Episcopi, pro *arbitrio ejusdem Episcopi*, erg. saltem valide potest Legislator in sua lege *pro suo arbitrio* dispensare: hæc consequentia, alibi a Concina negata, conceditur sponte ab ipso *lib. 4. in Decal. diss. 3. cap. 9. n. 4.*

134. Inq. 4. An ad voti validam dispensationem requiratur causa? R. affirm. quia dispensatio inferioris in lege superiori absque causa est invalida; sed dispensatio voti est dispensatio in lege superiori, nempe naturali, & divina, ergo ad ejus valorem requiritur legittima causa. Ita omnes cum D. Thom. ubi supra art. 12.

135. Inq. 6. An, quando dubitatur de causa, valeat dispensatio? R. sub distinctione: vel enim dubitatur, an detur causa, vel dubitatur, an detur sufficiens causa: in primo casu non datur dispensatio: nam revera esset dispensare sine causa, ut si dubites, an Petrus sit infirmus, non vales illum dispensare a jejunio. Si vero causa certa existat, solumque dubitatur, an sit sufficiens; tunc dispensatio valida, & licita potest impertiri; maxime cum aliqua commutatione, licet absolute absque illa dispensatio valida foret. Ita D. Thom. *loc. citat. ad 2.*

136. Inq. 7. An dispensatio voti concessa bona fide putando adesse causam sufficientem, si revera nulla existat, valida sit? R. neg. quia licet postulans, & concedens excusentur a culpa propter bonam fidem, & hac durante, sit licita; tamen, cognito errore, illicita, & invalida remanet, quia, ut dictum est, dispensatio inferioris in lege superiori sine causa est invalida. Si autem dispensans procederet absque cognitione causę, quæ re ipsa adest, valida, esto illicita, esset dispensatio. Vid. *tract. 3. num. 315.*

137. Inq. 8. Quæ sint causæ sufficientes ad voti dispensationem? R. communiter assignantur septem. 1. dubitatio de emissione voti. 2. imperfecta deliberatio in eo emittendo, sive proveniat ab immatura ętate, sive ab ira, metu, perturbatione, mœrore, aut alia subita passione. 3. error circa aliquas circumstantias, quæ postea agnoscuntur. 4. turbatio conscientiæ, & animi anxietas circa votum. 5. difficultas notabilis in ejus adimpletione. 6. damnum spirituale, aut temporale voventis. 7. majus bonum, quod ex dispensatione speratur. Omnia prudenti judicio pensanda sunt, aliqua enim vota graviorem causam exigunt juxta gravitatem materiæ promissæ, & plenam deliberationem promissionis. Vota frequentiora reputantur inferiora, ut votum recitandi aliquas preces, alicujus jejunii, aut visitandi aliquam imaginem; ideo non postulant causam adeo gravem, sicut votum castitatis, religionis, triplicis peregrinationis, diuturni jejunii, magnæ eleemosynæ, & similium. Unde maturo consilio mensuranda est causa; non tamen requiritur, ut evidenter constet de ejus sufficientia, satis est, quod moraliter sufficiens agnoscatur. Nihilominus securius est aliquam admiscere commutationem, præsertim quando de sufficientia causæ dubitatur, licet absque commutatione absolute dispensari possit.

138. Inq. 9. Quæ vota possint Prælati regulares suis subditis dispensare? R. posse cum eis dispensare omnia vota, exceptis reservatis, sicut possunt Episcopi cum Dsœcesanis: quia præter potestatem dominativam habent etiam jurisdictionem spiritualem quasi Episcopalem pro suis subditis. Unde possunt dispensare vota emissa ex ipsorum, vel aliorum Prælatorum, etiam superiorum licentia: quia semper habent in suos subditos potestatem ordinariam spiritualem, quam nullus Superior ab eis adimit. Possunt pariter dispensare in voto transeundi ad arctiorem religionem, si judicent subditum melius perfectionem assecuturum in propria, quam ad aliam transeundo. Cæterum in votis substantialibus, nec istis annexis, nec in voto non procurandi, aut non accepta ndi dignitates extra ordinem mi-

minime dispensare valent. Possunt tamen dispensare vota novitiorum, quia in eos gaudent spirituali jurisdictione, sicut etiam Episcopi illam retinent in cujuscumque ordinis novitios, quandiu professionem non emittant.

139. Inq. 10. An Confessarii regulares possint dispensare vota sæcularium? R. in hac materia nihil certi habetur; solum est certum Confessarios regulares absque privilegio legitimo non posse in aliquo voto cum sæcularibus dispensare. Privilegia autem Eugenii IV. Leonis X. Pauli III. Gregorio XIII. & Sixti IV. quæ ab authoribus laudantur, vel locuntur de facultate commutandi, vel etiam dispensandi cum aliis regularibus; pro sæcularibus vero res dubia est. Ideo in negotio tanti momenti regulares utantur facultate certa commutandi, & abstineant ab incerta dispensandi, usque dum a Sede Apostolica clarius concedatur. Quam enim utilitatem, quodve emolumentum affert regularibus facultas dispensandi cum sæcularibus? Nullum profecto. Non ergo æquum est ipsos scrupulis, ac stimulis conscientiæ onerari, ut sæculares a voti obligatione exonerent.

140. Cum igitur dubia sit facultas dispensandi, abstineant regulares a dispensatione votorum circa sæculares. Nec enim Bulla Cruciatæ talem facultatem, sed tantum commutandi ea concedit.

Punctum IV.

De votis reservatis.

141. R. 1. Quot sint, & quæ vota Pontifici reservata? R. sunt quinque, nempe votum castitatis, votum religionis, triplicis peregrinationis, Hyerosolimitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Idem est de juramentis castitatis, religionis, & triplicis peregrinationis ex devotione visendi loca sacra. Si autem ex alio fine, licet pio, emittantur vota, aut juramenta dictæ peregrinationis, non sunt reservata. *Objic.* D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 3. solum enumerat inter reservata votum continentiæ, & peregrinationis terræ sanctæ. Et *q.* 189. *art.* 7. docet vota perpetua esse Pontifici reservata: sed votum perpetuo jejunandi, & alia hujusmodi sunt perpetua, erg. sunt plura, aut pauciora. R. *ad primam*: quod D. Thom. exemplum ponit in duobus illis votis, quin excludat cætera; licet alii respondeant, forte probabiliter, tempore D. Thomæ non esse omnia quinque vota reservata. *Ad secundum* dicitur, quod sanctus Doctor loquitur de votis, quæ vel ex se sunt perpetua, ut votum castitatis, vel ratione alicujus circumstantiæ, ut vota, quæ emittunt Episcopi, dum dignitatem Episcopalem suscipiunt, quo pacto etiam alia vota, & juramenta sunt reservata. Nunc autem loquimur de reservatis ratione materiæ, quæ tantum sunt quinque recensita.

142. Inq. 2. Quid requiratur, ut hæc vota sint reservata? R. requiri, quod sint absoluta, perfecta, certa, & emissa ex affectu ad rem promissam. *Absoluta*, quia, pendente conditione, nullum votum est reservatum. *Perfecta*, hoc est, quod comprehendant totam materiam, & ex perfecta deliberatione procedant. Unde votum castitatis conjugalis, aut pro aliquo tempore, vel tantum sub levi obligans, vel votum non contrahendi matrimonium, aut abstinendi a vitio contra naturam, aut a primo actu venereo, & similia non sunt reservata, quia non comprehendunt totam materiam. Similiter reservata non sunt vota dubia, aut quoties dubium sit, an ex aliquo capite sint reservata; quia reservatio est odiosa, & stricte interpretanda; nec reservata sunt vota disjunctiva de materia reservata, & non reservata, antequam reservata eligatur. Denique in votis emissis cum aliqua circumstantia, hæc non est reservata, ut in vovente pergere Romam nudis pedibus, circumstantia nuditatis potest ab Episcopo dispensari, & sic de cæteris circumstantiis.

143. Inq. 3. An in prædictis votis reservatis possit Episcopus dispensare in casu urgentis necessitatis? R. affirm. ut propter grave damnum spirituale, aut temporale urgens in astricto voto castitatis, qui teneretur ad matrimonium sine mora contrahendum pro vitanda infamia virginis a se defloratæ, seu ob alicujus scandali periculum, posset Episcopus dispensare votum; non quidem absolute, sed quatenus necessarium sit ad

oc-

occurrendum damno, vel periculo urgenti. Ideoque si extra matrimonium ageret contra castitatem, violaret votum, quod etiam mortua conjuge reviviscit: quia sicut Ecclesia benigne præsumitur nolle reservare, urgente necessitate, ita prudenter præsumitur nolle annuere dispensationi, nisi quantum ad subveniendum necessitati requiratur. Igitur in casu necessitatis valet Episcopus, vel alius habens jurisdictionem quasi Episcopalem dispensare modo dicto in reservatis, etiam si Legatus, aut Nuncius Pontificis esset in Provincia, quia isti non majori gaudent facultate; nisi specialem super prædicta vota haberent a Pontifice, in quo casu pro dispensatione adiri debent.

144. Inq. 4. An prædicta quinque vota, dum sunt conditionata, aut pœnalia, sint reservata? R. 1. vota conditionata conditione generali, aut de præsenti, vel de præterito, impleta conditione, esse reservata: ita omnes, quia talia voto, posita conditione, vere sunt absoluta, & solum apparenter conditionata. R. 2. vota conditionata spontanea, & absque ullo metu emissa esse pariter reservata: ut vovens castitatem, aut religionem, *si pater consenserit*, *si soror nupserit*: quia ita vovens emittit votum pleno consensu, & ex affectu ad rem promissam; conditio vero solum est quoddam impedimentum ad eam assequendum, ergo posita conditione, & sublato impedimento, non est unde votum non sit perfectum, absolutum, & reservatum.

145. R. 3. Vota conditionata pœnalia, etiam impleta conditione, non esse reservata: ut *voveo religionem*, si *tale peccatum commisero*. Ratio est, quia sic promittens non vovet directe, & per se religionem ex affectu ad religionem; imo aliquomodo adversatur religionem, ideo enim vovet illam ut pœnam, ut ex timore hujus pœnæ se retrahat a culpa, ergo non directe, sed quasi indirecte est votum religionis, erg. non est reservatum. Quoniam votum religionis reservatum solum est votum directum, & ex affectu ad religionem emissum. Ita plures graviores Thomistæ, ut Medina, Ludovicus Lopez, Aragon, Raphael a Torre, quos cum aliis laudat, & sequitur magister Prado vocans hanc sententiam probabiliorem, & communiorem *cap.* 31. *de voto n.* 93.

146. R. 4. Vota vere conditionata, in quibus non datur consensus plene voluntarius ad rem promissam, etiam apposita conditione, non esse reservata: ut votum religionis emissum pro vitando naufragio, incendio, infirmitate, aut alio gravi periculo. Prob. ratione: quia juxta omnes votum reservatum debet esse perfectum circa materiam promissam; sed præfata vota non sunt perfecta circa materiam promissam, etiam impleta conditione, ergo non sunt reservata. Consequentia est legitima, major ab omnibus admittitur, & minor debet etiam admitti, ne inconsequenter procedant; quia in prædictis votis plus tendit vovens ad vitandum periculum, quam ad religionem amplectendam, plus amat propriam salutem, quam religionem; quinimo nec vellet, nec voveret illam, nisi oppresus imminenti periculo, erg. talia vota non sunt perfecta circa materiam promissam, repugnat enim votum perfectum absque voluntate perfecta circa materiam.

147. Confirmatur 1. Ideo votum metu levi extortum non est reservatum apud omnes, quia non est perfectum, hoc est, non habet plenum consensum ad rem promissam, ergo multo minus est reservatum votum metu gravi emissum. Patet consequentia, quia votum metu gravi emissum magis involuntarium est, quam metu levi editum, hic enim solum est metus puerorum merito despiciendus, cujus oppositum accidit in metu gravi, ergo iste minuit voluntarium, plusquam ille. Qua paritate dispellitur omne fundamentum adversæ opinionis.

148. Confirmatur 2. Quia vororum reservatio stricte interpretari debet, est enim odiosa, & juri communi, potestatique ordinariæ Episcoporum contraria, ut omnes fatentur, ergo solum vota undequaque perfecta sunt reservata; sed vota metu gravi emissa non sunt undequaque perfecta, ergo non sunt reservata, Ita idem Prado, cum Victoria, Ledesma, Orellana, & aliis tam intra, quam extra scholam D. Thom. unde sequitur posse Episcopos dispensare in præfatis quinque votis, dum non sunt perfecta,

vel

vel dubitatur de eorum reservatione: quia jure communi competit Episcopis potestas ordinaria vota dispensandi, a qua in casu dubii, vel sine claro textu, vel ratione spoliari non debent.

149. Pater Concina *tom.* 3. *pag.* 198. *num.* 24. oppositum acriter tenet, & confirmat suam sententiam ex eo, quod contractus conditionati, posita conditione, perfecti evadunt; sed cum contrarium doceat in tractatu de *contract. tom.* 7. *pag.* 149. *n.* 9. non probat intentum; nec lubet in eo refutando terere tempus in vanum.

150. Inq. 5. An accepta commutatione voti reservati, materia commutata maneat reservata? R. neg. quia per commutationem legitimam votum de materia reservata transfertur in aliam materiam non reservatam, ut votum religionis in jejunia, & alias asperitates, quæ reservata non sunt.

151. Inq 6. An facultas alicui concessa ad dispensandum, seu commutandum vota, extendatur ad reservata? R. neg. nisi ad hæc specialis detur commissio. Constat ex Extravag. *Etsi dominici gregis* 2. *de pœnit. & remis.* ubi dispensantes, aut commutantes quinque præfata vota prætextu privilegiorum subjiciuntur excommunicationi Pontifici reservatæ. Accepta autem facultate specialis dispensandi reservata, ad omnia quinque se extendit, quia non est major ratio circa unum, quam circa aliud. Si concedatur facultas dispensandi omnia, hoc vel illo excepto, ut in jubilæis accidit, de cæteris omnibus intelligitur, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Facultas vero concessa ad votum religionis non extenditur ad votum castitatis, nec econtra, quia licet æqualia videantur, diversa sunt: Confessarii regulares commutare possunt prædicta quinque vota, quoties ex aliquo capite, causa, aut circumstantia non sint reservata.

Punctum V.

De commutatione voti.

152. Inq. 1. Quid est commutatio? R. est *substitutio unius materiæ pro alia servata æqualitate morali*. Unde irritatio, dispensatio, & commutatio differunt in eo, quod irritatio tollit vinculum voti absque peculiari causa, dispensatio cum speciali causa, commutatio vero non illud tollit, sed sub eodem voto unam materiam pro alia subrogat. Unde eodem modo peccat agens contra materiam subrogatam, ac si votum ante commutationem violaret. Omnes, qui jure ordinario, aut per delegationem possunt dispensare, possunt etiam commutare, sed non econtra: Ideo per Bullam Cruciatæ nullum votum valet dispensari; licet omnia præter excepta in ea commutari possint.

153. Inq. 2. An quisque sua vota authoritate propria commutare valeat? R. 1. quilibet potest propria authoritate sua vota commutare in evidenter melius, quando hoc melius includit materiam promissam, ut si promisisti centum, & tribuas ducenta, si promisisti calicem argenteum, & dones aureum, quia hoc potius est solvere superabundanter, quam commutare. Hac ratione potest idoneus ad religionem omnia sua vota, etiam reservata, commutare in votum religionis, in quo cætera comprehenduntur, sicut particularia in universali, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88 *art.* 12. *ad* 1.

154. R. 2. nemo potest propria authoritate commutare vota in evidenter æquale: quia commutatio est actus jurisdictionis, quam nemo potest secum exercere, sed requirit authoritatem Prælati, seu vicem Dei gerentis. Ex quo a fortiori sequitur, quod nullus potest propria authoritate commutare votum in rem minus bonam, quia in commutatione debet servari æqualitas moraliter possibilis, ut statim dicemus. Unde graviter peccaret, qui aliter se gereret, neque enim impleret votum, exequens materiam invalide commutatam.

155. R. 3. nullus potest propria authoritate commutare vota adhuc in evidenter melius, si hoc non includatur in materia promissa; ut si promittas jejunium, non vales propria authoritate commutare in eleemosynas. Tum quia semper est melius, & Deo gratius ei reddere, quod promisisti, quam quodlibet aliud ex tua voluntate, ut patet *Levit.*

17. 9. Ubi Deus exigit animal a vovente assignatum, & non aliud esto melius. Tum quia commutatio est quidam contractus, qui perfici debet ex consensu creditoris, aut vicem ejus gerentis; nec prius votum dissolvi valet absque ejusdem consensu. Et revera impertinens videtur talis commutatio, quia vel illam intendis pro majori placito Dei, vel pro tua utilitate: si primum, reddendo, quod promisisti, places evidenter Deo. Si secundum, debes omnino abstinere a commutatione, quia pro tua utilitate non potes unum pro alio reddere absque consensu creditoris, vel illius, qui vicem ejus gerat. Hæc sententia magis consonat rationi, & menti D. Thom. *loc. supra cit.* & alibi.

156. R. 4. commutatio pura solum potest fieri ab habente potestatem spiritualem, servata æqualitate morali, ut dicitur in ejus diffinitione, ita ut votum personale commutetur regulariter in personale, reale in reale, perpetuum in perpetuum, temporale in temporale, (licet hoc non semper sit necessarium) observando proportionem, non quidem arithmeticam, sed moralem, & æquivalentem juxta circumstantias personæ, promissionis, materiæ, & finis voventis.

157. Pro majori vero luce quædam apponuntur exempla: votum jejunandi ad macerandam carnem debet commutari in cilicium, disciplinam, aut aliam asperitatem voventi non incongruam: jejunandi per vitam omnibus feriis sextis, aut sabbatis in honorem alicujus sancti commutari debet in recitatione rosarii flexis genibus cum auditione sacri, aut aliqua eleemosyna: votum peregrinationis, præsertim in mulieribus, in confessionem, & communionem in viciniori Ecclesia cum eleemosyna proportionata: votum inserviendi hospitali in eleemosynam eidem hospitali tribuendam, vel e contra: votum jejunandi in pane, & aqua in rosarium integrum flexis genibus cum aliquo cilicio, aut disciplina, si vires suppettant: votum non nubendi in confessionem, & communionem menstruam cum aliqua eleemosyna, oratione, aut precibus, vel in jejunium mensuale simul cum auditione sacri, & visitatione Ecclesiæ, vel curando celebrationem novem, aut decem Missarum, simulque earum auditione quolibet anno, & sic in aliis.

158. Inq. 3. An requiratur causa ad commutationem voti? R. affirm. quia commutatio est actus jurisdictionis, quæ exerceri non debet pro libito, sed in honorem Dei, & utilitatem voventis, erg. ad eam requiritur aliqua causa. Minor autem sufficit ad commutationem, quam ad dispensationem, unde ad commutationem virtute Bullæ, aut jubilæi sufficit pro causa motivum, ob quod ipsa indulta conceduntur: pro commutatione in evidenter melius, hoc ipsum sufficit pro causa; & similiter ad commutationem in evidenter æquale, & probabiliter melius: pro commutatione in æquale moraliter sufficit causa levis, ut aliqua difficultas in voti executione, quia non tollitur obligatio, sed alia subrogatur. Commutatio in evidenter minus est graviter illicita, & invalida, quia ad talem commutationem non datur potestas in commutante, nisi possit simul dispensare in voto; diximus enim habentem facultatem dispensandi posse admiscere aliquam commutationem, imo ita congruentius semper fieri opportere. Quando dubitatur, an commutatio fiat in minus, valida, & licita est cum causa; quia moraliter, non mathematice procedere tenemur.

159. Inq. 4. Quomodo commutanda sint vota per Bullam, aut jubilæum? R. Primo ante omnia Bullæ, aut jubilæi verba accurate inspici debent, ut juxta illorum tenorem, & non aliter commutatio fiat. Deinde inter Bullam Cruciatæ, & jubilæum scias triplex adesse discrimen. *Primo* enim per jubilæum, ut communiter fertur, commutari valent omnia vota etiam triplicis peregrinationis, excepto castitatis, & religionis; per Bullam vero nequit commutari peregrinatio ad Hyerosolimam. *Secundo* per jubileum commutatio fieri potest in alia pia opera pro arbitrio prudentis Confessarii, per Bullam autem probabilius deber fieri in subsidium temporale Cruciatæ. *Tertio* apponenti diligentias pro lucrando jubilæo possunt, eo transacto, commutari vota; quod nequit fieri virtute Cruciatæ, transacto anno ejus publicationis. Vota excepta in jubilæo, aut Bulla, nequeunt eorum virtu-

tute commutari, etiam in casu necessitatis; nec similiter vota emissa in favorem tertii, & ab isto acceptata, quia supra talia vota nullam concedunt facultatem, nec aliquis illam habet præter summum Pontificem ex gravissima causa.

160. R. Secundo: in commutatione voti peregrinationis perpendi debent tum labores itineris, tum expensæ accessus, & redditus, tum pericula, incommoda, detentio, & damna rei familiaris, si forte sequantur, tum etiam expensæ, quas domi facturus erat, & iis deductis, si per Bullam fiat commutatio, debet reliquum, quod in itinere expensurus esset, in subsidium Cruciatę tribuere, insuper aliquid amplius pro periculis, mora, & labore itineris, Missas autem, si quas promissit, valet aut illuc, si commode potest, vel hic curare, ut celebrentur. Si commutatio fiat virtute jubilæi, aut alterius legitimæ facultatis, omnia possunt commutari in pia opera spiritualia, vel corporalia secundum prudens judicium commutantis, servata ęqualitate morali, ut dictum est.

161. Inq. 5. An commutatio voti debeat fieri intra confessionem? R. sub distinctione: nam Episcopi, & qui gaudent jurisdictione ordinaria, valent eam facere intra, vel extra confessionem: delegati autem juxta præscriptum in delegatione. Cum igitur in hac semper, vel fere semper exigatur confessio, ut patet in privilegiis regularium, in Bulla cruciatæ, & in jubilæis, facienda est intra confessionem. Bened. XIV. in Bulla *Inter præteritos* præscripsit commutationes, & absolutiones a censuris, & aliis pœnis canonicis ratione jubilæi debere conferri intra confessionem. Fateor videri, quod aptius, ac forsan maturius posset fieri extra, sed cum aliud jubetur, obedire debemus. Confessarius gaudens facultate, & rogatus pro commutatione peccat, si absque causa renuat.

162. Inq. 6. An facta legitima commutatione possit vovens redire ad priorem materiam? R. negative: quia legitima facta commutatione, & acceptata, jam est aliud votum, vel prius sub alia obligatione, quam propria authoritate nequit vovens mutare. Ex quo deducunt communiter authores, quod si materia subrogata fiat impossibilis, non tenetur vovens ad priorem. Unde sive commutatio legitima sit facta in melius, sive in æquale, non potest vovens ad priorem redire. Si autem facta sit in minus per dispensationem, dicunt posse redire: sed revera deberent dicere posse quidem iterum vovere; verum redire ad priorem, non bene intelligitur, quia votum per commutationem mixtam cum dispensatione, extinctum vere est quantum ad priorem materiam, ergo non est in potestate voventis facere absque novo voto, ut illa reviviscat. Si autem facta, & admissa commutatione, iterum voveat priorem materiam, verius est teneri ad utramque, nempe ad priorem, & ad commutatam.

Punctum VI.

De cessatione voti per finis cessationem, impotentiam, & condonationem.

163. Inq. 1. An cessante causa, seu fine cesset obligatio voti? R. cessante causa finali motiva proxima cessat votum: quia illa cessante, cessat voti materia; hæc enim solum promittitur in quantum conducit ad assequendum finem intentum: ut si promittas non intrare talem domum ad vitandum periculum ob mulietem ibi habitantem, hac mortua, vel alio eunte, cessat votum, quandiu illa abest; si autem domum eandem reverteretur, revivisceret votum; quia causa ejus regreditur. Verum per cessationem causæ impulsivæ minime cessat votum, ut si promittas eleemosynam pauperi bene morato, teneris ad illam, licet postea talis non foret, nisi ex eleemosyna sumeret occasionem ad vitia.

164. Inq. 2. An per mutationem rerum supervenientem cesset obligatio voti? R. superveniente rerum mutatione notabili, & manifesta, potest cessare votum: quia, supposita tali mutatione, jam materia voti est diversa, erg. ad illam vovens non tenetur. Ut si promittas inservire per aliquos annos huic hospitali, si ibi superveniat pestis, non teneris, nisi ad hoc etiam expresse te ligasses, aut locus huic infirmitati plerumque obnoxius

xius sit. Cæterum, esto superveniat aliqua mutatio, quam si prævidisses, non voveres, tenet votum; alias cum res humanæ continuæ mutationi subjiciantur, vix contractus, promissiones, aut alia pacta firma essent, ideo licet aliquis professione emissa jus ad Regnum acquireret, teneret professio. Solum igitur illa mutatio superveniens irritat votum, quæ juxta prudentum judicium materiam voti diversam constituit.

165. Inq. 3. An per impotentiam voventis cesset votum? R. affirm. sive impotentia physica, sive moralis superveniat. Ut si promittas tali die audire sacrum, & infirmaris, aut in carcere detineris, in quo casu cessat obligatio voti ob impotentiam physicam: vel si non vales audire sacrum absque gravi periculo vitæ, honoris, aut famæ, liberaris a voto ob impotentiam moralem.

166. Inq. 4. An votum, vel juramentum emissum in utilitatem alterius cesset per ejus condonationem? R. si fiat principaliter in ejus utilitatem, cessat votum, aut juramentum, ut si alicui promittas, vel jures te ei personaliter serviturum, aut daturum pecuniam, per ejus condonationem cessat, & absolvitur votum, aut juramentum. Si autem principaliter in honorem Dei alteri promittas, aut jures aliquid facturum, non cessat votum, aut juramentum per ejus condonationem, ut si jures fratri te ingressurum religionem principaliter in Dei obsequium, & etiam, ut ille in majoratu succedat, quia in hoc casu, & similibus promissum non pertinet principaliter ad eum, sed ad honorem Dei, qui illud acceptavit. *Ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2.*

TRACTATUS DUODECIMUS

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

POstquam egimus de voto, statim agendum venit de juramento, quod est alius actus religionis, quo assumitur nomen Dei ad confirmandam veritatem, & pertinet ad secundum Decalogi præceptum. Notitia ejus valde necessaria est omnibus, præcipue Confessariis propter nimiam frequentiam jurandi: utinam non esset etiam perjurandi! Agit D. Thom. de juramento decem articulis immediate post votum 2. 2. *q.* 89.

CAPUT I.

De juramento.

PUNCTUM I.

Nomen, natura, & divisio juramenti.

1. Inq. 1. Unde dicatur juramentum? R. a jure: quia jure introductum est, ut quod invocatione Dei asseritur, pro vero habeatur. Dicitur etiam *jusjurandum* pluries in sacra pagina, & aliquoties *sacramentum* in jure canonico appellatur, quatenus est quædam contestatio facta per aliquid sacrum, nempe divinum testimonium, ex quo *sacramentum* largo modo dicitur. Quomodocumque vero nuncupetur, unum, & idem est juramentum, cujus naturam, divisionem, comites, & alias conditiones per sequentia puncta discutiemus.

2. Inq. 2. Quid sit juramentum? R. est *invocatio divini nominis ad fidem faciendam*: ponitur loco generis *invocatio*, in qua convenit juramentum cum oratione, a qua differt per sequentes particulas *ad fidem faciendam*. Invocatio hæc fieri potest, vel solum mente interius jurando, vel ore exterius proferendo, vel nutu interroganti annuendo, vel facto tangendo Evangelia, aut alium librum, putans Evangelia continere. Dupliciter potest invocari divinum testimonium, vel expresse dicendo: *juro per Deum*, vel implicite, seu tacite, quando juratur per creaturas nobiliores, ut per beatam Virginem, per Angelos, aut sanctos, per cœlum, terram, aut animam rationalem, quatenus Deus in eis splen-

splendet : per alias autem creaturas inferiores, ut per muscas, capillos, & similes non est juramentum. Quæ autem sint creaturæ, per quas vere juratur, & quæ non, difficile est assignare certam regulam; quare ex usu, aut acceptatione communi, & intentione jurantis plurimum pendet, ut puncto sequenti fusius dicemus.

3. Ex dictis sequitur juramentum esse actum religionis, & *latriæ*, quia jurans protestatur reverentiam Deo debitam per invocationem sui nominis ad fidem faciendam, esseque summe veracem, quod pertinet ad latriam: ut autem verum adsit juramentum, exigitur voluntas libera, & intentio jurandi, quia est actus humanus exigens a voluntate libera procedere; unde sicut vovens sine animo vovendi verum votum non elicit, ita jurans sine animo jurandi non emittit verum juramentum, esto assumat nomen Dei in vanum, & hac de causa peccatum committat.

4. Inq. 3. Quotuplex sit juramentum? R. juramentum dividi ex parte materiæ in *assertorium*, seu *contestatorium*, *promissorium*, *comminatorium*, & *execratorium*. *Assertorium* est *assertio divino testimonio confirmata : ut juro hodie esse diem festum, vel heri fuisse sabbatum. Promissorium* est *promissio divino testimonio confirmata*: ut *juro me tibi daturum centum aureos*. Hoc juramentum duplicem habet ex se veritatem, prima de presenti, quæ est intentio adimplendi: secunda de futuro, quæ consistit in executione promissionis. Assertorium autem unam tantum habet veritatem, nempe de præsenti, aut præterito. *Cumminatorum* est *comminatio divino testimonio confirmata*, ut jurans infligere aliquam pœnam. Hoc etiam juramentum duplicem habet veritatem, sicut promissorium. *Execratorium* est *execratio divino testimonio confirmata*. Hoc juramentum potest esse assertorium, promissorium, aut comminatorium. Erit assertorium, quando fit de re præsenti, aut præterita, ut dicens: *Diabolus me arripiat, si verum non dico, aut heri non dixi.* Erit promissorium, dum fit promittendo; *ut peream, si tibi librum non dedero.* Erit *comminatorium*, cum fit minando pœnam a se infligendam, ut *peream, si non sumpsero de te vindictam.* Hoc dicitur execratorium implicitum; explicitum autem, si dicas: *Deus me perdat, si vindictam de te non sumpsero*, quia in isto explicite, in illo vero implicite Deus, ut testis, & judex invocatur. Distinguuntur ergo juramentum promissorium, comminatorium, & execratorium in eo, quod promissorium est de re, quæ placet alteri, comminatorium est de re, quæ displicet alteri, & execratorium de re, quæ displicet sibi.

5. Ex parte formæ dividitur juramentum in *simplex*, & *solemne*. *Solemne* est, quod fit cum aliqua solemnitate a jure, vel consuetudine præscripta, ut Evangelia tangendo. *Simplex* est, quod fit a quolibet privato sine ulla solemnitate; deinde dividitur in *judiciale*, & *extra judiciale*. *Judiciale* est, quod fit in judicio, vel coram judice, & est multiplex, ut juramentum calumniæ, seu malitiæ, suppletorium, purgatorium, necessarium, & alia, quæ, quia non sunt nostri instituti, missa facimus. *Extrajudiciale* est juramentum privatum emissum extra judicium. Dividitur etiam in *reale*, *verbale*, & *mixtum de reali*, & *verbali*. *Reale* est, cum juratur tangendo crucem, aut Evangelia : *verbale*, quod fit tantum verbis; *mixtum* autem, quod fit simul verbis, & tactu crucis, aut alterius rei sacræ. Denique dividitur in *absolutum*, *conditionatum*, *personale*, *reale*, *pœnale*, *mixtum de reali*, & *pœnali*, *reservatum*, & *non reservatum*, quæ omnia constat ex dictis de voto.

6. Inq. 4. An omnia juramenta sint ejusdem speciei? R. in ratione juramenti omnia sunt ejusdem speciei: quia ratio formalis juramenti consistit in adducere Deum in testem, vel in invocatione divini testimonii ad fidem faciendam; sed omnia conveniunt in hac ratione formali, ergo omnia sunt ejusdem speciei. Contingit autem, quod in eodem juramento reperiantur aliæ malitiæ specie diversæ, ut blasphemia, inobedientia, injustitia, & aliæ plures : Nam qui in judicio legitime interrogatus celat veritatem cum præjudicio proximi, triplex peccatum committit, nempe contra religionem juramenti, contra obedientiam

ju-

judicis, & contra justitiam proximi. In quolibet etiam juramento execratorio triplex malitia specie diversa reperitur, nam dicens ex animo, *cœlum mihi deficiat, si tibi malum grave non inferam*, peccat primo contra justitiam desiderans proximo malum grave: secundo contra religionem, quia est juramentum de re mala gravi: tertio contra propriam charitatem, imprecando sibi cœlum deficere. Similiter, quia jurans blasphematur, *ut juro per vitam Dei*, peccati blasphemiæ reus esset.

Punctum II.

De diversis verbis, vel formulis, quibus juramenta fieri solent.

7. Inq. 1. An requirantur determinata verba ad emittendum juramentum? R. neg. quia per quæcumque verba nomen Dei tacite, vel expresse invocetur ad confirmandam veritatem, sufficit ad juramentum. Nihilominus omnia verba, seu formulæ, quibus juramenta communiter fiunt, ad tres classes reducuntur. In prima collocantur illa verba, quæ secundum communem usum, & acceptationem pro juramento accipiuntur, & juramentum constituunt; ideoque nisi manifeste constet de contraria intentione proferentis, in omni foro pro juramento habentur. In secunda sunt verba, quæ communi acceptione juramentum non efficiunt, nisi proferens declaret se illis verbis jurare voluisse. In tertia continentur verba ambigua, seu indifferentia, quæ aliquando juramentum præseferunt, aliquando non. Unde ex modo, & intentione loquentis judicandum erit, quando ut juramenta habenda sint. Pro majori luce sequentia exempla deservient.

8. Primi generis sunt ista: *juro per Deum: testis est mihi Deus: testem invoco Deum vivum: sicut credo in Deum, ita est: juro per fidem Dei: per fidem Christi*; similiter *juro per meam vitam: per animam meam: per salutem meam: per cœlum: per terram: per templum Dei: per habitum B. Virginis*. Quia in his omnibus Deum peculiariter elucere, & invocare communi consuetudine est receptum. Idem de istis: *sic Deus me adjuvet: Dæmon me arripiat: statim moriar, si ita non est*: Hæc apud omnes sunt juramenta execratoria, & faciunt hunc sensum: *Si non est verum, quod assero, Deus, quem in testem invoco, non me adjubet, Dæmoni tradat, vita privet.* Pariter sunt juramenta *voveo Deo ita esse: ego promitto tibi Deo*: Hispane *voto a Dios, yo le prometo a Dios*: Quia licet in rigore potius sint vota, quam juramenta; tamen communi usu, & acceptatione pro juramento habentur. Hæc formula *vivit Deus, vivit Dominus, quod hoc ita est, aut erit*: verum constituit juramentum, ut constat ex variis locis sacræ paginæ.

9. Secundi generis sunt: *per fidem meam: in fide mea: in fide boni viri: per fidem viri probi: in rei veritate*: idem dicunt communiter authores de istis: *in mea conscientia: per meam conscientiam: per fidem boni Christiani: in fide Christiani, religiosi, aut sacerdotis.* Nihilominus abstinendum est ab eorum prolatione, quia juxta aliquos juramentum constituunt; sicut qui diceret absolute: *jure me hoc facturum*, vel *hoc ita esse*; plures etiam sentiunt juramentum esse dicere: *per vitam mei equi: per conservationem hujus arboris, aut alterius rei inanimatæ.* Verum dicere: *juro per decem: juro per meam barbam: per memetipsum, vel juro por vida de quanto puedo jurar*, non est juramentum. Quia per nihil censetur jurare, cum per nihil jurare possit absque veritate, & necessitate. Dicens *juro per istam crucem*, cruce non signata, vel formando circulum, aut triangulum juramentum non emittit. Si autem diceret absolute: *juro per crucem Christi*, abs dubio juraret.

10. Tertii generis sunt: *Deus scit: Deus videt hoc ita esse: coram Deo ita est.* Nam talia verba, si proferantur invocative, vel animo adducendi divinum testimonium, sunt juramenta; non autem, si enunciative sumantur. Dicere: *occidar, interficiar, amputentur mihi aures, si ita non est* per modum execrationis sunt juramenta: quia faciunt hunc sensum: *Deus, quem testem invoco, mihi infligat talia mala, si ita non est.* Cæterum communiter non pro juramentis, sed pro quadam sponsione sumuntur.

Idem est de istis : *sim nequam , mendax, infidelis , hæreticus , aut fur , si ita non est* : quia non invocat Deum in testem, sed solum illi malæ opinioni se submittit , si falsum asserere reperiatur. Idem dicas de his formulis : *tot Angeli tollant animam meam , quot vicibus hoc feci : melius me Deus servet , adjuvet , aut foveat* : quia regulariter non execrative, sed optative dicuntur.

11. Hæc forma : *hoc verum est , sicut Evangelium , vel tam verum est , quam Deus existit* , vel *quam Christus est in Eucharistia* : si loquens intendat significare æqualitatem certitudinis , est blasphemia ; non tamen reputatur communiter juramentum , nisi per illa verba intendat quis adducere Deum in testem. Si quis tædio affectus dicat , *per Deum*, nihil affirmans , aut negans , esto peccaret nomen Dei assumens in vanum , non tamen juraret. Hæc omnia , & similia plurimum pendent ex communi consuetudine , acceptatione , & intentione , qua verba proferuntur.

Punctum III.

De requisitis ad licitum juramentum.

12. An juramentum sit licitum ? R. juramentum tribus comitibus emissum est laudabile , honestum , & licitum. Constat *Psalm. 62. Laudabuntur omnes, qui jurant in eo* , & ex aliis locis sacræ paginæ ; sicut etiam ex pluribus exemplis sanctorum veteris , & novi testamenti ; & denique ex jure canonico in *titulis de jurejurando , & de testibus*. D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 2. probat hanc veritatem catholicam , tum ex origine , quia juramentum est introductum per fidem , qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem : tum ex fine , quia juramentum inducitur ad firmandum homines in promissis , & ad controversias finiendas.

13. Objic. *Matth.* 5. prohibet Dominus jurare ; & Jacobus Apostolus in sua canonica *cap.* 5. dicit : *Ante omnia fratres mei , nolite jurare , neque per cœlum , neque per terram , neque aliud quodcumque juramentum* , ergo hoc non est licitum. R. Christum Dominum , & D. Jacobum solum reprobare facilitatem jurandi : quia nemo frequenter jurat , quin aliquando perjuret. Juramentum autem emissum cum triplici comite est actus religionis , proindeque honestus , & licitus. Nihilominus sermo Christianus debet esse sincerus , & simplex ad normam Evangelii : *est , est , non , non* ; quando autem hoc non sufficit , & necessitas cogit , additur juramentum , ut medicina humanæ incertitudinis ; qua ratione dicit Dominus, quod juramentum *a malo est*.

14. Inq. 2. Quot sint comites juramenti ? R. Sunt tres , nempe , *veritas, justitia* , & *judicium* : juxta illud *Jerem.* 4. *Jurabis , vivit Dominus , in veritate, judicio , & justitia. Veritas* juramenti consistit in eo , quod quis juret rem , prout habet in mente , vel arbitratur esse. Hæc est veritas substantialis omnis juramenti: in promissorio autem , executio promissionis dicitur secunda veritas. *Justitia* consistit in eo , quod res jurata sit licita , & honesta , non prava , aut impossibilis. *Judicium* in eo , quod fiat cum discretione , causa , & necessitate.

15. Inq. 3. An jurare falsum in materia levi sit peccatum mortale ? R. affirm. Constat ex propos. 24. proscripta ab Innoc. XI. *Vocare Deum in testem mendacii levis , non est tanta irreverentia , propterquam velit , aut possit damnare hominem.* Ratio est , quia adducere Deum in testem falsitatis est gravissima irreverentia , etiam in re levi ; imo quanto levior res est, tanto gravior est irreverentia, culpa , & malitia : qua ratione in veritate substantiali juramenti non datur parvitas materiæ , nisi ex indeliberatione, aut inadvertentia. Nec joci causa jurare minuit culpam , quia gravius peccat, & derogat Dei honori sic jurans , assumendo nomen divinum in testem falsitatis sola joci causa , quod est gravissima irreverentia.

16. Inq. 4. An qui rem dubiam jurat ut certam , peccatum grave committat? R. affirm. quia sic jurans revera mentitur , vel asserendo rem dubiam , ut certam , vel certam , ut dubiam. Idem est de jurante absolute , animo dubio adimplendi rem juratam , & de quocumque jurante rem aliter , ac habet in mente. Jurans vero in sensu hiperbolico non peccat graviter, quia in eo sensu verum profert,

fert, ut qui juraret, *Petrum divitem infinitas possidere divitias : amore infinito se aliquem diligere* : quia hæc, & similia intelliguntur indicare excessum in divitiis, aut amore, & hiperbolice dici per exagerationem. Abstinendum tamen est a similibus, etiam absque juramento proferendis, quia ut diximus, sermo Christianus debet esse purus, ac simplex.

17. Inq. 5. An possit exigi juramentum ab eo, qui prævidetur falso juraturus ? R. nemini ut personæ privatæ hoc est licitum : quia persona privata cooperaretur ad perjurium alterius ; tamen ut Judex ad instantiam partis exigere potest, quia ordo, & officium judicis id postulat. Si autem ignores, aut dubites, an alius juraturus sit falsum, potes exigere ab eo juramentum, quia in dubio nemo præsumitur malus, & potest esse utile ad recuperandum, quod aliter non valet, nisi medio juramento.

18. Objic. 1. Licitum est petere juramentum a Pagano juraturo per Deos falsos. *Secundo* licet exigere, necessitate cogente, pecuniam a parato illam dare sub usuris, ergo similiter, justa necessitate recuperandi debitum, licitum erit petere juramentum a parato jurare falsum. R. *Ad primum*, quod in juramento per falsos Deos intenditur veritatis confirmatio, quod quidem assequimur in juramento Pagani, non autem in juramento aperte falso. *Ad secundum*, quod in petitione pecuniæ intendimus necessitati succurrere, quod non fit per juramentum cognitum ut falsum, ex quo nulla utilitas oritur. Agnoscimus validas instantias, quæ militant contra solutionem : sed ita debemus sentire, quia est doctrina expressa D. Thom. qui cum D. Aug. illam docet 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *ad* 8. ubi ait : *Quod licet malo uti propter bonum, sicut, & Deus utitur ; non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus, qui per falsos Deos jurare paratus est, juramentum recipere.... Alia tamen ratio videtur esse in eo, qui per verum Deum falsum jurat.*

Punctum IV.

De animo, & certitudine requisitis ad juramentum.

19. Inq. 1. An requiratur animus jurandi ad juramentum ? R. affirm. Quia juramentum est actus humanus inducens obligationem, ergo requirit animum, & consensum voluntatis. Hoc astruitur a Concina *lib.* 5. *in Decal. Dis.* 2. *cap.* 4. *n.* 7. his verbis : *juramentum pendere ab intentione jurantis, adeo ut necessaria sit intentio, seu voluntas jurandi, ut juramentum obligationem pariat, certum est apud omnes : quia actiones humanæ, quæ pariunt obligationem, consensum requirunt voluntatis ; qui consensus non datur ab eo, qui positive nolit illum dare.* Sed *n.* 17. oppositum mordicus defendit, asserens juramentum deliberatum sine animo jurandi esse verum juramentum : quod utique implicatorium videtur, quia vel requiritur animus jurandi ad juramentum, vel non ? Si primum, implicat juramentum absque animo jurandi. Si secundum, opponitur communi sensui Theologorum, & sibi ipsi, ut ex ejusdem verbis proxime relatis patet.

20. Si diceret jurantem absque animo jurandi jurare in foro externo, & apud homines, nullum haberet adversarium : quia apud homines, qui non vident cor, verum creditur elicuisse juramentum, & ita obligat in foro externo ; cæterum in foro interno, de quo loquimur, repugnat verum juramentum absque animo jurandi. Insuper ex opinatione Concinæ, non levia absurda secuntur : sequitur enim, quod Sacerdos, qui deliberate posfert verba consecrationis, absolutionis, aut baptismi absque animo, & intentione efficiendi sacramentum, vere consecrat, absolvit, & baptizat : qui profert verba officii divini absque animo recitandi, vere recitat : qui profitetur solis verbis cum voluntate contraria profitendi, vere professus manet, & sic de aliis, quæ omnia sunt error intolerabilis in sana Theologia.

21. Inq. 2. An sit licitum jurare absque animo jurandi ? R. ex nulla causa hoc esse licitum. Constat ex propos. 25. dam-

damnata ab Innoc. XI. *Cum causa licitum est jurare, sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Imo jurare falsum sine animo jurandi, etiam in re levi, est peccatum mortale: quia nomen Dei graviter prophanatur per fictam ejus invocationem. Eadem ratione jurare verum sine animo jurandi in materia gravi est peccatum lethale, quia illuditur nomen Dei absque causa, & est gravis deceptio humanæ societatis: in materia autem levi solum intervenit quædam inordinatio, quæ supposita veritate, levem culpam constituit.

22. Inq. 3. An jurans absque animo se obligandi maneat obligatus? R. primo, quod jurans absque animo jurandi, aut se obligandi tenetur ad juramentum implendum, dum ex violatione sequitur alterius damnum, aut scandalum: quia quilibet tenetur cavere, ne suis verbis, aut actionibus sequatur damnum, aut scandalum alterius. Ideo jurans absque animo jurandi, aut se obligandi puellæ matrimonium pro usu corporis, hoc assecuto, tenetur ad matrimonium, non solum ratione damni illati, sed etiam ad tuendum divinum honorem, ubi creditur fuisse vere invocatum; alias ex opposito non parvum tribueret scandalum.

23. R. 2. Inintelligibile videri nolle se obligare, & velle serio jurare, sicut nolle se obligare ad professionem, & velle serio profiteri; qua ratione diximus tract. præcedenti *num.* 16. voventem absque animo se obligandi, non vere, sed ficte vovere. Qui ignoranter putaret posse vere jurare, quin contrahat obligationem, & juraret expresso dissensu ad illam, nullum emitteret juramentum, quia contractus ex errore circa substantialia est nullus. Qui vero ignorans obligationem juramenti juraret intendens facere, quod alii faciunt, maneret obligatus, quia virtualiter vellet obligationem. Tandem si quis stupidus vellet serio jurare, & adducere Deum in testem absque animo se obligandi, teneretur ad implendum, quod serio juravit, propter reverentiam juramenti, & quia promissio vera adimpleri debet juxta dicta *loco citato.*

24. Inq. 4. Quæ certitudo sit necessaria ad jurandum? R. non sufficere illam certitudinem, quæ est sufficiens ad honestandum actus humanos, sed requiri ampliorem per rationes, & fundamenta gravissima, quæ nos certos reddant de re juranda: quia ad honestatem actus humani sufficit opinio probabilior, sed ad jurandum hoc esse verum, exigitur major certitudo. Possum enim prudenter judicare verum id, quod opinor probabilius; nequeo autem jurare absolute illum esse verum, sed mihi ita videri; & hoc est propter periculum magnum, & propter Dei magnitudinem, cujus testimonium in juramento invocatur: inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 3. *ad* 3.

23. Unde ad jurandum rem ut veram, sive in judicio, sive extra judicium, non sufficit illam audire a persona quantumvis fide digna, nec hoc potest consuli, sed jurandum est, prout rei notitia habetur: hoc est, si scis ex auditu debes jurare te audivisse, vel scire ex auditu; si scis ex visu, te vidisse. Ex quo sequitur, quod si Petrus debeat centum aureos Joanni, & iste certiorem te faciat veritatis debiti, non potes jurare verum esse tale debitum, sed tibi verum videri, aut te audivisse esse verum. Pariter si scholasticus egeat tuo juramento ad probandum cursum, cui recte interfuit, sed non vidisti illum interesse, esto alibi tibi de veritate notitiam præbeant, non potes jurare ipsum interfuisse, sed verum tibi videri. Si autem illum pluries, aut frequenter vidisses scholis adstitisse, licet non quotidie, poteris jurare communem ejus assistentiam; neque amplius exigitur ad cursum probandum.

Punctum V.

De justitia, & judicio juramenti.

26. Inq. 1. An defectus justitiæ in juramento sit peccatum grave? R. 1. defectus justitiæ in materia levi, sive in juramento assertorio, sive in promissorio est peccatum leve. Ut si jures te heri leve mendacium protulisse, vel aliquod malum leve commissurum, aut facturum aliquid contra consilia evangelica: quia per hæc, & similia, supposita veritate, non gravis irreverentia Deo irrogatur; non enim juramentum cadit supra rem

ut

ut malam, sed ut veram, & alias est levis: erit ergo duplex peccatum veniale in juramento promissorio, aliud ob pravum propositum faciendi malum leve, aliud ob juramentum male elicitum. Similiter adimplens juramentum rei venialis, regulariter committit peccatum leve, quia ut in plurimum procedit quadam vulgari ignorantia, quia existimat tale juramentum esse observandum. Si autem pertinaciter teneret debere observare talia juramenta, blasphemiam practicam abs dubio committeret, intendens adducere Deum ad pravitatem approbandam. Vid. tract. præced. n. 47.

27. R. 2. defectus justitiæ, sive in juramento assertorio, sive in promissorio in re gravi est peccatum lethale: quia apud omnes materia juramenti debet esse licita, aut honesta, ergo si est graviter mala, juramentum evadit graviter malum, & consequenter grave peccatum. Unde confirmare juramento gravem detractionem contra proximum, esto veram, vel propriam culpam lethalem, etiam veram, gravis irreverentia divini nominis est. Hæc sententia quoad detractionem, seu infamiam alterius juramento confirmatam ab omnibus amplectitur: quoad propriam autem culpam communior est inter Thomistas.

28. Inq. 2. An defectus judicii in juramento sit grave peccatum? R. quod regulariter solum est peccatum leve, consistit enim defectus judicii in jurando absque causa, aut necessitate: quod quidem, supposita justitia, & veritate, tantum est culpa venialis. Sex causas ad jurandum assignat D. Thom. *in Ep. ad Hebr. lect.* 4. *cap.* 6. videlicet: *Prima*, pro pace firmanda. *Secunda*, pro fama conservanda. *Tertia*, pro pignore fidelitatis. *Quarta*, pro obedientia præstanda. *Quinta*, pro securitate adhibenda. *Sexta*, pro veritate attestanda. Numquam est licitum juramentum absque aliqua ex his causis: numquam autem ex defectu solius causæ est grave peccatum; nisi ex nimia facilitate jurandi incurratur periculum pejerandi, tunc enim propter temeritatem, & periculum pluries est mortale. Ideo Confessarii severe corripiant frequenter jurantes, licet falsum non jurent; quia nomen Dei sanctum, & terribile solum cum reverentia invocandum est. Si defectus judicii sit in inquisitione veritatis, erit gravis, aut levis juxta qualitatem negligentiæ; licet hoc potius sit defectus veritatis, quam judicii, ad quod proprie solum attinet perpendere utilitatem, causam, aut necessitatem juramenti.

29. Ex dictis patet prorsus esse improbanda juramenta quorumdam hominum, qui vulgo dicuntur *Fracmasones*, aut *Muratorii*, utpote aliena ab omni justitia, & judicio requisito in juramento. Contendunt enim sacramento juramenti se tueri ad nulli manifestandum, quæ in eorum conventiculis aguntur, ut constat ex Constit. Clem. XII. quæ incipit: *In eminenti*. Et ex altera Benedict. XIV. an. 1751. prioris confirmatoria, cujus initium est: *Providas Romanorum Pontificum*; in quibus justissime proscribuntur illorum societates, & conventicula secreta sub excommunicatione latæ sententiæ Pontifici reservata. Colligitur etiam non scite quendam recentiorem scripsisse, illos esse entia rationis solum objective existentia, quoniam summos Præsules non credimus contra entia rationis unquam fulminasse sententiam excommunicationis, aut aliam censuram ecclesiasticam.

30. Inq. 3. An aliquando sit obligatio jurandi? R. adest in duplici casu, nempe quando a Superiore legitimo exigitur juramentum, & quoties necessarium est ad subveniendum proximo, vel sibi. In primo obligat ex obedientia. Unde si legitime jussus renuas jurare, peccas graviter contra obedientiam Superiori debitam. In secundo obligat ex charitate: quia lex charitatis præcipit subvenire sibi, vel proximo modo licito, & præsertim facili, quale est juramentum. Non tamen teneris ad restitutionem damni secuti ex omissione: quia supponitur te non teneri ex justitia ad jurandum. Ex dictis sequitur, quod perjurare est *adducere Deum in testem sine veritate, justitia, aut judicio*: licet propriissime perjurium sit: *adducere Deum in testem falsitatis.*

PUNC-

Punctum VI.

De veritate juramenti promissorii.

31. Inq. 1. An qui non habet animum adimplendi juramentum promissorium sit perjurus ? R. affirm. quia jurans absque animo adimplendi est mendax , emittitque falsum juramentum , in quo non est parvitas materiæ , nisi ex imperfecta deliberatione. Unde sicut in juramento assertorio graviter peccat , qui rem dubiam ut certam jurat , ita in promissorio mortale committit jurans animo dubio adimplendi , vel credens se non posse implere , vel non habens rationem validam possibilitatis adimplendi. In juramentis autem , quæ causa urbanitatis fiunt , de non ingrediendo , aut sedendo prius altero , sufficit habere animum conformem sensui , in quo talia proferuntur : nempe quantum ad me attinet , vel quantum est in me , non prius ingrediar , non prius sedebo. Cavendum est autem omnino ab his juramentis , quibus urbanitas Christiana ad sui nitorem minime indiget.

32. Inq. 2. An defectus secundæ veritatis in juramento promissorio sit grave peccatum ? R. *Primo* , quod omissio adimpletionis juramenti promissorii in materia gravi est peccatum mortale : quia gravis Deo irrogatur injuria violando promissionem gravem suo nomine confirmatam. Hoc apud omnes est compertum; præcipua autem difficultas versatur circa materiam levem secundæ veritatis , vel circa adimpletionem promissionis in materia levi. Pro qua aliqui distinguunt dicentes , quod omissio totalis est peccatum grave , ut si jurasti recitare *unum Ave Maria* , & omittis , peccas graviter. Si autem omissio sit partialis , dicunt non excedere culpam venialem , ut si jurasti recitare rosarium , & omittis solum prædictam salutationem , peccas leviter. Sed hæc distinctio ut inutilis rejicitur ab aliis.

33. R. igitur *Secundo* defectum veritatis secundæ in materia levi sive totali , sive partiali non esse peccatum grave perjurii. Prob. rat. quia promittens juramento rem futuram solum adducit Deum in testem veræ promissionis animi , & intentionis adimplendi , ergo supposita veritate promissionis , animi, & intentionis , esto postea omittat , non est mendax , sed infidelis ; quia mendacium juramenti proprie consistit in prolatione opposita menti , aut intentioni: qua ratione jurans absque intentione adimplendi , licet postea adimpleat , vere mendax fuit , ergo econtra promittens vera intentione adimplendi , non adducit Deum in testem mendacii , & consequenter omittens materiam levem , non irrogat ei gravem injuriam.

34. Confirmatur 1. quia mendacium est contra præceptum negativum non mentiendi : sed omissio materiæ juratæ non est contra præceptum negativum, sed contra affirmativum adimplendi , ut ex se patet , ergo non est mendacium formale , sed infidelitas ; alias ex nulla causa posset omitti , nec dispensari promissio jurata , ut ex se patet , & dicemus infra num. 89.

35. Confirmatur 2. Vere promittens animo adimplendi , si postea non adimpleat , *non mentitur* , sed *infideliter* agit, ut dicit D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 5. ergo similiter jurans animo adimplendi, & non adimplens , est infidelis , sed non mendax. En verba Angelic. *Ad quintum dicendum , quod ille , qui aliquid promittit , si habeat animum faciendi , quod promittit , non mentitur : quia non loquitur contra id , quod gerit in mente. Si vero non faciat , quod promisit , tunc videtur INFIDELITER agere.*

36. P. Concina miratur D. Thomam adduci posse loco citado ad intentum: quia inquit , Angelicus in ea non loquitur de juramento , sed solum de promissione. Verum absque causa miratur Concina , quia revera locus laudatus , ubi agit Angelic. de promissione , optime probat intentum. Quid enim est juramentum promissorium , nisi promissio jurata? Numquid per juramentum promissio suam amittit naturam ? Nonne juramentum sequitur naturam actus , cui adheret ? Hac ratione juramentum promissorium admittit easdem exceptiones , conditiones , & extensiones , quas promissio , vel contractus , cui adjungitur. Omnia sunt comperta , ergo si non mentitur , vere promit-

mittens in omissione adimpletionis, utique idem est de promissione jurata. Differentia solum stat in eo, quod promissio simplex tantum obligat ex virtute fidelitatis, jurata vero etiam ex virtute religionis; ideo plus obligat hæc, quam illa; in ordine autem ad mendacium, aut veritatem nulla est differentia. Nec Angelicus aliud dicit in responsione objectionis *art.* 7. nisi quod ad veritatem promissionis juratæ requiritur firmior animus, quam ad veritatem simplicis promissionis, quod est verissimum.

37. Propterea agnoscens Concina nihil sibi juvare prædictam authoritatem, recurrit ad corpus articuli, ubi Angelicus dicit, quod, si non ponatur res promissa, *deest veritas* in juramento: sed nec hoc evincit suam positionem, quia in primis Angelicus, & alii PP., quos adducit, locuntur de juramento ex genere suo, vel de juramento ut sic, quo pacto a nemine dubitatur obligare graviter ad sui adimpletionem.

38. Deinde respondetur, quod deest veritas *rei*, non veritas *mentis*, hæc est indivisibilis, non admittens parvitatem materiæ; illa divisibilis est, & parvitatem materiæ admittit: quod ipse Concina fatetur *diss.* 6. *cap.* 1. *n.* 10. dicens *jurantes quandoque mortaliter, quandoque venialiter peccare*, si negligant defendere statuta communitatis, ergo adimpletio rei juratæ admittit parvitatem materiæ. Nequit non concedere consequentiam: qua præcise concessa, cogitur explicare ly *deest veritas* de veritate rei; nam veritas mentis non admittit parvitatem. Igitur in omissione executionis rei levis juratæ non deest veritas substantialis constitutiva juramenti: constituitur enim formaliter juramentum verum, aut falsum, non per aliquid futurum, sed per mentem, intentionem, & prolationem præsentem, ut statim videbimus ex Angelico.

39. Dices: ergo juramentum promissorium non differt ab assertorio. R. disting. conseq. Non differt *in veritate formali*, conc. conseq. *in re jurata*, seu *in modo jurandi*, nego conseq. Quia juramentum assertorium non distinguitur a promissorio in eo, quod hoc pendeat in sua veritate substantiali a futura executione; sed in eo, quod assertorium nihil promittit: promissorium autem promittit executionem veritatis de præsenti. Unde veritas formalis in omni juramento semper est de præsenti; executio autem rei juratæ pertinet ad fidelitatem, & est velut probatio veritatis, quæ jam transit formaliter. Concina ipse sibi se opponens ait: *Aliud est mentiri: aliud promissum non servare*, ergo fateri cogitur non esse mendacium omissionem rei promissæ, & re ipsa id fatetur *tom.* 7. *pag.* 90. *n.* 24.

40. Pro veritate igitur formali, seu pro confirmando jurantis proposito adducitur Deus ut testis in juramento promissorio, ut aperte docet D. Thom. *in* 3. *Sent. dist.* 39. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. ubi ait: *Ad secundum dicendum, quod futurum non potest habere veritatem determinatam, nisi in sua causa, quæ determinatur ad effectum illum. Causa autem contingentium, quæ per nos fiunt, est nostra voluntas, quæ quidem determinatur ad effectum per propositum fixum de aliquo faciendo, & tale propositum significat se habere, qui jurat se aliquid facturum.* Quo quid clarius?

41. Inq. 3. An promittens aliquid sub juramento possit illud revocare ante acceptationem? R. si promissio fiat Deo, aut in ejus honorem, revocari nequit: quia prout sic coincidit cum voto, quod statim a Deo acceptatur, & ad sui adimpletionem obligat juxta illud Matthæi 5. *Reddes Domino juramenta tua.* Si autem in favorem tertii promissio facta sit, valet ante ejus acceptationem revocari, quia juramentum sequitur naturam principalis, quod in præsenti est ipsa promissio, de cujus natura est posse revocari ante acceptationem.

42. Inq. 4. An veritas, & justitia observari debeant in juramento comminatorio? R, affirm. quia coincidit cum promissorio, ideo debet fieri animo adimplendi, infligendique pœnam justam, nam si fiat absque tali animo, est proprie perjurium, seu juramentum falsum. Si pœna sit injusta nimis excedens, jurans animo illam infligendi duplex grave peccatum committit, aliud contra justitiam juramenti, aliud contra justitiam proximi. Igitur juramentum de infligen-

da pœna justa, si multum conducat ad Dei honorem, sub gravi observandum est.

43. Excusari tamen quis potest ab ejus impletione, aut saltem a mortali in quinque casibus. 1. cessante causa, vel quoties supervenit ratio non puniendi filium, aut servum, ut si humiliter veniam petivit, aut amicus ad hoc intercessit: quia talia juramenta fiunt sub conditione, quod res non sint variatæ, aut causa non cesset. 2. quando comminatio oritur ex ira, vindicta, aut alia passione, quia ut sic non est de materia licita. 3. quando ex aliqua ratione punitio esset imprudens, quia juramentum ad nihil imprudens obligat. 4. excusantur a mortali parentes, aut domini jurantes se filios, aut servos occisuros, brachia, aut capita fracturos, vel quia regulariter locuntur hyperbolice, vel ad indicandam gravem punitionem, ad quam infligendam habere debent intentionem, ne falsum jurent. 5. Pueri jurantes se alios accusaturos apud parentes, aut magistros excusantur ab accusatione, vel quia sæpe jurant ex ira, aut alia passione, vel quia eam omittunt causa melioris boni, ut vitandi rixas, aut pacis conservandæ.

Punctum VII.

De obligatione, & materia juramenti.

44. Inq. 1. Quanta sit obligatio juramenti? R. esse gravissimum ex genere suo; quia procedit ex authoritate divini testimonii: unde perjurium est peccatum gravius, quam homicidium, & alia crimina contra justitiam: nam perjurium directe tendit contra Dei honorem. Nihilominus violatio voti gravior est transgressione juramenti promissorii: quia per violationem voti divina authoritas immediatius læditur; votum namque proximius fit Deo, quam juramentum promissorium homini factum. Cæterum obligatio juramenti assertorii, & etiam promissorii circa veritatem formalem de præsenti gravior est obligatione voti, qua ratione peccatum gravius est perjurium formale, quam violatio voti, & ita intelligendum est, quod diximus cum D. Thom. *tract. præced. num.* 64.

45. Inq. 2. Quæ sit materia juramenti? R. Quod materia juramenti emissi in honorem Dei debet esse de meliori bono, sicut materia voti, quia tale juramentum coincidit cum voto. Materia autem juramenti, quod fit homini, debet esse licita, & bona, aut saltem indifferens: quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Idcirco juramentum de re illicita, etiam venialiter, nullatenus obligat; res autem indifferens, ut talis, esto non sit materia voti, aut juramenti Deo facti, valet esse materia juramenti facti homini, quia hoc juramentum obligat, quoties absque culpa impleri possit ex cap. *Quamvis pactum, de pactis in* 6. ubi dicitur juramentum factum homini esse observandum, nisi ejus observatio vergat in dispendium salutis æternæ. Res autem indifferens non vergit in tale dispendium: imo semel jurata exuit rationem indifferentis, & transit in actum religionis, nisi sit omnino inutilis, in quo casu non obligaret.

46. Similiter juramentum factum homini, licet impediat majus bonum, aut sit contra consilia, observari debet, quia potest impleri absque peccato. Unde sponsalia jurata obligant, esto majus bonum impediant ex *cap. Commissum, de sponsal.* Imo esto juramentum sit illicitum, & a jure prohibitum, si absque culpa res promissa possit præstari, vere obligat, ut jurans meretrici sui corporis mercedem, tenetur ad eam solvendam, quia, supposita culpa, solutio mercedis est licita. Insuper licet promissio sit jure irrita, obligat, quoties sine culpa exequi valeat, ut promissio solvendi usuras, quæ esto jure irrita, tamen jurata obligat ad solutionem. Eodem modo juramentum per metum extortum obligat, quandiu non relaxetur, ut jurans pecunias latroni metum ad illas extorquendas incutienti tenetur solvere, licet possit statim eas repetere, *cap. Si vero, de jure jurando.* Circa juramentum dolo, aut errore emissum vide *tract. præced. cap.* 1. *punct.* 12.

47. Inq. 3. An si duo concubinarii sibi invicem jurent, quod nullam aliam personam carnaliter cognoscent, teneantur ad juramentum? R. affirm. quia promissum est bonum, & potest impleri si-

ne

ne peccato; nam licet ortum duxerit ex præterita turpitudine, possunt, & debent contineri ab ulteriori, tam secum, quam cum aliis.

48. Inq. 4. An obliget juramentum de promissione prodiga? R. si res prodige promissa sit impartibilis, non obligat, quia sicut promissio, etiam datio esset prodiga, & illicita. Si vero partibilis sit, obligat ad partem, quæ non prodiga, sed justa reputetur; quia hæc, non alia tribui valet absque culpa.

49. Inq. 5. An jurans redire ad carcerem, ad quam damnatus est, teneatur ad reditum, etiam cum periculo mortis? R. teneri, sive pœna carceris sit justa, sive injusta, quia ut dictum est, juramentum impleri debet, quoties absque culpa valeat; in præsenti autem valet, cum licitum sit exponere se periculo mortis ob aliquod motivum virtutis. Eadem ratione captivus apud infideles jurans redire, aut non fugere, vel soluturum pretium pro redemptione, tenetur in libertate positus ad observandum juramentum; alias daretur occasio contemnendi nomen Dei, & Christianam religionem. *Ang. a. 7. ad 3.*

Punctum VIII.

De prava jurandi consuetudine.

50. Inq. 1. Quid intelligatur pro consuetudine jurandi? R. Quod consuetudo jurandi nihil aliud est, quam *facilitas, seu proclivitas jurandi ex repetitione, & frequentia juramenti*: qnia facilitas, seu habitus cujuscumque facultatis generatur per repetitionem actuum ejusdem facultatis. Quælibet consuetudo potest considerari quatuor modis: primo *active*, seu *in fieri*, quo pacto actus repetiti sunt causa consuetudinis. Secundo *formaliter*, quo pacto est ipsa consuetudo causata. Tertio *concomitanter*, quo pacto est ipsa consuetudo conservata, seu conservatio consuetudinis. Quarto *consequenter*, quo pacto sunt peccata ex consuetudine orta, vel ipsa consuetudo, ut causa peccatorum sequentium.

51. Inq. 2. An juramenta procedentia absque plena advertentia ex prava consuetudine sint peccata mortalia? R. 1. juramenta provenientia ex prava consuetudine, sive jurandi falsum, sive absque sufficienti cautela an verum, vel falsum sit, quod juratur, vel an juret nec ne, esto emittantur sine plena advertentia, esse peccata gravia, non solum in causa, sed etiam formaliter in se. Quia talia juramenta sunt libera in causa, quæ voluntarie admittitur, & conservatur, ergo sunt in se peccata mortalia; ad peccatum quippe mortale non semper requiritur libertas directa, sed sufficit indirecta, aut virtualis, prout in præsenti adest. Imo licet aliquando procederent ex aliqua subita passione, & non ex consuetudine, quo pacto excusari poterant a mortali; tamen in habente consuetudinem mortalia regulariter censenda sunt; quia in moralibus ex frequenter contingentibus judicandum est.

52. R. 2. consuetudinem passim jurandi, esto non falso, absque ulla necessitate, esse grave peccatum, tum propter scandalum audientium, tum propter pravam educationem filiorum, famulorum, & aliorum inferiorum in parentibus, magistris, aut dominis, tum propter irreverentiam divini nominis, quod per talia juramenta in quolibet ludo, aut negotio ad singula pene verba adjuncta graviter prophanatur: tum propter periculum perjurandi; nam ut dicitur *cap. 29. de jure jurando: Ex frequenti, & incauta juratione perjurium sæpe contingit.* Ex Eccles. 23. *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.*

53. Inq. 3. An pœnitens teneatur manifestare in confessione pravam jurandi consuetudinem? R. 1. certum esse apud omnes pœnitentem a Confessario interrogatum teneri consuetudinem cujuscumque peccati manifestare. Constat ex proposit. 58. proscripta ab Innoc. XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

54. R. 2. Pœnitentem teneri manifestare consuetudinem primo, & tertio modo supradicto, nempe in fieri, & concomitanter, hoc est, dum illam admittit, & conservat omittendo voluntarie ejus expulsionem. Sicut tenetur aperte fateri admissionem, & retentionem occasionis proximæ voluntariæ. Quia consuetudo, aut occasio sub præfatis circumstantijs est no-

novum, & distinctum peccatum ab ipsis actibus ex ea consecutis. Nam licet se ponere in occasione peccati non sit distinctum peccatum ab eo, ad quod se exponit, quando moraliter conjunguntur, qui enim vult furari, quærit occasionem, & se ponit in periculo furandi; tamen quando peccatum, & ejus occasio, seu periculum moraliter discontinuantur, ut in concubinario, vel alio conservante occasionem voluntariam, seu consuetudinem peccandi, distincta peccata sunt, aperienda manifeste in confessione.

55. R. 3. Licet aliqui existiment pœnitentem teneri indirecte manifestare consuetudinem peccandi secundo, & quarto modo, hoc est formaliter, & consequenter, ut Confessarius plenius judicium efformet de satisfactione injungenda; cæterum, quia manifestatis admissione, & conservatione consuetudinis, & culpis ex eis consecutis sufficienter declarantur peccata, & status pœnitentis, nihil amplius requiritur ad hoc, ut Confessarius efformet judicium de congruenti satisfactione applicanda: præmissa quippe manifestatio est sufficiens declaratio consuetudinis ceteris modis.

56. Inq. 4. An absolvi possit, aut debeat, habens pravam jurandi consuetudinem? R. Quod hæc difficultas decidenda est juxta doctrinam tradendam tract. 27. n. 298. ubi, tanquam in proprio loco, agemus de absolutione suspendenda, neganda, vel concedenda consuetudinariis omnibus.

57. Igitur semper, ac anceps sit Confessarius de profectu, & emmenda, aut dolore pœnitentis, differat, suspendat, aut deneget absolutionem; vulnera enim iterata difficilius sanantur, & remedia acriora deposcunt. Experientia docet utilius esse absolutionem differre, quam concedere. Vix de absolutione negata nos pœnitet, pluries de concessa. Pro majori luce, & confirmatione hujus doctrinæ præ oculis habenda est propositio 60. damnata ab Innoc. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, licet emmendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emmendationem.* Vide *tract.* 10. *n.* 187.

58. Ex dictis sequitur graviorem pœnitentiam imponendam esse hujusmodi pœnitenti consuetudinario. Pro quo illum de pœnitentiis antiquitus designatis a canonibus perjurantibus admoneat: ex quibus D. Basilius in *canon.* 64. epist. ad Amphilochium undecim annorum pœnitentiam, abstinentiamque a communione toto illo tempore perjuriis imponit. Alter *Canon* pro quolibet perjurio quadraginta dierum jejunium in pane, & aqua assignat, & insuper per septem annos pœnitere cum privatione communionis præscribit.

59. Pariter curandum est Confessario aliquas pœnitentias medicinales huic crimini assuetis imponere adimplendas illico post juramentum prolatum, nimirum ut pro quolibet aliquam eleemosynam tribuant, si possint, vel terram osculentur, crucem lingua in terra efforment, aliquam orationem, ut *salve*, aut *credo*, pro unoquoque recitent, & præ omnibus sacramentorum frequentiam eis præscribat. Cautionem vero juratoriam minime exigat, ne novum laqueum injiciat. Cautio quippe juratoria solum exigi debet, quando in jure est expressa, ut ab excommunicato notorio, ab incendiario Ecclesiarum, a manifesto raptore, & violatore earum, ab usurario publico, & ab injuriante publice personam ecclesiasticam.

Punctum IX.

Quando juramentum confirmet contractum.

60. Inq. 1. An juramentum contractui adjectum sit validum, quando non confirmat contractum? R. Omne juramentum, quod absque culpa impleri possit, & a jure non irritetur, esse validum, esto non confirmet contractum; quia omne juramentum, quod non vergat in præjudicium salutis æternæ, observandum est, ut supra diximus, ergo est validum, licet non confirmet contractum, ut juramentum dandi latroni pecunias, quod validum est, licet non confirmet promissionem pecuniarum. Si autem jus irritat non solum contractum, sed etiam juramentum illi additum, est invalidum, ut renuntiatio, & dispositio jurata novi-

vitii facta absque licentia Episcopi, vel ejus Vicarii intra duos menses proximos professioni, quam penitus irritat Trid. *ses.* 25. *cap.* 16. *de reg.* Idem est de juramento facto in favorem tertii, non acceptato ab eo, vel ab alio pro eo, quod revocari potest ante acceptationem.

61. Inq. 2. Quæ differentia datur inter juramentum confirmans contractum, & inter non illum confirmans, esto validum? R. Dari triplicem differentiam. *Prima* est, quod juramentum confirmans contractum obligat ex religione, & ex justitia; juramentum vero validum non confirmans contractum, solum obligat ex religione, ut in exemplo latronis, cui pecuniæ tantum debentur ex vi juramenti, non ex vi promissionis, quæ irrita est a jure. *Secunda*, quod juramentum confirmans contractum nequit relaxari, nisi a Papa ex urgente causa, ne violetur jus acquisitum a tertio: juramentum non confirmans contractum potest ab Episcopis relaxari; quia nullum jus tertii violatur in ejus relaxatione. *Tertia*, quod juramentum confirmans contractum transit quoad obligationem ad hæredes, ita ut isti teneantur illud solvere, sicut alia debita ex justitia; juramentum vero non confirmans contractum non transit ad hæredes, ut si quis juret solvere usuras, hæres illius minime tenetur ad illas solvendas; quia cum juramentum non confirmet talem contractum, obligatio non est ex justitia, nec realis, sed personalis ex vi juramenti.

62. Inq. 3. Quando juramentum confirmet contractum? R. *Primo*, quod quoties contractus a jure irritatur, vel irritabilis, aut rescindibilis redditur in odium creditoris, non firmatur juramento. Quia quando jus in odium creditoris contractum rescindit, omnem actionem, ac jus ab eo adimere intendit, ergo contractus non firmatur; ut qui latroni juravit centum dare, vel usurario solvere usuras, aut alteri quidquam ex metu gravi injusto; in quibus casibus, esto juramentum sit observandum ob reverentiam divini nominis, non confirmat contractum, nec creditor aliquod jus acquisivit adversus jurantem ob injuriam illatam.

63. R. *Secundo*, quod nec etiam juramentum confirmat contractum, quando hic irritatur a jure primo, & principaliter propter bonum commune: quia talis contractus est in detrimentum communitatis, cujus bono nullus particularis cedere valet, ideoque juramentum nullius roboris est, *ex cap.* 28. *de jurejurando*. Unde juramentum clerici de renunciando privilegio fori, aut juramentum metu extortum de professione, matrimonio, sponsalibus, & alia hujusmodi nulla sunt, quia reprobantur a jure principaliter ob bonum commune. Similiter est nullum quodlibet juramentum additum contractui inito ex dolo, aut errore circa ejus substantiam, quia ablato principali corruit accessorium.

64. R. *Tertio*, quod quando contractus irritatur principaliter in utilitatem privatam contrahentium, modo absit injustitia ex parte illius, quod juratur, firmatur juramento, quia quilibet cedere potest suo peculiari commodo ex *cap.* 2. *de pact. in* 6. *& cap.* 18. *de jurejurando*. Ubi declaratur contractum, quo uxor consentit in alienationem fundi dotalis, esto jure positivo irritus sit, servandum esse, supposito juramento absque vi, & dolo præstito. Idem est de aliquibus juramentis pupillorum, & minorum, quæ confirmant contractus alias jure irritos.

CAPUT II.

De quibusdam juramentis peculiaribus.

PUNCTUM I.

De juramento amphibologico.

65. Inq. 1. Quid sit amphibologia, & quot modis accipi possit? R. Amphibologia est *dubia sermonis sententia*, quæ vulgo equivocatio dicitur: quia *amphi* est dubium, *bole* est sententia, & *logos* sermo: hoc est verba diversa significantia, quæ audientem dubium circa eorum sensum relinquunt. Potest contingere quatuor modis. *Primo*, quando verba in communi acceptione habent ex æquo duplicem sensum, ut illud: *Ajo te Æacidem Romanos vincere posse*. Quæ sententia æque significat Romanos victores, ac victos posse exire. Pariter, *hic liber est*

Pe-

tri, æque significat Petrum esse authorem, aut dominum libri. *Secundo*, quando verba habent unum sensum *communiorem*, & alium minus communem, ut cum dicitur: *Petrus est bonus vir*; quod in sensu communi significat Petrum esse virtuosum; & in alio esse simplicem. *Tertio*, quando verba unum sensum tantum habent, ex modo tamen loquentis, aut interrogantis, vel ex circumstantiis temporis, loci, aut personæ determinatur ad alium sensum, ut cum pœnitens interrogatur a Confessario, an commisserit hoc peccatum, alias rite confessum, respondet non commisisse juxta mentem interrogantis de præsenti confessione. *Quarto*, quando verba solum habent unum sensum, & per restrictionem pure mentalem determinantur ad alium; ut si petas pecunias ab habente illas, qui respondet, *non habeo pecunias*, intelligendo intra se *ad tibi dandum*.

66. Inq. 2. An aliquando sit licitum juramentum amphibologicum cum restrictione pure mentali? R. neg. constat ex triplici propositione damnata ab Innocentio XI. Ex quibus prima, quæ erat 26. dicebat: *Siquis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Secunda erat 27. sic dicens. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties sit necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & favorabilis.* Tertia erat 28. ut sequitur. *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Igitur omnis restrictio pure mentalis est illicita, & ut talis proscripta ab Ecclesia.

67. Prob. rat. Juramentum falsum, & deceptorium est intrinsece malum; sed jurans verbis solum cum restrictione pure mentali significantibus emittit juramentum falsum, & deceptorium, ergo. Prob. min. quia mendacium est enunciare falsum causa fallendi; sed hoc efficit jurans restrictione pure mentali, non enim significat verbis, quod mente retinet, ergo profert juramentum falsum, & deceptorium, quod est intrinsece malum, & semper illicitum.

68. Objic. 1. Joannis 7. interrogatus Dominus, an ascenderet ad diem festum? Respondit, *non ascendam*, & tamen constat ascendisse. Secundo: *Matth.* 24. & *Marci* 13. dixit ipse Dominus *de die autem illo, vel hora nemo scit, nec Angeli in cœlo, nec filius, nisi Pater.* Tertio: Raphael Angelus dixit *Tob.* 5. *Ex filiis Israel ego sum Ananiæ magni filius*; sed hæc omnia falsa apparent secundum verba, & solum vera per restrictionem mentalem, ergo hæc aliquando est licita.

69. R. neg. minor. & conseq. & ad *primum* dicitur, quod verba Domini determinata fuerunt juxta intentionem discipulorum, qui volebant, ut ad diem festum Dominus publice ascenderet, ad quod respondit, *non ascendam*, hoc est, *in publico. Ad secundum* dicitur Christum ut hominem, aut ex vi naturæ humanæ nescire diem judicii, esto etiam ut homo illum sciat ex vi scientiæ infusæ. Ad *tertium*: quod sicut Raphael assumpsit diversam speciem, ita distinctum assumpsit nomen congruum fini, ad quem missus est.

70. Inq. 3. An aliquando liceat uti amphibologia externa? R. non licere uti amphibologia etiam externa nisi ex justa causa, & multo minus illam juramento confirmare nisi ex graviori. Prob. quoad primam partem: quia locutio amphibologica opponitur societati politicæ, & civili, ergo est illita absque rationabili causa. Quoad secundam patet: quia reverentia juramenti exigit causam graviorem, quam alia quævis locutio. Supposita autem veritate amphibologiæ externæ, non est mortale jurare extra judicium amphibologice absque necessitate: quia defectus solius causæ, aut necessitatis in raro jurantibus non excedit culpam venialem.

71. Inq. 4. Quæ censenda sit justa causa ad loquendum, seu jurandum cum externa amphibologia? R. Causam justam dari, quoties usus amphibologiæ externæ necessarius judicatur ad salutem tuendam, vel ad conservandum honores, aut res familiares, vel ad aliquem alium virtutis actum, ita ut occultatio veritatis censeatur hic, & nunc expediens ad aliquem finem honestum. Cum aliqua ex his causis licitus est usus amphibologiæ externæ, verum quo verba majorem occasionem errandi præbeant, major requiritur causa; idcirco cum verba duplicem sensum ex æquo habentia minorem præferant errandi occasionem, minor causa sufficit ad sui licitum usum. In judicio autem legitimo, & in contractibus onerosis nulla causa sufficit ad amphibologice jurandum; debet enim sub gravi culpa reus, testis, & contrahens loqui, & jurare de plano juxta sanam intentionem Judicis, aut partis.

72. Verumtamen reus, aut testis, qui in judicio celavit veritatem, non tenetur iterum se præsentare ad eam aperiendam, nisi aliter nequeat parti læsæ satisfacere. Debet enim compensare quodlibet damnum ex sua falsitate secutum; hoc vero alia via satisfacto, solum tenetur dolere de peccato cum proposito veritatem dicendi, si iterum interrogetur, & sic poterit a Confessario absolvi juxta plures. Sed vide *tr.* 21. *n.* 165.

73. Inq. 5. Quot conditiones sint necessariæ ad licitum usum amphibologiæ externæ? R. quinque requiri. 1. quod adsit justa causa. 2. quod interrogatus non teneatur ex aliquo capite veritatem aperte fateri, sed illam celandi jus habeat. 3. quod occultatio veritatis nemini noceat. 4. quod verba ex se, aut ratione circumstantiarum habeant sensum perceptibilem ab audiente, si ad illa attentius adverteret. 5. quod nunquam aliquis utatur amphibologia animo alium fallendi, sed solum veritatem occultandi.

74. Inq. 6. An homo rudis ignorans modum loquendi amphibologice possit respondere celando veritatem in sensu, quo docti locuntur? R. neg. quia revera non conformaret verba cum mente actuali, sed cum mente, quam vellet habere. Unde puer a latrone rogatus de patre tenetur respondere secundum dictamen conscientiæ; si vero ex ignorantia invincibili putaret debere mentiri, ne patrem proderet, teneretur etiam cum juramento ad illum celandum.

Punctum II.

Alia dubia circa juramentum amphibologicum.

75. Inq. 1. An Confessarius interrogatus de auditis in confessione possit, & debeat uti amphibologia? R. affirm. quia ex una parte urget gravissimum sigillum confessionis, ex alia Confessarius gerit munus duplicis personæ, nempe Dei, & hominis: numquam autem loquitur, nec debet loqui extra confessionem ut Deus, ideoque debet prorsus negare etiam juramento, si opus fuerit, sive intra, sive extra judicium se aliquid scire; quod in confessione audivit. Ita D. Thom. in Supplem. *q.* 11. *art.* 1. *ad* 3.

76. Si autem quis scelestus urgeret, ut respondeat tamquam Confessarius, adhuc communis sententia docet posse negare, & jurare se nihil scire, quia semper datur circumstantia duplicis personæ, & omnes fideles, dum audiunt Confessarium jurantem se nihil scire, intelligunt loqui ut hominem, & ut talem debere loqui extra confessionem. Verum non desunt aliqui a communi sententia recedentes, qui sentiunt in tali casu Confessarium non posse dicere, se nescire, sed debere repellere interrogantem tanquam improbum dicendo, sacrilega est interrogatio tua, & sacrilega esset responsio mea, sive affirmando, sive negando tibi respondentem; idcirco abstine ab improba interrogatione, cui ego absque prophanatione sacramenti respondere nullatenus valeo.

77. Hac, aut simili responsione dicunt debere obtrudi os sacrilegi interrogatoris. Profecto hæc positio prima facie securior apparet, in ordineque ad sigillum servandum in idem recidit cum communi; sed si aliquod periculum subiret sigillum, sola communis sententia sequenda est: quia juxta D. Thom. homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, & ut homo semper ignorat, quæ

in confessione audivit, & potest sine mendacio, & læsione conscientiæ dicere, & jurare se illa nescire, juxta illud vere, ac præclare dictum: *Quod per confessionem scio, minus scio, quam quod nescio.*

78. Inq. 2. An reus a judice interrogatus possit juramento negare delictum? R. *Primo*, reus legitime interrogatus non valet delictum negare, esto immineat periculum mortis; quia judex legitime procedens jus habet ad obligandum reum, ut veritatem respondeat, ergo reus legitime interrogatus tenetur sub gravi illam aperire, & consequenter non potest eam juramento negare. Est expressa doctrina D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1.

79. R. *Secundo*, reus non legitime interrogatus potest subterfugere responsionem sine mendacio: potest etiam dicere, nego *proposita*, *ut proposita*. Potest denique dicere: *non feci homicidium*, *vel non commisi delictum*, intelligendo intra se *ad tibi revelandum*, quia hæc non est restrictio pure mentalis ab Innoc. XI. juste damnata, sed externa; cum illa verba habeant significationem consentaneam menti proferentis, & circumstantiæ talis judicii, in quo nemo tenetur respondere de plano, nec testificari quis obligatur, ut ait magister Valle in suo novissimo, ac perutili Compendio morali, *part.* 1. *tract.* 4. *q.* 3. Nec est ad rem, quod quidam recentior inquit, si hoc non est mendacium, doce mentiri. Nam dicimus non esse proprium Theologi docere mentiri; sed docere, quando adsit in verbis, aut factis mendacium, esseque prorsus illicitum. Reus autem solet in casu dicere v. g. se fuisse tali hora domi, in Ecclesia, aut alibi, cum revera non fuerit. En mendacium, quod ex nulla causa est licitum.

80. Inq. 3. An qui hominem sine culpa occidit, putans esse feram, vel alio casu inopinato, aut reperto ejus gladio prope cadaver ab alio relicto, interrogatus a judice de homicidio, vel an gladius sit suus, vel an illac transierit, possit negare intelligendo de facto, aut de gladio percussore, aut de facto criminoso? R. affirm. quia semper, ac responsio est vera ad sanam mentem interrogantis, nec adest mendacium, nec perjurium; sed in præfatis casibus, & aliis similibus responsio est vera ad mentem judicis, qui solum inquirit de factis criminosis, ergo vera, & licita est.

81. Eadem ratione idem debet dici de Inquisitore, advocato, medico, chirurgo, & aliis consultis sub secreto naturali; possunt quippe respondere se nihil scire, si interrogentur circa secreta sibi commissa. Prob. ex textu Joan. laudato num. 68. ubi Christus respondit. *Non ascendam*, quod, licet ascenderit, verum fuit, quia non ascendit publice juxta mentem discipulorum interrogantium. Patet etiam ex textu Matth. ubi dixit se nescire diem judicii, hoc est, ad revelandum. Eodem modo Confessarius de auditis in confessione potest, & debet dicere *se ea nescire*, id est, *ad manifestandum*. Patet denique in pœnitente, qui furta antea commisit, non vero ab ultima confessione, rogatus a Confessario, an commiserit aliquod furtum, respondet, *non commissi*, & verum dicit, quia respondet ad mentem interrogantis, qui solum quærit de furto, quod in illa confessione debeat confiteri, ergo cum in supradictis casibus judex, ut talis interroget de factis criminosis, bene respondet negando, qui in eis nullum crimen commisit.

82. Dices, ergo adultera occulta interrogata de adulterio a marito poterit respondere *non commissi adulterium*, intelligendo *ad tibi revelandum*. Item habens pecunias, quas alter poscit ab eo, poterit dicere, *non habeo*, subaudiendo, *ad tibi dandum*. Pariter poterit quis ex metu sibi incusso jurare ficte, *quod dabit pecunias*, intelligendo, *si teneor*, & sic de aliis casibus, qui passim occurrunt. R. neg. conseq. quia in his casibus, aut similibus restrictio est pure interna, nec adsunt circumstantiæ eam externam facientes, sicut in Judice quærente solum de factis criminosis, in Inquisitore, medico, chirurgo, & aliis secreto naturali obstrictis, de quibus communi sensu omnes concipiunt nescire ad revelandum sibi sub secreto commissa: nisi forte ob commune bonum, vel cedant in damnum innocentis. Igitur solum quando adest circumstantia externa, causa justa, & responsio

sio datur ad sanam mentem interrogantis, erit licita, utpote labe mendacii non inquinata. Stante enim justa causa, & circumstantia externa præcipue ratione officii, aut illegitimi judicii, abest mendacium, fraus, & dolus, ob quæ merito sunt damnatæ amphibologiæ cum restrictione pure interna, seu mentali.

Punctum III.

De aliis juramentis particularibus.

83. Inq. 1. Quomodo obligent juramenta servandi leges, & statuta communitatis, capituli, & collegii? R. obligare, prout sunt usu recepta, ita ut circa illa, quæ sunt in viridi observantia, & obligant sub mortali, juramentum obligat sub mortali; circa ea vero, quæ per abrogationem, seu consuetudinem contrariam cessarunt, aut ex communi intelligentia solum sub veniali observantur, eodem gradu obligationis astringit juramentum: quia juramentum non addit eorum obligationem, sed confirmat illam, quæ in statutis continetur, talia enim jurantes, hoc, & non amplius promittunt. Unde si dantur statuta solum ad pœnam obligantia, tantum ad pœnam subeundam obligat juramentum.

84. P. Concina tom. 4. pag. 50. a n. 3. contendit juramentum de statuto solum obligante ad pœnam, obligare ad culpam. Verum aliud est juramentum obligare in conscientia ad statuta servanda, aliud obligare in conscientia ad pœnam subeundam. Sicut autem votum mere pœnale solum obligat in conscientia ad subeundam pœnam; ita juramentum de statuto mere pœnali ad hoc ipsum tantum obligat; alias juramentum tribueret statutis obligandi vim, quam ex se non habent, quod ipse Concina negat ibidem. Eadem equivocatione laborat, quod addit num. 9. dicens: *si juro silentium, teneor ad illud servandum.* Sed dicimus, quod aliud est jurare absolute silentium; aliud jurare silentium, prout in collegio servatur, vel secundum statuta collegii.

85. Obligant ergo talia juramenta, prout usu communi observantur: sunt enim juramenta implendi rem juxta statuti præscriptum, seu obligationem. Ex quo sequitur scholasticos violantes præcepta rectoris jurata regulariter non committere culpam gravem, nisi materia gravis sit in ordine ad finem præcepti, seu rectoris, quia ita sunt communiter recepta in collegiis, nec est alia intentio jurantium. Unde cum jubentur interesse sacrificio Missæ, aut alicui congregationi, vel comitari rectorem, aut ne utantur veste serica, & similia, tenentur juxta gradum obligationis, sub quo recepta sunt, nempe sub veniali, nisi ex peculiaribus circumstantiis aliud constet.

86. Inq. 2. An obliget juramentum, quod scribæ, & alii ministri justitiæ emittunt de servanda taxa in lege præscripta? R. affirm. quia quandiu evidenter de injustitia non constat, servari debet taxa assignata; sed non constat de injustitia, aut insufficientia evidenter, imo nec probabiliter; jubentur enim in fine scripturæ exprimere, seu apponere salarium pro ea receptum, ad videndum, an justum acceperint juxta taxæ præscriptum, ergo tenentur ad hoc fideliter servandum. Unde si excedant, debent in conscientia excessum restituere. Minuant fastum, & sufficiet salarium. In gravissimo periculo æternæ damnationis plures ministri incedunt: alii, quia ultra taxam exigunt: alii, quia esto non exigant, libenter recipiunt. Dicunt, sibi a clientibus voluntarie donari excessum, sed revera se ipsos decipere volunt; ipsi enim agnoscunt id non esse verum, similesque acceptiones sibi a legibus sub gravi culpa, ac restitutione severe prohiberi.

87. Inq. 3. An Senatores, Prætores, & alii ministri publici ex vi juramenti, quod faciunt ad prospiciendum bono communi, teneantur coercere peccata publica? R. præfati ministri solum intendunt se astringere juramento ad fovendam publicam pacem, tranquillitatem, & observantiam legum, quæ humanam societatem conservant; peccata vero, quæ illam non perturbant, in vi juramenti non tenentur propellere. Tamen ut patres reipublicæ solicite curare debent, ut scandala, & peccata publica ab ea eliminentur.

88. Inq. 4. An juramentum servandi secretum eorum, quæ in capitulis, aut congregationibus tractantur, semper obliget sub gravi? R. tale juramentum obligat juxta gravitatem materiæ, ita ut, si materia sit magni momenti respectu communitatis, aut alterius tertii, ejus manifestatio erit culpa gravis; si autem levis momenti sit, ita ut leve detrimentum ex ejus revelatione timeatur, erit levis. Quia tale juramentum obligat, ut præceptum servandi secretum; sed hoc obligat juxta gravitatem materiæ, ergo similiter juramentum. Nec est alia intentio jurantium, nec communitatis exigentis juramentum.

89. Quidam recentior astruit obligare graviter talia juramenta, etiam in materia levi; alias, ait, deficeret veritas formalis juramenti promissorii, quæ apud ipsum consistit in adimplectione rei promissæ. Sed hoc a nobis supra explosum est, & iterum exploditur, quia si omissio rei juratæ in juramento promissorio esset mendacium, aut perjurium, res jurata ex nulla causa posset omitti, nec dispensari; sed hoc est aperte falsum, ergo omissio rei juratæ nec est mendacium, nec perjurium formale, sed infidelitas gravis, aut levis juxta qualitatem materiæ. Dicere autem ex una parte, quod talis omissio est mendacium, & perjurium formale, & ex alia dari quandoque causam non implendi rem juratam, vel in ea dispensandi, est dicere posse dari causam ad mentiendum, vel ad dispensandum mendacium, & perjurium.

90. Inq. 5. An medici teneantur servare juramentum monendi de confessione infirmos ex vi constitutionis Pii V.? R. ubi juratur decretum Pii V. tenentur medici monere de confessione facienda ægrotos laborantes gravi infirmitate, ita ut nequeant visitare ultra tertium diem, nisi certiores fiant de ejus confessione per Confessarii rescriptum. Constat ex decreto Pii V. confirmante aliud Innocent. III. *in cap. Cum infirmitas, de pœnit. & remiss.* Igitur ubi præstatur juramentum, & decretum est receptum, vel contraria consuetudine non abrogatum, debet observari, quia est lex justa sub gravibus pœnis imposita; non quidem pro omni infirmitate, sed pro illa, quæ gravis judicio prudentis medici creditur, intelligendum est decretum, & observandum juramentum. Nec prohibitio visitandi ægrotum debet intelligi, quando ex desertione medici timeretur periculum mortis infirmi, hoc enim vergeret in dispendium charitatis.

91. Verum præcisive ab hac, & aliis legibus Pontificiis sub gravi tenentur obligatione medici monere per se, vel per alios absque respectu carnis, & sanguinis ægrotos gravi, aut periculoso morbo laborantes de sacramentis suscipiendis, & cæteris rebus disponendis, ut in viam æternitatis se præparent; quia quilibet ex lege charitatis tenetur occurrere proximi damno imminenti, & maxime si irreparabile est, ut in præsenti.

Punctum IV.

Quomodo cesset obligatio juramenti.

92. Inq. 1. Per quot, & quales causas tollatur obligatio juramenti? R. tolli per easdem, ac obligatio voti, & sunt irritatio, dispensatio, commutatio, cessatio finis, impotentia physica, aut moralis, & condonatio. Unde quæ de iis casibus dicta sunt pro cessatione voti tractat. præcedenti cap. 2. proportionaliter cessationi juramenti applicari debent.

93. Inq. 2. An habens potestatem dispensandi, aut commutandi vota, eam habeat ad dispensanda, seu commutanda juramenta Deo facta? R. si potestas est ordinaria, apud omnes extenditur ad juramenta. Si autem est delegata, esto sententia affirmativa sit valde probabilis; tamen ex stylo Curiæ Romanæ dicunt aliqui, quod facultas ad vota dispensanda non extenditur ad juramenta, nec ad vota jurata. Attendantur in primis modus, & verba delegationis; deinde stylus Curiæ. Confessarii mendicantes gaudent privilegio commutandi vota etiam jurata Pontifici non reservata: nisi adsit præjudicium tertii.

94. Inq. 3. An Papa possit dispensare omnia juramenta? R. ex gravi causa valet dispensare omnia juramenta Deo facta. Juramenta autem sponte edita in favorem tertii jam acceptata solum valet dispensare ex gravissima causa, quæ cedat vel

in

in bonum commune, vel in favorem innocentis, vel in pœnam delicti; alias læderetur justitia, nec esset valida dispensatio. Episcopi possunt dispensare juramenta non reservata, aut etiam non libere emissa in favorem tertii, nam si coacte emissa sunt, possunt absolute ea dispensare: ipsa enim coactio injusta est sufficiens causa dispensandi.

95. Præter juramenta autem supra recensita sunt et alia Papæ reservata, nempe juramenta circa statuta collegiorum, universitatum, & bonorum ecclesiasticorum, dum sunt a Pontifice confirmata: Item juramenta ex mandatis Pontificum emanata circa aliqua decreta observanda: pariter juramenta, quibus viri insignes se astringunt, & Imperatores, Reges, Comites, Marchiones, & Episcopi in sua promotione. Hujusmodi etiam sunt juramenta circa res arduas, & magni momenti ab universitatibus emissa, ut defendendi mysterium immaculatæ Conceptionis, aut doctrinam D. Thomæ.

96. Inq. 4. Quomodo cesset juramentum inter duos vicissim emissum de præstando sibi obsequio? R. cessare *primo* per mutuam obsequii remissionem, quando illud principaliter juratum est: quia quilibet potest remittere alteri obligationem in proprium favorem promissam. *Secundo* per infidelitatem alterius: quia talia juramenta intelliguntur sub conditione, si alius ingratus non existat. *Tertio* quando jus tuum, aut tuorum, vel Ecclesiæ aliud exposcat. *Quarto*, quando datur mutatio notabilis rerum, ut in sponsalibus, in quibus cessat obligatio juramenti notabili mutatione supervenienti. *Quinto*, quando observatio juramenti est alteri nociva. Cætera hic spectantia vide *tract. præced. a n.* 114.

TRACTATUS DECIMUSTERTIUS

DE ADJURATIONE.

POst juramentum immediate disserit Angelic. de adjuratione. 2. 2. *q.* 90. Cujus facem sequentes de eadem præsenti tractatu erit nobis sermo.

CAPUT UNICUM.

De natura, divisione, & aliis conditionibus adjurationis.

PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex sit adjuratio.

1. Inq. 1. Quid sit adjuratio? R. est *contestatio rei sacræ, per quam adjuratus imperio, aut precibus inducitur ad aliquid faciendum, seu omittendum.* Si proprie sumatur, est actus religionis, quia per illam exhibetur Deo honor assumendo ejus nomen ad postulandum, seu imperandum, quod fieri cupimus. Distinguitur a juramento, quia in hoc adducitur Deus ut testis veritatis; in adjuratione vero ut objectum amoris, aut timoris. Differt etiam ab oratione, quia in hac nihil imperatur; in adjuratione autem aliquid potest per Deum imperari. Non datur speciale præceptum adjurandi: nam quod per eam exoptatur, potest per orationem adipisci, tamen ratione officii in ministro Ecclesiæ potest dari obligatio adjurandi, præsertim Dœmones, ut ab obsessis corporibus egrediantur.

2. Inq. 2. Quotuplex sit adjuratio? R. adjuratio alia est *deprecativa*, alia *imperativa*, alia *privata*, alia *solemnis*, alia denique *propria*, alia *impropria*. *Deprecativa* est, cum aliquid postulamus a Deo per ejus misericordiam, aut per merita Christi, beatissimæ Virginis, aut sanctorum. *Imperativa* est, cum per nomen Dei aliquid inferioribus præcipitur. *Solemnis* est, quæ fit modo ab Ecclesia præscripto per ministros ab ea deputatos. *Privata*, quæ a quocumque fieri potest. *Propria* dicitur, quæ Deum invocat, aut sanctos, prout in eis Deus splendet. *Impropria* est, quæ sanctos juxta eorum propriam excellentiam invocat. Unde petere aliquid per Deum est actus

tus *latriæ*; petere per beatissimam Virginem est actus *hyperduliæ*; & petere per sanctos est actus *duliæ*.

3. Inq. 3. Quot conditiones sint requisitæ ad licitam adjurationem? R. easdem requiri, ac ad licitum juramentum: quia adjuratio est quædam species juramenti. Unde requiritur *veritas*, ne per falsos Deos, aut motivo falso adjuretur: deinde *justitia*, hoc est, quod res postulata sit honesta, aut licita: denique *judicium*, id est, quod debita reverentia, & consideratione fiat, Defectus justitiæ, & judicii regulariter non excedit culpam venialem; defectus veritatis, si consisteret in adjurando per Deos falsos, abs dubio esset mortale: probabilius etiam, si pauper fictus postularet per Deum magnas eleemosynas, peccaret graviter, non solum contra justitiam, sed etiam contra religionem, quia assumeret nomen Dei ad roborandam, & contestandam petitionem graviter iniquam.

4. Inq. 4. Qui possint adjurari, & adjurare? R. 1. solum creaturæ rationales possunt proprie adjurari: quia tantum creaturæ ratione utentes possunt percipere adjurationem. Unde potest primo Deus per se ipsum, vel per sanctos a nobis deprecative adjurari, ut quotidie facimus, postulando ab ipso beneficia propter suam pietatem, vel per filium suum, beatissimam Virginem, aut sanctos. Secundo Angeli, cæterique sancti adjurari possunt vel per Deum, vel per alios sanctos, ut pro nobis intercedere dignentur. Tertio Dœmones adjurari queunt imperative per virtutem Dei, ne nobis noceant. Nubes, tempestates, fulgura, & animalia irrationalia solum indirecte adjurantur, dirigendo adjurationem contra Dœmones, qui prædictis procellis, aut animalibus nobis nocent, & agros infestant, ut ait D. Thom. 2. 2. *q.* 90. *art.* 3.

5. R. 2. Quod privata adjuratione quilibet potest adjurare Deum, sanctos, aut Dœmones, imo etiam ipse Deus potest alios adjurare per contestationem sui amoris, aut timoris. Similiter Angeli, ceterique beati, ac viatores possunt alios adjurare per Dei amorem, aut timorem ad postulata exequenda. Verum adjuratione solemni tantum ministri ordinati, & ab Ecclesia destinati adjurare valent: ob hanc quippe assignationem talis adjuratio solemnis dicitur. Dari hanc potestatem in Ecclesia constat ex *cap.* 16. *Marci.* Ubi dicitur: *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Et ex ordine exorcistatus, in quo potestas confertur Dœmones adjurandi, & expellendi. Hæc ordinis potestas in omnibus est æqualis, sicut potestas consecrandi, quia non pendet a meritis conferentis, aut recipientis, sed a virtute divina.

6. Alia potestas, quæ inter gratias *gratis datas* enumerantur 1. *ad Corinth.* 12. æqualis in omnibus non est, quia Spiritus sanctus dividit gratias singulis, prout vult. Sanctitas, seu puritas conscientiæ, esto sit valde conveniens in exorcistis ad Dœmones profligandos, non tamen necessario requiritur: quia virtus ordinis, & gratiæ gratis datæ reperiri possunt in peccatoribus, ut in Balaam, & Caypha; ideo plus optare debemus, quod nomina nostra scripta sint in cœlis, quam quod Dœmonia subjiciantur nobis, ut Dominus dixit *Lucæ* 10.

Punctum II.

De exorcismis.

7. Inq. 1. Quid sit exorcismus? R. est *adjuratio Dæmonum per virtutem Dei, ut a nocendo desistant.* Secundum diversa tempora diversi fuere modi, seu formulæ exorcizandi; nam in omni lege sive naturæ, sive scriptæ, sive gratiæ fuit in Ecclesia potestas abigendi Dœmones. Apud Judæos videtur prævaluisse modus adjurandi eos, invocato nomine Dei, *Tetragramaton.* In lege evangelica non una semper adjurandi fuit formula Nam Christus Dominus aliquando simplici verbo, aliquando verbis, & factis Dœmones expulit, ut cum surdum, & mutum mittendo digitos in auriculas, & dicendo *Ephetа* sanavit. *Matth.* 9. Apostoli in nomine Jesu Christi expellebant Dœmonia, ut patet *Act.* 16. Nunc autem exorcistæ ampliori exorcismorum forma utuntur, recitando Evangelia, litanias, aliasque orationes cum aspersione aquæ benedictæ, contactu crucis, vel alterius reliquiæ, ut constat ex rituali Romano, cui

om-

omnino debent se conformare, nec alia pro libito addere.

8. Inq. 2. An exorcismi habeant ex opere operato virtutem abigendi Dœmones? R. Exorcismos habere ex opere operato virtutem moralem per modum impetrationis a Deo. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 71. *art.* 3. ubi docet exorcismos non solum significare, sed etiam facere aliquid pro expulsione Dœmonum. Hæc virtus juxta aliquos est infallibilis circa aliquem effectum, vel expulsionem saltem vialem; juxta alios operatur, vel non secundum Dei beneplacitum.

9. Præter exorcismos ab Ecclesia institutos dantur aliæ res, quibus Dœmones profligantur, ut invocatio nominis *Jesu*, aut *Mariæ*, crux Christi, Agni cærei, & aliæ sacræ reliquiæ, & præcipue aqua benedicta; de qua inter alia mira refert Seraphica mater nostra Teresia *cap.* 31. vitæ, plus abigere Dœmones, quam crux ipsa: addens humiliter se nescire rationem hujus effectus. Potest autem ratio congruentiæ esse, quod crux habet virtutem ad alios plures effectus: aqua vero benedicta præcipue est destinata ad effectum Dœmones abigendi, unde istum effectum efficacius operatur: sicut in naturalibus virtus unita, & directa ad unum effectum fortior est, quam ad alios dispersa. Exorcismus ordinatur ad abigendos Dœmones ab interiori; aqua autem benedicta ad repellendos eos ab exteriori, ut docet D. Thom. 3. *p. q.* 71. *a.* 2. *ad* 3.

10. Inq. 3. An res corporeæ, & sensibiles habeant virtutem Dœmones expellendi? R. Nullam rem corpoream habere virtutem naturalem ad expellendum directe Dœmones. Quia Dœmon est res spiritualis, in quam nulla res corporea directe agere valet, quia nullos habet sensus, aut organa. Cæterum res naturales corporeæ possunt habere virtutem expellendi indirecte Dœmones, quia valent agere in alias res naturales, quibus Dœmon utitur ad homines vexandos. Hoc modo cythara David profligabat Dœmonem, quia suo sonitu refocillabatur Saul, leniendo ejus humorem tetricum, recedebatque ab eo spiritus malus. 1. *Reg.* 16.

11. Eodem modo fumus jecoris piscis expellebat Dœmonem Asmodæum temperando ardorem veneris in Tobia. Idem dicitur de quibusdam herbis, ut artemisa, salvia, ruta, & aliis, necnon de fumigationibus cornu caprini, aut similium; hæc enim omnia si Dœmones expellunt, solum est indirecte per oppositionem suæ naturalis virtutis ad materiam, qua a Dœmone homines vexantur, aut agitantur.

12. Inq. 4. Quomodo se gerere debeat exorcista ad suum munus rite obeundum? R. ex suppositione necessitatis sui muneris exercendi debet in primis spiritualibus armis se munire, nempe viva fide, spe firma, fervida charitate, profunda humilitate, devota oratione, sanctisque jejuniis. Deinde curet, ut obsessus expietur per sacramentalem confessionem, & etiam, data opportunitate, roboretur sacræ Eucharistiæ sumptione, ut sic undequaque munitus tanquam Ecclesiæ minister, & miles Christi aggrediatur impavidus prælium Domini.

13. Inq. 5. Quæ Dœmonibus exorcista imperare, & interrogare possit? R. solum imperare eis valet, ut exeant, a nocendoque desistant; & interrogare ea, quæ unice ad eorum expulsionem conducunt. Ratio primi est: quia solum hanc potestatem Christus suis ministris contulit, quando eis illam dedit supra Dœmonia *Marc. ultim.* Ratio secundi est, quia, concesso fine, conceduntur media ad illum conducentia; sed solum aliqua interrogare est medium conducens ad finem Dœmones expellendi, ergo hoc solum est licitum. Unde illicitum est imponere præceptum Dœmoni superiori, ut inferiores expellat, licet possit, & debeat ei præcipi, ut cum omnibus exeat. Similiter possunt interrogari de numero, & nomine habitantium in obsesso, & de causa ingressus, ut patet ex rituali Romano. Ex eodem constat posse peti a Dœmone signum sui egressus; præveniat autem exorcista, ut signum sit honestum, nullique nocivum: nunquam adhibeat inter adjurandum juramenta, nec instrumenta indecora, nec alapas, flagella, aut similia; quia virtus exorcismi nullo horum indiget ad suum effectum præstandum. Nihil alienum a gravitate, decore, & sanctitate ministerii faciat, aut dicat exorcista.

14. Inq. 6. An exorcista peccet graviter, si unam, vel alteram rem veram, aut curiosam a Dœmone interroget? R. habere longos, & inutiles sermones cum Dœmone est peccatum grave: quia hoc esset cum eo amicitiam inire. Pariter aliquid interrogare cum periculo prodeundi delicta proximi, vel intentione obtinendi ab eo scientiam, vel aliud beneficium, vel quidquam deprecative est lethale, quia hoc esset ei subjici. Si autem coactive, & imperative aliquam rem vanam interrogaret, non excederet culpam venialem, quia sic ageretur cum eo, ut hoste, & ad summum esset actus socialis imperfectus, in quo grave peccatum non adest. Imo interrogare coactive Dœmonem de aliqua veritate, quæ creditur expedire manifestari ad gloriam Dei, aut utilitatem spiritualem proximi, licitum est juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 4. *ad* 1. Nota, quod ibi *ad* 2. meminit Pythonyssæ interrogatæ a Saule, in quo hic graviter deliquit; sed non resolvit, an, quod apparuit, fuerit anima Samuelis.

15 Inq. 7. An possit dari fides Dœmoni ex vi exorcismi aliquid manifestanti? R. regulariter ejus dictis nulla fides est adhibenda: quia est pater mendacii, ut ait D. Thom. ibidem: Unde si diceret causam sui ingressus in aliquem fuisse illum non esse baptizatum, minime ex vi illius testimonii esset rebaptizandus, ut erudite resolvunt PP. Salmanticenses in facti contingentia cujusdam monialis *tom.* 5. *tract.* 22. *cap. unic. a num.* 69.

16 Addunt tamen prudenter, quod, si ultra Dœmonis dictum concurrant alia gravia indicia de baptismi defectu, debere rebaptizari. Ita accidit in casu singulari, in quo Dœmon coactus a Deo revelavit quamdam virginem non fuisse baptizatam ex defectu materiæ, quod sic contigisse postea testata est mater puellæ, ut refertur in nostra Chronica *lib.* 7. *cap.* 23. *num.* 4. Unde generaliter esto dictis Dœmonis nulla debeat dari fides; nihilominus, quando concurrant alia indicia gravia, quæ veritatem sufficienter contestentur, poterit credi; sicut etiam quando incitaret ad aliquod opus undequaque bonum, ut ad ingressum religionis: ita D. Th. *Opusc.* 17. *cap.* 10.

17. Inq. 8. In quo loco adjurari debeant energumeni? R. Regulariter in Ecclesia sunt adjurandi: quia ibi adsunt omnia, quæ Dœmones horrent, ut sacramentum Eucharistiæ, cruces, sanctorum imagines, & reliquiæ, aliæque res sacræ, quæ illos effugant; verum ex necessitate illicitum non est extra Ecclesiam adjurare, esto raro fieri debeat. Conveniens etiam est, quod adjuratio fiat apertis januis Ecclesiæ, tum ad confirmandam astantium fidem, tum ad roborandam adjurationem communi oratione; pro qua cavendum est ne Dœmones vana, aut falsa loquantur, nec quæ ad risum movere possint. Similiter arcendæ sunt mulieres, quæ magis ejulatus, & gemitus, quam orationes fundere solent: excludendi etiam sunt pueri, otiosi, & blaterones, qui tanquam ad spectacula ad hujusmodi accedunt. Advertendum denique est, ne unquam sacra Eucharistia, seu pixis, in quo servatur, capiti, aut corpori obsessi admoveatur, quod cum aliis scitu dignis tradit Bened. XIV. in sua epist. *Cum ut recte*, quæ reperitur *tom.* 4. Bullarii ejusdem.

Punctum III.

De ingressu Dœmonum in homines.

18. Inq. 1. An Dœmones ingrediantur in corpora hominum? R. affirm. Imo de fide est Dœmones in corpora hominum subintrare; ut patet ex variis locis sancti Evangelii, ubi constat Dominum Dœmoniacos curasse, & dedisse Apostolis potestatem Dœmones ejiciendi. Ut autem quis vere arreptitius, aut energumenus dicatur, tria requiruntur. *Primum*, quod Dœmon subintret corpus obsessi, non enim sufficit assistentia ejus extrinseca; alias sancti, quibus adstitit ad tentandum, fuissent arreptitii. *Secundum*, quod eos immediate per se ipsos vexent, non mediate per morbos; alias omnes maleficiati dicerentur Dœmoniaci. *Tertium*, quod habeat potestatem manendi in corpore obsessi, tamquam in proprio domicilio, eum interius, exteriusque vexando: quod, quia non habuit Dœmon in Judam, non fuit arreptitius; esto in eum in-

intraverit, ut constat ex illo Joan. 13. 27. *Et post buccellam introivit in eum Satanas.* Quo denotatur atrocitas criminis, quod solum ab homine acto, & impulso a Dœmone perpetrari poterat.

19. Verum licet Dœmon habitet in corpore hominis, est tamen diverso modo, ac anima, quia hæc est in toto, tanquam forma vivificans; ille in toto, vel in parte tanquam in loco operationis. Adest etiam modo distincto ac Angelus Custos, quia hic tantum operatur exterius removendo a nobis mala imminentia, aut infundendo interius bona consilia: Dœmon vero intra corpus, & in ipso corpore operatur.

20. Inq. 2. Per quam corporis partem Dœmones in homines ingrediantur? R. cum sint spiritus, possunt intrare per quamlibet partem, aut meatum corporis, verumtamen per os, aut nares ingrediuntur. Unde orta est laudabilis, & observanda consuetudo, qua homines oscitantes signum crucis in ore efformant. Residunt plerumque in corde, seu circa cor, quia hoc est principalius membrum, & initium actionum vitalium; in qualibet tamen parte pro libito sæpe habitant. Ex omni ordine, & principatu subintrant in homines, ut colligitur ex Apost. *ad Ephes.* 6. ubi dicit *Nos colluctare adversus Principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Ex quibus verbis etiam infertur, non omnes Dœmones cecidisse in infernum, & ibi incarcerari, sed plures mansisse in aere ad exercitium hominum, ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 64. *art.* 4. *ad* 3. Omnes tamen torquentur igne inferni, qui tanquam instrumentum divinæ virtutis in distans operatur, ut tradit ibidem, & alibi.

21. Inq. 3. An plures Dœmones in uno homine esse possint? R. affirm. Constat *ex cap.* 8. *Luc.* ubi dicitur legionem Dęmonum vexasse obsessum. Operantur autem, vel in diversas partes corporis, vel circa eandem partialiter, vel per actiones specie diversas. Communiter plures magis, quam pauci cruciant, quam quam si Deus permitteret, unus posset nocere, quantum plures; sed regulariter singuli a Superiori legionis ex Dei permissione habent certum modum, & mensuram nocendi.

22. Inq. 4. Quæ sint signa ad cognoscendum aliquem esse vere energumenum? R. Dari plura signa, sed pauca certa. *Primum*, si peregrinis linguis loquatur. *Secundum*, si calleat scientias, quas numquam didicit. *Tertium*, si revelet occulta, quæ humana virtute sciri nequeunt. *Quartum*, stupor membrorum præternaturalis, & vox inconsueta. *Quintum*, horribilis, & truculentus vultus. *Sextum*, resistentia nomina *Jesu*, & *Mariæ* pronunciandi, sanctos invocandi, aut res sacras tangendi. *Septimum*, extraordinariæ vires ad ingentia onera portanda, & catenas facile dirumpendas. Hæc sunt signa, quibus agnosci quit verus arreptitius, præcipue si omnia concurrant. Tria prima certa reputantur, cætera sub dubio proponuntur. Vid. Angel. 1. *p. q.* 115. *a.* 5.

23. Inq. 5. Quam potestatem exerceant Dœmones circa animam, & corpus obsessi? R. circa animam exercent potestatem indirecte perturbando sensus, & lædendo organa, quibus anima utitur ad suas operationes: vexant etiam obsessum gravioribus tentationibus, & aflictionibus, qua ratione curandum est, ut energumeni devote ad sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ accedant ad se muniendos contra diabolicos incursus. Sed majorem in corpora exercent potestatem, ea vehementissime cruciando, ita ut, si Deus permitteret, nullus obsessorum salva vita tyrannidem eorum effugere posset. Igitur valent Dœmones cogere obsessos ad loquendum, aut tacendum, ad ambulandum, aut standum, ad videndum, & non videndum: possunt etiam immutare eorum sensus, & species taliter, ut fantasiam perturbent. Nequeunt tamen cogere directe intellectum, & voluntatem obsessi; supra has enim potentias, ut dictum est, non habent potestatem, nisi indirectam.

PUNCTUM IV.

De aliis violentiis Dœmonum.

24. Inq. 6. An verba, & operationes obsessorum, quæ alias peccata sunt, imputentur eis ad culpam? R. si Dœmones per violentiam absque consensu obses-

sessi compellunt linguam ejus blasphemare, vel obscœna verba proferre, vel cogunt eum ad alia mala exterius perpetranda, hujusmodi peccata ei non imputantur, quia ipsi nec sunt libera, nec voluntaria. Eadem ratione quando Dœmones ita perturbant sensus internos, ut invincibiliter apprehendat obsessus malum pro bono, non peccat, quia operatur, ut carens usu rationis. Si autem Dæmones solum suasionibus, & suggestionibus, tametsi vehementibus alliciant voluntatem, quin sensus internos pervertant, tunc peccata imputantur energumenis: quia libere volita sunt; ita peccavit Saul, quando arreptus a Dœmone misit lanceam in David. 1. *Reg.* 18. Potest igitur Diabolus compellere hominem, ut faciat aliquid, quod ex se sit malum, aut peccatum; sed non potest compellere ad peccandum. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 80. *art.* 3.

25. Inq. 2. An de facto permittat Deus Diabolos violentias obscenas inferre personis spiritualibus ad majorem earum profectum, & purgationem? R. neg. quia non est credibile Deum, qui est amator castitatis, velle cum ejus violatione puritatem animæ perficere; quinimo sæpe miraculis patefecit se sollicite tutari castitatem, ejusque decorem, ut liquet in sancta Agnete, Lucia, & aliis fœminis sanctis, quarum nuditatem nivis candore operuit. Potest Diabolus ex se cuilibet vim inferre, & compellere homines ad actus pravos abutendo eorum membris, sed frenatur a Deo, ne absque sua licentia talia efficiat, aut alicui noceat.

26. Objic. 1. Nequeunt negari violentiæ Diabolicæ in arreptitiis, & obsessis; constant enim ex Lucæ 8. 29. & ex historiis fide dignis. R. Deum permittere Diabolo vexare homines mille modis, vel ad exercitium patientiæ, vel ad punitionem alicujus peccati. Sed aliud est cruciare eos doloribus, pœnis corporalibus, plagis, & vulneribus, vel etiam suggestionibus, aut tentationibus; & aliud vim inferre ad actus pravos, & obscenos; primum permittit Deus ob fines suæ providentiæ, sed nunquam permisit, nec permittit Diabolo violentias pravas, aut impuras ad purificandas animas sanctas. Si quæ igitur asserat sibi Diabolum ad similia vim intulisse, credenda est illusa, vel quod ipsa volente res fuit habita. Hæc est via secura.

27. *Dices*: Deus permisit aliquando virgines castas violari ab hominibus contra earum voluntatem, ut legitur in D. Aug. *lib.* 1. *de Civit. cap.* 28. ergo idem est de permisione Diaboli. R. ex eodem Aug. ibi: *forsan ipsæ superbia laborabant, & tumebant.* Unde videtur permisisse Deum illam violationem, & violentiam ad puniendas superbas, non ad purificandas animas sanctas. Non semel punit Deus publica confusione occulta crimina, in quo elucet ejus misericordia: si namque confusio non præcederet, forte flagitia non cessarent. Nec est idem quoad violentiam inferendam de homine, ac Dœmone; homo enim est liber, Dœmon autem est ligatus, quoniam si liber esset ad nocendum, væ nobis! Habet quippe *mille artes nocendi.*

28. Nec tentare permittit ei Deus, quantum vellet; multo igitur minus permittit violentias ad actus pravos, & obscenos ad purificandas, & perficiendas animas sanctas, est quippe medium incongruum Providentiæ Divinæ. Nec homini censemus permittere Deum violare virgines castas, quia si ipsæ vere sint castæ, puræ, & humiles corde, proteget eas conservando incombustam earum puritatem etiam in medio flammarum sicut rubum in deserto. Huic doctrinæ adhæreant semper Confessarii, & directores animarum; ex opposita enim, quæ Molinismum sapit, multa pericula, & ingentia mala oriri valent. Est quippe via valde obstrusa. Vid. Bullam Innocentii XI. quæ incipit *Cœlestis pastor*, dat. 20 Nov. ann. 1687. *contra Molinos. tom.* 2. *pag.* 494

Punctum V.

De egressu Dœmonum.

29. Inq. 1. Cur Dœmones adeo renuant egressum ab obsessis? R. Causam propriam suæ resistentiæ esse livorem, aut invidiam, qua tabescunt erga homines, quos semper vellent cruciare. Aliqui Dœmones difficilius expelluntur, quia ex Dei permissione majus dominium habent in obsessum; hac etiam de causa certum

tum genus Dœmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio.

30. Inq. 2. Quæ sint signa egressus Dœmonum ab energumenis? R. nulla signa esse certa: probabilius est, quod obsessus per longum tempus nullam patiatur molestiam ex his, quibus antea cruciabatur. Alia signa sunt eorum confessio, forma apparens alicujus hominis nigri, aut canis, vel hirci, seu discessus non ordinarius magnæ muscæ, formicæ, aut araneæ, vel ingens vomitus rerum putridarum, aut ingentes ejulatus, aut collisio obsessi in terram. Aliquando discedunt absque signis; quare parum est in eis fidendum. Signa, quæ ab exorcista posci possunt, debent esse honesta, & nemini nociva, ut extinctio candelæ, seu lampadis, fractio vasis vitrei, clausio, seu apertio portæ Ecclesiæ, aut aliquid hujusmodi, quod nulli damnum causare valeat: et hoc est eis severe præcipiendum ab exorcista.

31. Inq. 3. An liceat annuere petitioni Dœmonum, quando egressuri a corpore aliquid deposcunt? R. si nihil contra Deum, aut proximum postulent, concedere licet, ut quantocius egrediantur; ut si peterent, ne eis malum majus inferatur, ne relegentur in infernum, ne novis cruciatibus afficiantur. Si autem poscerent aliquid cedens contra honorem Dei, aut bonum proximi, nullatenus licet eorum acquiescere petitioni. Christus permisit Dœmonibus intrare in porcos, *Lucæ* 8. 32. Sed erat omnium Dominus, cujus factum potius venerari, quam imitari debet, secluso speciali, & certo ejusdem impulsu. Uno Dœmone expulso, regulariter omnes dispelluntur, quia virtus exorcismi omnibus æqualiter obest. Ex divina autem voluntate contingere potest, quod uno, aut pluribus expulsis, alii remaneant.

Punctum VI.

Alia dubia circa Dœmones.

32. Inq. 1. An sint spiritus illi, qui vulgo *Duendes* dicuntur? R. *Primo* certum esse dari *larvas*, *lemures*, aut *homuntiones*, vulgo *duendes*, seu *trasgos*, qui spectris quædam loca infestant, hominesque terrefaciunt, ut experientia quotidiana comprobat. Audiuntur enim in domibus, cubiculis, aut arcibus, tempore præcipue nocturno, percipiunturque strepitus ab eis causari, vel catinos, & paropsides commovendo, vel lapillos projiciendo, vel ad bacillos ludendo, vel aliis modis homines terrificando.

33. R. secundo similia spectra non esse animalia invisibilia, & irrationabilia, ut aliquis plus festive, quam solide scripsit, sed Dœmones, quos in aere ad homines exercitandos divina providentia reliquit. Constat ex authoritate ritualis Romani, ubi apponitur exorcismus *domus a Dœmonio vexatæ*. Unde omnes, qui de exorcismis egerunt, hujusmodi larvas appellant Dœmones, ita ut opinatio opposita non solum futilis, & singularis, sed etiam ridicula reputetur. Sunt igitur mundi rectores tenebrarum harum, ut dicit Apost. *ad Ephes.* 6. 12. idcirco potius noctu, quam per diem se produnt, ut rectores tenebrarum. Eadem ratione infestant domus, locaque deserta, & paludosa; quædam enim præ aliis has infestationes sæpius patiuntur, vel quia subterranea, aut solitaria sunt, vel quia minus habitantur, vel quia divina providentia ita disponit ob fines nobis occultos, semper tamen minus nocivos, magisve salutares. Unde magis nocent homines tetricos, melancholicos, & præcipue lunaticos, tum ut lunam infament, tum quia lunatici sunt magis dispositi ex temperamento humido Dœmonum vexationi, ut ait D. Thom. 1. *p. q.* 115. *a.* 5. *ad* 1.

34. Objic. 1. Apocalyp. 20. dicitur, quod Angelus de cœlo descendens *apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni, & post hæc oportet illum solvi modico tempore.* In his verbis denotatur, quod draco, seu Diabolus cum exercitu suo ligatus fuit, & clausus in inferno per Christum usque ad adventum Antichristi toto tempore legis gratiæ designato per mille annos, ergo Dœmones nunc non sunt in aere, sed reclusi in inferno.

35. R. nequit dubitari Dœmones versari etiam nunc in aere ad exercitium hominum ; constat enim non solum ex rituali Romano , & ex Apostolo loco laudato , sed etiam ex *Matth. Ultim.* ubi Christus inter signa suorum fidelium posuit virtutem eos ejiciendi ; *In nomine meo Dœmonia ejicient*. Igitur si textus Apocalypsis intelligatur de omnibus Diabolis , debet interpretari de ligatione per Christum , ita ut nequeant fideles tentare, quantum vellent ; nec quantum ante adventum Christi tentare solebant.

36. Alii ajunt proprius intelligi textum Apocalypseos de Lucifero , qui antonomastice appellatur draco , serpens, & Diabolus , qui per Christum in abysso est reclusus mille annis , idest tempore gratiæ usque ad adventum Antichristi in bonum Ecclesiæ , & electorum, juxta illud *Joan.* 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Cæteri vero Dæmones , vel plures ex eis non sunt clausi in inferno.

37. Nota , quod hic locus Apocalypsis nimis ad litteram acceptus fuit , occasio erroris eorum , qui *Chiliastas* , vel *millenarii* dicuntur , quorum primus fuit Papias Episcopus Hieropolitanus , & discipulus ipsius Evangelistæ Joannis , cui subscripserunt aliqui SS. Patres asserentes, devicto Antichristo, sanctos in hoc mundo gravisuros omnibus deliciis , juxta impurissimum Cerinthum , carnalibus , juxta Ireneum , & alios , spiritualibus. Sed hic est error improbatus communi sensu SS. Patrum , quia sancti non egent deliciis hujus mundi , cum in cœlo omnibus gaudeant. Mille itaque anni denotant tempus gratiæ usque ad adventum Antichristi ; tunc enim *solvetur Satanas de carcere suo , & exiet* , ut ibidem dicitur. Uno verbo Lucifer nunc est ligatus in abysso , alii vero Dœmones versantur in aere.

38. Objic. 2. spectra , larvæ , seu lemures faciunt quasdam levitates excitantes ad risum , ut frangores , vel sonitus catinorum , & alia ridicula ; sed Dœmones , igne averni ubique torti , non sunt in statu faciendi ridicula , vel movendi ad risum , ergo licet in aere versentur, præmissa spectra Dœmones non sunt.

39. R. licet Dœmones semper , & ubique crucientur igne tartareo , efficiunt quædam ridicula ad decipiendos homines ; novimus enim ex historiis fide dignis sumpsisse quandoque figuram simiæ ad movendum ad risum etiam ministros altari servientes. Nihil quippe eis interest facere ridicula , quoties homini aliquomodo noceant , ex livore invidiæ, qua in eum semper tabescunt ; esto media nocendi incongrua sint eorum statui. Quid incongruentius eorum naturæ , & statui , quam luxuria carnalis , & incubatio , aut succubatio ? & nihilominus, ut supradiximus ex SS. Hieron. August. & Thoma dantur Dœmones talia perpetrantes , quidquid alii minoris authoritatis reluctari contendant , & quod Dœmones faciant quasdam levitates ad risum moventes admittitur ab Angel. Præcept. 1. 2. *q.* 89. *a.* 4. *ad* 3.

40. Objic. 3. D. Chrisost. *homil.* 22. *in Genes.* & Cassian. *Collat.* 8. *cap.* 21. negant esse credibile spiritum posse coire cum fœmina , ergo non est admittenda incubatio , aut succubatio in Dœmone. R. Chrisostomum , & Cassianum solum negare Angelos natura sua id posse facere , aut eorum primum peccatum fuisse ex libidine ; aut se miscuisse carnaliter cum fœminis , quæ *Genes.* 5. appellantur *filiæ hominum* ; non tamen negant posse in natura assumpta incubare, succubare , & etiam semine humano generare.

41. D. Augustinus , qui prius de hoc dubitaverat , postea ait tam constanti fama , tantorumque hominum testimonio constare *Dœmones assidue immunditiam hanc tentare , & efficere , ut hoc negare imprudentiæ videatur.* Ita testatur in *lib.* 15. *de Civit. cap.* 23.

42. Apulejus , & Platonici putaverunt Dœmones esse quædam animalia aerea; quo posito , aut ficto , non esset adeo extraneum a natura eorum ridicula facere , aut generare ; sed est error antiquus , a quibusdam modernis suscitatus, & partim adoptatus taliter , quod illum venditare velint ut novam philosophiam a se inventam : in quo dupliciter errant, quia ex una parte reperiuntur apud vere sapientes plagiarii , & ex alia stulti, despicientes viam majorum , & nolentes subscribere doctrinæ sanæ. D. August. &

D. Thomæ, quos Ecclesia semper laudat inter sui firmamenti luminaria majora.

43. Supposito ergo, spectra, seu larvas non esse animalia, sed spiritus, qui communiter dicuntur Dœmones, profligandi sunt a domibus, vel aliis locis, in quibus nocent, aut terrificant, eisdem remediis supra indicatis, videlicet exorcismis, orationibus, aqua benedicta, signo crucis, invocatione nominis *Jesu*, & *Mariæ*, & puritate conscientiæ habitantium; frequentius enim infestant loca, ubi gravia crimina sunt perpetrata, vel habitant homicidæ, aut alii homines scelerati. Quare ut superstitiosa rejicienda sunt remedia, quibus Ethnici utebantur contra lemures, nempe fabæ nigræ prius in ore versatæ, & post tergum projectæ, aut arma, vel effusio sanguinis infantium, quod non solum superstitiosum, sed crudele, & inhumanum est.

44. Inq. 2. An unicuique homini sit deputans Dœmon ad ei nocendum, sicut Angelus bonus ad eum custodiendum? R. affirm. quia Lucifer est simia Dei, & sicut Deus destinavit suos spiritus ad dirigendos homines in cœlum, distribuendo regnis, provinciis, & communitatibus peculiarem principem, præsidem, aut rectorem ex Angelis superioribus, & custodem ex inferioribus unicuique homini: ita suo modo Lucifer ex Dei permissione habet suos ministros deputatos, superiores quidem pro regnis, provinciis, & communitatibus vexandis, & perturbandis, pro unoquoque autem homine tentando, & impugnando inferiores. Sunt enim etiam inter Dœmones alii aliis superiores, quia ex omni hierarchia ceciderunt plures, & non amiserunt perfectionem naturæ, in qua creati fuerunt. Unde juxta eorum perfectionem naturalem superiores præsunt inferioribus, & Lucifer omnibus, quod habet partim a natura, partim ex communi eorum nequitia, & consensu, ut ait D. Thom. 1, *p. q.* 109. *a.* 2. *ad* 2.

45. Dices, ergo datur ordo in Dœmonibus, quod non videtur verum. Sequitur etiam ex dictis, quod alii aliis obediunt, & quod Lucifer sit Prælatus omnium, ex quo aliquid honoris, & gaudii ei adveniret, quod non est credendum. R. quod ordo naturalis, in quo a Deo fuerunt creati, remanet in Dœmonibus, licet ex malitia eorum perversus, & depravatus. Unde alii aliis coacte subduntur, & obediunt semper in malum, semperque ex prava intentione nocendi homini. Prælatura autem Luciferi nihil honoris, aut gaudii ei affert; nam esse Prælatum malorum, non honor, sed ignominia, & miseria est; unde major inter Dœmones est pejor, & magis miser. Nihilominus omnes conveniunt ad nocumentum hominum maxima solicitudine; ex qua oportebat, quod disceremus, quanta cura, & diligentia debeamus vigilare contra eorum insidias. Clamemus continuo pro auxilio divino, vigilemus, & oremus, ne intremus in tentationem, ne ab eis superemur, sed profligando eorum pertinaciam, gloriemur de æterna victoria.

TRACTATUS DECIMUSQUARTUS

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

TErtium Decalogi præceptum est de cultu Deo exhibendo: sub quo agunt plures etiam de præcepto audiendi sacrum, & de aliis obligationibus ex institutione Ecclesiæ observandis. Nos vero de illis agemus, dum de præceptis Ecclesiæ sermonem instituemus.

CAPUT UNICUM.

De festorum observatione.

PUNCTUM I.

De præcepto servandi festa.

1. Inq. 1. An detur præceptum ser-

vandi festa ? R. affirm. constat ex cap. 2. *Exodi.* ubi Deus præcepit Judæis sanctificare Sabbatum , & abstinere in eo ab omni opere servili. Hoc est tertium Decalogi præceptum , quod licet quoad determinationem diei Sabbati cæremoniale esset , & jam cessavit ; tamen, in quantum jubet cultum Deo tribuere in memoriam beneficii creationis , est morale , & omnes obligat.

2. Inq. 2. Quid jubeatur per hoc præceptum ? R. jubetur dare Deo aliquem cultum exteriorem absque exclusione interioris ; non vero actus charitatis , & contritionis. *Ita D. Thom. 2. 2. q. 122. art.* 4. ubi cum dixisset , quod ad cultum interiorem magis inducimur per instinctum Spiritus sancti , addit : *Ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficii, quod pertinet ad omnes , scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi , a quo requievisse dicitur Deus septima die, in cujus signum dies septima mandatur sanctificanda* , ergo cultus exterior , qui est actus religionis , non vero charitatis, aut contritionis jubetur in hoc præcepto. Ex quo sequitur hoc præceptum quoad hanc partem esse affirmativum ; præcipit enim aliquem cultum indifferenter , ergo præcipit actum positivum religionis , & consequenter est affirmativum ; licet in quantum prohibet opus servile , sit negativum.

3. Inq. 3. Quando cæpit obligatio hujus præcepti ? R. tempore Moysis , ut constat ex citato capite Exodi. Quamvis enim cultus Deo debitus ab origine mundi a Patriarchis , & cæteris hominibus tribueretur ; tamen observatio Sabbati a Moyse intimata fuit Judæis , ut præceptum cæremoniale ob quatuor præcipue causas. *Prima* , ut beneficium creationis universi , a qua Sabbato Deus requievit, præsertim Sabbato recolerent , ut dicitur eodem capite Exodi. *Secunda* , in memoriam liberationis a servitute Egypciaca, ut patet ex Deutheronom. 5. 15. *Tertia*, in signum electionis , qua præ aliis gentibus Judæos Deus sibi elegit , ut constat ex *cap.* 31. 13. *Exodi. Quarta* , ut ultimo die hebdomadæ daretur requies servis , & ancillis , ut habetur *Deutheronom.* 5. 14. Quam bonus noster Deus! qui etiam de servis , & ancillis curam habet , eisque compatitur. Sit laudatus in sæcula !

4. Inq. 4. Quo die teneantur Christiani hoc præceptum observare ? R. præcipue die Dominica , in quam festivitas Sabbati ab Ecclesia translata est , ideoque Dominica est dies in qua Synagoga finitur , & Ecclesia nascitur , quia in eam universa gratia , & solemnitas Sabbati Judæorum mutata est , ut inquit D. Aug. *serm. 7. de Resurrection.* Constat *ex cap. Pronuntiatum , ex cap. Pervenit , de Consecrat. dist.* 3. *& ex cap. Sabbato.* Causæ hujus translationis inter alias duæ sunt principales , nempe in memoriam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, & ut a Judæis Sabbatum colentibus secernamur. Causæ dignissimæ nostra gratitudine !

5. Inq. 5. An observatio diei dominicæ sit de jure divino , aut ecclesiastico? R. esse de jure ecclesiastico. Ita D. Th. ubi supra , dicens : *Ad quartum dicendum , quod observantia diei dominicæ in nova lege succedit observantiæ Sabbati, non ex vi præcepti legis , sed ex constitutione Ecclesiæ , & consuetudine populi Christiani* : ergo est de jure ecclesiastico. Cæterum cum sit universali Ecclesiæ consuetudine obfirmata , utpote emanata ab Apostolis , & ab Anacleto Papa præcepto universali sancita : ideo esto de potestate absoluta Pontificis variari possit , non tamen de potestate ordinaria, qua ratione observatio diei dominicæ moraliter invariabilis dici potest , licet sit de jure ecclesiastico.

6. Inq. 6. An præter Dominicam sint alii dies festi observandi. R. affirm. quia sicut Judæi præter Sabbatum alias solemnitates in Dei cultum celebrabant , ita ab Ecclesia præter Dominicam, alii dies ad Deum , & ejus sanctos colendos sunt instituti. Si autem cupias eorum initium, & institutionem scire , consule cursum Salmanticensem , qui erudito , & opulento calamo , ut assolet , agit de eorum initio , institutione , & numero. *Tom. 5. tr.* 23. *cap.* 1. *a num.* 41.

7. Inq. 7. Qui habeant potestatem festa instituendi ? R. Papam , & Concilium generale legitime congregatum posse pro tota Ecclesia dies festos instituere : quia

ha-

habent jurisdictionem in tota Ecclesia ad ferendas leges, quæ sibi congruentes visæ fuerint. Idem valent Episcopi in sua Diœcesi cum clero, & populo propter eandem rationem. Imo solus Episcopus gaudet potestate instituendi festa de sanctis canonizatis, non vero de beatificatis; debent tamen abstinere ab indictione novorum festorum, ut cavetur in Bulla Urbani VIII. incipiente *Universa per orbem*, ubi circa hoc in Domino monentur. Nullus alius præter Papam, & Episcopos tali gaudet potestate; est enim potestas ecclesiastica ordinata ad dirigendos fideles in cultum Dei, & sanctorum.

Punctum II.

De obligatione hujus præcepti.

8. Inq. 1. Quando incipiat obligatio servandi festa? R. Incipere a puncto mediæ noctis antecedentis usque ad mediam noctem subsequentem. Ita distinguimur a Judæis, qui a vespera usque ad vesperam Sabbata sua observabant, & adhuc misera superstitione observant. Si autem festum cadat in diem impeditam, transfertur quoad officium, non vero quoad festivitatem, & indulgentias, nisi aliud expresse disponatur, ut de die Annunciationis, qui si incidat in diem Parasceves, aut Sabbati sancti, transfertur etiam quoad festivitatem in feriam secundam immediatam post Dominicam in Albis ex Decr. Alex. VIII. die 11. Mart. 1690.

9. Inq. 2. An præceptum sanctificandi festa obliget sub gravi? R. affirm. constat ex propositione 52. damnata ab Innoc. XI. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Ratio id ipsum suadet, quia Ecclesia habet potestatem instituendi festa, & obligandi fideles ad eorum observantiam, ergo cum materia gravis sit, obligat sub gravi.

10. Inq. 3. Ad quid obliget præceptum festa sanctificandi? R. obligare ad duo, nempe ad audiendam Missam, & ad abstinendum ab operibus servilibus. Ita tenet universalis Ecclesiæ traditio, & constat ex jure canonico textibus supra citatis, & aliis, ubi pro diebus festis colendis præcipitur auditio sacri, & abstinentia a servilibus.

11. Inq. 4. An qui Missa audita, & feriatus a servilibus reliquum diem absumit otio, recreatione, & colloquiis inutilibus, graviter peccet contra festi observantiam? R. Benedictum XIV. in Bulla quæ incipit: *Ab eodem tempore.* data 5. Nov. 1745. ita n. 17. se explicare: „ Ad propositam a nobis rationem firmandam, sufficit legere catechismum „ Tridentini Concilii. P. 3. præcepto 3. „ n. 3. ut simul addiscatur, in quæ opera Christi fideles festis diebus debent „ incumbere. Ea nimirum sunt, divino „ sacrificio reverenter adesse, Dei verbum attente, pioque corde audire, „ Ecclesias frequentare, mundare conscientiam, Deo laudes persolvere, aliasque salutares exercitationes obire. „ Hucusque SS. Pontifex, omnibus patefaciens spiritum præcepti sanctificandi festa, abstinens (esto Legislator sapientissimus) a decidenda quæstione, an graviter, vel leviter peccet, qui, audita Missa, nihil aliud facit diebus Deo sacratis.

12. Certum vero mihi est, hominem otio, vel ludis diebus festis operam dantem, nihil, præter unam brevem Missam, de Deo cogitando, parum de eterna salute curare, esseque fere impossibile plurimis peccatis non implicari, & absdubio in maximo suæ salutis eternæ periculo versari.

13. Suadendi igitur, hortandi, monendique sunt fideles ad pietatis opera, quibus pro majori, aut saltem notabili parte diei festi Deo vacent, & inserviant, vel sacramenta suscipiendo, concioni, vesperis, & aliis functionibus ecclesiasticis devote assistendo, aut lectioni spirituali operam dando, vel actus fidei, spei, charitatis, contritionis, & aliarum virtutum eliciendo, vel opera misericordiæ exercendo, quin Prædicator, vel Confessarius se immisceat in quæstione gravis, vel levis obligationis, juxta monitum Ang. Præceptoris, qui quodlib. 9. art. 15. ita nos docet: *dicendum, quod omnis quæstio, in qua de mortali peccato quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* Ita se gerunt SS. DD. & SS. Bened. XIV.

PUNC-

Punctum III.

De his, qui ad festa colenda astringuntur.

14. Inq. 1. Qui teneantur præcepto sanctificandi festa ? R. teneri omnes fideles utriusque sexus usu rationis compotes : quia omnis usum rationis habens est capax obligationis legis, sive divinæ, sive humanæ, ergo tenentur ad legem sanctificandi festa, quæ quoad substantiam est divina, & quoad determinationem diei, humana. Unde gaudens ante septennium perfecto usu rationis ad eam tenetur : quando dubitatur, an illo gaudeat, post septennium astringitur; ante septennium vero, si adsint signa probabilia, cogi debent pueri ad Missam audiendam. Monendi sunt parentes, ut filios ante septennium deferant ad Ecclesiam, ut devotioni Missæ assuescant.

15. Amentes, cæterique usu rationis carentes non tenentur legibus; sunt namque omnis obligationis incapaces. Est autem differentia inter pueros ante septennium, & adultos amentes, quod isti excusantur a legibus, illi non tenentur; sed quoad præsens, perinde est, cum utrique deobligentur. Infideles nulla lege ecclesiastica astringuntur ; quia sunt extra Ecclesiam : eadem ratione, nec cathecumeni præcepto Missæ ligantur, esto pie admittantur ad Missam cathecumenorum, hoc est, usque ad offertorium. Hæretici legibus Ecclesiæ tenentur, supponuntur enim baptizari, potestatique Ecclesiæ subjecti.

16. Peregrini, & advenæ a proprio territorio bona fide absentes non tenentur servare festa peculiaria sui loci : *quia extra territorium jus dicenti non pareatur impune. ex cap. Ut animarum, de constit. in 6.* Si tamen ipso die festo egrediantur, tenentur audire Missam, antequam exeant, dum commode possint, quia obligatio supponitur ibi urgere, & alibi non dari. Transeuntes per loca, vel accedentes ad ea, in quibus festum celebratur, si per aliquas horas ibi morentur, debent, si opportune valeant, Missam audire, & a servilibus abstinere : si enim mere transeunter accedant & aliquid necessarium personaliter agendum occurrat, ad nihil tenentur, sed possunt sibi prudenter consulere.

17. Pernoctantes in loco, ubi dies sequens celebratur, debent audire Missam, nisi primo mane sint discessuri, quo in casu non tenentur expectare Missam. Ex his a fortiori sequitur, morantes in aliquo loco, non solum per majorem anni partem, sed etiam aliquo, vel aliquibus diebus teneri ad festa ejusdem loci, quia leges peculiares afficiunt primario locum : ideoque sicut absentes a proprio loco non tenentur festis illius ; ita ratio dictat teneri festis alterius, ubi reperiuntur ; alias facile eludi possent festa peculiaria, quod alienum a ratione, & equitate naturali est. Vide dicta *tract. 3. de leg. a num.* 193.

18. Omnes religiosi, etiam exempti, tenentur ad colenda festa ab Episcopo pro tota Diœcesi instituta, ut constat ex Trident. *sess. 25. de regul. cap.* 12. Similiter obligantur ad festum Patroni Regni, Provinciæ, seu Diœcesis celebrandum, & ad observanda festa communi voto, seu consuetudine utriusque cleri sæcularis, & regularis; quia consuetudo universalis omnes obligat.

Punctum IV.

De abstinentia ab opere servili.

19. Inq. 1. An omne opus servile in die festo prohibeatur ? R. Quod licet Judæis omne opus servile vetitum esset in Sabbato, juxta illud *Exod.* 20. *omne opus servile non facietis in eo* : ideoque nec parare, aut coquere cibos erat eis permissum ; Christianis vero non prohibentur servilia necessaria ad vitam, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *artic.* 4. *ad* 4.

20. Unde quamvis hoc præceptum obliget sub gravi, admittit parvitatem materiæ, ut spatium unius horæ, aut aliquid amplius, dummodo non pertingat, aut nimis accedat ad duas horas. Hæc est parvitas materiæ rationabilior in præsenti, nec enim mathematice, sed moraliter metienda est. Verum in mercatu, & præsertim in placito, & juramento, aut judicio, de quibus infra, non tam

ex

ex mora temporis, quam ex qualitate operis parvitas; aut gravitas materiæ desumenda est. Ideo agitatio litis, præcipue cum juramento judiciali, aut prolatio sententiæ, esto brevi morula peracta, gravis culpa est.

21. Inq. 2. Quæ opera prohibeantur in hoc præcepto? R. opera esse in triplici differentia, nempe *communia*, *servilia*, & *liberalia*. *Communia* sunt, quæ omnibus tam liberis, quam servis conveniunt, ut iter agere, ambulare, saltare, aut instrumenta pulsare. *Servilia* sunt propria servorum, aut famulorum, & continentur hoc versu: *Rus*, *nemus*, *arma*, *rates*, *vulnera*, *lana*, *faber*. *Rus* significat agriculturam, *nemus* artem venatoriam, *arma* militarem, *rates* navalem, *vulnera* chirurgicam, & pharmacopeam, *lana* textoriam, & similes, *faber* fabrilem, quæ sub se alias plures continet. *Liberalia* sunt, quæ nobilibus conveniunt, & ordinantur ad instruendum intellectum, comprehendunturque hoc carmine: *Lingua*, *tropus*, *ratio*, *numerus*, *tonus*, *angulus*, *astra*. *Lingua* designat grammaticam, *tropus* rethoricam, *ratio* dialecticam, *numerus* arithmeticam, *angulus* geometriam, *tonus* musicam, & *astra* astronomiam. Ex his omnibus operibus sola ea, quæ proprie sunt servilia, prohibentur in die festo, ut patet ex textu laudato Exodi: *Omne opus servile non facietis in eo.*

22. Inq. 3. Quid sit opus proprie servile? R. est *opus corporale mechanicum utilitati hominis ordinatum*. Hoc est opus præcipue vetitum in die festo. Ut legitime infertur ex Deuther. 5. 14. ubi vetatur opus servile, ut in Sabbato daretur requies servis, & ancillis. Pro quo sciendum est ex D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *a.* 4. *ad* 3. triplex esse opus servile, videlicet *peccaminosum*, *humanum*, & *religiosum*. Opus *peccaminosum* servile dicitur ipsum peccatum, quo Dæmoni servitur; *humanum* est, quo servitur homini; religiosum, quo servitur Deo. Per opus peccaminosum, seu per peccatum non violatur dies festus, quia solum est servile *mystice*; peccare enim omni die est prohibitum, ideoque peccare in die festo non addit novum peccatum, licet sit deformius, præsertim si committatur in diebus solemnioribus, aut in quibus mysteria præcipua nostræ salutis celebrantur, esto non sint festivi, ut dies Cœnæ Domini, & Parasceves. Igitur peccare in die festo, esto sit gravius, non tamen novum peccatum, cum mystice tantum sit servile, uti expresse asserit D. Thom. 3. *Sent. dist.* 37. *q.* 1. *a.* 5. *q.* 2. *ad* 2. Nec hic dicendi modus oponitur doctrinæ ab eodem Ang. Præcept. traditæ 2. 2. *q.* 122. *a.* 4. *ad* 3. ubi ait: *Opera peccaminosa contrariari observantiæ Sabbati*: hæc namque contradictio solum intelligitur quoad finem extrinsecum, scilicet conjunctionem animæ cum Deo, non vero quoad finem intrinsecum, nempe cultum Deo debitum tali die, nec datur præceptum speciale vacandi a peccato diebus festis, illud enim Levit. 23. *Omne opus servile non facietis in eo*; secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, quodammodo præceptum generale est, ait Doct. Ang. ibi ad 1. vel potest dici, quod opera peccaminosa contrariantur observantiæ Sabbati, quando opus mechanicum conjungitur cum peccato, ut si quis iter longum agrediatur ad peccandum, si quis in die festo Choreas agat inhoneste, si quis large tripudiet, si quis diem sacrum scandalis maculet: in his, & similibus non solum delinquitur prima intentione, sed etiam violatione Sabbati, in quantum opus servile proprie tale admiscetur actui alias peccaminoso. *Opus autem religiosum sine crimine peragitur die festo: econtra vero opus servile humanum*. ait D. Thom. *ubi supra.*

23. Inq. 4. An pingere sit opus servile vetitum in diebus festis? R. affirm. quia ars pingendi, sive acu, sive penicillo est mechanica, comprehenditur enim vel sub textoria, vel fabrili, ergo actus ejus sunt ex se serviles: & licet exerceantur non semel a nobilibus recreationis, aut voluptatis gratia, non tollit ipsos esse serviles: sicut alia opera non desinunt esse servilia, esto fiant aliquando a nobilibus. Verum formare calamo aliquas figuras ad instructionem non est opus servile. Unde architecti possunt in festis adumbrare artefacta, seu edificia postea construenda.

24. Inq. 5. An transcribere sit opus ser-

servile. R. neg. quia scribere est opus liberale, ergo etiam transcribere. Patet conseq. quia utrumque opus habet eundem finem. Imo transcribere minorem laborem præsefert, quam scribere ex proprio marte, ut cuivis docto satis constat. Unde nec scribere, nec transcribere opera servilia sunt, nec esto fiant lucri gratia, servilia evadunt, opus enim liberale ex fine operantis non fit servile, nec econtra. Aliqui distinguunt inter transcribentes, ut famuli conducti, & inter transcribentes, ut rogati, esto id ob mercedem faciant, & dicunt: quod si illi magnam, vel majorem partem diei Dominicæ insumant in transcribendis processibus, computis, & aliis hujusmodi non sunt immunes a violatione festi: istos autem esse excusatos dicunt, sive quia aliqua justa causa diebus Dominicis transcribunt, sive quia non serviliter operantur. Hanc doctrinam observent advocati, & alii, ne suos famulos majorem partem festi serviliter transcribere compellant. Coordinare litteras ad impressionem est opus servile vetitum in festis.

25. Inq. 6. An venatio, piscatio, & aucupatio sint opera servilia vetita in die festo? R. esse ex se servilia; tamen ob materiæ parvitatem, seu consuetudinem non violare graviter diem festum, si fiant absque magno labore, aut tumultu, seu recreationis gratia: quia Missa audita, & aliis exercitiis ut supra peractis, scientibus, & patientibus Prælatis, fideles venationi, & piscationi insistunt, ergo ex consuetudine ea opera exercere valent saltem absque gravi violatione festi. Igitur consuetudo locorum est inspicienda, nec sumenda major licentia. Piscatio moderata in parvis fluminibus sive rete, sive arundine ex communi consuetudine licita est, ob lucrum tamen non licet, ut innuit Bened. XIV. *in Syn. lib.* 13. *cap.* 18. *n.* 10.

26. Inq. 7. An iter agere sit opus servile? R. neg. quia itinerare, seu ambulare est opus liberis, & servis commune. Mulliones vero, seu agasones, vel alii nequeunt inchoare iter cum jumentis onustis, hoc enim est opus servile, sicut ea onerare: iter autem bona fide diebus præcedentibus inceptum continuare licite possunt. Similiter qui ex necessitate, vel ob publicam utilitatem, aut aliam gravem causam itinerantur, a culpa excusantur.

27. Inq. 8. An aliqua opera liberalia sint diebus festis prohibita? R. affirm. quia mercatus, placitum, & judicium prohibentur in die festo; *cap. Conquestus, de feriis.* Nomine mercatus intelliguntur primo nundinæ, quæ prohibitæ sunt diebus festis, seclusa consuetudine, esto Benedictus XIV. duplici constitutione ab eis abstinere debere maxime hortatur, monetque Episcopos, ut solicite eas inhibeant. Præfatæ constitutiones, quarum prima incipit *Paternæ charitatis.* Secunda *Ab eo tempore*, habentur *tom.* 1. *Bull. ejusdem.*

28. Secundo Nomine *mercatus* prohibentur emptiones, & venditiones quotidianæ, quæ, sive apertis, sive clausis januis a mercatoribus exercentur; istæ sunt penitus reprobandæ in diebus festis, nec admittenda contraria consuetudo, nisi pro necessariis ad victum, ut panis, vinum, carnes, & alia actualiter necessaria; cætera omnia vendi, aut emi nequeunt absque festi violatione. Circa quod Episcopi, & Parochi sedulo invigilare debent, ne avaritia, & cupiditate mercatorum dies sacri profanentur. *Episcopus removens a diebus Dei cultui specialiter deputatis, aut solemnes nundinas, aut etiam hebdomadarias, nullam definit quæstionem inter Theologos controversam, sed suo muneri indubitanter adnexam authoritatem exerit*, inquit Bened. VIV. *in Synod. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 3.

29. Nomine *placiti* prohibentur primo juramentum judiciale. Deinde partium citationes, & examen testium, etiam absque juramento. Verum juramenta pro causa spiritualia, aut pro pace, fide, fama, pietate, aliave gravi necessitate licita sunt etiam in festis. Nomine *judicii* prohibetur omnis sententia civilis, & criminalis, strepitum judiciale requirens, ejusque contestatio. Sententia autem excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, omnisve actus jurisdictionis voluntariæ, necnon appellationes, & causæ concernentes religionem, misericordiam, aut pietatem minime prohibentur in die festo.

PUNC-

PUNCTUM V.

De causis excusantibus laborantes in die festo.

30. Inq. 1. Quot sint causæ excusantes a præcepto abstinendi a servilibus? R. quatuor regulariter enumerantur, nimirum necessitas propria, vel aliena, utilitas Ecclesiæ, Superioris authoritas, seu dispensatio, & consuetudo legitima. Ex prima causa excusantur omnia servilia præstita in die festo ob necessitatem salutis propriæ, vel alienæ, & ad vitandum damnum grave exterius imminens, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3.

31. Unde licitum est in die festo præparare cibos necessarios pro illo die, sicut discipuli Christi colligebant spicas necessarias in Sabbato. Ex eadem necessitate excusantur agricolæ tempore messis, & vindemiæ, pistores, furnarii, & qui molendinis inserviunt, dum populi necessitati aliter satisfacere nequeunt. Non tamen sunt excusandæ, sed serio reprehendendæ mulierculæ frequenter deputantes dies festos pro farina cribranda, & aliis laboribus domesticis; non enim communi, sed propriæ utilitati, aut avaritiæ inserviunt. Excusandi vero sunt, qui aliter, quam laborando in die festo, nequeunt se, aut suam familiam sustentare; debent tamen consulere Parochum, aut Confessarium, ne cupiditas necessitatem eis depingat. Similiter eos consulant pauperes ancillæ, quæ sua reficiunt vestimenta in festis, dum aliis diebus id eis a dominis non permittitur.

32. Ex necessitate vitandi damnum imminens excusantur laborantes die festo ad extinguendum incendium, ad congregandas oves, vel alia animalia domestica, ad reparandam ruinam actualem domus, aut similia. Famuli autem, aut servi coacti a dominis ad laborandum in festis, esto una, aut alia vice excusentur ad vitandas rixas graves; verum si plerumque ad id cogantur, debent eos deserere, quantocius commode valeant, nisi prudenter credant dari causam justam aliquoties laborandi: Occasio acquirendi magnum lucrum non est causa sufficiens ad laboraudum, alias vix aliquis observaret festa, putans omittendo laborem magnum lucrum amittere. Nec est idem pati damnum, ac non acquirere lucrum. Pro vitando ocio nulli est licitum laborare in die festo. Oret, legat, fleat culpas, ne addat.

33. Qui bona fide, aut ratione paupertatis die antecedenti exiret ad laborandum de loco proprio, in quo celebratur festum, ad alium, in quo non celebratur, non peccat, quia nullibi prohibetur exitus bona fide, aut cum causa de uno loco ad alium. Si autem exiret ipso die festo, deberet prius audire Missam, si commode posset.

34. Inq. 2. An barbitonsores diebus festis suam artem exercere valeant? R. Quod absolute loquendo non possunt, quia est opus servile: qua ratione nequeunt hoc servitium indiscriminatim præstare parochianis, aut promiscue accedentibus ad officinam. Unam, aut alteram barbam sine necessitate radere erit veniale. Possunt tamen tondere aliquem itinerantem, vel unum, aut alium incolam propter necessitatem, vel quando adeunt ad alium locum, in quo deficit barbitonsor, vel quando agricolæ nequeunt tonderi aliis diebus absque notabili incommodo. Corduvæ, & Hispali juxta aliquos licitum est barbitonsoribus ex indulto Ordinarii vacare suæ arti diebus festis, exceptis solemnioribus, audita Missa, & clausa una ex duabus januis. Simile indultum concessit Bononiæ Illustrissimus Lambertinus, qui plura de hac materia congerit *Institut.* 43. De ferrantibus equos, idem teneas sua proportione, ac de barbitonsoribus; quos necessitas excusat, ut suam artem exerceant.

35. Inq. 3. An opera religiosa licita sint diebus festis ratione pietatis, vel utilitatis Ecclesiæ? R. Opera religiosa esse in triplici differentia, seu gradu. In primo sunt opera spiritualia, ut recipere, vel ministrare sacramenta, seu alia, quæ al altaris ministerium attinent. In secundo collocantur, quæ ad Dei cultum, licet non adeo immediate, ordinantur, ut cruces, aut imagines in processionibus gestare, organa, aliave instrumenta musica, aut cymbala pulsare. In tertio gra-

du sita sunt opera sacrorum præparatoria, ut mundare, aut ornare templa; quibus ex pietate annectuntur alia servitia in utilitatem Ecclesiæ præstita, ut colere agros pauperculæ Ecclesiæ, vel ad ejus structuram lapides, aut alia congregare, & portare. Quibus suppositis....

36. Dicendum est 1. Quod per opera religiosa primi, & secundi gradus non violatur observantia festi, quia finis hujus præcepti est vacare a servilibus in Dei cultum, ergo eis, per quæ immediate Deo cultus tribuitur, non violatur hoc præceptum. Ideoque circumcisionem accipiebant Judæi in Sabbato, & victimas mactabant, aut præparabant Sacerdotes in Sabbatis absque crimine, ut dicitur *Matth.* 12.

37. Dicendum est 2. Quod opera tertii gradus, ut mundare, vel ornare templa, & altaria, deferre necessaria ad solemnitatem, scopare vias publicas ad processionem, coquere hostias; aut similia licita sunt cum causa in die festo; differre autem ea ex negligentia ad diem festum est peccatum veniale: quia si commodo possunt, præparari die antecedenti, aut profesto, omittere illa ad festum, a culpa levi non excusatur; gravis vero non consurgit: quia materia ex se levis est, & fit leviot ex conjunctione ad cultum Dei, præciso scandalo, & contemptu. Si autem die antecedenti fieri non potuerunt, vel invincibiliter oblita sunt, excusantur ab omni culpa, quia jam est casus necessitatis.

38. Dicendum est 3. colere agros alicujus Ecclesiæ pauperculæ, seu hospitalis, vel laborare ad eorum ædificia erigenda, aut reparanda absolute non licet diebus festis; quia sunt opera servilia, & pietas non debet esse contraria religioni præcipienti a prædictis operibus vacare. Qua ratione non licet laborare in festis ad dandam eleemosynam, nec ad succurrendum cuilibet pauperi, nisi cum pietate concurrat actualis necessitas, quo in casu licitum est.

39. Inq. 4. Quis possit dispensare ad laborandum in die festo? R. summum Pontificem posse, quia suprema gaudet authoritate, tanquam Legislator Ecclesiæ universalis. Deinde Episcopus valet in sua Diœcesi dispensare pro Synodalibus festis, ut Legislator, pro festis vero communibus cum causa, & in casibus peculiaribus. Item Parochi dispensare possunt in aliquo casu particulari, cogente necessitate, deficienteque facili recursu ad Episcopum. Tandem consuetudo licita facit opera servilia in festis, ubi, & quantum fuerit legitime introducta. Cavendum tamen est, ne corruptela sub larva consuetudinis foveatur. Non sine dolore conspicimus plures dies, qui festivi non sunt, a plerisque insumi ocio, confabulationibus, ludis, potationibus, choræis, comediis, & aliis inutilibus exercitiis; diebus autem festivis vacare servilibus prætextu necessitatis, & inopiæ. Curent igitur Episcopi, & Parochi hujusmodi abusibus occurrere, si sit possibile. Vid. Inst. 65. Ben. XIV.

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUartum Decalogi præceptum est de honore parentibus exhibendo, juxta illud *Exodi cap.* 20. & *Deutheron.* 5. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Estque primum præceptum secundæ tabulæ: in qua præcepta erga proximum servanda continebantur, Ideo post notitiam trium præceptorum erga Deum, ad exploranda præcepta erga proximum accedimus: inter quæ honor parentibus debitus primum merito obtinet locum, *ait D. Ang. 2. 2. q.* 122. *a.* 5. *in corp. his verbis, inter proximos autem maxime obligamur parentibus, & ideo immediate post præcepta ordinantia nos in Deum, ponitur præceptum ordinans nos ad parentes.*

CAPUT

CAPUT UNICUM.

De honorandis parentibus.

PUNCTUM I.

De obligatione filiorum erga parentes.

1. Inq. 1. Quid jubeatur in quarto Decalogi præcepto? R. præcipitur honorare parentes. Hoc est honorare 1. eos, qui nos corporaliter genuerunt. 2. eos, qui nos spiritualiter regenerarunt, & regenerant, ut Ecclesiæ Præsides, Sacerdotes, & ministros nostræ salutis spiritualis. 3. Reges, seu Principes nostros, Gubernatores Regni, & Magistratus, & Duces reipublicæ. 4. Tutores, curatores, & magistros. 5. Senes, & ętate provectos, & omnes, qui dicuntur, & sunt majores ætate, dignitate, & regimine. 6. Debetur peculiaris fratribus, consanguineis, & affinibus juxta majorem, aut minorem propinquitatem. 7. Debetur etiam specialis honor benefactoribus, concivibus, & amicis. Hos omnes honorare, servata proportione, ex virtute pietatis, & observantiæ tenemur, ut docet D. Th. 2. 2. *q.* 101. & 102.

2. Inq. 2. Quam obligationem inducat amor parentibus a filiis exhibendus? R. triplicem obligationem inducere in filiis. *Prima* est amoris, & reverentiæ. *Secunda* obedientiæ, & cultus. *Tertia* subventionis, & sustentationis in necessitatibus. Tenentur igitur filii primo honorare parentes, eos peculiarius, quam cæteros proximos amando, & numquam eos odiendo. Unde si filii eos odio habeant, peccant graviter non solum contra charitatem, qua omnes diligere debemus; sed etiam contra pietatem, qua parentes amare tenemur. Secundo debent filii revereri parentes in signum amoris, de eis honorifice loquendo, numquam detrahendo, eis famulando, coram eis assurgendo, caputque inclinando. Hæc enim, & similia postulat reverentia parentibus jure debita.

3. Inq. 3. Quando peccent graviter filii contra amorem parentibus debitum? R. Primo peccare filios, quando eis grave damnum, ut mortem, infamiam, vel quid simile deliberate exoptant. Nota obiter propositiones 13. 14. & 15. damnatas ab Innoc. XI.

Secundo, si eos graviter contristent verbis, aut factis, aspere eos alloquendo, torvis oculis aspiciendo, gestibus protervis, irrisionibus, despectionibus, aut aliis injuriis afficiendo, eorum consilia deridendo, aut contemnendo; & quod pejus est, ac natura ipsa horret, si in eos manus injiciant, lædant, aut subsanent, aut comminentur, manum, aut virgam iracunde elevando. Unde tribus lanceis cor Absalonis esse transfixum, dicunt plures, ob mortis machinationem in parentem. 2. *Reg.* 18.

4. Tertio, si parentes mortuos debitæ sepulturæ non curent mandari. Si pro eis preces, & sacrificia non studeant offerri. Si eorum testamenta non adimpleant. Si debita eorum negligant absque causa solvere. Si non curent, ut parentes in mortis periculo sacramenta recipiant, atque testamentum conficiant. Quarto, si eos in judicio, sive civili, sive criminali accusent, exceptis causis hæresis, proditionis patriæ, & conjurationis in Principem; si hæc ultima delicta aliter vitari nequeant: quia bonum commune cuilibet privato est præferendum. Quinto, si parentes scienter ad gravem iram, seu ad maledicta provocent. Sexto, si eos contemnant, vel recognoscere dedignentur; nisi forte hoc accidat in aliqua rara circumstantia, qua filiis afferret aliquod grave damnum in vita, fama, aut honore: tunc enim excusabilis esset prudens dissimulatio, ipsis postea manifestanda, ne tristitia, & mærore afficiantur.

5. Inquires 4. Quando peccent filii contra obedientiam parentibus debitam? Resp. filios teneri parentibus obedire in omnibus pertinentibus ad curam domesticam, & ad morum disciplinam, atque educationem, juxta illud ad Ephesios 6. 1. *Filii obedite parentibus vestris in Domino.* In omnibus ergo licitis debent filii humiliter obedire parentibus exemplo Christi, qui licet Dominus omnium esset, tamen beatissimæ suæ matri, & castissimo ejus sponso subditus erat. Unde, nisi excuset materiæ parvitas, aut intentio præcipientis, peccant graviter: Primo,

mo non obediendo in his, quæ spectant ad bonos mores, & ad salutem animæ, ut in fugiendo ludos prohibitos, amicitias pravas, consortia periculosa, egressum nocturnum e domo, expensas superfluas, prodigalitatem, seu profusionem rei familiaris.

6. Secundo peccant graviter, si nolint gerere negotia sibi ad familiæ utilitatem commissa, vacare studiis, vel illis artibus, quibus idonei, aptique reddantur, ut sibi, aut etiam familiæ, suo tempore consulant. Si matrimonium insciis, vel invitis parentibus, absque causa contrahant. Quando possint licite illud contrahere, & religionem ingredi, etiam invitis parentibus, suis locis est exponendum, juxta doctrinam D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. ubi ait: *Non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.* Unde circa electionem status non tenentur filii parentibus obedire, modo suo loco dicendo.

7. Filiæ, præter respective dicta, peccant graviter contra obedientiam, si contendant e domo solæ exire, libere frequenter deambulare, litteras occulte mittere, aut recipere, inverecunde se ornare, personas suspectas alloqui, munuscula admittere, consortium matris fugere, sponsum sibi non decentem, aut inæqualem pertinaciter velle, in his, & similibus peccant filiæ, tenenturque in confessione aperire nedum speciem peccati, sed etiam peccatum inobedientiæ, quandiu sunt sub cura parentum, vel aliorum vices eorum gerentium, quorum obedientiam violarunt. In saniori doctorum sententia filia peculiarem etiam injuriam infert patri, vel ei, sub cujus cura est, per amissionem illicitam virginitatis.

8. Inq. 5. Qualis, & quanta sit obligatio filiorum subveniendi parentibus? R. filii tenentur parentibus subvenire, tam in spiritualibus, pro eis Deum orando, sive in vita, sive in morte, quam in corporalibus, quando indigent: non solum ex charitate, sed ex pietate naturali: quia jure naturali tenemur conservare vitam eorum, a quibus esse accepimus. Unde licet pater ad perendum fame juste sit damnatus, tenetur filius pro possibili eum alere: de quo adest heroicum exemplum cujusdam filiæ, quæ carcerem ingrediens aluit propriis uberibus matrem ad pereundum fame damnatam. Idem fecit Cimona, quæ patrem lacte suo aluit in carcere, ut refert Valerius M. *lib.* 5. *cap.* 4.

9. Imo licet Princeps sub gravi pœna juberet, ut nullus alicui alimenta ministraret, tale præceptum filios non comprehenderet, quia pietati naturali repugnat. Eadem ratione filius religionem ingrediens, relinquendo parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, peccaret graviter: quia præceptum de honoratione parentum transgrederetur, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 101. *art.* 4. *ad* 4.

10. Inq. 6. An filius in religione professus teneatur a religione exire, ut parentibus indigentibus subveniat? R. in extrema necessitate, cui aliter nequeat occurri, nemo ambigit posse, & debere filium exire ad eam in parentibus, imo & in aliquo quocumque proximo sublevandam: quia jus naturale ita postulat in tali necessitate. Verum quando necessitas est gravis, non tenetur filius a religione egredi pro parentibus subveniendis, licet, salva Prælati obedientia, & suæ religionis statu, debeat curare, ut eis subveniatur. Religiosus enim professus est quasi mortuus sæculo, religioniique omnino traditus: & sicut conjugatus non tenetur uxorem relinquere ad parentes alendos, sic nec religiosus religionem deserere. Ita D. Thom. *ubi supra.*

11. Obligatio alendi parentes intelligenda est de reliquis ascendentibus: omnes enim reputantur ut parentes. Comprehendit etiam filios naturales, & spurios, in omnibus quippe eadem ratio pietatis naturalis urget. Transit etiam ad hæredes filiorum: quia bona eorum hoc onere gravantur, & ad quemcumque titulo gratuito perveniant, cum eodem onere transeunt.

PUNCTUM II.

De obligatione parentum erga filios.

12. Inq. 1. Ad quid teneantur parentes

tes erga filios? R. sicut filii tenentur honorare parentes amore, obedientia, & sustentatione, ita parentes obligantur filios specialius amare, eisque educationem, alimenta, & congruum statum præstare. Unde peccant parentes 1. si filios odio habeant, si illis mortem, aut aliud notabile damnum exoptent, imprecentur, maledicant: si nimis severe eos tractent, puniant, alloquantur, aut affligant. 2. si per se, aut idoneos magistros non doceant filios mysteria fidei, orationem dominicam, formare signum crucis, seu se signare, aliaque christianæ vitæ documenta ad salutem æternam necessaria. Præcipue si in timore, & amore erga Deum, devotione erga Deiparam, & sanctos, & præparatione ad sacramenta suscipienda eos non instruant, atque in electione status omni libertate gaudere non relinquant.

13. Tertio, si non curent, ut filii addiscant illas scientias, seu artes suo statui congruentes, quibus capessendis debent parentes impensas facere. 4 Si occasiones peccandi a filiis non avertant, si in domos suspectas ingredi permittant, si filiabus conversationes, & amicitias cum juvenibus, sive intra domum, sive extra penitus non cohibeant, ornatumque inverecundum, aut nimis superfluum, nimiamque libertatem in publicum prodeundi, & ad fenestras se exponendi non prohibeant. 5 Si hæc suo consilio, atque exemplo doceant, aut aliud malum exemplum filiis præbeant, coram eis maledictiones, juramenta, blasphemias, verba detractoria, seu turpia proferendo. 6. Si eorum pravos mores, & vitia seria non corringant: ob quod peccatum Heli improvisa morte punitus fuit. 1. *Regum cap.* 2. Denique sumo studio curare debent, ne filii eorum septenio majores in eodem cubili una cum patre, & matre retineantur, & ne fratres, & sorores post septenium in eodem lecto simul cubare permittant, hoc enim esset exponere illos periculis juvenum, quibus non est intellectus ad bonum, sed malitia Dœmonis simul cum occassione suplet ætatem. Advertant hoc Parochi, & Confessarii; audiantque S. Carolum in Concil. Mediolan. sic statuentem: *Ne cum fœmina quocumque vel artissimæ propinquitatis gradu conjuncta mas simul cubet, etiamsi ambo puerili ætate sint: Nec paupertatis, angustæve habitationis excusationi locus facile relinquatur, quominus istiusmodi impuritatum occasio omnis præcidatur; cum humi potius, atque adeo sub dio jacere satius esset.* Vide Bened. XIV. Syn. lib. 11. c. 4. n. 8.

14. Deinde tenentur parentes filiis, etiam spuriis, aut hæreticis, excommunicatis, & exulantibus alimenta ad vitam necessaria præstare, quia filius ob nulla delicta perpetrata desinit esse filius, & naturali fœdere, ac jure patri conjunctus, ergo quando filii per se nequeunt sustentari, debent patres eos nutrire. Unde etiam clericus tenetur filio spurio, adhuc ex bonis beneficialibus, si aliunde non habeat, subvenire, filiamque moderate dotare. Duplex autem constitutio Pii V. oppositum de clericis disponens, solum improbat quæcumque privilegia testandi pro filiis spuriis; naturæ vero leges immunes reliquit.

15. Obligatio parentum filios alendi intelligitur de avis, & aliis ascendentibus; prius tamen de illis, qui sunt ex linea paterna, in quorum defectum succedunt, qui veniunt ex materna: quibus omnibus deficientibus, obligantur consanguinei propinquiores. Mater tenetur lac filio per triennium præbere, reliquæ expensæ a patre sunt faciendæ; imo si mater careat lacte, vel alia causa lactare eum non valet, pater ad omnes expensas tenetur. Si pater sit inops, impotensque, mater quoad omnia, si possit, filio providere debet. Saltem venialiter peccat mater, & juxta plures graviter, si absque causa per se non lactet filios, quia inde non levia damna proli adveniunt. Justa vero causa cogente, solicite eligere debet nutricem sanam, & honestis moribus assuetam: defectus namque physici pene certo, morales fere semper cum lacte transfunduntur in infantes, ut experientia sæpe attestatur. Vide Bened. XIV. Synod. *lib.* 11. *c.* 7. *n.* 10. *&* 11. Peccant etiam graviter matres, si secum teneant infantes in lecto cum periculo oppressionis.

16. Denique tenentur parentes non dilapidare, nec prodige dissipare ludis, compotationibus, nimio luxu, aut aliis

mo-

modis indebitis rem familiarem ; sed potius curare prudenti sollicitudine ejus conservationem , & augmentum ad filias dotandas , filiosque juxta eorum conditionem instituendos : quia debent providere futuris filiorum necessitatibus ; necnon curare congruam eisdem relinquere hæreditatem. Quidquid dictum est de obligationibus parentum erga filios , intelligi debet proportionabiliter de tutoribus, & curatoribus respectu pupillorum , & minorum ; quia loco parentum succedunt : ob quam rationem pupilli , & minores vicissim illis eumdem amorem , honorem, reverentiam , ac parentibus exhibere tenentur.

17. Inq. 2. An parentes bene agant mittendo filios , & filias ad regna extera causa studii , vel educationis? R. quod melius agerent , curando assequi intra regnum , quod extra intendunt : quia nullibi fides purior , pietas major , aut doctrina sanior præ Hispania reperitur. Aliqui in Hispania amare fleverunt , quod extra Hispaniam didicerunt , ut inter alios plane fassus fuit doctor Cazalla , dum Vallisoleti ad supplicium raperetur. Quædam aura vanitatis cogitat , & concitat hujusmodi transmigrationes cum gravi dispendio temporali , & spirituali , præsertim in filiabus , pro quarum honestiori educatione non desunt in Hispania monasteria , conservatoria , aut seminaria.

18. Inq. 3. An peccent parentes filios hospitalibus , aut alibi exponendo nutriendos ? R. 1. quod ex justa causa , ut ad evitandam infamiam , delictum celandum , aut propter inopiam filios exponendo non peccant graviter : quoniam cum tanto dedecore eos per se alere non tenentur , sed sufficit curare , ut debite nutriantur. Omni tamen sollicitudine studere debent , ut exponantur loco , & tempore congruo , ne tenera eorum vita periclitetur ; & quod prius baptizentur ; alias rei homicidii evadent , quod non semel accidisse audivimus.

19. R. 2. Quod , seclusa justa gravi causa , grave peccatum committunt parentes exponendo filios foribus Ecclesiæ, aut hospitalibus : quia negare eos videtur , qui sic abjicit filios , eisque alimoniam denegat , ut dicitur in lege. *Necare ff. de liber. agnosc.* Ultra quod contra legem naturalem agit , ita filios deserens , faciens eos cum magno dedecore, & absque honesta educatione vivere. Quando ex justa causa id efficiunt parentes , tenentur , si divites fuerint , hospitalibus satisfacere expensas in filii educatione factas : quia dictæ domus præcipue pro pauperibus sunt institutæ.

20. Obligatio filios alendi transit ad hæredes , & donatarios patris simul cum ejus bonis titulo lucrativo acceptis : non autem ad eos , qui illa obtinent titulo emptionis , permutationis , aut alio quocumque oneroso : quia isti , soluto pretio , ea possident. Quando bona patris confiscantur per sententiam arbitrariam Judicis , Fiscus debet filiis alimenta præbere. Quando vero confiscatio fit ob delicta , quæ ex lege hujusmodi pœnæ subjacent , ut crimen hæresis , aut læsæ majestatis , Fiscus non tenetur ad filiorum alimenta præstanda ; nisi in casu , quo aliunde sustentari nequeant : quia tunc jure naturæ eis debentur.

21. Inq. 4. An parentes teneantur sub gravi dotare filiam nubere volentem? R. affirm. quia dos succedit loco alimentorum. Idem est dicendum de filio religionem amplecti volente , aut sacros ordines : quia status ecclesiasticus , & religiosus favorabilius quid est omni alio statu. Imo tenetur pater dotare filiam majorem viginti quinque annorum , esto indigno contra ejus voluntatem nubat : quia pater fuit in mora aptum quærendi matrimonium : ideoque ejus negligentiæ tribuendum est , quod indigno nupserit. Videatur Pragmatica circa hoc nuper a Carolo III. prudentissime edita. *tract.* 34. *num.* 78.

22. Si vero filia sit minor viginti quinque annorum , & indigno nubat , tenetur quidem pater ei tribuere alimenta ad vitam necessaria , ne fame pereat. Si autem alimentis patris non egeat , minime tenetur eam dotare : contra rationem enim est , compellere parentes dotare filiam divitem indigno nubentem , familiamque denigrantem. Quatuordecim casibus valent parentes exheredare filios, ut dicemus *tract.* 20.

PUNC.

Punctum III.

De obligatione mariti ad honorandam uxorem.

23. Inq. 1. Ad quid teneatur maritus respectu uxoris ? R. teneri 1. eam vero amore diligere, sicut Christus Ecclesiam; ita ut quoad amorem sensibilem, seu intensivum, & circa status conservationem, & cohabitationem præferre illam etiam parentibus debeat, extra necessitatem extremam, in qua, ut alibi diximus, prius subveniendum est parentibus, & filiis, quam uxori. Unde debet maritus tractare uxorem, non ut servam, aut ancillam, sed ut sociam, & adjutricem: ad hunc enim finem edificata est a Deo, non de pedibus, sed se costa, & latere viri. Quare, esto, justa exigente causa, possit illam bis, aut ter admonitam cum moderatione punire; graviter tamen peccat, si eam atrocius puniat: quia acris punitio non ad maritum, sed ad judicem spectat.

24. Secundo tenetur maritus honorare suam uxorem verbo, & opere. Unde peccat, si verba infamatoria ei dicat: ut esse adulteram, ignobilem, aut quid simile: quia ex his non parum infamari, & multum contristari valet. Esto enim aliquando causa correctionis liceat dicere uxori aliquod verbum asperum; quando vero graviter injuriosum est, peccatum grave committit. Quare magna discretio necessaria est in corrigendo hujusmodi verbis; ne, dum proximus corrigi intenditur, graviter dehonoretur, aut nimis contristetur.

25. Tertio tenetur maritus cum uxore cohabitare in eadem domo, in eodem lecto, & prandere in eadem mensa: quia hoc postulat individua vitæ consuetudo, quam matrimonium jure naturæ requirit. Unde peccat maritus, si absque consensu uxoris, aut absque gravi causa separet habitationem, thorum, aut mensam. Causæ autem ad dictam separationem sunt. 1. Si maritus ad negotia domus absit. Si ex sententia Judicis ad tempus exulet. Si periculum vitæ ipsi immineat. 2. Si mutuo consensu quoad thorum ad tempus separentur, ut orationi vacent, aut continentiæ; dummodo incontinentiæ absit periculum, quod sæpe in juvenibus datur: ideoque matura consideratione permitti debet. 3. Est absentia tempore belli, ad quod maritus vocatur. 4. Si brevem peregrinationem aggredi velit; longa quippe absque uxoris consensu fieri nequit. Uxor autem nec brevem facere valet absque consensu viri, qui est caput mulieris, quam dedecet peregrinari. Quando vir per breve tempus, ob justamque causam, abest, non tenetur secum deferre uxorem, eum comitare volentem: tum propter indecentiam peregrinationis in fœmina: tum ob expensas vitandas. Si autem vir diu esset mansurus in uno loco, deberet secum transferre uxorem, cum eo adire volentem: quia in tali casu rationabiliter vult uxor sociare maritum.

26. Quarto tenetur maritus non impedire uxori adimpletionem præceptorum divinorum, aut Ecclesiæ: puta audire sacrum, jejunare, abstinere a carnibus diebus vetitis, & similia. Imo debet curare, ut hæc omnia ab uxore observentur; alias graviter peccat: nisi adsit justa causa excusans, quæ raro adesse potest, si, spreto amore carnali, salus animæ serio prospiciatur. Tenetur etiam permittere uxori moderatam sacramentorum frequentiam, auditionemque Missæ etiam diebus pro festis; ita ut, si ipsi constaret uxorem magnam utilitatem ex frequenti confessione, & communione depromere, graviter, eam avertendo, peccaret: quia maritus tenetur uxorem diligere; non autem diligit, sed odio habet, qui ei prædicta bona spiritualia impedit. Quod vero uxor per jejunia Ecclesiæ, aut aliorum præceptorum observantiam fiat deformis, aut impotens ad reddendum debitum, chimericum, & a Christiana cogitatione prorsus est alienum.

27. Quinto tenetur maritus alere uxorem, si ejus dotem accepit; similiter quando absque dote eam ducere voluit: quia ipse spontanee onus eam alendi suscepit. Pariter quando uxor est in obsequio mariti: quia si hac ratione famulam alit, quanto magis uxorem. Si autem uxor ob suam culpam viro non cohabitat, eam alere non tenetur, licet dotem acceperit: quia mulier debet esse

sub obsequio viri, ut alimenta recipiat. Verum si ob sævitiam viri, vel aliam justam causam uxor ab ejus consortio recedat, debet eam alere: quia culpæ viri imputatur recessus. Idem est, si separetur ob periculum morbi contagiosi. Quibus in casibus etiam uxor, si dives est, & vir pauper, debet illa huic alimenta præstare: quia innocentem pœnam privationis alimentorum subire equum non est.

28. Inq. 2. An uxor sit alenda a viro, si dos promissa non ei tradatur? R. quod si aliquam partem dotis vir accepit, debet alere uxorem pro rata: quia si totam dotem accepisset, tenetur ad integre alimenta præstanda, ergo si partem accepit, ad partem obligatur. Si vero nihil accepit, distinctione est loquendum; vel enim non solvitur dos ex culpa uxoris, aut promittentis, & tunc eam alere non tenetur: quia sub hac conditione saltem implicite illam duxit. Si autem absque culpa uxoris, aut promittentis dos soluta pereat, debet maritus eam alere: quia innocentem punire inhumanum est. Imo esto dos pereat ex culpa uxoris, ut propter hæresim, aut aliud grave delictum, si aliunde non habeat alimenta, tenetur vir ea præstare: quia nexus conjugalis postulat, ut a viro alatur, ne fame intereat. Si uxor committat adulterium publicum, amittit jus alimentorum, sicut & cohabitationis. Similiter quando adulterium est occultum, potest occulte alimentis privari. Tamen, lite durante, circa divortium, etiam quando uxor movet litem contra virum, hic tenetur ei dare alimenta, & ad solvendas litis expensas: quia, lite pendente, nihil est innovandum; & alias ex defectu alimenti, & expensarum cogeretur uxor a causa justa supersedere, quod est iniquum.

Punctum IV.

De obligatione uxoris ad honorandum maritum.

29. Inq. 1. An quid teneatur uxor respectu mariti ex vi quarti præcepti? R. quod in primis tenetur uxor virum peculiari amore diligere, sicut vir uxorem. Ideo omne peccatum contra charitatem, aut justitiam inter conjuges addit peculiarem malitiam contra pietatem in confessione aperiendam: quia induit circumstantiam mutantem speciem.

30. Deinde tenetur uxor lege naturali, & divina honorem, & obedientiam præstare marito: quia est sub viri potestate, & vir est caput mulieris, quæ debet ei obedire in ordine ad bonos mores, & familiæ, aut domus gubernationem. Unde si ipsa, viro spreto, velit gubernare, graviter peccat. Potest autem, & debet moderate sese marito opponere, si bona in ludos dilapidet, comessationes, ebrietates, aut in alia illicita; vel nimis negligens sit in filiorum educatione. Verum etiam tunc debet solum congruo tempore, & cum summissione monere. Si enim rixose, & petulanter faciat, illum ad iram, juramenta, aut blasphemias provocans, grave peccatum committit, debetque ab illo veniam petere: quod maxime renuunt fœminæ, esto maritos despiciant, verbisque graviter injurient. Sed Confessarii debent illas ad id cogere, tum ut restituant maritis ablatum honorem: tum ut sic resipiscant, & pacem, non dissidia foveant.

31. Ulterius peccat uxor, si justum mariti præceptum non adimpleat: ut si ei jubeatur dimittere vestes superfluas, aut inhonestos mores corrigere, honestatem, modestiam, aliasve virtutes mulieribus congruas colere. Tamen uxor nobilis non tenetur cibos condere, domum verrere, fricare, & similia obsequia vilia marito exhibere: quia esto nihil ob hoc amitteret; imo aliquando ad exemplum ancillarum, & semper ad humilitatem acquirendam conveniat ea exercere; nihilominus regulariter sufficit, ut ipsa curet ea servitia per ancillas fieri, dummodo ocio non diffluat, sed honestiora ministeria solicite obeat, nisi in casu necessitatis, in quo famulas conducere nequeat; quia tunc ratione paupertatis ad ea præstanda tenetur.

32. Inq. 2. An uxor peccet, si cum marito non cohabitet, vel illum alio migrantem non sequatur? R. Uxorem peccare, si absque justa causa marito non cohabitet: quia alias non impleret

onus

onus debitum reddendi, & obsequia domestica ei præstandi. Hac ratione peccat etiam, si illum non sequatur, quo ex justa causa commigraverit. Nisi pactum præcesserit non mutandi domicilium, quod observari debet, seclusa gravi causa: qua urgente, non obligat. Ut si saluti animæ, aut corporis viri, vel mulieris mutatio, aut transmigratio conveniat. Si autem vir fiat vagabundus, cum talis ante matrimonium non esset, uxor non tenetur eum comitari. Quando vir ob delictum in exilium mittitur, debet uxor illum sequi; nisi justo motivo excusetur. Similiter si sciens virum ad Indos migraturum, sive a Rege missum, sive ob aliam justam causam, cum illo contrahat matrimonium, ad Indos debet illum sequi: quia scienti, & volenti non fit injuria. Honorent igitur, ac se invicem diligant conjuges uniti semper vinculo matrimonii, & charitatis; hac enim ornati possunt esse perfecti, & æquare virgines in merito, sicut de Abraham dicit æquasse Joannem *D. Thom.* 2. 2. *q.* 152. *a.* 4. *ad* 1.

33. Inq. 3. An uxor, mortuo marito, cujus nulla bona libera supersunt, solvere teneatur debita ab illo contracta ad eam, filiosque alendos, ex bonis suæ dotis? Et idem est de filiis, an nimirum debeant satisfacere creditoribus sui patris? R. si maritus tempore, quo debita contraxit ad uxorem alendam, pauper erat, tenetur uxor illa solvere, quia tempore inopiæ non tenebatur maritus alere uxorem, sed uxor maritum, ergo debita hoc tempore contracta cedunt in utilitatem uxoris, quæ ex hujusmodi debitis facta est ditior; secus dicendum, si maritus dives erat, ob oppositam rationem. Sic plures docent.

34. Nos vero dicimus uxorem, & filios debere satisfacere creditoribus mariti, & patris, sive dives esset, sive pauper: dummodo possint, & in utilitatem, & commodum eorum debita sint contracta, quia oppositum est contra societatem naturalem, & vix aliquis mutuaret alteri cum periculo adeo contigenti amissionis. Quod maxime verum est, quando debita, scientibus uxore, & filiis, sunt contracta.

35. Inq. 4. An mulier transiens ad secundas nuptias debeat filiis prioris matrimonii reservare, quidquid a primo viro titulo lucrativo accepit? R. affirm. quia mulier transiens ad secundas nuptias amittit dominium eorum, quæ a viro titulo lucrativo accepit, & transfertur ad filios, retento tantum sibi usufructu. Idem est de viro, qui accepta a priori uxore titulo lucrativo debet reservare filiis prioris matrimonii, ut unice hæredibus suæ matris.

36. Denique peccant graviter conjuges de se invicem circa continentiam absque sufficienti fundamento male sentientes: hoc enim est contra amorem, & pietatem sibi debitam, & fons, unde rixæ, dissidia, & plurima alia mala eis promanant. Quare, si quos hujusmodi conjuges Confessarius repererit de alterius incontinentia suspicantes, summopere ab hac suspicione removere conetur, eis suadens esse Dæmonis suggestionem ad pacem scindendam, discordiam disseminandam, turbandam familiam, odium fovendum, amoremque conjugalem dissolvendum: quia similis suspicio est velut scintilla ignem augens ad totam domum in favillam redigendam.

Punctum V.

De obligatione fratrum ad fratres, & sorores.

37. Inq. 1. Qualiter fratres se amare, & honorare teneantur? R. teneri se invicem amare, & honorare peculiari amore, & honore: ita ut quoties frater fratrem odit, offendit, aut percutit, peccet juxta gravitatem injuriæ contra pietatem, ideoque prædictæ injuriæ non solum sunt contra charitatem, & justitiam, sed etiam addunt circumstantiam contra pietatem in confessione explicandam, si in materia gravi fiant.

38. Inq. 2. An fratres teneantur sibi invicem alimenta præstare? R. affirm. quia sicut succedunt in jure hæreditandi parentibus, ita succedunt in jure se alendi in eorum defectu. Unde non solum in extrema necessitate, sed in gravi tenetur frater dives alere, & dotare fratres, aut sorores inopes, sive utrinque conjunctos, sive ex eodem patre, licet ex di-

versa matre natos. Si vero sint tantum uterini, hoc est, ex eadem matre, & ex diverso patre, tenetur frater dives alere, non tamen dotare alios fratres, nisi ille sit hæres matris: quo in casu obligatio matris in eum cum hæreditate transit. Similiter frater dives debet alere ex æquitate naturali, & lege charitatis filios ex fratre, aut sorore natos. Item fratres, & sorores, qui sua culpa dissiparunt bona a patre recepta, quia vere, esto ex propria culpa, pauperes sunt. Eadem ratione debet alere fratres a patre exhæreditatos. Ad hæc omnia tenetur etiam soror dives respectu fratrum inopum: quia frater, & soror correlativa sunt.

39. Inq. 3. An clericus possit, aut debeat ex bonis beneficii alere, & dotare fratrem, aut sororem? R. quod, si frater, aut soror clerici sint pauperes, debet eos alere, quia fructus beneficii exrendere debet in pauperes, in quorum numero fratres sunt præferendi. Eadem ratione, si clericus bona superflua habeat, debet sororem pauperem dotare: quia in hoc casu dos datur titulo eleemosynæ, ad quam clericus ex bonis superfluis strictius laicis tenetur.

40. Non tenetur religiosus egredi a religione ad fratrem, aut sororem graviter indigentes alendos; tamen justa causa est, ut differat ingressum in religionem subventio fratris, & maxime sororis graviter ejus auxilio indigentis; esto absolute ad ingressum differendum non teneatur; nisi necessitas sit extrema: in hac enim obligat præceptum charitatis, & pietatis prævalens devotioni, aut etiam voto ingrediendi religionem.

41. Inq. 4. Quid sit collatio bonorum, quæ in fratres sunt dividenda? R. est *allatio, seu adductio bonorum in communem parentis defuncti acervum, ex quo legitima debetur, eorum profectitiorum bonorum, quæ afferentis effecta erant, ut cum aliis tamquam hæres in eo succedat.* Ad hanc collationem, & acervum communem debent fratres afferre omnia bona a patre accepta, si cum aliis portionem habere velint: nisi pater expresse condonaverit. Verum sumptus, quos pater cum filio pro studiis, libris, gradu doctoratus, seu beneficio ecclesiastico acquirendo fecit, non sunt ad collationem adducendi. Idem est de expensis factis pro aliqua dignitate, seu commenda; nisi pater expresse protestetur verbo, aut scripto se eo animo eas fecisse, ut in eorum legitimam computarentur. Idem de sumptibus pro filio a captivitate, vinculis, vel ab alia pœna liberando solutis: quia præsumitur ex pietate naturali pater eos solvisse. Idem de consumptis in filii honesta recreatione, venatione, & similibus: quia pertinent ad alimenta competentia juxta conditionem personæ.

42. Inq. 4. An filius inhoneste consumens aliqua patris bona debeat ea adducere ad partitionem, seu communem collationem? R. quod si filius male consumpsit tantum ex eis, quæ sibi juxta statum personæ ad sustentationes, & honestas recreationes permittitur, non tenetur ea ad collationem afferre: quia in tali consumptione non est pater invitus quoad substantiam, sed tantum quoad modum. Si autem notabiliter excederet in sumptibus cum meretricibus, in ludis, & similibus, excessus afferendus esset ad partitionem: quia læderet juri aliorum fratrum: nisi isti tantumdem inordinate insumpsissent, aut pater ei expresse condonasset. Circa hæc omnia consulantur juristæ.

43. Semel facta, & subscripta partitione coram fratribus, & hæredibus non potest deinceps revocari: nisi detur læsio alicujus minoris, aut deceptio ultra dimidium. Si aliquid, quod afferri debuit, non est allatum ad collationem, potest, errore cognito, per judicem compelli, ut afferatur. Esto dos filiæ adduci debeat ad partitionem, sicut etiam indumenta, & monilia pretiosa, arrhæ, & alia munera sponsalitia; non tamen sumptus die matrimonii a patre facti, quia ad honorem parentum sic se gerere cum omnibus filiis æqualiter congruit.

44. Inq. 6. An filius afferre debeat ad partitionem patrimonium, ad cujus titulum est sacris initiatus, si cæteri fratres legitima defraudentur? R. affirm. quia pater non valet licite donare filio patrimonium legitimam excedens, cum læsione aliorum fratrum, ergo afferendum est ad collationem. Concilium autem pro-

hi-

hibens alienari patrimonium ad sacros ordines assignatum, loquitur de justo, non de injusto aliorum fratrum justitiam lædente. Idem est de bonis acceptis a filio pro militia exercenda, si in propria existant specie; si autem consumpta fuerint, non sunt ad partitionem adducenda ex peculiari dispositione, & privilegio juris civilis.

Punctum VI.

De honore debito ecclesiasticis, & aliis superioribus.

45. Inq. 1. An debeatur peculiaris honor ecclesiasticis, & aliis superioribus? R. affirm. quia in primis Prælati Ecclesiæ, ut Episcopi, Parochi, aliique Sacerdotes sunt in gradu superiori cæteris fidelibus. Deinde habentur ut patres spirituales, ergo debetur eis peculiaris amor, & honor, obedientia, & reverentia, atque subventio, & protectio, quando ipsi, aut bona eorum ecclesiastica tali industria, aut protectione indigent. Similiter Parochi, & cæteri Sacerdotes tenentur obedire Episcopo justa præcipienti, sicut etiam Episcopi SS. Pontifici. Unde Parochi tenentur adesse Synodo Diœcesanæ ub Episcopo indictæ. Sacerdotes etiam simplices, & beneficiarii, quando viget consuetudo, aut de communi morum disciplina in Synodo est agendum: ut docet Bened. XIV. de Synodo Diœcesana *lib.* 3. *cap.* 6.

46. Cæterum sicut subditi tenentur Prælatis ecclesiasticis honorem, amorem, obedientiam, & etiam alimentorum subventionem, & charitativum subsidium petentibus, & indigentibus præbere; ita Prælati debent vicissim subditos, & filios spirituales vere diligere, honorare, in necessitatibus alere, & protegere; præcipue vero pascere verbo vitæ æternæ, sacramentaque eis ministrare, aliquando etiam cum periculo vitæ.

47. Pariter Episcopi ultra prædicta tenentur ordines congruis temporibus, & sacramentum confirmationis conferre: singulis annis sacrum chrisma conficere, & per se, aut per alios quotannis Diœcesim visitare, atque Synodum celebrare. Non nisi dignos ad ordines, & dignores ad beneficia ecclesiastica promovere. Peccata, maxime publica, severe corrigere. Concionatores, & Confessarios idoneos seligere. Et denique omni vigilantia, perpetuaque solicitudine, & zelo vere Apostolico subditorum totius Diœcesis salutem spiritualem procurare, facereque, ut testamenta, missarum onera, & alia pia opera fideliter adimpleantur.

48. Inq. 2. An Regibus, & Principibus debeatur peculiaris honor, reverentia, & obedientia? R. affirm. quia Reges, & Principes supremi, Dynastæ, ac Duces sunt præpositi vicem Dei gerentes, ac a Deo præstituti, ergo eis debetur honor peculiaris, ac exacta fidelis obedientia, quando justa præcipiunt. Unde tenentur vasalli suo Principi in omnibus licitis obedire, eique tributa, & vectigalia fideliter solvere. Quod verum tenet, esto ipsi alias sint in regimine tyranni, aut in moribus flagitiosi, seu discoli: ut docet D. Petrus *Epist.* 1. *cap.* 2. & D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 6. & *q.* 105. *art.* 1.

49. Pariter Reges, Principes, ac Dynastæ suos subditos defendere, justis legibus regere, judices, & ministros rectos constituere, tributis non nimis gravare, justitiam sine acceptione personarum administrare, viduas, pupillos, & miserabiles personas tueri, Ecclesiam, & ejus ministros, ac jura conservare, & defendere, vias publicas reficere, grassatores ab eis propulsare, tributa, & vectigalia, quæ ex sudore pauperum conflantur, in ludis, ac rebus vanis non consumere: & denique subditorum pacem, tranquilitatem, levamen, ac solatium solicite curare debent.

50. Inq. 3. An licite vendi possint officia sæcularia? R. quod venditio officiorum sæcularium secundum se licita est, tamen in praxi illicita reputatur: quia esto venditio rei temporalis justis effecta conditionibus sit ex se licita; verum venditio officiorum regulariter plures præfert injustitias. Non enim emuntur ad utilitatem communem, sed ad cujusque propriam: Pluries etiam ab habentibus majorem copiam non talentorum, & prudentiæ, sed pecuniæ, ambitionis, & avaritiæ. Unde quamvis officia, quæ nihil jurisdictionis, aut judicii admixtum

præferunt, vendi licite possint; nihilominus ea, quæ adjunctam habent jurisdictionem, administrandæque justitiæ potestatem, nullo modo vendi licite queunt. Maxime, cum officia etiam sæcularia in probabiliori sententia solum dignioribus sint conferenda: quia Reges, & Principes non habent dominium eorum absolutum, sed tantum gubernativum, hoc est, ad communem utilitatem, ut docet D. Thom. *opusc.* 21. ad Ducissam Brabantiæ.

51. Inq. 4. Ad quam virtutem pertineat præceptum honorandi parentes? R. Hoc præceptum esse primo, & per se affirmativum, & secundario negativum: pluresque virtutes in eo præcipi, & in ejus adimpletione exerceri. Præcipue tamen pertinet ad pietatem, dum exercetur circa parentes, & cognatos: ad observantiam, dum circa ecclesiasticos, & magistros: ad obedientiam religiosam, dum circa Prælatos, quibus illa ex motivo perfectionis vovetur: ad obedientiam politicam, dum circa majores in dignitate laicali constitutos; ad justitiam legalem, dum circa superiores, & judices civiles; ad commutativam, dum circa dominos in his, quæ ipsis famuli, & servi præstare tenentur; ad æquitatem naturalem, vel etiam observantiam, dum circa senes, a quibus forte congressus magnatum *Senatus* dicitur; & denique ad gratitudinem, dum circa benefactores exercetur. In quarto igitur præcepto omnes istæ præcipiuntur respective virtutes, & aliæ, quas quilibet ex proprio officio exercere debet. Omnes igitur accurate studeamus honorem, reverentiam, comitatem, obedientiam, & urbanitatem submissam præstare majoribus ætate, dignitate, aut regimine: quod potissimum incumbit religiosis, tam inter se, quam circa extraneos; quia sicut monasteria sunt gymnasia virtutis, ita debent esse scholæ comitatis, & urbanitatis, non mundanæ, sed virtuosæ, ortæ ex vera animi demissione; quia urbanitas non est contraria virtuti. Legantur Epistolæ S. Theresiæ, ubi urbanitas cum heroyca sanctitate mire, & familiariter copulatur.

Punctum VII.

De mutua dominorum, ac servorum obligatione.

52. Inq. 1. Quotuplex sit servitus? R. quod servitus, prout in præsenti, est duplex: alia *civilis*, & *legalis*, qua personæ omnino subjiciuntur eorum dominis, ipsisque concedit dominium, tum in personas, tum in actiones. Alia est *conductitia*, qua homines ad alias functiones, seu operas conducuntur; hæc non concedit dominium supra personas, sed tantum supra actiones. Prima est propria servorum, de quibus in hoc puncto. Secunda famulorum, de quibus in sequenti. Aliqui tertiam assignant servitutem naturalem, qua imbecilliores subduntur nobilioribus, eisque obedientiam, & famulatum præstant, ut ab illis regantur, & dirigantur: hæc tamen ad præsens non spectat institutum.

53. Quot titulis servitus propria introducta sit? R. quadruplici, nempe bello, venditione, nativitate, & crimine. *Primo* jure gentium introducta est bello: quia capti in bello justo possunt privari vita, ergo & libertate. Nihilominus, ut vitæ consulatur, cautum est, ut homines bello capti servarentur; manerent tamen victorum servi. Excipiuntur Christiani, dum a Christianis vincuntur, quia, consuetudine leges civiles abrogante, captivi fiunt, non servi. Si autem justo bello ab infidelibus vincantur, servi eorum manent: sicut etiam manebunt, si contra alios Christianos auxilium præstent infidelibus.

54. *Secundo*, quis efficitur servus venditione, quando scilicet, vel pater in necessitate vendit filium sub patria potestate existentem, vel quilibet, justa cogente causa, seipsum vendit. *Tertio*, fit aliquis servus nativitate, quando nimirum natus est ex matre serva, quia partus sequitur ventrem. Verum si mater tempore conceptionis, vel partus, aut intermedio sit libera, etiam proles libera nascitur. Ex Instit. *de Ingenuis* §. *sed siquis*. *Quarto*, fit aliquis servus ex crimine, cui ex jure talis pœna correspondeat: ut raptor puellæ, puella contra-

trahens cum initiato in sacris. Item filii ex tali concubitu geniti, quando hæc crimina per judicis sententiam declarantur.

55. Inq. 3. Ad quid teneantur servi respectu dominorum? R. quod servi, qui tales sunt ex quolibet titulo relato, tenentur 1. honorem, & reverentiam, peculiaremque amorem dominis deferre. 2. obedientiam præstare in omnibus, quæ juste eis imperant. 3. Eos a malis ingruentibus, & inopinatis, etiam cum periculo vitæ defendere. 4. Res dominorum pro viribus conservare. 5. Quando domini sunt in gravi infirmitate, curare, aliis deficientibus, ut sacramenta recipiant. Tamen non debent obedire dominis præcipientibus contra præcepta naturalia, aut divina. Si autem contra Ecclesiæ præcepta jubeant, obedire poterunt, si grave damnum ex inobedientia immineat, vel adsit necessitas.

56. Domino, & servo in extrema necessitate famis constitutis, non tenetur hic domino alimenta sibi necessaria subministrare: quia in extrema necessitate jure naturæ omnia sunt communia, & quisque sibi prius, quam alteri providere debet; nisi dominus esset Rex, Princeps, aut vir reipublicæ valde utilis: quia tunc ordo charitatis postulat, ut servus vitam domini suæ propriæ anteponat. Idem est, quando servus conducitur, ut dominum tueatur: tunc enim cum periculo vitæ eum defendere debet, ut diximus, a malis inopinatis. Si vero dominus pericula vitæ amittendæ absque necessitate, aut temere subeat, minime tenetur servus eum tueri cum gravi periculo proprio.

57. Inq. 4. An servi in bello capti licite possint ad suos fugere? R. 1. quod servi capti in bello injusto, quales reputantur Christiani capti a Mauris, & Saracenis, possunt licite fugere; imo accipere a dominis, quæ ad iter faciendum indigent. Et licet graves Theologi asserant posse etiam auferre a dominis quantum placet, securius est oppositum.

58. R. 2. Quod servi capti in bello justo, etiam licite ad suos fugere possunt: quia jus gentium concedens bello justo captos posse fieri servos cum libertate fugiendi ad suos, ab omnibus acceptatum est: & constat ex *Institut. lib. 2. tit. de rer. divis.* Alia vero fuga, quæ ad suos non sit, nec licita est servis, nec libertatem eis affert, nec dominis insequentibus vi resistere possunt; donec ad suos, vel ad alium locum non subjectum hostium dominio non se recipiant: quia jus habent eos detinendi, quamdiu ad alium Principatum non perveniant, & libertatem consequantur. Idem est de illis, qui se vendiderunt, aut pater eos vendidit: quia primi ex propria voluntate, secundi ex paterna simul cum libertate potestatem fugiendi amiserunt. Idem tenet de illis, qui ob propria delicta ad servitutem damnantur. Denique idipsum dicendum est de omnibus, qui de non fugiendi fidem, maxime juratam, dominis dederunt: quia jure naturali fides servari debet, & maxime si juramento firmetur.

59. Verum illi, qui a dominis ad libidinem, furtum, aut alia peccata inducuntur, vel acerbe, & inhumaniter tractantur, licite fugere valent, quia nemo evidenti periculo animæ, aut corporis ad serviendum cogi potest. Imo, si dominus publice prostituat ancillam ad turpiter ejus corpore fruendum, eo ipso libera manet: ut optime decernunt leges Castellæ Part. 7. tit. 22. leg. 2. & alibi.

60. Inq. 5. An quidquid servus acquirit, domino acquirat? R. affirm. quia accesorium sequitur principale; sed servus secundum principale domini est, ergo etiam quidquid ipse acquirit, ei consequitur. Unde monachus, & servus pares reputantur in eo, quod nullius rei possint habere dominium. Nihilominus non in omnibus tenet paritas: quia monachus solemniter professus incapax est omnis dominii, etiam ex voluntate Prælati; servus vero ex voluntate domini potest habere dominium pecuniæ, aut alterius rei sequentibus casibus: 1. Si dominus ei aliquid donet. 2. Si pacisca-tur cum eo, ut sibi tantum det quotidie, & reliquum, quod acquirat, sibi retineat. 3. Si ludo, aut negotiatione ex consensu domini aliquid lucretur. 4. Si ei aliquid restituatur pro injuria illata. 5. Si aliquid ei donetur sub conditione, quod solus ipse acquirat dominium. 6. Quando

do a domino certa portio cibi servo taxatur, & ipse parcius sumendo, aliquid vendit, & pretium retinet; dummodo per hanc abstinentiam non reddatur inhabilis ad obsequium domini. 7. Si ancilla usu illicito sui corporis aliquid comparat, quod non domino, sed sibi, esto male, lucratur.

61. Inq. 6. Ad quid teneantur domini erga servos? R. teneri ad ea omnia, quæ parentes erga filios: quia vices gerunt parentum. Igitur debent eos diligere, alere, & bonis moribus instruere, atque moderate punire, aut corrigere. Idcirco peccant graviter domini. 1. Si servis impediant sacrum audire, dies festos colere, aut sacramenta congruo tempore recipere. 2. Si eos mutilent, dire puniant, aut tractent: gravis quippe punitio ad judices pertinet. Si autem dominus deliberate taliter servum puniret, ut eum luscum, mancum, aut claudum redderet, posset in compensationem ad illi libertatem donandam compelli. 3. Peccant domini, si servos cogant ad matrimonium: vel ab eo contrahendo impediant; quia in his, quæ sunt de jure naturæ, non subjiciuntur dominis.

62. Servus, invito, aut inscio domino, nequit religionem ingredi, nec ad ordines ecclesiasticos promoveri, nec matrimonium contrahere. Si vero, domino inscio, contrahat, tenetur cæteris paribus præferre ejus obsequium debito matrimonii: quia jus domini anterius fuit. Si autem contrahat, volente domino, debitum matrimonii præferendum est obsequio domini, qui concedens servo contrahere, cessit quoad requisita matrimonii juri suo. Dominus solum obligatur ex delicto, & contractu servi: primo, si jussu domini delictum perpetravit, aut contractum iniit. Secundo, si quod ex contractu acquisivit, in utilitatem domini versum est.

Punctum VIII.

De reciproca dominorum, & famulorum obligatione.

63. Inq. 1. Ad quid teneantur famuli erga dominos, seu heros suos? R. teneri 1. exhibere dominis reverentiam, & benevolentiam. 2. obedientiam. 3. obsequium, & fidelitatem: hoc ultimum ratione justitiæ: cætera recensita ratione virtutis observantiæ. Unde graviter peccant, si præfata omittant: si irreverentiam gravem eis irrogent: si operas consuetas non præstent: si secreta domus, aut familiæ foras propalent: si, eis justa præcipientibus, non obediant: si absque justa causa discedant a famulatu ante tempus condictum.

64. Inq. 2. An famulus per annum conductus, dimidium tantum inserviens, ad dimidium stipendii jus assequatur? R. affirm. quia jure naturæ cuilibet solvendum est juxta laborem præstitutum. Verum si ex discessu famuli absque causa domino grave damnum oriatur, potest illi subtrahere secundum quantitatem damni. Imo, quia dominus ex tali discessu aliquam semper patitur injustitiam, docet communis sententia posse dominum aliquid stipendii sex mensibus respondentis sibi retinere in pœnam injusti discessus. Aliqui ajunt famulum non posse petere suam mercedem triennio elapso ab exitu e domo domini, quod in foro conscientiæ locum non habet: quia vere merces famulo debetur, ergo solvenda est in conscientia, quidquid sit de foro judiciali. Famulus ægrotans per aliquod tempus non tenetur post annum supplere operas omissas: quia casus fortuitus creditur exceptus in promissione operis. Verum est, quod nec dominus tenetur ei solvere stipendium pro tempore ægritudinis; esto curare debeat, ne ei necessaria desint, & præ cæteris extraneis cum eo charitative se gerere.

65. Inq. 3. Ad quid teneantur domini erga famulos? R. teneri ad benevolentiam, mercedem, & custodiam, & alia, quæ tam in spiritualibus, quam incorporalibus indigent juxta pactum initum, & consuetudinem locorum. Debent igitur domini famulos diligere, doctrinam Christianam, & bonos mores verbo, & exemplo docere; atque etiam curare, ut Deo serviant, sacramenta suscipiant, dies festos colant: scientes numquam sibi fideliter servituros, nisi propriæ animæ, & conscientiæ consulant, & Deum timeant. Debent alimenta congrua eis præs-

præstare, moderare, & non aspere eos corrigere; peccant enim si injuriis, imprecationibus, & contumeliis eos increpent. Tenentur similiter eos absque causa ante tempus condictum non dimittere; alias debent totam mercedem integre eis solvere; nisi statim alterum herum invenerint, qui æquali saltem stipendio illos conduxerit.

66. Inq. 4. An dominus solvere debeat stipendium famulo inservienti, nulla mercede stipulata? R. sub distinctione, quia vel dominus similium famulorum operas conducere solet, vel non? Si primum, solvere debet stipendium consuetum; & eo non solvente, potest famulus exigere, quia eo ipso, quod illius famulatum, & obsequium admittit, consentit in illud, ac proinde tenetur ei solvere. Si secundum, minime: quia sufficienter satisfacit admittendo illum gratis, tribuendoque ei alimenta, & habitationem; ut potest accidere cum aliqua miserabili persona, qua herus non indiget, & ex charitate illam admittit. Quidquid hic dicat P. Concina, qui absque distinctione, solvendum esse omnibus famulis asserit, & non probat.

67. Famuli Magnatibus, & Episcopis gratis inservientes nihil præter victum, vestitum, habitationem, & educationem prætendunt, nec accipere volunt, nec debent; nec ab extraneis quidquam titulo etiam gratificationis extorquere. Circa quod singulari exemplo refulget hodie Palatium Illustrissimi Archiepiscopi Burgensis; ubi mandato zelantissimi Præsulis nihil omnino ullo titulo accipiunt ab extraneis ejus domestici. Utinam hoc exemplum sequerentur omnes Magnates! Ex opposito enim quod hodie accipitur ut gratificatio mera, cras exigitur ex justitia. Unde prodeunt plurimæ injustitiæ, & vexationes in expeditione negotiorum. Væ illis!

68. Pro Coronide hujus puncti observa propos. 37. damnatam ab Innoc. XI. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Merito thesis hæc proscripta est: aperiebatur enim janua pluribus injustitiis, dum quilibet famulus, aut famula pro suo cerebro judicaret numquam sua servitia sufficienter persolvi. Igitur quando recipiunt salarium, de quo sponte fuit stipulatum, injuste aliquid amplius surripiunt, quod restituere tenentur. Porro si eis videtur stipendium suo servitio inferius, moneant heros de inæqualitate, aut quærant alium, aut contenti sint stipendio assignato. Nec proficit recurrere ad majus servitium, quod ipsi ajunt se præstare; quod aliquando quidem fictum est; aut non semel gratis præstitum. Nam si vere ex domini voluntate exhibent ministeria ultra conventionem, tunc de consensu, & judicio Confessarii prudentis possunt in hac materia se gerere. Requiritur consilium Confessarii, ne proprio judicio fallantur; nemo enim est rectus judex in propria causa. Nec hoc in dicta propositione comprehenditur: nec etiam quando herus non solvit integre salarium designatum, aut consuetum. Sed caute procedunt Confessarii, nec cito credant famulorum dictis parum veris ad excusandas excusationes in suis furtulis.

Punctum IX.

Qualiter honorandi sint tutores, curatores, magistri, & senes.

69. *Parentum* nomine eos intelligimus, inquit Cathec. Roman. *p.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. *quorum procurationi, fidei, probitati, sapientiæque alii commendantur: cujusmodi sunt tutores, & curatores, pædagogi, & magistri... Postremo patres dicimus senes, & ætate confectos, quos etiam vereri debemus.* De his omnibus breviter in hoc puncto agemus, doctrinamque supra stabilitam cuilibet applicabimus.

70. Inq. 1. Quam obligationem habeant tutores, & curatores respectu pupillorum, & minorum? R. quod *tutor est, qui a Magistratibus designatur pupillo, seu masculo minori quatuordecim annorum, seu fœminæ minori duodecim extra patriam potestatem existenti, ad tuendum eos. Ex Instit.* de Tutela §. 1. & 2. Curator est, *qui aut puberi majori quatuordecim annorum, & minori viginti quinque, aut amenti, aut prodigo, qui rebus suis præesse non potest, a Magistratibus præficitur. Ex ead. Instit. de*

Cu-

Curat. Igitur tutores, & curatores a Magistratibus præficiuntur, non solum ad defendenda bona, & causas pupillorum, & minorum, sed etiam ad eorumdem educationem, & instructionem. Unde mortaliter peccat tutor, aut curator, qui notabiliter est negligens in pupillo, aut minori bonis moribus instruendo, & a vitiis, & peccatis avertendo: sicut lethaliter peccaret in notabili negligentia circa eorum bona, & causas defendendas: quia æqualiter hæc officia instituta sunt, ut minoribus, & maxime pupillis de utroque provideant. Ex quo sequitur, quod cum tutores, & curatores sint veluti parentes pupillorum, & minorum, debent eis similem honorem, & reverentiam, quam parentibus exhibent. Ideo, quæ diximus de filiis respectu parentum, proportionabiliter eis applicari debent.

71. Inq. 2. Quæ obligatio incumbat magistris respectu discipulorum? R. quod pædagogi, seu magistri tenentur 1. curam discipulorum gerere in rebus pertinentibus ad mores, & honestam educationem: quia cum loco parentum succedant, eis atribuenda sunt discipulorum peccata, si eos non corrigant, puniant, vel saltem acriter reprehendant. 2. Curare, ut in litteris proficiant; & ne paterna bona aliis vanis exercitiis insumant. 3. Debent, non tam subtilia, quam utilia, & solida discipulos edocere. Unde peccat mortaliter magister, qui in moralibus, & theologicis improbabilia docet: tum quia ipse turpiter errat: tum quia discipulos in rebus magni momenti in errorem inducit. Circa mores doceat semper probabiliora: in philosophia utiliora, horreat modernos materialistas, qui speciosis verbis incautos fallunt, & a principiis veræ Theologiæ, fidei, & religionis elongant. Habeant in corde, & in ore illud æternæ veritatis dictum Eccles. 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens.* Sed proh dolor! Hodie sola novitas placet. Sapientia antiquorum despicitur, recentiorum plauditur. Celebrantur quidam saperdæ, qui volentes buccis crepantibus suam sapientiam prodere, suam veram stultitiam ostendunt. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*, dicit de talibus Apost. *ad Rom.* 1.

72. Nihilominus ipsi audiuntur, quia novandi genio, & inquieto venerabili antiquitati se opponendi pruritu Theologiam scholasticam adeo ab Ecclesia, a SS. Patribus, & a Conciliis laudatam, & commendatam vocitant insipidam, barbaram, rixosam, antiquatam, & inutilem. Unde illam asserunt ab scholis eliminandam; quia putant sufficere nudam Theologiam positivam. Sed debebant advertere quod S. Aug. silendo alios *lib.* 14. *de Trin. cap.* 1. eam dicit esse, per quam *fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Si ergo non se putant oculatiores Augustino, fateantur, quod Theologia scholastica non inutilis, sed utilissima, & saluberrima est.

73. Quod nihil melius probat, quam odium implacabile hæreticorum contra eam, quia eorum commenta, nugas, & sophistica argumenta detegit, explodit, & profligat. Unde Wiclef, Luterus, Calvinus impietatis scholam, & aliis vere impiis nominibus eam diffamant. Witembergenses, quot libros dictæ Theologiæ invenire potuerunt, igni tradiderunt. Cur dicebat Bucerus *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam*? nisi quia ejus doctrina, præsertim mirabilis summæ, est ars munitissima, & velut turris David, ex qua pendent mille clypei ad hæreses, & hæreticos funditus debellandos? Theologia igitur scholastica necessaria est ad puritatem fidei conservandam, & defendendam.

74. Ex dictis infertur quantus honor, & reverentia magistris adhibendus sit a discipulis, cum tanta obligatio illis adsit ad eos educandos, & instruendos. Unde tenentur 1. discipuli ex virtute observantiæ exhibere suis magistris, & pædagogis honorem, & reverentiam similem ei, quam patribus exhibent; imo & forte majorem: ut postulatus Alexander magnus, plus, respondit, quam patrem, se magistrum diligere: *Ille enim*, inquit, *ut essem: hic autem, ut præclare institutus essem, author fuit.* 2. Tenentur obedire magistris in his, quæ ad bonos mores pertinent, & ad suam instructionem, nam loco parentum succedunt.

75. Ultimo loco *parentum* nomine intelliguntur senes, quos etiam hoc Decalo-

logi præcepto honorare jubetur, juxta illud *Levitici* 19. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Primo, quia senes se habent ad juniores, sicut magistri ad discipulos. Secundo, quia in senibus præter excellentiam ætatis, solet esse magna prudentia, sapientia, & virtus: unde a senibus olim regebantur regna. Et ideo omnes nationes solo instinctu naturali senes honorabant, & venientibus senibus, juvenes consurgebant. Quaprorter parentes, & Confessarii acriter reprehendere debent, & etiam punire petulantes pueros, & juvenes, qui non semel pauperes senes exsuflant, & sibilant cum magno dedecore, & commotione atræ bilis. Unde Elisæus Propheta ad puniendos parentes, & filios male educatos, zelo Dei maledixit pueros eum irridentes, ut ait D. Thom. 2. 2. *q.* 108. *art.* 1. *ad* 4.

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

ACcedimus ad quintum Decalogi præceptum explorandum, quod unico capite præstare curabimus. Quoniam autem de gula, & ebrietate jam tract. 5. a num. 20. egimus, in præsenti solum de spectantibus ad sævissimum, & crudele homicidii peccatum erit nobis sermo: licet per doctrinæ connexionem quædam de licita hominis occissione prælibanda sint juxta doctrinam D. Thomæ, qui de hoc præcepto disserit. 2. 2. *q.* 64. & 65.

CAPUT UNICUM.

De homicidio.

PUNCTUM I.

Notio homicidii.

1. Inq. 1. Quid per quintum Decalogi præceptum prohibeatur? R. prohiberi homicidium proprie tale, quod est *injusta hominis occisio.* Item prohibetur omnis injusta mutilatio, aut læsio hominis facto, verbo, cogitatione, seu desiderio, ope, sive consilio. Aliqui dicunt prohiberi etiam scandalum, quia est mors animæ proximi; sed revera scandalum est peccatum oppositum charitati, potius quam justitiæ, cui proprie opponitur homicidium. Et licet omne peccatum contra justitiam, sit contra charitatem; non tamen econtra. Verum in confessione sufficit fateri expresse peccatum injustitiæ, ibi enim subintelligitur peccatum contra charitatem in injustitia semper repertum. Denique in hoc præcepto prohibetur prodiga per intemperantiam in esu, & potu amissio salutis, cujus homo non est dominus, sed custos. Nam teste Ecclesiastico 37. 34. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.*

2. Igitur illo præcepto Exodi 20. 13. *Non occides* minime prohibetur occisio animalium, aut herbas secare, uti finxerunt Manichæi: quia omnia animantia author naturæ subjecit homini ad ejus esum, usum, commodum, & utilitatem: ut patet *Genes.* 9. 3. Nec prohibetur occisio hominis facta authoritate publica, ut somniarunt Waldenses: quia oppositum aperte constat Exodi 22. 18. Ubi maledicos, idolatras, & jumentorum concubitores jubet interfici. Nec tandem prohibetur occidere homicidas, blasphemos, latrones, & alios facinorosos: quia Josue 7. Acham propter laminæ furtum lapidatus est. Et in jure canonico sæpe malefactores damnantur pœna mortis.

3. Inq. 2. Quale peccatum sit homicidium? R. esse gravissimum injustitiæ peccatum, majus omnibus, quæ externum nocumentum homini inferunt; quia maximum ei aufert bonum, nempe vitam: Unde maxima pœna est ei imposita, scilicet mors. Est etiam ab intrinseco malum: quia homicidium est injusta hominis occisio, quæ semper est mala. Quare quid valde diversum est occi-

sio hominis ab homicidio : hoc enim numquam est licitum ; illa vero aliquando est licita, & aliquando debita ex justitia, ut patet ex sequentibus.

4. Inq. 3. An aliquando licitum sit hominem occidere ? R. affirm. quia in primis licitum est occidere malefactores bono communi nocivos ex authoritate Principis, reipublicæ, seu Judicis legitimi. Constat ex textu Exodi supra laudato, ubi dicitur : *Maleficos non patieris vivere.* Ratio etiam naturalis idipsum suadet : quia omnis pars ordinatur ad totum, & naturaliter est propter illud, ergo quando præcisio partis est necessaria ad salutem totius, poterit licite, & debet partem præscindere, cui totius cura commissa est ; sed malefactores sunt partes reipublicæ ei grave nocumentum inferentes, ergo Superiores reipublicæ curam gerentes possunt, & debent ob totius salutem eos præscindere, & occidere. Deinde licet occidere hominem authoritate Dei, & etiam in propriam defensionem, ut dicemus.

5. Inq. 4. An clerici publicam jurisdictionem habentes possint pœna mortis damnare malefactores ? R. ex licentia Pontificis posse licite : aliter minime. Possunt ex Pontificis dispensatione : quia prohibitio solum est ex jure ecclesiastico, non de naturali, aut divino. Nequeunt absque dispensatione : quia eis prohibetur in jure canonico ferre capitis sententiam ob decentiam status, & significationem mansuetudinis Christi, toto titulo de *Clerico percussore*, & alibi sæpe. Unde clerici in sacris constituti se immiscentes absque licentia in causa sanguinis, peccant graviter ; si in minoribus tantum sint, leviter, quia levis reputatur indecentia.

6. Prælati autem ecclesiastici, qui supremo gaudent dominio alicujus Provinciæ, Diœcesis, aut civitatis, licet per se ipsos sine dispensatione Papæ nequeant causam sanguinis dicere ; valent tamen judicibus laicis suam committere potestatem ad causas sanguinis judicandas, ut tenet praxis communis Ecclesiæ. Possunt etiam leges condere continentes pœnam mortis. Similiter Inquisitores possunt hæreticos tradere Judici sæculari morte puniendos ; licet debeant petere, ut benigne se gerant cum eis, *ex cap. Novimus.*

7. Inq. 5. An Princeps supremus, aut respublica possit dare facultatem cuilibet privato occidendi bannitos ? R. affirm. quia alias similes reipublicæ perturbatores numquam fortassis caperentur. Unde sibi imputent, si inopinato occidantur. Idem est de potestate data a Principe filiis, fratribusque, ut occidant interfectores patrum, fratrumve suorum : quia Princeps supremus facultatem concedere valet eos occidendi, cui maluerit, ergo etiam filiis, aut fatribus occisorum. Nihilominus non congruit in praxi ejusmodi facultate uti, ne amore vindictę privatæ, potius quam publicæ exerceatur. In primo etiam casu si banniti, & scelesti capi, & adduci possint ad tribunal Principis, minime occidi inopinato debent : quia omnes tenemur consulere proximi saluti spirituali, quæ in morte improvisa, & subitanea maxime periclitatur.

Punctum II.

De innocentis occisione.

8. Inq. 1. An detur potestas humana ad occidendum directe innocentem ? R. neg. quia respublica, sive Rex solum habet potestatem a Deo occidendi eos, qui bono communi nocent ; sed innocentes nullatenus nocent bono communi, ergo non datur potestas humana eos directe occidendi. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 6. Constat etiam *Exodi* 23. *Insontem, & justum non occides.*

9. Objic. 1. Abraham voluit immolare filium innocentem. 2. Viri Samariæ interfecerunt filios Achab. 3. Filii Israel occiderunt omnes infantes, & lactentes Jerico, ergo licitum est occidere directe innocentem. R. neg. conseq. quia in casibus relatis voluntas immolandi, & occisio innocentum processit ex authoritate Dei, qui est dominus vitæ, & mortis, & volebat probare fidem Abrahæ, & delere progeniem Achab, & alios, quorum occisionem imperavit *Josue* 6. supra autem diximus licere hominis occisionem authoritate Dei ; imo si Deus *expresse, & certo* præciperet alicui seipsum occidere, posset, & deberet obedire.

10.

10. Similiter occisio indirecta innocentis licita est cum causa urgenti, & gravi : ut dum quis non potest a morte imminente effugere, nisi conculcando equo innocentem, aut quando in bello justo ad reportandam victoriam necessum est militibus dirigere tormentum in locum, ubi occidendi sunt innocentes : quia tunc casus nec fugiens, nec milites intendunt directe innocentum necem ; sed tantum indirecte accidit. Verum si innocentes intra castra obsidentium essent, non possent interfici, ut civitas tradi cogeretur. Nec post partam victoriam possunt milites victores occidere innocentes civitatis : quia illi nulli faciunt injuriam. Judicantur autem innocentes, nisi aliud constiterit, pueri, mulieres, præsbyteri, monachi, peregrini, & mercatores non incolæ, sed obiter transeuntes.

11. Inq. 2. An tyranno minanti Urbis excidium, nisi ei innocens tradatur occidendus, licita sit ejus traditio ? R. neg. quia traditio innocentis ad occidendum est intrinsece mala, sicut ipsa occisio, ergo sicut non potest respublica ob eamdem rationem tradere virginem corrumpendam a tyranno Urbis excidium minante, aut sacramenta profananda, seu libros sacros comburendos, ita nec innocentem tradere occidendum.

12. Objic. Esto respublica nequeat directe tradere tyranno innocentem occidendum ; hic tamen ex charitate tenetur se tradere ob totius bonum, ergo si nollet, poterit respublica eum tradere. R. neg. antec. quia innocens non tenetur adhuc ex charitate ad se tradendum ; imo non potest ; alias esset cooperator suæ injustæ occisionis. Potest vero respublica cogere illum, ut exeat a civitate, & ad hoc ipse tenetur ob commune bonum : propter quod valet, & debet quilibet se morti exponere, non autem se directe tradere occidendum.

13. Replicabis : Martyres se tradebant tyrannis occidendos, ergo innocens potest se tradere tyranno occidendum. R. neg. ant. quia Martyres solum intendebant publice confiteri, & prædicare fidem Christi, & ad hunc finem se sistebant coram tyrannis, aut illos etiam quærebant ex speciali impulsu Dei ; non vero directe se tradebant occidendos ; alias malitiæ tyrannorum cooperarentur, quod est omnino illicitum.

14. Inq. 3. An liceat judici occidere illum, quem ipse certo scit esse innocentem, si secundum allegata, & probata nocens appareat ? R. quod in hac gravissima difficultate triplex militat sententia solidis rationibus, gravique authoritate munita. Prima absolute negat. Secunda distinguit de causis criminalibus majoris momenti, ut pœna capitis, exilii, aut carceris perpetui, mutilationis membrorum, aut similium, in quibus negat cum prima posse judicem damnare, quem certo scit esse innocentem. In causis autem civilibus, & criminalibus minoribus defendit posse. Tertia denique absolute asserit judicem inferiorem, qui tentatis omnibus, nequit reum liberare, debere juxta allegata, & probata sententiam ferre. Ita omnes vere Thomistæ cum suo Angel. Precept. qui eam expresse docet 2. 2. *q.* 64. *a.* 6. *ad* 3.

15. Ratio potissima hujus sententiæ est, quia judex debet ferre sententiam, non juxta scientiam privatam, sed juxta scientiam publicam, ad hunc enim finem conduntur leges, eriguntur tribunalia, & constituuntur judices : sed in casu quæstionis innocens juxta scientiam publicam apparet nocens, ergo ut talem debet judex illum damnare juxta allegata, & probata.

16. Confirm. 1. quia contra leges non admittitur probatio in contrarium, ergo nec contra probationes legitimas debet admitti notitia particularis contraria. *Confirm.* 2. quia judex ferendo sententiam juxta allegata, & probata legitime procedit, suoque muneri satisfacit, erg. ad id tenetur, quando alia via nequit reum excusare. Si namque aliquo modo valeat, debet ex charitate eum liberare a morte, vel ab alio gravi damno.

17. Igitur judex inferior debet tentare omnia ad eum liberandum. Debet, si potest, repellere accusatores, testes pluries, & per varia intervalla examinare ; eisdem circumstantias temporis, loci, & facti opponere, sententiam differre, si absque scandalo valeat, carcerem aperire, ut fugiat innocens. Denique causam ad judicem superiorem remittere, & coram illo de rei innocentia testificari. Si au-

autem judex sit supremus Princeps, debet illum liberare, dispensando in legibus: quod quidem ex causa adeo justa licitum est ei apud omnes. Si vero scandalum in populo oriatur, debet publice de rei innocentia testificari.

18. Objic. 1. Occidere innocentem est intrinsece malum, sicut mendacium, ergo in nullo casu est licitum. R. negand. ant. quia in primis occisio innocentis licita est authoritate Dei, non vero mendacium. Deinde etiam licita est cum causa occisio indirecta innocentis, ut supra diximus, & hujusmodi est occisio, ad quam concurrit judex ferendo sententiam juxta ordinem juris. *Nec ille occidit innocentem, sed illi, qui asserunt esse nocentem*: ait D. Thom. ubi supra.

19. Objic. 2. Nequit aliquis accedere ad mulierem certo non suam, esto plures testes affirmarent esse suam, ergo nequit damnari certo innocens, esto affirmetur a pluribus nocens. R. neg. conseq. consistit disparitas in eo, quod ut quis licite accedat ad mulierem, debet informari per scientiam privatam, quod talis mulier non sit aliena; judex vero in judicio publico debet informari, non per scientiam, & notitiam privatam, sed per publicam: ut docet D. Thom. *q.* 67. *art.* 2. *ad* 4.

20. Objic. 3. ideo sententia Pilati contra Christum fuit iniquissima, quia protulit illam juxta allegata, agnoscens ejus innocentiam, ergo idem de omni judice ita procedente dicendum est. R. negand. ant. quia sententia Pilati ex omni capite fuit injustissima; cognovit enim non esse convenientia testimonia: testes esse falsos, accusatores perfidos; nullam potuisse probare causam, Christi innocentiam esse manifestam, notoriam, & publicam, quæ omnia deficiunt in casu quæstionis, ut supponitur.

21. Ex dictis infertur 1. quod esto judex agnoscat privata scientia aliquem esse nocentem, reumve mortis, si juxta allegata, & probata appareat innocens, debet illum absolvere: quia tenetur judicare secundum ordinem juris; alias injuste procedit in proferenda sententia, & omnia damna ex illa secuta reo, aut hæredibus restituere debet.

22. Infertur 2. quod minister justitiæ executor sententiæ contra innocentem latæ debet fugere, si potest: quia quilibet tenetur vitam innocentis tueri, quando id sine gravi damno facere valet. *Nam si sententia intolerabilem contineat errorem, non debet obedire; alias excusarentur carnifices, qui Martyres occiderunt. Si vero non contineat manifestam injustitiam, non peccat exequendo: quia ipse non habet discutere superioris sententiam: nec ipse occidit innocentem, sed judex, cui ministerium exhibet.* Dicit D. Thom. *loc. cit. a.* 6. *ad* 3.

23. P. Concinæ non placet sententia D. Thom. supra exposita, & oppositæ adhærens *tom.* 4 *pag.* 178. *n.* 12. ait: *Nulla unquam persuasione inducerer ad eum damnandum, quem justum certo cognoscerem.* Quibus verbis satis innuit, se melius communi magistro difficultatem callere. Poterat quis ei fiducialiter dicere: *Tene sententiam, sed cohibe linguam, cohibe calamum*, ne recedas a tali magistro, & communi sententia Thomistarum.

24. Sed dicat nobis, cur judex, parte petente, potest licite exigere juramentum ab eo, quem certo scit falso juraturum? Non minus est intrinsece malum juramentum falsum, quam occisio innocentis: Si ergo judex juxta Concinam valet illud exigere ratione offici, eadem ratione valebit sententiam ferre juxta allegata, & probata. Sed superflua est revera quævis paritas, ut qui tanti Doctoris discipulatu gloriamur, ejus Angelicæ doctrinæ humiliter subscribamus.

Punctum III.

De abortu.

25. Inq. 1. An liceat aliquando abortum procurare? R. quod directe, & per se abortum procurare numquam licet, sive fœtus animatus sit, sive inanimatus existat: quia si est animatus, est homicidium proditorium innocentis, quod numquam est licitum, etiam ob grave periculum infamiæ, mortis, vel alterius damni matris, vel cujuscumque personæ, aut communitatis, seu familiæ quantumvis nobilis. Similiter est certum illicitum esse abortum ante fœtus animationem

nem ob tuendam vitam, seu famam matris, & reduci ad peccatum homicidii; quamvis non sit proprie tale, quia non actualiter, sed in via est homo.

26. Unde merito damnata est ab Innoc. XI. propos. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur.* Ratio naturalis idipsum suadet: quia non licet pollutionem procurare directe, & per se ob sanitatem, nec ob alium quemcumque finem, ergo neque abortum: quia sicut illa est contra naturam generationis, ita similiter iste.

27. Objic. non est illicitum occidere aggressorem vitæ; sed fœtus est aggressor vitæ matris, nec adest aliud medium evadendi, nisi expellendo illud per abortum, ergo hic erit aliquando licitus. R. fœtum non esse aggressorem, sed formari a natura ad conservationem speciei, & licet aggressor dicatur, non tamen injustus, qui solum potest occidi ad tuendam propriam vitam, ut fusius infra constabit.

28. Inq. 2. Quo tempore fœtus animetur? R. 1. certum esse fœtum intra claustrum maternum animari, antequam oriatur. Constat ex propositione 35. damnata ab Innoc. XI. *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali: & tunc primum incipere eamdem habere cum paritur: ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* R. 2. quod masculus formatur, & animatur juxta communem sententiam spatio quadraginta dierum; fœmina vero octoginta plus minusve. In dubio autem præsumitur masculus: Ideoque die saltem quadragesimo a conceptione, & deinceps præsumitur animatus. Vide tom. 2. pag. 484. n. 110.

29. Inq. 3. An mulier gravida periculoso morbo ægrotans sumere possit remedium, sive potionis, sive scissionis venæ ordinatum directe ad sanitatem, quando aliud non superest; quamvis inde abortus timeatur, & fœtus non est animatus? R. affirm. quia sicut est licita occisio indirecta innocentis ex gravi, & urgenti causa, ita abortus indirecte procuratus. Nec enim mater propter fœtum amittit jus utendi remediis necessariis ad salutem, ex quibus si abortus sequatur, est per accidens, & præter intentionem.

30. Verum si saltem dubium sit de animatione fœtus, & adsit spes in lucem prodeundi, ac baptismum suscipiendi, tenetur mater abstinere a remedio, ex quo abortus timeatur: quia quilibet tenetur ex charitate præferre salutem æternam proximi suæ vitæ temporali. Igitur magna circumspectione procedere debent medici, & chirurgi tam in curatione gravidæ, quam in scissione ejusdem, postquam defuncta est; pluries accidit scissio Cæsarea feliciter operata; tamen mater adhuc vivens minime tenetur scissionem pati cum periculo adeo noto. Si autem adesset chirurgus peritus, qui uncis, aut alio instrumento subtili sciret extrahere fœtum vivum absque periculo vitæ matris, posset hujusmodi curatio in casu urgenti admitti. Vide Cuniliati *tom. 1. tract. 18. de homicidio cap. 1. §. 3. num. 7.*

31. Inq. 4. Quæ pœnæ sint impositæ contra abortum procurantes? R. quod in primis conformiter ad sacram paginam tum veteris, tum novi testamenti, jure communi civili assignatur homicidæ pœna capitis, quæ absdubio debetur procuranti abortum fœtus animati, effectu secuto, est enim vere homicida. Deinde Greg. XIV. in Constitutione *Sedis Apostolicæ* edita 1591. moderando aliam Sixti V. assignavit tres pœnas contra procurantes abortum fœtus animati. *Prima* est *irregularitas* homicidii voluntarii, seu directi Pontifici reservatâ effectu secuto. *Secunda excommunicatio major lata* contra eumdem abortum procurantes, auxiliantes, seu consiliantes reservata Episcopis, vel Confessariis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatis, moderata reservatione Papali, quam Sixtus imposuerat. *Tertia est privatio* officii, beneficii, & cujuscumque dignitatis ecclesiasticæ antea obtentæ, & inhabilitas ad alias obtinendas, ita ut hæc inhabilitas ipso facto incurretur; illa vero privatio post sententiam, saltem declaratoriam criminis.

32. Inq. 5. An dictas pœnas incurrant procurantes abortum ante fœtus animationem? R. negative: quia esto Sixtus V. etiam hos comprehenderit; Gregorius

vero eas limitavit ad procurantes abortum fœtus animati. In dubio autem animationis post quadraginta dies, ut diximus, præsumitur animatus. Communior sententia tenet etiam matrem incurrere excommunicationem dictam; est enim rea homicidii.

33. Solus Pontifex valet tollere irregularitatem ob abortum incursam. Ab excommunicatione potest absolvere Episcopus, seu Confessarius de ejus speciali deputatione. Inhabilitatem ad officia, & dignitates valent Prælati regulares dispensare suis subditis ex privilegio memorati Sixti V. & Greg. XIV. Plures addunt, quod Prælati absolventes subditos in Capitulo generali, provinciali, vel etiam conventuali, absolvere eos a dictis pœnis, si forte ab aliquo ibi existente incursæ fuerint.

Punctum IV.

De homicidio privata authoritate perpetrato.

34. Inq. 1. An possit aliquis privata authoritate hominem occidere? R. negative: tum quia hoc est potissimum, quod in quinto Decalogi præcepto prohibetur illis verbis *Non occides*. Tum quia solum potest homo directe occidi, quia est nocivus bono communi, ergo solum ad eos spectat eum de medio tollere, quibus cura boni communis est commissa. Cum ergo ad Principem, & ad ejus ministros publica authoritate fungentes pertineat reipublicæ bono incumbere, illi solum possunt malefactores interficere, vel facultatem ad hominem ex justa causa occidendum alicui committere. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. *ad* 2.

35. Objic. Si alter mihi certo centum debeat, & alia via nequeo recuperare, possum occulte propria authoritate totidem sumere, ergo si certo scirem Petrum occidisse patrem meum, & alia via non possum vindicare, vel ob defectum testium, vel ob negligentiam judicis, potero occulte propria authoritate eum occidere. R. neg. conseq. quia in primo casu alter ante sententiam judicis tenetur mihi ex justitia solvere; in secundo vero occisor non tenetur ante judicis sententiam pœnam mortis luere; ideo non possum me de illo vindicare, nec sententiam mortis prævenire.

36. Inq. 2. An quilibet propria authoritate occidere possit Principem tyrannum? Ante responsionem notandum est, quod dupliciter potest dici tyrannus aliquis Princeps, nempe *regimine*, & *usurpatione*. Ille est tyrannus regimine, qui juste possidet regnum, illud tamen tyrannice gubernat, nimis subditos gravando, eos bonis propriis expoliando, plures alias injustitias committendo, & in bonum proprium, non in commune commodum gubernationem dirigendo. Secundo modo est, & dicitur aliquis tyrannus, qui absque ullo jure intendit se introducere in Regnum, usurpando, quod sibi non debetur, & armis Regnum invadendo: qua ratione est injustus invasor Regni: quibus suppositis:

37. R. 1. Quod nullus propria authoritate potest occidere Regem, seu Principem quantumvis discolum, & tyrannum regimine, seu gubernatione, quia est contra omnem legem naturalem, & divinam, humanamque, quod quis privata authoritate occidat suum Regem legitimum; sed Rex non desinit esse legitimus, & verus Regni dominus, quantumvis tyrannice gubernet; ergo a nullo privata authoritate occidi valet. Resolutio hæc apud omnes nationes, etiam barbaras, tamquam certa amplexari debet: abhorret enim ipsa natura similem occisionem, ut feralem, & alienam prorsus a ratione, & omni juri contraria.

38. Doctrinam hanc tamquam de fide tenendam esse constat ex Concilio Constantiensi, ubi contraria merito proscribitur, dum inter articulos hæreticos Joannis Hus sequens damnatur: *Quilibet tyrannus licite potest a quocumque subdito interfici*. Justissime quidem hæc thesis ab Ecclesia profligatur, tamquam opposita doctrinæ Apostolorum: ut patet 1. *Petr. cap.* 2. *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & honestis, sed etiam discolis*. Quandoquidem Princeps, quamvis tyrannice regat, aut gubernet, est legitimus superior, cui a subditis obedientia, reverentia, & honor præstari debet. Alias actum est de Regibus, Principibus, &

su-

superioribus, si privata præsumptione quilibet posset attentare necem eorum pretextu tyrannidis. Quid autem agendum? Tollenda est nostra culpa, ut cesset tyrannorum plaga; inquit D. Thom. *Opusc.* 20. *de regimine Princip. lib.* 1. *cap.* 6.

39. R. 2. Quod si Princeps sit extraneus tyrannus volens usurpare Regnum non sibi debitum, quilibet potest eum occidere; nisi inde majus detrimentum reipublicæ timeatur: quia tunc agit ut miles, & minister reipublicæ injuste invasæ, aut oppressæ, non authoritate privata, sed publica a legitimo Rege, seu republica tacite, vel expresse communicata, occisorque illius (dum actualiter injustum bellum gerit cum republica alterius domini) nequit reus occisionis Principis ullo modo dici; sed injusti invasoris indigni prorsus nomine Principis decorari.

40. Idem dicunt gravissimi Theologi de eo, non solum quando actualiter bello invadit, sed etiam dum jam occupat tyrannice Regnum: quia respublica esto renuens, & repugnans, illi invita, & coacta subjicitur, armaque deponit, non potens illum repellere; semper tamen tyrannicum bellum virtualiter durat, & est invasor, & oppressor libertatis. Unde si alicui occurrat aditus occidendi tyrannum hunc extraneum, & redimendi rempublicam ab ejus tyrannica oppressione, ajunt posse illum licite interficere. Nihilominus cum materia sit adeo gravis, & severiori discussione, & consideratione digna, dicimus non ad quemlibet, sed ad Magistratus, Dynastas, & Senatum Regni spectare decisionem, dum jam respublica, esto renuens, arma deposuit, & illi subjecta est: quia Magistratus, & Duces, non quilibet privatus, dignoscunt, quibus de causis arma sint deposita, respublica subjecta, & possessio illi concessa.

41. Inq. 3. An peccet graviter maritus, vel pater filiam aut uxorem in adulterio deprehensam occidendo? R. affirm. Constat ex propositione 24. damnata ab Alexandro VII. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Probatur ratione: quia sic occidens præjudicat uxori, vel cuilibet alteri occiso, & reipublicæ. Uxori, quia non debet mori, nisi juxta ordinem juris. Reipublicæ, quia sibi occisor usurpat officium judicis, & vult esse judex, actor, & testis: quod est contra naturam judicii recti. Non minus delinquit, maxime inter Christianos, contra ordinem gratiæ, exponendo occisum aperto damnationis periculo. Idem est dicendum, esto maritus sit judex, aut Princeps supremus, propter rationes allatas: quia Judex, & Princeps debent observare ordinem juris, & procedere ex publica notitia: quoniam si ex privata notitia procedunt, privata authoritate occidunt, quod est omnino illicitum.

42. Objic. 1. Leges civiles, imo & canonicæ impunem relinquunt maritum uxoris occisorem in casu præsenti, ergo non peccat graviter. R. quod leges esto excusent maritum a pœna mortis propter impetum passionis, non approbant delictum, nec excusant a culpa. Nam si aliud intendunt leges civiles, corriguntur a canonicis. Verum est, quod si adulter occisus est clericus, occisor non incurrit excommunicationem canonis: bene vero irregularitatem ex delicto homicidii voluntarii.

43. Objic. 2. Princeps supremus dispensare valet in jure positivo statuente ordinem judicii publici juxta allegata, & probata, ergo potest absque tali notitia publica, & ordine juris occidere uxorem in adulterio deprehensam; maxime cum non deceat famæ Regis publicare delictum Reginæ. R. quod judicare secundum allegata, & probata, & ex notitia publica est de jure naturali, non de mero positivo: quia contraria condemnatio occulta tollit tranquilitatem communem, & justam defensionem omnibus a natura concessam. Regis autem dedecus ex publicatione delicti vane timetur; magis enim infamaretur Princeps occulte Reginam occidendo, quam servato ordine juris: quia omnes crederent, non ratione justitiæ, sed livore vindictæ eam occidisse. Vide D. Thom. 2. 2. q. 67. a. 3. Nec gentibus hoc erat permissum juxta illud Act. 25. *Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, &c.*

PUNC-

Punctum V.

De occisione injusti invasoris vitæ.

44. Inq. 1. An quis teneatur occidere injustum aggressorem vitæ propriæ? R. neg. quia quilibet ex charitate valet suam vitam pro vita alterius exponere, ergo etiam potest non se defendere ab injusto invasore, ut plures Martyres fecerunt. Excipitur duplex casus. Primus, quando invasus est in peccato gravi: tunc enim debet se defendere ob periculum æternæ salutis. Secundus, quando vita invasi est valde utilis reipublicæ: quia magis debet provideri bono communi, quam vitæ alterius.

45. Inq. 2. An liceat occidere injustum invasorem ob defensionem vitæ? R. affirm. quia conservare vitam est actus honestus inditus a natura, ergo etiam defensio vitæ, esto ex ea sequatur occisio alterius, qui hanc conservationem impedire injuste intendit. Unde quilibet etsi clericus, aut religiosus, si nequeat defendere vitam ab injusto invasore, nisi illum occidendo, potest illum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

46. Inq. 3. Quæ conditiones requirantur, ut defensio sit cum moderamine *inculpatæ tutelæ*. R. Sex requiri. 1. quod non intendat occisionem, nisi ut necessariam ad defensionem: hoc est, quod non intendat illam directe; sed indirecte pro sola defensione. 2. quod alia via non pateat ad defensionem præter occisionem. 3. quod non utatur majori violentia, quam ad defensionem sit necessaria: unde si invasor aggreditur inermis, non potest uti armis, nisi ad terrendum: vel si percussione, aut minori læsione repellere valet, occidere non poterit. Pugnis te debes defendere, si pugnis invaderis; nisi pugni sint adeo atroces, ut vulnera, aut mortem valeant inferre. 4. quod non prius offendas, quam alter invadat, aut invadere incipiat. 5. quod offendas solum in ipsa aggresione; non post aliquod intervallum. 6. quod prudenter credat invasus, se occidendum ab invasore, nisi ultimo conatu se defendat, etiam cum illius occisione. Cum hujusmodi conditionibus occidens invasorem nec peccat, nec fit irregularis; si autem aliqua ex illis deficiat, & peccat, & irregularitatem incurrit.

47. Inq. 4. An hæc defensio competat etiam danti occasionem, ut invadatur? v. g. si quis in adulterio deprehendatur a marito, qui eum vult occidere? R. affirm. quia invasor semper injuste agit authoritate propria invadendo; idcirco invasus non amittit jus se defendendi cum moderamine inculpatę tutelæ.

48. Objic. 1. Invasus propria authoritate occidit invasorem dictis casibus; sed hoc prohibetur per quintum Decalogi præceptum, *non occides*, ergo non potest eum occidere. R. neg. minorem, & conseq. quia in quinto præcepto Decalogi solum prohibetur occisio directa hominis, non vero indirecta causa propriæ defensionis; alias panderetur janua scelestis perfundendi vitam, & sanguinem bonorum, scientes istos minime se defensuros.

49. Objic. 2. In extrema necessitate spirituali proximi quilibet tenetur ex charitate negligere vitam corporalem propriam; sed invasor est in extrema necessitate spirituali, cum sit in peccato lethali, ergo non licet illum occidere ob defensionem propriam. R. neg. minor. & conseq. quia invasor non est in extrema necessitate, sed in extrema iniquitate, a qua potest, & debet recedere: quapropter esto sit pater, aut alius quilibet præclarus nolens resilire ab injusta invasione, potest occidi, dum alia via evadendi non superest, nisi sit Rex, vel Princeps supremus.

50. Inq. 5. An liceat prævenire injustum aggressorem vitæ? R. quod in hac lubrica materia pedetentim est ambulandum, & loquendum, ne ex certis incerta deducantur: ideo dicimus, quod si invasor aliquo modo jam incipiat invasionem, a qua nequeas defendere vitam, nisi ejus morte, potes eum occidere: quia, ut te defendas, non est opus, quod incipiat te lædere, ergo sufficit, quod incipiat certo invasionem per aliquam actionem exteriorem. Ut si certo scias inimicum tuum habere paratum assassinum, ad te occidendum, aut videas ele-

elevare scopletum, & nequeas effugere, nisi prius occidendo, id tibi licet. Et idem de aliis similibus, ubi solum occidendo incipientem invadere, potes vitam propriam conservare. Exemplum adulteræ evidenter scientis maritum cum ea decumbentem sub cervicali abdidisse gladium ad eam dormientem confodiendam, quidam his verbis irridet: *Dormientem maritum necat, & non aggreditur?* Futilis certe interrogatio! Circumstantiæ serio inspiciendæ sunt. Numquam licet occidere, si alia via potes invasionem effugere. Omnes, qui fugiendo valent evadere periculum, ad fugiendum tenentur; quia fuga, ne alium occidas, non dedecus, sed verus honor est.

51. Inq. 6. An possit prævenire occisio falsi accusatoris, vel testis, aut judicis, a quo imminet injusta sententia? R. neg. constat ex propositione 18. damnata ab Alex. VII. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.* Merito hæc thesis proscripta est, amplam enim parabat viam cædibus contra judices, ministros, testes, & accusatores: Nec in casu ejus adest vis actualis, quæ alia via repelli non possit, media appellatione ad superius Tribunal, & aliis variis modis.

Punctum VI.

De occisione invasoris famæ, honoris, & pudicitiæ.

52. Inq. 1. An aliquando liceat occidere invasorem famæ, & honoris? R. neg. quia vel injuria fit verbis, aut signis, alapa, aut fuste. Si verbis inferatur, verbis etiam compesci debet: quia barbarum utique est, ut bene ajunt Salmanticenses, adimere vitam ei, qui solis verbis, aut signis tuum invadit honorem. Si inhonoratio fiat alapa, aut fuste, idem dicimus; quia ad summum alapis, & fustibus te defendere vales, non occisione infamantis: quia hoc est excedere graviter moderamen defensionis. Ultra quod aliter potes recuperare honorem. Si enim publice fuisti percussus, vales per judicem honoris restitutionem postulare, aut aliis modis illam consequi; si secreto, non est tanta injuria, ut contra legem Christi velis tam facile adimere vitam proximi, quam vere diligere charitatis præcepto teneris.

53. Objic. Ad vitam defendendam licet occisio invadentis; sed honor excellentius est, & in viro probo æstimabilius ipsa vita, ergo. R. quod esto juxta leges mundi honor sit præstantior vitæ, non sic juxta leges Dei, & religionis, ad quas unice est attendendum. Vita enim est supra omnia temporalia, ejusque ablatio damnum irreparabile; quod non accidit in honore, valet enim reparari pluribus modis sine occisione invasoris.

54. Inq. 2. An liceat religioso, vel clerico, aut viro nobili occidere suum calumniatorem? R. neg. Constat ex propositione 17. damnata ab Alexand. VII. *Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice, & coram gravissimis viris impingere, nisi occidatur.* Alia huic affinis proscripta fuit ab Innoc. XI. ordine 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Merito hæ opiniones adeo indecoræ religiosis, & clericis damnatæ sunt: tum quia ad repellendam calumniam plurima suppetunt media præter occisionem calumniatoris: Tum quia si minitantem injuste occisionem non licet occidere, quandiu adsit facultas ad fugiendum; quanto minus minitantem calumniam? Sed pro intelligentia secundæ thesis::

55. Inq. 3. An percussus alapa, aut fuste possit in defensionem honoris invasorem repercutere? R. sub distinctione; vel enim percutiens perseverat intendens iterum percutere, vel non? Si primum, potest percussus invasorem repercutere; non in vindictam honoris, sed in defensionem iteratæ percussionis: quia per repercussionem, esto non possit restitui honor

nor ablatus, tamen potest defendi, ne denuo auferatur, & ne iterum percutiatur: cuilibet enim vim vi repellere licet. Si secundum, minime potest repercutere; sive fugiat, sive non: quia tunc non esset se defendere, sed vindicare; nec repellere vim actualem, sed vindictam sumere de vi jam illata; unde, si cessavit percussio, cessare debet & defensio.

56. Objic. *Matth.* 5. dicitur: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, prebe & alteram*, ergo percussus nequit ad defendendum repercutere. R. neg. conseq. quia aliud est perfectionis, aliud præcepti. Verbis laudatis Christus Dominus perfectionem docet, non præceptum imponit: nisi in animi præparatione, ut teneatur in corde patientia cum proximi benevolentia. Unde ad probandum non posse occidi invasorem honoris, extra chorum producit hanc authoritatem quidam junior. Non enim prohibet Dominus defensionem externam, sed docet virtutem in corde tenendam. Ideo esto non liceat occidere invasorem honoris, authoritas tamen non est ad rem, alias percussus non posset se defendere, repercutiendo volentem iterare percussiones, quod est falsum.

57. Inq. 5. An puellæ, vel fœminæ honestæ liceat occidere violentum suæ pudicitiæ aggressorem? R. neg. Prob. ex D. Aug. qui hoc videtur aperte docere *lib.* 1. *de liber. arbitr. cap.* 5. dicens: *De pudicitia vero quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quando quidem virtus est? Unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quapropter legem quidem* (civilem) *non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Ergo juxta Augustinum non adest causa invasorem pudicitiæ interficiendi. Unde a fortiori reprobatur sententia asserentium posse etiam masculos, & meretrices occidere invasores sibi vim volentes inferre: istis enim nihil magni momenti eripitur; nec periculum consensus, cum possit a nolente cohiberi, licitum efficit homicidium, ut ait D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *artic.* 5.

58. Objic. Potest licite occidi invasor injustus vitæ, ergo etiam pudicitiæ, quæ magis æstimatur a fœminis honestis, quam ipsa vita. R. quod sicut apud viros nobiles æstimatur honor, & fama plus quam vita: & tamen non licet occidere invasorem honoris, aut famæ; sic in præsenti est philosophandum. Nam revera nihil est pretiosius vita, unde hæc omnibus est præferenda.

59. Tenetur igitur fœmina interius, exteriusque resistere, quantum possit, pravo invasori; at nequit illum occidere, nisi forte in lucta vellet invasor ipsam interficere: in hoc enim casu posset se defendere, & si ille nollet desistere, eum, se defendendo, etiam occidere. De cætero fidat Deo, cui fidentibus, castitas non eripitur, sed duplicatur juxta illud S. Luciæ: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Punctum VII.

De occisione invasoris bonorum temporalium.

60. Inq. 1. An regulariter possit quis occidere furem pro conservatione unius aurei? R. neg. constat *ex propos.* 31. ab Innoc. XI. damnata: *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.* Nota dici in prop. *regulariter*, quæ particula plurium est ampliativa injustitiarum. Verum si aureus esset omnino necessarius ad conservandam vitam, posset defendi, etiam occisione raptoris, ageretur enim tunc de vita defendenda. Sed hic, & similes casus sunt methaphisici, non practici, solum speculationi deservientes. Regulariter pro conservatione decem aureorum non licet interficere quemquam. Sed de hoc infra.

61. Inq. 2. An possit quis occidere raptorem divitiarum, quas sperat certo possidere; non tamen actu possidet? R. neg. patet ex propos. 32. ab Innoc. XI. damnata. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Item ex prop. 33. ab eodem Pontifice proscripta: *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se*

taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem. Unde certum est non posse occidi raptorem bonorum, quæ actu non possidentur, neque impedientem consequi ea, ad quæ ex legato, vel alio titulo jus inchoatum habemus.

62. Inq. 3. An possis occidere latronem bonorum, quæ postea per judicem, aut aliter recuperare vales? R. neg. quia si per viam judicis, aut alio modo recuperari valent, vel datur spes ea recuperandi, nullatenus potes occidere furem. Tunc enim non defenderes ea cum moderamine inculpatæ tutelæ, dum alia via defendendi, aut recuperandi bona superest.

63. Inq. 4. An sit licitum invasorem occidere pro defensione bonorum temporalium magni momenti, quando aliter ea recuperari non valent? R. quod circa hanc implexam difficultatem duplex militat gravissima sententia, affirmativam docent plures præclarissimi Thomistæ, S. Antoninus, Cajetanus, Sotus, Sylvius, Prado, quibus subscripsere N. Salm. cum pluribus aliis tam intra, quam extra eamdem scholam. Negativam tuentur alii antiquiores Theologi, & Canonistæ, inter quos, licet recentior, perdoctus tamen Fagnanus ait: *Secundum canones in foro saltem pœnitentiali, & quoad Deum absolute credimus non posse laicum sine peccato occidere spoliatorem, cap. Interfecisti de homicid.* Igitur.

64. R. Non licere absolute occidere furem diurnum in defensionem bonorum temporalium, etiam magni momenti. Prob. 1. ex *cap.* 22. Exodi, ubi legitur: *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Hæc distinctio inter furem nocturnum, & diurnum, qua utitur sacer textus, plus cæteris me adigit ad subscribendum huic sententiæ: ideo enim impune occiditur fur nocturnus, quia præsumitur in eo intentio, non solum furandi, sed, & simul occidendi, & consequenter est aggressor etiam vitæ. Eadem distinctio habetur *in cap. Fodiens ex* S. Aug. ergo non licet absolute occisio furis diurni bonorum etiam magni momenti.

65. Confirmatur, & explicatur: Ideo est licita furis nocturni occisio, quia ignoratur ejus intentio, ipse non agnoscitur, nec potest ita facile repelli, apprehendi, aut ad judicem accusari, quæ omnia regulariter habentur in fure diurno, ergo hic nequit licite occidi ob defensionem rei familiaris tantum. Hæc videtur sanior interpretatio dicti cap. *Interfecisti*, ut ait Fagnanus ibi.

66. Dices, ergo aliquando poterit licite occidi etiam fur diurnus. R. conc. conseq. si fur diurnus gladio, aut armis aggrediatur, vel sit ex illis, qui solent viatores furari, ac occidere, & invadat, poterit æque ac nocturnus licite occidi. Tunc enim *te, tuaque* defendere intendis, ut dicitur laudato cap. Ideo diximus *absolute non licere*, hoc est, universaliter, quia moralia juxta circumstantias, non universaliter accipienda sunt.

67. Prob. *Secundo* ratione: Vita est superioris ordinis omni bono temporali, ergo injuste eripitur privata authoritate pro bonis inferioris ordinis. Vita unius formicæ superat in valore, & pretio omne aurum, imo & omnes cœlos; quanto magis vita hominis? Patroni oppositæ sententiæ defendunt in tract. de restit. nihil esse restituendum ab homicida pro vita hominis, quia vitæ nihil est equivalens. Cur ergo potetit eripi pro non equivalenti? Solum igitur vita pro vita eripi valet, non *pro his rebus, quas contemni oportet*, ut ait D. Aug. *lib. 1. de libert. arbit.*

68. Objic. 1. D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 7. *ad* 2. explicat laudatum textum Augustini de *intentione directa* occidendi invasorem, ergo *intentione indirecta*, vel defendendi bona poterit occidi. R. quod fateri debet, ex hoc loco D. Thom. sumpsisse motivum ejus præclaros discipulos ad judicandum S. Doctorem docuisse licitum esse actualem invasorem occidere ad tuenda bona temporalia magni momenti. Cui sententiæ validis rationibus, authoribusque munitæ nequit negari probabilitas tum intrinseca, tum extrinseca. Nihilominus S. Doctor loco citato solum agit de occisore invasoris vitæ, ut patet ex titulo articuli. Et quia S. August. vi-

videbatur adhuc pro vitæ defensione non licere occisionem invasoris, explicat illum debere intelligi de intentione directa, seu de occisione primario intenta: non tamen docet licitum esse occidere invasorem pro bonis mere temporalibus tuendis.

69 Objic. 2. Potest quilibet sua bona defendere, & vim vi repellere, esto ad id necessaria sit occisio invasoris, ut patet in bello defensivo, in quo plures occiduntur; alias fures procaciores fierent sine timore, quod possent occidi, ergo. R. quod quilibet potest utique defendere sua bona, seclusa tamen occisione; hæc enim privata authoritate solum licet in defensione propriæ vitæ. Et licet bellum defensivum sit justum cum cęde plurium, inducitur publica authoritate. Si autem fures fiant audaciores, adsunt leges justæ ad eorum punitionem, & reipublicæ incumbit eos coercere.

70. Concina in præsenti alteram sententiam vocat *theologiam modernam, crudelem, & sanguinariam, ac esse novæ probabilitatis immania, truculentaque commenta pugnantia cum evangelicæ charitatis lege.* Sed revera sæpe excedit Concina in moderamine inculpatæ tutelæ in defensione suarum opinionum. Immerito tribuit probabilistis, aut novæ probabilitati, quæ docent antiqui, & venerandi Dominicani Cajetanus, Sotus, S. Antoninus, & alii minime inter probabilistas computandi. Hic loquendi modus est sane novus, & non usitatus in republica litteraria inter doctores catholicos, qui pondere rationis, & authoritatis suas sententias probant, & fulciunt, atque oppositis modeste satisfaciunt. Unde etiam nos, licet contrarium illi opinioni, ut conformius sacris Canonibus propugnemus, agnoscimus tamen eidem tot doctorum authoritate, & gravi ratione munitæ nullam censuram, aut notam irrogari debere.

71. Inq. 5. Quanti valoris debeat esse res pro cujus defensione liceat in sententia opposita invasorem occidere? R. certum est pro conservatione unius aurei id non licere. Certum pariter est non licere pro defensione rei exiguæ, quia vita hominis non est res exigua. Loquendo vero in generali nec pro defensione decem aureorum id licere asseri debet, quia decem aurei non sunt generaliter tanti valoris, ut pro eorum conservatione adimi possit vita hominis. Igitur in omni sententia res tuenda in casu quæstionis debet esse magni momenti, & necessaria ad statum. Si autem ignoretur intentio furis, licite valet armis propulsari, & si invadat, etiam occidi. Unde omnes fatemur posse occidi furem nocturnum, quia nequit discerni, an veniat ad furandum, vel ad necandum. Similiter diurnum telo, aut armis aggredientem, quia jam infert vim, quam vi repellere licet, & minatur non solum bonis, sed etiam vitæ, quod latronibus armatis familiare est. Semper tamen prius quam ad occisionem furis etiam nocturni deveniatur, omnia alia media illum fugandi, vel ab eo se liberandi tentanda sunt.

Punctum VIII.

Alia dubia circa furis occisionem.

72. Inq. 1. An possit dominus rei ablatæ insequi furem, eumque occidere, si prænonitus nolit eam dimittere, nec adsit spes eam postea recuperandi? R. neg. quia si in actuali aggressione rei id non licet, multo minus in fuga licebit. Authores contrariæ opinionis affirmant, quia toto tempore fugæ est fur, in fragranti delicto, & invasione perseverat, ergo potest dominus conari ad recuperationem rei magni valoris eodem modo, ac ad ejus conservationem. Nos vero dicimus nec pro conservatione rei magni valoris posse furem occidi in ipsa invasione, nec multo minus in casu fugæ: quia in hoc casu nec telo, aut armis se defendit, nec potest excusari directa occisio hominis pro re mere temporali, & transitoria, quam potius expedit relinquere, ut ait Alexand. III. *cap. Suscepimus, de homicid.*

73. Inq. 2. An quando fur rem ablatam domi suæ, seu alibi tuto posuit, liceat illam ab eo vi auferre? R. negand. quia quando fur rem ablatam domi, aut alibi tuto habet, jam non est invasor, sed injustus detentor, ab injusto autem retentore nequit res per vim inferri, nisi a judice; tum quia alias sequeretur

per-

perturbatio juris, & reipublicæ : tum quia res pacifice retentæ jam secundum quid est detentoris; quatenus nullus, nisi judex habet potestatem ad illam per vim auferendam.

74. Objic. 1. Si dominus vellet suam rem auferre per vim a domo furis, non posset iste resistere, aut occidere dominum, ergo hic valet eam auferre per vim. R, neg. conseq. Verum est, quod fur nequit occidere dominum volentem rem suam recuperare; tamen potest eam moderate defendere, ne alius præter judicem eam sibi per vim auferat. Similiter, esto fur cogatur a domo sua fugere cum re ablata, nequit vi auferri a domino : quia postquam cum illa tuto se recepit, habet jus, ne sibi illa auferatur, nisi a judice. Si autem occulte valeat eam auferre dominus, nulli facit iste injuriam.

75. Objic. 2. Qui injuste detinetur in carcere valet per vim repellere non solum primo ligantem, sed etiam in ea detinentem, ergo idem de re injuste detenta. R. neg. conseq. quia detinens injuste alterum in carcere nullum jus acquisivit in personam detentam, cum sit libera a natura; res autem non est libera, ideoque eam detinens acquirit jus secundum quid, ut ait Angelic. 2. 2. *q.* 66. *art.* 3. *ad* 3.

76. Inq. 3. An pro defensione vitæ, pudicitiæ, honoris, & bonorum proximi liceat invasorem occidere? R. 1. omnes teneri ex charitate defendere vitam, & bona proximi, si absque gravi incommodo proprio valent : quia unicuique mandavit Deus de proximo suo: & quia debeo ex charitate subvenire proximo in vita, aut bonis periclitanti, quando absque gravi incommodo valeo. R. 2. Principes, Magistratus, & alios Superiores ad id teneri ex justitia : quia tenentur ex vi proprii muneris prospicere bono communi reipublicæ, & innocentum defensioni.

77. R. 3. Nemini privata authoritate esse licitum occidere invasorem vitæ, aut bonorum proximi. Prob. ex canon. *Si non licet* 23. *q.* 5. ubi dicitur : *His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*, ergo ne peccata peccatis velint vitari, nequit invasor vitæ alterius occidi. Nec hoc permittit aliqua lex divina, aut humana.

78. Dices : *Prov.* 24. *v.* 11. dicitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses.* Pariter lex charitatis jubet defendere vitam, & bona proximi, ergo R. Verum esse nos debere pro possibili vitam, & bona proximi liberare, & defendere, quoties aliis mediis, aut viis licitis extra mortem invasoris fieri valeat, nec amplius exigitur a charitate, & a textu laudato. Verum si vita, & bona innocentis servari nequeant, nisi morte injusti aggressoris, ad nihil astringimur. *Quando non nisi peccando alicui consuli potest, tunc æstimare debet homo, quid faciat non habere*, ait Innoc. III. *in cap.* 2. *de novi oper. nunt.* R. 4. Pro defensione honoris proximi minime licere occidere calumniatorem, hæc resolutio certior est præcedenti : quia ad recuperandum honorem tam proprium, quam alienum plura alia suppetunt media præter occisionem, ergo hæc non est necessaria, proindeque nec licita.

79. R. 5. Vix cogitari posse casum, in quo liceat occidere invasorem pudicitiæ proximi. Vix enim creditur quis adeo procax, ut invadat fœminam honestam in conspectu alterius potentis illum vulnerare, & occidere. Verum si casus contingeret, posset, & deberet defendi honestas fœminæ vi alias opprimendæ ab iniquissimo aggressore; non tamen liceret hunc occidere, quia si ipsi fœminæ vi oppressæ non licet occidere; multo minus cuicumque alteri. Quia charitas jubet defendere proximum gravi necessitate oppressum, quando absque proprio detrimento gravi id præstari valet, seclusa tamen alterius occisione. Pariter minime licet occidere uxorem, filiam, aut aliam personam, ne committant adulterium, aut aliud peccatum : quia esset directa occisio authoritate propria commissa, quæ semper, & in omni casu est illicita. Hac enim ratione maritus occidens uxorem in adulterio deprehensam peccat graviter, licet non puniatur ut homicida in foro externo, ut supra diximus.

PUNC-

Punctum IX.

De suicidio.

80. Inq. 1. Quotuplex sit suicidium, occisio, seu mutilatio? R. est duplex, *directa*, & *indirecta*. Occisio *directa* est, quando per se, & ex professo intenditur. *Indirecta* est, quando ratione alterius intenditur, aut permittitur. Sicut occisio, seu mutilatio alterius potest *directe*, & *indirecte* intendi, ut patet ex dictis, ita etiam occisio, & mutilatio propria.

81. Inq. 2. An liceat in aliquo casu se ipsum directe occidere? R. esse de fide numquam licere se directe occidere: quia solus Deus est author vitæ, & mortis. Igitur ex quo in quinto Decalogi præcepto prohibetur occisio directa alterius, potiori ratione manet prohibita occisio directa sui ipsius. Unde occidens se agit contra Deum, ejus dominium usurpando; contra rationalem naturam, cui repugnat occisio propria; & contra rempublicam, cujus est pars; privat enim eam parte, quam de medio tollit, ait D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 5.

82. Quare ut hæresis damnata est doctrina quorumdam, qui *Circumcelliones* vocabantur in Africa, & non solum occidebant alios, sed etiam semetipsos, putantes obsequium præstare Deo. Similiter est hæresis asserere, se occidere ex motivo pœnitentiæ propter peccata commissa, esse martyrium. Illicita enim omnino est talis pœnitentia, ut cernimus in Juda, potius namque est desperatio, quam vera pœnitentia. Nec licet fœminæ se occidere, ne ab alio corrumpatur, ut ait D. Thom. *loco cit.*

83. Qui se deliberate occidunt, privantur sepultura ecclesiastica: *cap. final. de sepult.* In dubio autem, an sui compotes sibi mortem intulerint, sepeliri possunt in Ecclesia, licet minori pompa ad aliorum terrorem. Pariter se tentans occidere incurrit infamiam ex jure civili.

84. Ex dictis sequitur, ex nullo motivo, etiam pretextu virtutis esse licitum suicidium: qua ratione reprobatur Lucretia illa adeo ab Ethnicis celebrata; quia cultro se occidit ob adulterium sibi illatum, ut gloriam suæ castitati pararet: in quo dupliciter erravit; quia adulterium non vitavit, & vitam misere amisit. Pariter improbantur celebratissimus Cato, & Numantini, licet alias fortissimi contra Romanos, & alii, qui se ipsos peremerunt, ne indecora morte perirent, quod est gravissimum suicidii peccatum. Sicut etiam illud se occidendi ad evadendas miserias hujus vitæ, quod est majus malum assumere ad minus vitandum, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 5.

85. Inq. 2. An suicidium sit peccatum non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam? R. affirm. est contra charitatem, quæ jubet propriam dilectionem, cui repugnat directe suicidium. Est contra justitiam strictam respectu Dei, cujus servus occiditur. Tandem est contra justitiam respectu reipublicæ, quæ privatur sua parte, sicut si suo agro privaretur.

86. Inq. 3. An ex dispensatione, vel mandato Dei liceat se ipsum directe occidere? R. affirm. quia Deus est dominus vitæ omnium, ergo licitum est ex ejus præcepto, vel inspiratione certa se ipsum, sicut & alium interficere. Ita Samsom se, & alios simul occidit, Abraham filium suum Isaac voluntate, & facto immolare incœpit, S. Appollonia in rogum se injecit, Pelagia pro tuenda castitate præcipitem se dedit, & sic de aliis sanctis, qui spiritu Dei acti seipsos interemerunt. D. Thom. *ibi. ad* 4.

87. Inq. 4. An ex mandato judicis possit quis se directe occidere? R. negative: quia judex potest damnare reum, ut mortem patiatur; non vero ut mortem sibi inferat. Quod verum est, etiam si ipse judex esset reus mortis: quandoquidem esto liceret ei se committere judicio aliorum; non autem se occidere: horret hoc ipsa natura, & repugnat rationi, & legi propriæ charitatis.

88. Objic. Damnato ad mortem licet scalam ascendere, collum præbere, aperire os ad hauriendum venenum, ergo poterit etiam propriis illud sumere manibus, & sibi mortem ex mandato judicis inferre. R. duplex esse genus actionum. Aliæ proxime inferunt mortem; aliæ tantum

tum remote ad eam concurrunt. Actiones antecedentis remote, consequentiæ vero proxime concurrunt ad mortem; ideo illas reus facere debet; istas autem apponere non potest. Unde damnatus ad fame moriendum, non potest abstinere a pane clam oblato: quia non sumendo, vitæ media ordinaria abjiceret, & consequenter sibi mortem inferret, ad quod nequit a judice condemnari, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *a.* 4. *ad* 2.

89. Inq. 5. An sit licitum se sinere a viperis morderi, aut venenum haurire, ut theriacæ vis experiatur? R. neg. quia evidenti mortis periculo se exponeret. Quare hæc experimenta solum in brutis, numquam in hominibus facienda sunt. Nec refert judicium medicorum: quia ex parte illud valde fallax est, & ex alia ipsa experimenta ex se sunt periculosa. Eadem ratione illiciti sunt quidam ludi, in quibus probabile mortis periculum imminet. Ut deambulandi super funem, volvendo corpus, seque dimittendo deorsum, una manu funi affixa, & pede solo funem premente. Hi, & similes ludi periculum vitæ præferentes, uti illiciti improbari debent, & a magistratibus prohiberi.

Punctum X.

De membrorum mutilatione.

90. Inq. 1. An sit licita mutilatio membrorum? R. quod eodem præcepto prohibetur mutilatio membrorum, ac homicidium: quia mutilatio est homicidium partiale, vel pars homicidii: & sicut homo non est dominus vitæ, ita nec dominus membrorum, sed custos: ideo nec proprium, nec alienum membrum sanum potest directe abscindere absque peccato gravi, aut justa, & urgenti causa, ut infra patebit. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 65. *art.* 1.

91. Objic. 1. *Matth.* 4. dicitur: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Et cap.* 19. *Sunt, qui seipsos castraverunt propter Regnum cœlorum.* 2. Plures sancti linguam, nasum, oculos, & nares leguntur amputasse: vel ex motivo humilitatis, vel pro defensione castitatis, ergo licita est mutilatio membrorum.

92. R. Textus Matthæi intelligi in sensu spirituali per remotionem impedimentorum ad Deo serviendum. Unde reprobatur factum Origenis, qui intelligendo de castratione corporali, aut de amputatione materiali membri scandalizantis, se ipsum eviravit ad servandam castitatem. In quo dupliciter erravit, quia nec textus loquitur materialiter, nec castitas consistit in membris externis. Sanctorum acta sunt laude digna, ut procedentia ex instinctu speciali Spiritus sancti; non tamen tenenda sunt ad exemplum, quia exorbitant a communi lege.

93. Igitur omnino est illicitum abscindere membrum sanum ob castitatem servandam, vel aliud quodcumque motivum virtutis. Solum membrum putridum, & totius corruptivum abscindi valet ab eo, qui ipsum habet, vel illius curam gerit; non tamen ab alio, ipso invito, quia membrum est propter totum, ergo solum ab eo, qui curam totius gerit, potest illud abscindi, quando convenit toto. Unde nec ad suavitatem vocis conservandam potest quis permittere, ut castretur: & peccant graviter parentes castrantes filios: quia pro nullo emolumento temporali est licita membrorum mutilatio. D. Thom. *ibi. a.* 1. *ad* 3.

94. Inq. 2. An quando aliter nequit subveniri vitæ totius, nisi abscindendo membrum, possit quis membrum sanum sibi abscindere? R. 1. quod si periculum imminet a causa naturali, omnes asserunt posse abscindi: quia pars est propter totum. Unde si habens manum, aut pedem ligatum ad palum invaderis a fera, ab incendio, vel alio periculo certo, potes abscindere membrum ligatum, ad illud evadendum; sicut etiam si vipera illud momordit, & non adsit aliud remedium salutis procurandæ, & ita de similibus.

95. R. 2. Quod etiam quando periculum imminet omnino ab extrinseco, ut si tyrannus alicui minaretur mortem, nisi linguam, aut manum propriam abscinderet, licitum est id efficere ad salvandum totum: quia homo est custos sui corporis, valetque proinde agere ea omnia, quæ ad ejus conservationem conveniunt. Hac ratione licitum est manum,

aut

aut brachium exponere, ut capiti, aut toto corpori caveatur. Comburendus incendio potest se dejicere ex alta turri cum periculo fractionis pedum; imo, ut mitiorem mortem subiret.

96. Objic. Respublica nequit occidere innocentem, esto tyrannus minaretur mortem omnium, ergo nec poterit quis abscindere ob idem periculum membrum sanum, quod est innocens, & ex se nullo modo nocivum. R. neg. conseq. quia respublica solum habet administrationem politicam respectu civium, qui in se diversa jura possident; at homo habet administrationem naturalem suorum membrorum, ut de eis disponat ad utilitatem totius: quia partes non habent proprium jus, sicut cives; ideo antecedens est verum, quin teneat consequentia.

97. Inq. 3. An teneatur quis pati membri putridi abscissionem, saltem præcipiente superiore? R. quod si abscissio fieri valet absque magnis doloribus, tenetur quilibet ad eam tolerandam, quando fuerit necessaria ad vitam tuendam: quia debemus vitam conservare, etiam cum aliquo detrimento corporali. Si autem gravissimi, atrocesque dolores essent perferendi in abscissione membri, nemo tenetur ad eam patiendam: *quia non est tanto dolore digna salus*. Nec subditus tenetur obedire Prælato eam præcipienti: quia utpote actus valde heroicus, ob ejus ingentem difficultatem, subterfugit imperium Prælati. Nisi infirmus esset persona multum utilis bono communi; quia tunc posset Superior præcipere, & teneretur subditus obedire, supposita certitudine remedii: quia ob bonum commune omnes debemus periculo mortis exponi, ac proinde dolores, etiam atroces perpeti.

Punctum XI.

De suicidio indirecto.

98. Inq. 1. An aliquando liceat propriæ vitæ jacturam permittere, seu vitam non conservare, aut defendere? R. affirm. quia ob motivum virtutis potest quis permittere se mori, aut occidi: ut fecit pro nobis exemplar omnis virtutis Christus D. qui potens se defendere, voluit ex nimia charitate mortem subire. Ejus exemplum imitati Martyres, se occidi, permiserunt. Nec etiam tenetur quis ad conservandam vitam uti remediis valde pretiosis, & extraordinariis; sed tantum ordinariis, & regularibus juxta morem patriæ, & statum, facultatesque personæ.

99. Quando ab alio homine vita auferri conatur, nec ad media ordinaria apponenda pro sui conservatione tenetur, ideo se sinere occidi valet ab injusto invasore, ne illum occidat ex motivo charitatis: ut plures Martyres fecere ex motivo religionis. In casu autem injusti invasoris fugere debet, si possit, & motivum virtutis non adsit, ne prodigus sit vitæ suæ, aut cooperator suæ necis. Hac ratione invasus a causa naturali, ut a fera, flumine, aut incendio debet fugere, & apponere media ordinaria ad suam conservationem: quia non apparet motivum aliquod virtutis, ob quod se occidi permittat.

100. Inq. 2. An fœmina honesta teneatur, se sinere curari a chirurgis in partibus secretioribus? R. neg. esto ob suam pudicam resistentiam mortem certissime timeat: quia nemo tenetur admittere curationem a qua juste maxime abhorret, magisque sibi sensibilem, quam graviores dolores, ergo sicut gravissimis doloribus nemo tenetur admittere remedium, ita in præsenti. Verum esto non teneatur ad curationem admittendam; tamen eam admittere licite valet: quia ex motivo salutis honestatur. Tenetur autem quælibet se sinere curari ab aliis fœminis peritis illius artis, seu curationis: quia tunc cessat horror, & pudor fœmineus juste conceptus. Potest etiam quis se sinere mori ad castitatem, aut virginitatem tuendam, in quo merito laudatur S. Casimirus, qui maluit mori ob motivum castitatis, quam ducere uxorem ad mortem evadendam ex consilio medicorum. Quamvis infirmus regulariter debeat admittere omnia, quæ medici disponunt; tamen si absque magnis doloribus nequeat cibum sumere, non est affligendus: quia, ut diximus, cum tanto dolore, & angore nemo tenetur vitam conservare; & minus tantillum prolongare.

101. Inq. 3. An sit licitum per jejunia, abstinentias, vigilias, pœnitentias, aut studia vitam aliquantulum abbreviare? R. 1. quod ex intentione vitæ nocendi nihil fieri potest: erit enim gravis, aut levis culpa juxta quantitatem intentionis, & nocumenti illati: quia concurrere positive ad vitam breviandam est contra quintum Decalogi præceptum; proindeque, qui illam immoderatis corporis macerationibus consumeret, esset infidelis, & imprudens administrator vitæ. Sed heu! quam pauci inveniuntur, qui in hoc prudentissimi non sint.

102. R. 2. Licitum esse, media discretione, per jejunia, & alias pœnitentias, atque macerationes vitam indirecte aliquantulum abbreviare: quia bonum spirituale temporali, sicut anima corpori, præponderat, ergo præferri debet, & conari potest ejus assecutio, etiam cum aliquo temporali detrimento. Unde aliqui asserunt, & nos cum illis, quod potes abstinere a vino ob motivum virtutis, licet illud bibendo extenderes vitam ad decem annos ex asserto medicorum. Alii addunt, non esse illicitum pœnitentiis affligi, licet propterea duodecim annos vitæ amittas. Hoc dicitur de pœnitentiis omnino voluntariis; nam de abstinentiis, vigiliis, jejuniis, & aliis asperitatibus religiosis ex suo instituto dispositis dicimus non solum posse, sed debere observari, proindeque non posse omitti ob timorem abbreviationis vitæ; nam religio non vult fratres diu viventes, sed bene viventes. Nec monachus debet attendere ad suam complexionem, sed ad suam professionem, nec ad Galenum, sed ad Christum.

103. Idem teneas de omnibus circa abstinentias, & jejunia ecclesiastica, quæ omitti non debent ob quemlibet vanum timorem incussum partim a Diabolo, partim ab amore proprio, & partim a medicis, qui tum ex ignorantia, tum ex adulatione dicunt suis clientibus ob quemlibet prætextum, non posse in conscientia a carnibus abstinere, aut jejunare. Isti misere errant, & faciunt errare, cum intelligere deberent a sæculo non esse auditum, aliquem vitam amisisse propter observantiam præceptorum Ecclesiæ; cum certum sit ex adverso, quod *multi propter crapulam perierunt.* Ideo plerumque graviter peccant, qui salutem deperdunt nimis commessationibus, & potationibus indulgentes; verum vix, aut ne vix est, qui peccet abstinendo a carnibus, aut jejunando ex præcepto Ecclesiæ.

104. Inq. 4. An milites, aut nautæ in bello campali, aut navali possint licite incendere proprium fortalitium, aut navem cum prævisione propriæ mortis, ne in manus hostium deveniant? R. quod regulariter non licet: quia est influere positive in propriam necem: sicut in illam influeret miles, qui ut hostem præcipitet, se simul cum eo præcipitem daret. Unde ab his factis horribilibus omnino est abstinendum, nisi in aliquo casu rato, in quo bono communi ita fieri expediens judicetur.

105. Inq. 5. An fœmina, ob metum mortis ab invasore pudicitiæ incussum, possit negative se habendo permittere congressum? Nota, quod dupliciter potest fœmina pati violentiam: vel ita, quod nequeat se movere, aut ullo modo conari ad defensionem, & hæc dicitur *compulsio.* Vel ita, quod esto inclinetur ad actum, non tamen cogitur, sed ipsa illum eligit, ut mortem evadat, & dicitur *impulsio.* Hinc. R. 1. fœminam potius debere subire mortem, quam interius consentire congressum iniquum: hoc apud omnes est certum: quia vitæ corporali præferri debet spiritualis, quæ per culpam gravem amittitur.

106. R. 2. Quod si fœmina patitur absolutam compulsionem, & interius dissentit, nulla adest culpa, sed potius *corona* juxta dicta num. 59.

107. R. 3. Fœminam impulsam metu mortis peccare graviter, si positive pro viribus non resistat, & motibus, aut alio modo non conetur se positive defendere: quia alias voluntarie permittit actum libidinosum: nam ex una parte voluntas interius non patitur violentiam; ex alia eligit congressum ad fugiendam mortem, ergo voluntarie illum eligit: metus quippe gravis non tollit voluntarium simpliciter.

108. Objic. Non datur peccatum absque consensu, sed in præsenti supponitur non dari consensum, ergo non da-

tur peccatum. R. quod esto fœmina non habeat consensum formalem, illum habet interpretativum, dum libere ad mortem vitandam omittit exteriorem repulsionem. Pro praxi observent Confessarii sępe fœminas dicere se fuisse compulsas, quibus nullatenus est credendum: non enim faciunt, quod debent, & interpretative consentiunt in pluribus actionibus, a quibus, sicut a facie colubri fugere deberent, & permittere potius se occidi, quam turpiter tangi, imitantes S. Susannam.

Punctum XII.

De homicidio casuali.

109. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit homicidium casuale, & in quo differat ab indirecto? R. homicidium casuale illud esse, *quod fit præter intentionem occidentis*: in quo differt ab indirecto, hoc enim intenditur in se, licet non propter se, casuale vero non intenditur, sed casu accidit. Nam casus est *causa agens præter intentionem.* Dupliciter autem potest aliquid esse casuale, seu præter intentionem. Primo in se, & in sua causa. Secundo in se, non tamen in sua causa: Ideo etiam homicidium dupliciter potest dici casuale: 1. quando nec in se, nec in sua causa est voluntarium, nec prævisum, & hoc non est peccatum: quia nullo modo est voluntarium; nec potest dici proprie *homicidium*, sed *occisio casualis hominis.* 2. quando licet non sit voluntarium in se; tamen aliquo modo est voluntarium in sua causa; proindeque peccatum, *& homicidium casuale* proprie dicitur: ut si quis reparans domum tegulam projicit, quin transeuntes moneat, hominem occidit, homicidium casuale committit; quia fuit illi voluntarium; debuit enim clamare, & non fecit. Unde Lamech, quia non posuit debitam diligentiam ad vitandum homicidium in venatione, fuit reus homicidii. *Genes.* 4.

110. Inq. 2. Quot modis contingere possit homicidium casuale? R. dupliciter, nempe vel dando operam rei illicitæ, vel licitæ. Si homicidium casuale contingat incumbendo rei licitæ, & alias adhibita fuit sufficiens diligentia, ne sequeretur, non erit peccatum: quia non est voluntarium in se, nec in sua causa: nemo enim tenetur omittere actionem licitam propter periculum remotum damni alterius: unde si reficiens domum posuit sufficientem diligentiam clamando, vel aliter monendo transeuntes, non peccat, esto sequatur occisio hominis. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8.

111. Circa homicidium casuale, quod dando operam rei illicitæ contingit, dicendum est 1. quod quando opus taliter est periculosum, ut ex eo communiter homicidium sequatur, est reus homicidii casualis tale opus exercens: quia idem est velle tale opus, ac velle homicidium fere semper cum eo connexum; ergo esto diligentia ad illum vitandum apponatur, semper est voluntarium ei, qui tale opus libere exercet. Unde, qui sciens mulierem esse gravidam, eam percuteret, vel subito terrefaceret, & ex his abortus sequeretur, homicidium casuale committeret. Similiter parentes secum infantes in lecto introducentes, esto diligentiam videantur apponere, ne suffocentur, si tamen eveniat suffocatio, homicidæ sunt. Pariter ludentes, seu exercentes ludos periculosos, ut jacere lapides funda, & similes.

112. Aliqui sentiunt, quod dans operam rei illicitæ taliter periculosæ, ut non fere semper, sed aliquando sequatur occisio hominis, si sufficientem adhibeat diligentiam, ne eveniat, non est reus homicidii, esto casualiter accidat: quia tale homicidium non est volitum in se; alias nec in sua causa, cum sufficiens diligentia adhibetur ad illud præcavendum, ergo non est peccatum, nec homicidium. Unde clericus ferarum venationem exercens, ex qua sequitur casu occisio hominis, esto peccet contra præceptum Ecclesiæ id vetans, non est reus homicidii, si vere sufficientem diligentiam ad periculum vitandum apposuit. Sed probabilius est oppositum, ut in tractatu de irregularitate asseritur.

113. Dicendum est 2. quod dans operam rei illicitæ, quæ nullam connexionem habet cum homicidio, etiamsi inde præter intentionem operantis sequatur, non est reus homicidii: quia illa res, esto illicita, non est inductiva homicidii, ergo si ex illius positione sequatur mors,

erit

erit omnino per accidens, & involuntaria. Ut si quis tempore interdicti pulsaret cimbalum ad officia divina, & casu cadens tintinabulum transeuntem occideret, & sic de aliis, quæ prorsus accidentaliter evenire possunt.

114. Inq. 3. An non solum commissione, sed etiam omissione possit dari homicidium casuale? R. affirm. quia omnes, qui ex justitia tenentur facere in utilitatem proximi, aut eum defendere, & omittunt, ex quo sequitur mors, homicidium casuale committunt. Quamvis enim physice non occidant, moraliter influunt in homicidium, juxta illud Ambrosii: *Si non pavisti, occidisti.* Heu, quot hujusmodi homicidia perpetrantur, & non agnoscuntur! Bene agnovit ille Rex, cui reum quemdam mortis attulerunt, eo quod tria fecerat homicidia, quibus Rex: *Namque iste solum unum homicidium commisit, alia duo ego perpetravi, quia illi primum peperci: Si namque propter primum ego eum suspendissem, minime alia duo commisisset.*

115. Unde Principes, Duces, & Judices, ob quorum negligentiam aliquis periit; item custodes viarum, seu carceris, advocati, & cæteri ministri concurrentes in causa sanguinis, omnes denique ex officio, aut ex justitia astricti, si culpabiliter omittant defensionem rei, homicidium casuale committunt. Similiter medici, & chirurgi, ex quorum imperitia, aut oscitantia moritur infirmus, & ei inservientes, qui contra dispositionem medici cibum, aut potum tribuunt, reatum ejusdem homicidii incurrunt. Sed nota, quod medicus nequit applicare infirmo desperato remedium, de quo dubitat, an proficiat, anve noceat; potest tamen applicare, quod scit neutiquam nociturum, esto dubitet profuturum, quando certum, aut probabile non reperitur.

Punctum XIII.

De homicidio per assassinos perpetrato.

116. Inq. 1. Qui dicantur assassini? R. quod assassini dicuntur illi, qui accepta pecunia, vel propter aliam rem pretio æstimabilem homines occidunt. Et licet primitus in jure canonico Gentiles interficientes Christianos nominarentur *assassini*; tamen communi acceptione jam receptum est dici etiam assassinos, quicumque pecunia, aliove pretio conducti Christianos occidunt.

117. Hoc peccatum est atrocissimum, gravissimum, inhumanum, crudele, & enormissimum. Qua ratione pœnis gravissimis merito punitur. In primis enim, qui Christianos per assassinos occidere mandaverit (etiam occisione non secuta) aut receperit, vel defenderit, aut occultaverit assassinos, ipso facto pœnas excommunicationis, & depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrit. Deinde tamquam Christianæ religionis emulus a toto Christiano populo cum suis bonis mundanis bannitus, & diffidatus existit. Eisdem pœnis subjacet mandatarius, seu conductus. Ex jure autem civili puniuntur assassini, ita ut ad equi caudam raptentur, postea furca suspendantur, & tandem eorum corpus in quatuor partes scindatur.

118. Inq. 2. An in confessione aperienda sit necessario circumstantia homicidii per assassinum commissi, aut alia circa modum homicidii? R. Notando dari homicidium *simplex*, & homicidium *qualificatum*. *Simplex* est, quod committitur in hominem privatum absque aliqua circumstantia ex parte occisi, aut modi occidendi. *Qualificatum* dicitur, quod præter hominis occisionem præfert aliquam circumstantiam mutantem speciem. Circumstantiæ autem mutantes speciem in homicidio sunt. 1. *Quid*, ut si occisus esset Rex, Princeps, aut alius superior, vel pater, aut consanguineus usque ad quartum gradum, vel clericus, aut monachus, vel quælibet persona Deo sacrata. 2. *Ubi*, ut si occidatur in loco sacro, aut Romam peregrinando. 3. *Quibus auxiliis*, ut si occisio fiat per alium, in quo adest peccatum scandali. 4. *Quo modo*, ut si occidatur ex insidiis, unde sibi cavere non possit; præcipue si fiat prætextu fictæ amicitiæ, quo pacto est homicidium proditorium. Ad hoc etiam reducitur illud, quod fit veneno propinato, & abortus fœtus animati: vel si fiat simul inhonorando, vel peculiari sævitia, ut eruendo viscera, vel quid simile.

119. Igitur omnes istæ circumstantiæ, & si quæ aliæ hujusmodi inveniantur in homicidio, debent expresse fateri in confessione. Unde cum assassinatus afferat saltem circumstantiam scandali, explicari etiam debet. Verum reliquæ circumstantiæ mere physice distinctæ, ut si fuit pugno, ferro, lapide, aut fuste, & similes impertinentes sunt ad confessionem.

PUNCTUM XIV.

De taurorum agitatione.

120. Inq. 1. An taurorum agitatio, prout in Hispania exercetur, jure naturali sit prohibita? R. neg. quia eo modo, quo in Hispania exercetur, raro evenit mors hominis propter sufficientem cautelam, quæ adhibetur pro ea vitanda; & si aliquando evenit, est per accidens, ergo non est intrinsece mala, nec jure naturali prohibita. Quod plene probat agitatio taurorum sæpe habita in ipsa urbe Romana annis nuper præteritis, invitatis ad eam lussoribus Hispanis, qui Romæ aderant. Verum si aliquis non dexteritate, & agilitate Hispanica pollens, aut sciolus, vel nimis audax tauris se objiciat, peccabit graviter; quia evidenti periculo mortis se exponit.

121. Inq. 2. An jure ecclesiastico sit prohibita taurorum agitatio? R. quod esto Pius V. sub gravibus pœnis taurorum agitationem prohibuerit, tamen Gregor. XIII. & Clemens VIII. eam pro sæcularibus permiserunt, sublatis pœnis, & sub duplici conditione; nempe, ne fiat in die festo, & provideatur per eos, ad quos spectat, ne alicujus mors sequatur, unde servata hac duplici conditione licita est in Hispania taurorum agitatio sæcularibus. Clericis autem, licet prohibeatur agitatio, permittitur assistentia. Eos tamen S. Pontifex hortatur, ut a simili spectaculo abstineant, memores dignitatis, & officii, quo funguntur, ne aliquid ab eo alienum exequantur.

122. Inq. 3. An peccent graviter regulares, qui taurorum agitationi assistunt? R. affirmative: quia agunt contra præceptum absolute a Pio V. eis impositum in materia gravi. Non comprehenduntur in hac prohibitione Equites ordinum Militarium, qui vere religiosi non sint: quia Clem. VIII. a prohibitione eos excepit. Excommunicatio regularibus præfatæ agitationi assistentibus imposita probabilius non est lata, sed ferenda.

123. Inq. 4. An regularibus sit prohibita assistentia ad vitulorum agitationem? R. neg. quia prohibitio tantum est de congressu cum tauris, aut eorum agitatione: sed vituli nomine taurorum non intelliguntur: sicut nec pueri nomine senum, aut agni nomine arietum: nam juxta varietatem ætatis variatur nomen ei respondens, ergo non est prohibita ejusmodi assistentia. Maxime quia in hac agitatione est valde remotum periculum de morte alicujus. Nec similiter peccant graviter regulares e fenestris propriæ domus, aut transeunter ex alio loco tauros agitari videntes: quia hoc non est assistere eorum agitationi. Peccarent tamen, si ex aliqua circi fenestra, esto per cancellos, aut occulte, etiam secluso omni periculo mortis assisterent: quia prohibitio est absoluta, & absolute debet observari.

124. Inq. 5. An extra Hispaniam sit licita taurorum agitatio? R. neg. tum, quia moderatio, & permissio Gregorii XIII. & Clementis VIII. solum est pro sæcularibus, & clericis, qui in Regnis Hispaniarum commorantur, ergo extra illa servanda est Constitutio Pii V. prohibens penitus taurorum agitationem. Tum quia exteri, vel quia natura graves, vel in agitatione inexpertes, agilitate, & dexteritate Hispanica carent, ergo maximo mortis periculo se exponerent.

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS

DE SEXTO, ET NONO DECALOGI PRÆCEPTO.

AGgredimur sextum, & nonum Decalogi præceptum explanandum, optantes puro calamo res non puras discutere; sequentes D. Thomam, qui licet puritate Angelus, hæc ad communem utilitatem disputare non omisit. 2. 2. *q.* 153. *&* 154. *& alibi.*

CAPUT I.

De castitate.

Prior locus debetur virtuti, quam vitio; ideo prius volumus agere de castitate; deinde acturi de vitiis ei oppositis, & in sexto præcepto prohibitis.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio castitatis.

1. Inq. 1. Quid in sexto Decalogi præcepto prohibeatur? R. expresse solum adulterium prohibetur juxta illud *Exodi* 20. 15. *Non mœchaberis*, quod clarius explicatur *in cap.* 5. 20. Deuther. *Non concupisces uxorem proximi tui. Mœchia* enim est vox græca, quæ proprie *adulterium* sonat. Implicite vero prohibetur omnis delectatio carnalis, omnis species luxuriæ, omnisque actus internus, & externus extra matrimonium habitus. Præcipitur ergo nobis in sexto Decalogi præcepto, quod simus casti, & mundi cogitatione, verbo, & opere. Prohibetur autem expresse adulterium, quia alia, *quæ inferuntur in personam conjunctam, & maxime per modum libidinis, intelliguntur prohiberi simul cum adulterio*, ait D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 6. *ad* 2.

2. Inq. 2. Quid sit castitas? R. Castitas, quæ a *castigando* dicitur, potest sumi, vel improprie, vel proprie. Castitas improprie, vel lato modo significat puritatem animi ab omni amore inordinato, & ab omni labe peccati: in quo sensu dixit Apostolus 2. ad *Corinth. cap.* 11. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Id est nullo peccato inquinatam. Hæc dicitur castitas spiritualis.

3. Castitas autem proprie sumpta est *virtus moralis, quæ moderatur voluptaties carnis.* Dividitur in *virginalem, conjugalem, & vidualem. Virginalis* est, *quæ cohibet omnem voluptatem, etiam licitam carnis. Conjugalis* est, *quæ moderatur voluptates illicitas carnis. Vidualis, quæ moderatur voluptates carnis post mortem alterius conjugis, vel post licitam, aut illicitam copulam.* Quicumque enim, qui virginitatem licite, vel illicite amisit, solum potest habere castitatem vidualem proprie, aut large sumptam. Divisio hęc castitatis non est generis in species, sed ejusdem virtutis in diversos gradus: quia castitas conjugalis, & vidualis non addunt speciem, seu perfectionem specificam ad castitatem communem, quæ proinde specifice solum differt a virginali, & hæc dicitur castitas perfecta, illa vero imperfecta.

4. Inq. 3. Quid sit virginitas? R. est *integritas carnis cum proposito eam conservandi perpetuo a carnali libidine expertem.* Tria in virginitate inveniuntur. *Primum*, integritas signaculi virginalis, a qua integritate appellatur *virginitas*, tamquam *virens*, dictum a *virore* adustionem libidinis minime experto. *Secundum*, immunitas a delectatione, quæ consistit in seminis resolutione. *Tertium*, propositum perpetuo abstinendi ab omni carnali delectatione. Primum se habet per accidens, secundum de materiali, tertium autem pro formali. Ex quibus bonitas diffinitionis traditæ apparet: nam virginitas duo necessario exigit, nempe carnis integritatem ut materiam, & propositum perpetuum ut formam, sed hęc duo in prædicta definitione explicantur, ergo recta est.

5. Nota autem, quod triplex potest da-

dari virginitas, seu quod virgines sunt in triplici differentia. Nam aliquæ solum mente sunt virgines, ut quæ per vim absque ullo earum consensu violantur. Aliæ sunt sola carne, ut quæ, licet integritatem retineant, habent tamen intentionem nubendi, & dicuntur communiter virgines, quæ habent propositum servandi virginitatem, nisi matrimonio jungantur: & est quidem velut status castitatis distinctus a conjugali, & viduali. Aliæ denique sunt virgines mente, & carne: ut quæ integritatem conservant, & firmum habent propositum sic per totam vitam permanendi: & istæ sunt virgines cum omni proprietate.

6. Inq. 4. An virginitas consistens in mentis, & carnis integritate sit vera virtus a castitate distincta? R. affirm. quia virginitas est habitus bonus inclinans ad se abstinendum ab omni venerea delectatione secundum rectam rationem; sed talis habitus est virtus, erg. virginitas consistens in mentis, & carnis integritate est vera virtus.

7. Objic. 1. Carnis integritas est nobis a natura, quilibet enim nascitur virgo: sed nulla virtus est nobis a natura: ergo virginitas non est virtus. R. quod duplex datur virginitas, alia *naturalis*, alia *moralis*. Prima consistens in mera integritate naturali est nobis a natura, non vero est virtus. Secunda addens integritati naturali propositum eam perpetuo conservandi, non est a natura, sed vera virtus, consistens in recta voluntate abstinendi ab omni carnis corruptione.

8. Objic. 2. Virtutes restaurantur per pœnitentiam; sed virginitas nequit per pœnitentiam restaurari, erg. non est virtus. R. quod per pœnitentiam restaurantur virtutes pro *formali*; non vero pro *materiali*. Virginitas autem pro formali consistit in proposito voluntatis, quod per pœnitentiam restaurari valet; pro materiali in carnis integritate, quæ numquam restaurari potest. Sicut absumens suas facultates, non eas restaurat per pœnitentiam; esto possit restaurare virtutem magnificentiæ, quam amisit in earum prodiga elargitione: quia facultates sunt materia magnificentiæ, sicut integritas est materia virginitatis.

Punctum II.

Alia dubia circa virginitatem.

9. Inq. 1. An requiratur votum, ut virginitas sit vera virtus a castitate distincta? R. sufficere propositum eam perpetuo conservandi: quia eo ipso habet, quidquid requiritur ad rationem virtutis distinctæ a castitate: habet enim objectum distinctum, nempe integritatem carnis perpetuo conservandam; alias virginitas non esset virtus distincta, nisi ratione religionis sibi adjunctæ per votum. Unde dixit D. Thom. *in 4. dist. 33. q. 3. art. 2. ad 4. Completa ratio virginitatis non est nisi in illis, qui habent electionem conservandi integritatem hactenus custoditam, usque in finem, sine sine voto, vel cum voto.* Quando autem dicit, quod, ut virginitas sit virtus, requiritur, quod voveatur Deo, intelligendus est, quod offeratur Deo: ad differentiam virginum vestalium, quæ si virginitatem conservabant, eam Dœmoni, aut vanitati dicabant.

10. Inq. 2. An status virginitatis sit excellentior statu matrimonii? R. affirm. ita proclamant sacra eloquia, omnesque sancti patres, & doctores catholici, qui unanimiter virginitatem laudant, plaudunt, & prædicant, extollentes eam supra matrimonium: asserentesque, quod sicut cœlum excellit terram, & Angeli homines, ita virginitas matrimonium; missis vero pro brevitate eorum laudibus.

11. Prob. ratione: nam in primis virginitas est bonum divinum, & cœleste assimilans homines Deo, & Angelis; deinde est bonum animæ; cogitat enim virgo, quæ Dei sunt; econtra vero matrimonium est bonum naturæ, & corporale ordinatum ad bonum corporis, nimirum ad propagationem, & conservationem naturæ: deinde inducit ad cogitandum, quæ mundi sunt; sed bonum divinum, cœleste, & spirituale præstat bono naturali, & corporali; ergo virginitas excellentior est matrimonio.

12. *Confirmatur*, quia nulla est, nec fuit tam barbara natio, quæ virgines in admiratione non habuerit, & ejus observatores, ut homines divinos, atque cœ-

les

lentes non veneraretur, ut constat de Romanis, Sinensibus, Japoniis, Indiis, & aliis Ethnicis: igitur omnes lumine naturali agnoscunt virginitatem esse quid Angelicum, & cœleste, longeque conjugium in perfectione, & excellentia superare. Quod tanquam dogma fidei ab omnibus catholicis asseritur, & defenditur. Solum hæretici in schola carnis, & sanguinis edocti oppositum propugnant. Primus id asseruit Jovinianus, quem confutavit egregie D. Hieronymus. De illo dicit egregie D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a.* 4. *Sicut damnatus est Vigilantius, qui adæquavit divitias paupertati, ita damnatus est Jovinianus, qui adæquavit matrimonium virginitati.* Ex modernis vero Asmodæi fidelior discipulus fuit Lutherus. Sed non mirum; habuit enim Dœmonem paredrum, sive assessorem, cujus ope, & doctrina extraxit e monasterio Catharinam de Bore monialem professam, cum qua contraxit, non quidem legitimum, sed vere Satanicum matrimonium. En portentosus doctor, & magister primitius Ecclesiæ Anglicanæ! quæ ab hoc Priapo decepta a via veritatis misere aberrat. De Priapo meminit Angel. 1. 2. *q.* 102. *a.* 4. *ad* 7.

13. Objic. Status matrimonii jubetur a Deo Genes. 1. 18. erg. præferri debet virginitati. R. 1. neg. conseq. nam si per illa verba imponitur præceptum, datum fuit multitudini hominum, non singulis hominibus; alias illud violassent Elias, Eliseus, Joannes Baptista, & dilectus Evangelista: quod non concedent vel ipsi hæretici. R. 2. Valde probabile esse prædictis verbis non imponi præceptum, sed approbari matrimonium: nam eisdem verbis benedixit Deus piscibus, qui incapaces sunt præcepti, ut patet *ibi vers.* 22. Alias argutationes hæreticorum missas facimus, quia plus nituntur pravitati appetitus, & voluntatis, quam difficultati rationis, & intellectus. Plures eorum satis agnoscunt veritatem, sed nolunt ei acquiescere, ut liberius suis valeant appetitionibus vacare. Quotidie precamur Deum pro eorum conversione. At licet vivant, ut velint, doceant, ut debent. Non abutantur sacra pagina ad suas libidines explendas, & incautos decipiendos. Virginitas igitur est nota illustris veræ religionis, & Ecclesiæ, quæ extorris est ab hæreticis carni, & sanguini deditis. Nam ut dicebat Thomas Moro insignis Martyr sub impuro Rege Angliæ Henrico VIII. *libido est hæreseos mater, æque ac filia.*

14. Inq. 3. An virginitatis virtus inveniatur in viro æque ac fœmina? R. affirm. quia virtus virginitatis communis est utrique sexui, quamvis aliquid se habens de materiali, nimirum claustrum virginale, non reperiatur in viro; quidquid tamen ad virginitatis virtutem requiritur, nempe incorruptio mentis, & corporis cum proposito eam perpetuo conservandi, æque reperitur in viro, ac in fœmina, erg. etiam virtus virginitatis. Unde viri virgines gaudebunt laureola virginitatis, æque ac virgines fœminæ.

15. Nota, quod licet aureola virginitatis detur pro victoria obtenta in periculosa pugna carnis; valet tamen haberi sine tali pugna ex privilegio speciali, si caro absque illa perfectissime spiritui subjiciatur, ut de beatissima Dei genitrice pro certo habemus, & de sancta Theresia matre nostra pie credimus, ac altiori titulo de S. Joseph, de quo plures asserunt fuisse privilegiatum a pugna, & fomite carnis, ut esset purissimus custos thesauri virginitatis.

16. Objic. Vir non est capax stupri, seu illud patiendi, ergo nec aureolæ virginitatis, quæ opponitur stupro. R. neg. conseq. quia aureola virginitatis non opponitur præcise stupro, sed cuicumque amissioni etiam licitæ virginitatis, ut patet in pluribus, qui operi conjugali licite vacant. Igitur non omnis capax aureolæ virginitatis est capax stupri; quomodocumque enim quis abstineat perpetuo ab omni contagione venerea propter Deum, capax est aureolæ virginum, illaque coronabitur in cœlo. An autem plures ex fœminis, quam ex viris erunt in cœlo Virgines, scientiæ Dei reservatum est. Sed pie loquendo per quasdam conjecturas putamus plures fœminas futuras esse, quam viros: tum quia facilius deperditur virginitas in viro, quam in fœmina, licet citius in fœmina, quam in viro perdi valeat, quia pubertas prius eis advenit. Tum quia fœminæ sunt

na-

naturaliter magis verecundæ, honestæ, occlusæ, & a matribus custoditæ, ita ut vix solæ in publicum egrediantur. Contrarium autem accidit viris, qui in flore adolescentiæ libere exeunt ad scholas, studia, comercia, & alia negotia, & ministeria: qua ratione etiam videtur nobis plures fœminas esse salvandas, quam viros; ipse enim vacant ab omnibus officiis publicis, a militia, & aliis ministeriis, quæ viris sunt occasiones peccandi, & se perdendi.

Punctum III.

De amissione virginitatis.

17. In. 1. Quot modis amittatur virtus virginitatis irreparabiliter? R. in fœmina amitti per voluntariam claustri virginalis violationem, sive fiat copula, sive tactibus propriis, vel alienis, semel quod sint libidinosi. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 152. *art.* 1. *ad* 4. quia hęc violatio est, quæ reparari non valet, licet cętera per veram pœnitentiam reparari possint. Alii ajunt amitti etiam per voluntariam seminis resolutionem, licet absit ruptio claustri virginei, eo quod jam adest experientia venereæ delectationis. Verum si dicta resolutio accidat sine ulla culpa, sive in somnis, sive in vigilia nihil officit virginitati, nec naturali, nec virtuosæ. Hoc est certum, primum vero non adeo compertum; quia fœmina quandiu conservat signaculum pudoris, nequit dici corrupta, sed integra integritate corporali, & naturali, a qua potissimum appellatur virgo.

18. In viro amittitur virginitas per voluntariam seminis resolutionem, quia hæc est in viro consumata libido, & alias caret signaculo virginitatis, quo gaudet fęmina.

19. Objic. Vir, aut fœmina, qui habuerunt copulam, licet absit ruptio claustri virginalis in ista, & pollutio in illo, experti sunt libidinem, ergo non sunt virgines. R. neg. conseq. quia in dicto casu habuerunt quidem tactus impudicos, sed non tales, ut per eos amittatur irreparabiliter virginitas.

20. Dices, ergo. Idem tenendum est de illis, licet coitui sodomitico vacent. R. conced. conseq. quia nec in illo casu adest aliquid, quod per veram pœnitentiam nequeat reparari, supposito, quod absit pollutio in viro, & violatio claustri virginei in fœmina. Virgo vi oppressa non amittit virtutem virginitatis: nec vir, qui involuntarie pollutionem patitur.

21. Unde talis virgo potest accipere velum virginitatis olim frequentius usitatum, dummodo sit occulta violatio vere involuntaria. Si autem voluntarie, esto occulte corrupta sit, nequit accipere velum sacrum absque dispensatione. Nec absque ea decet, quod gaudeat Prælatura in cœnobio virginum, licet si bona fide eligatur, non teneatur prodere suum defectum.

22. Inq. 2. Qualiter amittatur virtus virginitatis reparabiliter? R. 1. amitti per intentionem nubendi. 2. per consensum in actum turpem. 3. per delectationem morosam. 4. per tactus turpes sine seminatione, & copula. 5. omnibus modis, quibus amittitur castitas absque dicta seminatione, & copula juxta supra stabilita: quia in præfatis casibus conservatur illæsa integritas corporis, nec adest libido consumata: & solum violatur propositum virginitatis, quod per pœnitentiam valet reparari.

CAPUT II.

De vitiis castitati oppositis.

Punctum I.

De luxuria.

23. Inq. 1. Quid est luxuria? R. est *usus, vel appetitus inordinatus venereorum.* Quamvis enim nomen *luxuriæ* pro qualibet superfluitate, & excessu intelligi possit, usu tamen communi pro libidine, & vitio venereo accipitur. Dicitur *usus, vel appetitus inordinatus*, quia si venerea exerceantur juxta ordinem rationis, licita sunt, sicut usus ciborum inordinatus est malus, bonus vero secundum rationis ordinem, ut conducit ad vitæ conservationem, ita usus venereorum ordinatus in matrimonio est bonus, & conducit ad speciei conservationem.

24. Inq. 2. Quale sit peccatum luxuriæ? R. esse peccatum mortale ex genere suo, & in tota sua latitudine non admittens parvitatem materiæ. Primum probatur ex Apost. ad Galatas 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Prob. etiam ratione: quia usus venereorum ordinatur a natura ad propagationem generis humani, ergo inversio hujus ordinis ex genere suo est gravis, cum opponatur bono communi. Quod peccatum luxuriæ parvitatem materiæ non admittat, constabit ex dicendis. Vitium istud adeo amplam exercet tyrannidem in mundo, ut olim provocaverit iram Dei ad illud puniendum diluvio universali aquæ; deinde peculiari ignis supra Pentapolim; denique juxta S. Remigium *propter hoc vitium, exceptis parvulis, pauci salvantur.* Omni igitur cura fugiendum est.

25. Inq. 3. An luxuria sit vitium capitale, & quot habeat filias? R. affirm. quia, ut diximus, vitium capitale est illud, a quo tamquam a capite alia oriuntur: sed hujusmodi est luxuria: imo facile princeps inter omnia vitia capitalia propter plurima peccata ab ea promanantia; ergo est vitium capitale. Octo filiæ numerantur luxuriæ; *cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, & horror futuri.* Ex quibus quatuor priora lædunt intellectum, posteriora voluntatem. Luxuria namque non solum deordinat voluntatem, sed etiam obtenebrat intellectum: unde causat *cæcitatem mentis* in intelligentia ad veram apprehensionem finis, seu boni, *cæcitatem* in consilio, *præcipitationem* in judicio, & *inconstantiam* in proposito, seu in rationis præcepto. Ex quo, huic vitio inservientes, videmus, atque conspicimus cæcos in consiliis; præcipites, inconsideratos, inconstantesque in omni bono. Perturbat etiam voluntatem, ejusque actus, destruens *intentionem finis* amore sui: unde gignit *odium Dei*, qui voluptates carnis prohibet. Deinde invertit electionem, inserens *amorem præsentis sæculi*, ex quo oritur *horror futuri.* Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 153. *art.* 5.

26. Præter octo enumeratas luxuriæ filias, alias quatuor externas assignat Angel. D. *turpiloquium, scurrilia, lubrica,* & *stultiloquia.* Quia lingua luxuriosi in primis ex abundantia cordis loquitur *turpia*: deinde in verba, aut facta levia, seu *scurrilia* prorumpit: exinde in omnibus voluptatem quærens verba *lubrica* sæpe pronuntiat: tandem cum mens ex libidine obcæcata in sententias exiliat, inde *stultiloquium* effundit.

27. Inq. 4. Quot sint species luxuriæ? R. esse septem, *fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, vitium contra naturam,* & *sacrilegium.* Aliæ possunt dari species luxuriæ secundum quid, & ab extrinseco: ut si ex solo motivo delectationis cognoscat conjugatus uxorem, & similes, quæ plerumque sunt veniales. Enumeratæ vero sunt simpliciter species luxuriæ constituentes ex se peccatum mortale; quia graviter, & peculiari modo rationi opponuntur.

28. Inq. 5. An omnes præfatæ species distinguantur essentialiter intra genus luxuriæ? R. neg. Nam solum fornicatio simplex, pollutio, sodomia, & bestialitas sunt species intra genus luxuriæ distinctæ essentialiter; reliquæ vero, nempe adulterium, incestus, stuprum, & raptus accidentaliter: quia addunt speciem accidentalem contra justitiam, pietatem, aut religionem. Quæstio hæc satis prolixe discutitur ab aliis; sed revera plus ad scholasticos, quam ad mores pertinet: sufficit his scire adulterium, incestum, raptum, & sacrilegium duplicem habere malitiæ speciem, sive essentialem, sive accidentalem in confessione aperiendam. Vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 153. *a.* 6. 7. *&c.*

Punctum II.

De simplici fornicatione.

29. Inq. 1. Quid sit fornicatio simplex? R. est *concubitus humanus naturalis soluti cum soluta.* Dicitur *concubitus humanus*, ut distinguatur a concubitu irrationalium, qui fornicatio dici non valet: additur *naturalis*, ut differat a peccatis contra naturam. Denique ponitur *soluti cum soluta* ad significandum, quod uterque debet esse liber a vinculo matrimonii, & alterius cujusque circumstantiæ

tiæ extrahentis concubitum a natura simplicis fornicationis. Unde si fuerit cum virgine, jam non erit fornicatio simplex, sed stuprum, & sic de reliquis. Sumitur enim in præsenti fornicatio, non lato modo, ut pro idololatria, aut quocumque concubitu, ut in 1. *ad Corinth. cap.* 5. dicitur fornicatio concubitus cum uxore patris; sed proprie, ut est prima species luxuriæ, & nullam aliam includit malitiam. Concubitus Christiani cum gentili, aut judæa non est fornicatio simplex, sed pertinet ad speciem sacrilegii, violatur quippe reverentia debita baptismo, & religioni Christianæ, ex qua ratione positum est ab Ecclesia impedimentum matrimonii *cultus disparitas*. Unde accessus baptizati ad non baptizatam, vel econtra est peccatum specie distinctum a simplici fornicatione.

30. Inq. 2. An fornicatio simplex sit jure naturæ graviter prohibita? R. affirm. quia concubitus ex se oppositus educationi, & instructioni prolis est graviter prohibitus jure naturæ; sed fornicatio simplex est hujusmodi, cum sit inter solutos ab obligatione perpetuo cohabitandi ad procurandam prolis educationem, & raro, aut per accidens tantum sic geniti debite instruantur, ergo est graviter prohibitus jure naturæ. D. Thom. *in Supplem. q.* 65. *a.* 4.

31. Dices, ergo si quis dives, aut præpotens accederet ad solutam animo, & intentione sufficienter providendi proli, non ageret saltem graviter contra jus naturæ, siquidem deficeret tunc motivum prohibitionis.

32. R. neg. conseq. in præfato enim casu aut alio simili daretur per accidens bona educatio: natura autem non attendit ad id, quod per accidens evenit, sed ad id, quod per se accidit. Porro fornicatio simplex ex se est concubitus non ordinatus ad bonam educationem prolis, cum fiat inter personas, quæ separari debent ab invicem. Neque finis legis naturalis deficere valet in communi; esto per accidens deficere possit aliquando in particulari; idcirco semper obligat. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. *ad* 3.

33. Aliqui probant hanc veritatem ex damnatione hujus propositionis 48. ab Innoc. XI. proscriptæ: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium rationi dissonum videatur.* Sed esto justissime thesis hæc damnata sit ab Ecclesia, quia ut minimum est summe audax, & omnino falsa, tamen ex illa non probatur directe, quod fornicatio simplex sit jure naturæ graviter prohibita, ut eam perpendenti facile apparebit.

34 Inq. 3. An sit de fide fornicationem simplicem esse peccatum mortale? R. affirm. quia prohibetur a Deo in 6. Decalogi præcepto. Deinde prohibetur ab Apostolo 1. *ad Corinth.* 5. *Ne commisceamini fornicariis*. & cap. 6. *Fugite fornicationem*, & alibi sæpe. Præterea prohibetur jure canonico sub gravibus pœnis.

35. Inq. 4. An fornicatio simplex sit gravius peccatum, quam furtum? R. affirm. quia furtum est contra bona externa proximi, fornicatio vero simplex contra ipsum proximum, nempe ejus educationem, & instructionem, quæ præstat bonis fortunæ. Igitur simplex fornicatio gravior culpa est, quam furtum, levius tamen peccatum illis, quæ directe tendunt contra Deum, aut vitam hominis jam nati: quia priora opponuntur virtutibus theologicis; posteriora majus bonum lædunt, quam fornicatio simplex, quæ solum hominis nascituri vitam lædit.

36. Objic. peccatum eo est gravius, quo præstantiori opponitur virtuti; sed furtum opponitur justitiæ, quæ præstantior virtus est, quam castitas, ergo furtum gravius peccatum est, quam fornicatio simplex. R. quod fornicatio simplex taliter opponitur directe castitati, ut indirecte opponatur etiam justitiæ; nam talem inordinationem præsefert intra genus luxuriæ, ut ex se inferat damnum proli nascituræ. Igitur gravius peccatum est, quam furtum: quia major sillogismi tunc est vera, quando peccata contra inferiorem virtutem non includunt simul oppositionem contra virtutem superiorem; cujus oppositum evenit in præsenti, cum peccatum contra castitatem includat simul oppositionem contra justitiam. Ita D. Thom. *ibi. art.* 3.

PUNC.

Punctum III.

De concubinatu.

37. Inq. 1. Quid intelligatur nomine *concubinæ* in præsenti? R. nomen concubinæ dupliciter sumi posse: nam aliquando sumitur pro conjuge ducta absque dote, & solemnitate nuptiali, unice ad filios procreandos, & non ad regimen familiæ, & domus; ad differentiam uxoris, quæ tum ad thalamum, tum ad regendam domum, & familiam ducebatur. In hoc sensu Abraham, Jacob, David, & alii Patriarchæ veteris legis concubinas habuisse dicuntur. In hoc eodem sensu jus civile unam concubinam permittit. Cæterum in præsenti non est sermo de hujusmodi concubinis, sed de pellice, aut fœmina soluta, & corrupta ut infra magis patebit. Vid. Bened. XIV. de *Synod. Diœces. lib.* 9. *cap.* 12. *a num.* 2.

38. Inq. 2. In quo differat concubinatus a fornicatione? R. differre in eo, quod concubinatus est frequens, & continuata fornicatio cum determinata fœmina, quæ tamquam uxor habetur sive soluta, sive conjugata, aut alio vinculo ligata. Quapropter concubinatus divagare valet per omnes species luxuriæ; fornicatio vero tantum est concubitus cum soluta modo hac, modo alia. Unde concubinatus valde distinguitur a fornicatione simplici, & est gravius peccatum illa, aut adulterio, cum præter speciem peccati, per quam divagatur, addat continuationem aliorum, quæ augent ejus gravitatem. Sed quia concubinatus exercetur communiter inter solutos, ad fornicationem simplicem reducitur.

39. Inq. 3. Quid sit concubinatus jure canonico? R Est *concubitus viri cum fœmina soluta, quam quis vel in domo propria, vel extra retinet, & ad quam frequenter, vel ex consuetudine accedit.* Unde vir sive solutus, sive conjugatus, sive clericus retinens domi, vel extra fœminam solutam, ad quam ex consuetudine accedit, vere concubinarius est. Gravitas hujus peccati constat ex eo, quod concubinarius semper est in statu peccati mortalis, & in proximo periculo suæ damnationis: quapropter gravibus pœnis punitur a Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 14.

40. Inq. 4. An aliquando absolvendus sit concubinarius, quin prius dimittat concubinam? R. nunquam esse absolvendum, nisi prius, cum possit, eam reipsa dimittat: quia vel concubinarius est publicus, vel occultus, si est publicus, debet publice constare de sua pœnitentia, anteqnam absolvatur. Si occultus, est in continuo peccato, quantumcumque proponat dimissionem, indignusque absolutionis, ergo numquam est absolvendus, nisi prius, dum possit, eam reipsa dimittat. Nec valet confugium ad scandalum; quia, prætextu vitandi scandala, majora foventur. Igitur nisi urgeat periculum mortis, vel aliud impedimentum physicum, non potest absolvi concubinarius absque reali expulsione concubinæ.

41. Huic doctrinæ conformis est damnatio prop. 41. ab Alexandro VII. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hac nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tedio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

42. Inq. 5. An saltem quando concubinarius accedit magno planctu, copiosis lachrymis, firmo proposito concepto ex improvisa amici morte, aliquave concione terribili, vel etiam ex exercitiis habitis in aliquo monasterio possit absolvi, antequam concubinam emittat? R. negat. quia si vere est contritus, evellat prius peccatorum radicem, & deinde curet absolutionem humiliter consequi. Projiciat foras occasionem, & tunc ad confessionem vadat, ut secundum prudentiam, & æquitatem videat, & judicet, quid faciendum est. Experientia enim docet, quod multoties hujusmodi suspiria, & lachrymæ, maxime in mulieribus, ficta sunt, & sæpe post absolutionem obtentam ad vomitum redeunt. Vid. dicenda *tract.* 27. *n.* 298.

Punctum IV.

Alia dubia circa absolutionem concubinarii.

43. Inq. 1. An aliquando possit absolvi filius familias, qui domi concubinam, vel occasionem peccandi habet? R. cum similibus procedendum esse eo modo, quo infra *tract. 27. n. 298.* de consuetudinariis dicemus in ordine ad absolutionem. Ministri sacramenti pœnitentiæ præ oculis habeant, & mente sæpe sępius evolvant illud effatum Sanctorum virorum: *¿quid Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessariorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio? Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Non sint ergo faciles ad beneficium absolutionis cum his, quorum difficilis est perseverantia in bono, vel proposito. Adhibeant remedia, priusquam sententiam ferant. Sciant nullam esse medicinam efficaciorem, quam suspensionem absolutionis. Hoc fulmine contremiscunt vitia, ac fugantur peccata.

44. Inq. 2. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum similibus pœnitentibus, qui in quadragesima, vel pro ordinibus recipiendis ad exercitia spiritualia se confugiunt? R. Bened. XIV. Synodo Dioëles. lib. 11. cap. 2. n. 18. ita se explicare: „ Quoniam vero ejusmodi casus „ facilius se offerre possunt in audiendis „ eorum confessionibus, qui jam in do„ mum exercitiis spiritualibus destinatam, „ statutis temporibus se receperunt, ut „ sacris ordinibus in proxima ordinatio„ ne initientur; atque in his circums„ tantiis ad cæteras difficultates accedit „ infamiæ metus, quam penitus subeun„ dam sibi fore asserit, si in ea ordi„ natione non amplius promoveatur, tunc „ necesse erit (neque id sane prudenti „ Confessario admodum difficile esse po„ terit) hujusmodi ordinando ante ocu„ los ponere, non modo eternam salu„ tem, quovis humano respectu potio„ rem esse debere, verum etiam nihil „ infamiæ in eo esse, si quis dicat, & „ fateatur velle se maturius cogitare de „ ineundo hujusmodi vitæ instituto, quod „ graviora secum ferat onera, quodque „ semel susceptum, per omnem vitam „ necessario servandum erit. " Hucusque Pontifex, ex quibus infertur doctrina pro omnibus, qui in occasione proxima, esto involuntaria, vel pessima consuetudine versantur, & ad aliquam domum pro exercitiis spiritualibus se confugiunt, ut absolutionem consequantur, incautos Confessarios decipiendo, experientia teste.

45. Inq. 3. An fœmina pauper, quæ ab hero, sive consanguineo, quibus inservit, sustentatur, possit absolvi, antequam recedat, si eorum pellex, aut concubina efficiatur? R. neg. nam qui amat occasionem proximam peccati, vult ipsum peccatum, indignusque est absolutionis; sed fœmina, quæ potest, & non dimittit occasionem proximam peccati, illam vult, & amat, ergo nequit absolvi, quin prius recedat. Verum si scandalum, aut infamia reipsa ex discessu sequeretur, tunc Confessarius cum illa se gerat eodem modo, ac cum filio familias, præscribens ei opportuna remedia ad emmendam; si autem hæc non appareat, absolutionem denegare debet, donec reipsa ab occasione recedat.

46. Idem est tenendum de concubina, quæ post dimissionem aliquando visitat concubinarium ęgrotantem, omnino enim repellenda est a conspectu ęgroti, & etiam a sacramentis recipiendis, si non proponat firmissimum recessum. Similiter non est absolvendus concubinarius, qui domum concubinæ dimissæ ingreditur, vel pro eleemosyna facienda, vel alio pio opere exercendo, si ex tali ingressu nova peccata sequantur: quia voluntarie quærit occasionem eorum. Imo esto aliquando non sequantur, semper timendum est, ne lateat anguis sub herba, amputandaque radix, & occludenda janua, quæ toties peccatis aperta fuit.

47. Inq. 4. An sint absolvendi exercentes artes honestas reipublicæ necessarias, si eis fuerint occasio proximæ peccandi? R. avaritiam esse omnium malorum radicem teste Apostolo, concupiscentiamque corrumpere totam massam generis humani, proindeque in pluribus officialibus reipublicæ abundare usuram, dolum, & mendacia, in aliis fla-

mam

mam sensualitatis dominari, sicque innuveri versantur in proximo periculo peccandi ; quapropter cum timore, & tremore pius Confessarius procedat, neque eos absolvat, nisi præmissis experimentis, super illorum conversionis firmitate, ut dictum est.

48. Idem est dicendum de hospita, quæ quoties aliquem determinatum, vel alios indiscriminatim excipit, cum illis involvitur ; eique dicatur, quod vel corrigatur a sua fragilitate, vel officium deserat. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* : Matth. 16. Timeant ergo ministri Dei, ne sanguis pœnitentium e manibus eorum exquiratur, & ne ipsi eorum peccatis participes fiant, ut patres Tridentini lachrymantes scripserunt.

49. Hac eadem ratione non est absolvendus amasius, qui non dimittit concubinam prætextu amittendi centum aureos, vel quid simile, si illam expellat. Aut econtra ipsa concubina nolit recedere, ne amittat aliquod emolumentum temporale : quia occasio proxima peccandi vitanda est, quocumque lucro temporali posposito.

Punctum V.

De pœnis contra concubinarios impositis.

50. Inq. 1. Quæ pœnæ sint contra concubinarios impositæ ? R. quod in Trident. *sess.* 24. *cap.* 8. *de reform. matrim.* decernitur, concubinarios laicos, si ter admoniti ab Ordinario concubinam non repulerint, excommunicatione esse plectendos. Si autem per annum in concubinatu, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario, pro criminis qualitate, severe procedendum præcipit.

51. Deinde idem Concilium *sess.* 25. *cap.* 14. *de reform.* contra clericos concubinarios sequentia decernit. 1. Prohibentur clerici habere concubinas sub pœnis a jure canonico statutis. 2. Si admoniti, non se abstinuerint ab hoc crimine, privantur tertia parte fructuum, & proventum suorum beneficiorum, Ecclesiæ, atque pio loco applicanda. 3. Si secundæ monitioni non paruerint, ultra dicta, amittant pensiones, & priventur beneficiorum administratione. 4. Si ita suspensi, adhuc retinent concubinas, perpetuo privantur beneficiis, portionibus, officiis, pensionibus, & manent inhabiles ad alia in posterum obtinenda. 5. Si post hæc adhuc eas non dimiserint, aut ad alias fœminas scandalosas, se diverterint, excommunicatione plectantur. 6. Denique si forte Episcopi concubinarii fuerint, a Synodo que Provinciali admoniti, non resipiscant, ipso *facto* sunt suspensi. Et si in dicto crimine adhuc perseverant, debent coram summo Præsule denuntiari. Nullibi sacrum Concilium mitius, & benignius vidimus.

52. Nomine clerici intelliguntur hoc loco omnes clerici aliquo ordine insigniti, qui se divino cultui addixerunt, & Ecclesiæ ministri sunt, licet in sacris non sint initiati. Verum clericus, qui post dimissionem concubinæ, cum altera fœmina se commiscet, non comprehenditur, nec privandus est fructibus: quia Concilium expresse de concubinariis loquitur.

53. Crimen concubinatus est mixti fori, ideoque puniri potest a judice ecclesiastico, vel sæculari; imo postquam punitus est a sæculari, puniri valet ab ecclesiastico, vel econtra, propter diversitatem, ad quam uterque judex respicit. Ecclesiasticus procedit ad correctionem ratione finis spiritualis, sæcularis ratione finis temporalis.

54. Inq. 2. An clerici concubinarii publici sint hodie ab officio, & beneficio suspensi, ita ut si celebrent, incurrant, irregularitatem, sicut antiquitus ipso jure videbantur esse suspensi, & irregularitatem celebrando incurrere ? R. neg. quia, cum Tridentinum aperte disponat, quod si secundæ monitioni non paruerint, ab Episcopo suspendantur, signum est non esse *ipso facto* suspensos. Verumtamen lumen ipsum naturale exposcit eorum severam suspensionem : horret enim natura videre homines adeo criminosos, ac detestabiles ministros Ecclesiæ, sacrisque altaribus deservientes. Deo, optimo, maximo gratias agimus, quod nullibi eos viderimus.

PUNC-

PUNCTUM VI.

De meretricibus.

55. Inq. 1. Quæ fœminæ dicantur meretrices? R. quod meretrix, sive dicatur a *mercede*, seu *mercatura* sui corporis, est *quæ multorum libidini patet, aut mulier habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione*, ut dicitur Apoc. c. 17. Vel illa, *cujus venalis est turpitudo.* Quod in veriori sententia tunc salvatur, quando fœmina pluribus, quam duobus, se palam prostituit, sive quæstus, sive libidinis, sive amoris gratia, eaque vere meretrix appellatur. Alii plus exigunt.

56. Inq. 2. An meretrices absolvi possint? R. neg. donec sufficienti experientia constet esse omnino emendatas, vel in articulo mortis contritas: quia sunt in continuo peccato mortali. Tenentur tamen ipsæ ad annuam confessionem, & communionem: ita ut secus facientes incurrant pœnas in jure positas, & in excommunicationem, quæ in aliquibus Diœcesibus imposita est contra omittentes confessionem, & communionem paschalem: quia hæc lex obligat omnes fideles adultos absque exceptione.

57. Inq. 2. Cujus speciei peccatum committant meretrices? R. committere peccatum fornicationis, & scandali. Deinde cætera omnia, ad quæ sunt parata: quia earum intentio est universalis, comprehendens omnes species luxuriæ. Nota tamen, quod si meretrix potest explicare numerum, & species peccatorum, ad hoc tenetur, ut constat ex Tridentino; non enim sufficit generaliter dicere, se omni venienti soluto, uxorato, clerico &c. fuisse expositam. Si autem meretrix valeat recordari saltem de principalioribus speciebus culparum, & de numero plus, minusve, distincte se accusare debet, prout melius potuerit. Verum in articulo mortis, si morbus, aut tempus amplius non permittant, sufficit, quod generaliter se accuset, ut absolutio ei impertiatur.

58. Extra articulum autem mortis, esto illicitum sit meretrices absolvere, quamdiu sui criminis serio non pœniteant, & a tam misero statu penitus non recedant; tamen Porochi, & Confessarii debent eas ad confessionem hortari, invitare, & admittere. Ad sacram autem communionem publicam non sunt admittendæ meretrices, esto a peccando abstineant, & a domo prostibuli recedant, donec publice constet de earum pœnitentia, ne alii fideles inde scandalum patiantur.

59. Inq. 4. An meretrices possint in loco sacro seperili? R. quod decedentes absque pœnitentia sepeliendæ sunt in loco profano *ex cap. Quibus.* Si autem in infirmitate pœnitentiam egerint, & absolutionem obtinuerint, debent in Ecclesia sepeliri. Si vero tempore morbi signa pœnitentiæ dederint, & per eas non stetit, quominus confessionem facerent: tunc arbitrio Episcopi, vel ad terrorem aliorum in loco prophano, vel ex commiseratione in sacro sepeliri poterunt. Vel tandem media via procedendo, in cæmenterio sine honore, & clero tumulari valebunt. Addendum hic est, esse prorsus a ratione alienum, exigere a meretricibus tributum ex iniquo meretricio collectum, ut ex se satis patet.

60. Inq. 5. An patroni, seu patres meretricum licite permitti possint? R. patronos earum dici, quibus publica authoritate meretricum cura demandata est, ut eas defendant, & saluti prospiciant, ne alios perdant. Unde supposita harum mulierum permissione, licitum est tales homines permitti: quia eorum officium ad bonum reipublicæ ordinatur. Caute tamen in officio se gerere debent, ne cooperatores, aut inductores ad meretricandum perperam, & cum scandalo videantur, aut sint.

61. Inq. 6. An *lenones* sint in peccato mortali? R. 1. *lenones* proprie dicuntur viri, qui quæstus gratia proprias, vel alienas fœminas prostituunt. Similiter *lenæ* appellantur mulieres, quæ blandis verbis inducunt alios ad fornicationem, & stupra; sumpta significatione a verbo *allicio*, quod significat aliquem blandis verbis, & fallaciis attrahere. Hinc R. 2. omnes lenones, & lenas, quamdiu a suo vilissimo officio non desistunt, esse in peccato mortali, committereque peccata ejusdem speciei, ad quæ inducunt. Et insuper esse reos omnium peccatorum, quæ ex prava sua inductione sequuntur: quia

quia sunt causa moralis eorum, ergo rei, & participes eorum. Quapropter minime possunt absolvi, donec a lænocinio recedant, & de eo serio pœniteant.

62. R. 3. Omnes lenones, & maxime parentes proprias filias prostituentes, amittunt patriam potestatem, & pœna mortis plectuntur. *ex leg. Si lenones, cap. de Episcop. audent.* Similiter mariti, qui uxores prostituunt, ultimo supplicio ex jure puniuntur. Verum juris rigorem fuisse aliquando mitigatum in pœnam fustigationis, seu ductionis super asinum, facie versa ad caudam asini, & uxore asinum per manum trahente, testantur aliqui.

PUNCTUM VII.

De impudicitia.

63. Inq. 1. Quid sit impudicitia? R. quod impudicitia est *nomen genericum significans peccata sive interna, sive externa luxuriæ non consumatæ.* Præcipue tamen significat peccata externa, ut aspectus turpes, verba obscena, tactus, oscula, amplexus, gestusque impudicos, & similia, ut ait D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. *ad* 5.

64. Inq. 2. An aspectus mulierum respectu virorum, aut econtra sit licitus? R. 1. quod aspicere mulierem sive deformem, sive pulchram urbanitatis, societatis civilis, aut necessitatis gratia, licitum est: quia licita est conversatio civilis, quæ dari non valet absque reciproco aspectu virorum, & mulierum. Nec adest culpa in eo, quod fœmina pulchra libentius aspiciatur, quam deformis: quia pulchritudo creata est a Deo, & natura sua oblectat visum præ deformitate, ob majorem proportionem objecti cum potentia. Si autem inquiras, an motus sensualis excitatus ex aspectu fœminæ sit peccatum? R. hoc pendere ex variis circumstantiis; quia si aspectus est innocens, & motus nullo modo sit volitus, & adsit resistentia debita, non adest peccatum, sed meritum. Esto enim aliqui dicant, quod omnis tentatio carnalis est saltem peccatum veniale: nos oppositum verius putamus. Aliud est, quod regulariter ita accidat ex fragilitate naturæ vitiatæ; aliud quod semper ita contingat. Hoc secundum negamus, & credimus plures sanctos ejusmodi tentationibus taliter restitisse, ut nullam culpam, sed completam victoriam reportarint. Igitur, adstante debita resistentia, tentatio carnis non est peccatum, ut docet Angelicus 1. 2. *q.* 80. *art.* 3. *ad* 3.

65. R. 2. quod aspectus diuturnus, aut curiosus mulieris valde pulchræ, aut nimis ornatæ potest esse mortale ratione periculi: ut fuit in David, & aliis, qui per mulierum visum, ascendente morte per fenestras, in peccata ruerunt. Quare si non vis perire, sume monitum Eccles. 25. 28. *Ne respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie.* Cura imitari cautelam dicentis: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Job. 31. 1.

66. R. 3. quod aspectus mulieris, esto instantaneus, ex prava intentione venerea est mortalis. Constat *ex cap.* 5. 28. *Matth.* Ubi inquit Christus D. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Hoc est, peccavit graviter peccato desiderii turpis; quia aspicere mulierem ex fine lasciviendi est intrinsece malum, & contra nonum Decalogi præceptum, in quo turpia desideria prohibentur.

67. Inq. 3. An aspectus membrorum turpium sive viri, sive mulieris sit mortalis? R. 1. Esse peccatum mortale, aspicere deliberate verenda mulieris. Idem est de muliere respectu viri: quia hæc, ut pote valde turpia, graviter ex natura sua ad libidinem provocant. Si autem aspectus sit fortuitus, & indeliberatus, aut ex necessitate curationis, potest esse immunis a culpa. Etiam est lethale consulto aspicere concubitum viri cum fœmina; & etiam hujus verenda, ita subtilibus obtecta, ut fere pateant: quia graviter provocant, & forte plus, ac si prorsus paterent. Infantilis fœminæ partes transeunter aspicere, non reputatur grave; licet puritatis amator effugere debet omne, quod castitatis candorem obnubilet. Similiter, ejusdem sexus nudas personas aspicere, ut quando pueri natant, ex se peccatum grave non est. Et licet P. Concina idem dicat de hominibus natantibus; tamen

dis-

distinguere oportet de personis : aliquibus enim ob peculiarem statum, & conditionem valde indecens est omnimoda nuditas, etiam dum solus est. Quid sociatus?

68. R. 2. quod aspicere partes, quæ natura sua parum excitant libidinem, non est ex se læthale : quia non præferunt gravem inhonestatem, neque periculum proximum relabendi : Ut videre brachia, aut pedes mulieris : idem est de pudendis, etiam commotis, animalium, & de coitu eorum. Similiter ajunt plures, quod aspicere propria pudenda ex levitate, aut curiositate, absque periculo consensus, non est mortale; verum tamen putamus nimiam esse hujusmodi levitatem, & periculo expositam; præcipue quando aspectus esset omnino deliberatus, aut repetitus : tunc enim vix potest a culpa gravi excusari. Omnes aspectus puritatem offendentes vitandi sunt; nam, qui illis oblectatur, indicat non multum obscena abhorrere. Quod dictum est de aspectu personarum, intelligitur etiam sua proportione de aspectu imaginum.

Punctum VIII.

De turpiloquio.

69. Inq. 1. An sit peccatum grave turpia verba proferre? R. 1. quod si verba sint valde turpia, ut de pudendis viri, aut fœminæ, de modis coitus, aut similibus, sunt mortalia; maxime si proferantur coram juvenibus, puellis, aut virginibus honestis; quia talia verba ex se in audientibus scandalum generant, valdeque ad venerem excitant, maxime debiles, ut sunt puellæ, & adolescentes, qui facilius ad hæc excitantur.

70. R. 2. quod proferre aliquod verbum non adeo turpe ob solam vanitatem, aut levitatem, si fiat raro, & sine periculo ex parte dicentis, & audientis, non reputatur mortale : quia parum ex se ad venerem allicit. Tamen in hac lubrica materia omni cautela est procedendum, inspiciendæque circumstantiæ loquentis, & audientis. Verum enim, quod in ore unius est leve, in altero erit grave. Similiter quod prolatum coram discretis fortasse erit veniale, coram fœminis, & pusillis evadet lethale.

71. Inq. 2. An sit peccatum mortale quidam conversandi modus, plus æquo usitatus, sive inter viros, sive inter fœminas simul commorantes, ubi referuntur obscæna schomata, turpes fabellæ, impura dicteria, aut facta, seu eventus venerei enarrantur? R. quod esto aliqui a mortali excusent agasones, muliones, similisque furfuris homines turpissima frequenter in alios sibi obvios evomentes: minime tamen sunt excusandi a gravi culpa impudicitiæ, & scandali; precipue quando deliberate proferuntur, corrumpunt enim bonos mores eloquia prava, & ejusmodi verbis corda, atque etiam aerem inficiunt, audientes obscæna docent, suamque affectionem ad venerea ostendunt. Quare absolvendi non sunt, nisi omnimodam emmendam spondeant. Idem de illis, qui apud alios se laudant de obscenis a se perpetratis : quia narratio hæc adstantes ad similia provocat, approbationem, & complacentiam actualem de præteritis indicat. Unum, aut alterum verbum obscenum per transenam joci, aut levitatis gratia prolatum, lethale non reputatur.

72. Inq. 3. An canere, aut scribere turpia, grave peccatum sit? R. quod hoc pendet ex natura eorum, quæ canuntur, & scribuntur, & ex circumstantiis, quæ occurrere solent. Si enim sunt manifeste turpia, a gravi excusari nequeunt, quia graviter ex se audientes, aut legentes offendunt. Si autem aperte turpia non sint, & fiant absque periculo proprio, vel alieno, causa solius vanæ lætitiæ, aut levitatis, venialia reputantur.

73. Inq. 4. An colloquia familiaria, alias honesta, cum fœminis sint licita? R. 1. quod talia colloquia aliquando non solum sunt licita, sed etiam laudabilia, quia pluries sunt necessaria ad earum consilium, & directionem, sive civilem, sive spiritualem. Si excedatur aliquantulum in mora, aut verbis non necessariis, ex hac parte erunt venialiter illicita : quia omnis excessus inficit opera, & verba, alias bona, juxta quantitatem excessus.

74. R. 2. quod colloquia, licet honesta, cum fœminis nimis familiaria, & continua, aut diuturna, ratione periculi

sæpe sunt mortalia. Hoc manifeste est verum in pluribus colloquiis hujus temporis inter viros, & fœminas habentes suos venustulos, aut pulitulos, cum eisque reciprocam, & assiduam conversationem, esto se fallant, nullam in se sentire perniciem veneris, ajentes, cum ejus igne intrinsecus se comburant. Omnes isti, & istæ continuo peccato lasciviæ, & scandali persistunt; quia continua flamma sensuali aduruntur.

75. Non solum reprobanda sunt colloquia familiaria cum fœminis lascivientibus, sed etiam cum honestis, & pudicis; imo & cum monialibus, si frequentia, & diuturna sint: nam esto eorum principium, & motivum videatur esse purum; frequens tamen familiaritas paulatim illud inficit, in carnalemque degenerat: ut egregie depingit D. Thom. vel author opusculi 64. *De familiaritate domin. & fœminar.* Ubi hujusmodi colloquia his verbis improbat: Et *quoniam spiritualibus loquor, propter quos ista scribuntur: noverint ipsi, quod licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, & damnosa; ipsis tamen magis perniciosa, quando conversantur cum persona, quæ spiritualis videtur. Nam quamvis horum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum.*

Punctum IX.

De osculis, & aliis tactibus impuris.

76. Inq. 1. An oscula, amplexus, & alii hujusmodi tactus sint peccata? R 1. Prædicta ob triplex motivum exerceri posse. 1. In signum amicitiæ, ob consuetudinem patriæ, vel ob urgentem necessitatem. 2. ob delectationem carnalem, & veneream. 3. ob solam delectationem sensitivam, aut naturalem tactus, in quantum sunt objectum proportionatum tangibile. Hinc.

77. R. 2. quod oscula, & amplexus inter homines ex genere suo licita sunt: alias numquam liceret amplecti patrem, fratrem, aut alium cognatum, quod non est verum. *Osculum, amplexus, & tactus secundum suam rationem non nominant peccatum mortale. Possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem* ait D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 4.

78. R. 3 quod oscula, & amplexus inter virum, & fœminam juxta morem patriæ, ad ostendendam amicitiam, mutuamque benevolentiam, etiam sunt licita, & honesta: quia solum testificatio quædam sunt amicitiæ, & benevolentiæ. Servanda tamen est decentia, & decor personarum: quapropter clericis, aut religiosis non decet hujusmodi osculis manifestare amicitiam, maxime fœminis, aut juvenibus valde decoris, ad vitandum scandalum, quod inde oriri posset: imo mos iste, si alicubi obtineat inter viros, & mulieres, omnino abolendus esset, propter periculum peccandi.

79. R. 4. ratione necessitatis, causa curationis, aut inspectionis necessariæ, licitum est peritis muliebria tangere: quia talis contactus conformis est rectæ rationi, quæ jubet, aut permittit curari omnes partes corporis infirmi; quod fieri nequit sine inspectione, & tactu. Verumtamen fœminæ honestæ, aut virgines pudicæ non tenentur hujusmodi curationem a viris peragendam in partibus secretioribus admittere: possunt enim ex motivo virtutis se prius sinere mori, ut diximus *tract. præc. num.* 100.

80. Inq. 2. An oscula, & amplexus habita ob delectationem carnalem sint peccata mortalia, etiam absque periculo ulterioris consensus? Ante responsionem notandum est, quod delectatio de re turpi potest esse triplex, nempe *venerea, carnalis*, vel *sensibilis*, & *naturalis*. Prima est *delectatio in carne consurgens ex motu humoris serosi, qualis est seminis, & incalescens per commotionem spirituum deservientium generationi.* Ita Galen. *lib.* 14. *de usu part. cap.* 9. Delectatio sensibilis, seu carnalis est, quæ oritur ex tactu corporis, & motivo sensuali, & non requirit commotionem carnis, esto communiter illam ingerat. Delectatio naturalis est, quæ oritur ex conformitate rei tactæ cum organo, qualis est delectatio orta ex contactu rei blandæ, & mollis. Idem patet

in quolibet sensu, qui naturaliter delectatur de suo objecto proportionato : ut videns rem pulchram delectatur de pulchritudine, quæ delectatio naturalis, & sensitiva ex honesto fine immunis est ab omni culpa. Quibus prænotatis.

81. R. ad quæstionem affirm. constat ex *propos.* damnata ab Alex. VII. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Ratio justæ damnationis est, quod delectatio carnalis ex sua natura ordinatur ad copulam; sed ea, quæ ex natura sua ordinantur ad copulam, eamdem habent malitiam, ac ipsa copula, ergo prædicta delectatio peccatum grave est. Unde oscula, & tactus ob delectationem carnalem seu sensibilem, esse peccata gravia, jam certum est, sive fiant inter personas diversi sexus, sive ejusdem.

82. Inq. 3. An oscula, amplexus, & tactus habita ob solam delectationem sensitivam, aut naturalem sint peccata gravia ? R. affirm. in praxi ; licet speculative, & metaphisice forte valeant a gravi culpa excusari ; quia supposita corruptione naturæ humanæ, & naturali propensione ad venerea, regulariter loquendo impossibile moraliter est, quod oscula, & amplexus habeantur inter personas solutas, & ad coitum habiles ob delectationem precise naturalem, quin misceatur delectatio carnalis, & venerea, ergo in praxi omnia prædicta lethalia sunt. Excusantur vero in personis infantilis ætatis a gravi culpa, ut in matribus, nutricibus, & aliis : quia tenera ætas non ad lasciviam, sed ad amorem naturalem provocat.

83. Inq. 4. An conjugatis liceat se tangere in pudendis? R. solum hoc licet, quando sunt in statu proximo ad copulam : quia dicti tactus ex se tendunt ad copulam, & sunt quædam illius inchoatio, ergo solum licent ubi, & quando hæc intenditur, & perfici valet; alias se exponunt periculo pollutionis, proindeque graviter peccant.

Punctum X.

Alia dubia circa tactus impudicos.

84. Inq. 1. An quando fœmina advertit se tangi ab alio libidinose, si non se retrahit, peccet mortaliter ? R. affirm. quia hoc ipso, quod advertit, si non se retrahit, signum est, quod consentit, ergo rea peccati gravis est. Si tactus sint extrinsecus honesti juxta morem patriæ, & dubitet de intentione tangentis, non tenetur se subtrahere : quia in dubio nemo præsumitur malus, & potest uti jure permittendi tactus honestos. Similiter dum extrinsece honeste tangitur, esto animo pravo, si nequeat absque scandalo vitare tactum, potest illum permittere, ne proximi delictum prodat. Ut si in publico congressu prope eam quis sederet, non teneretur cum nota mutare statim locum. Raro tamen est credendum fœminis, quæ licet simulent se nolle, vere tamen volunt tangi. Si enim vere, & serio nollent, vix tangerentur a viris. Si autem tactus sint plane impudici, nec prætextu vitandi scandalum debent hos simulare, neque possunt negative se habere, sed tenentur positive resistere, fugere, aut saltem clamare, ut fecit Susanna, si aliter nequeant se subtrahere. Idem est tenendum de manuum contrectatione, pedum pressione, aut digitorum intorsione: quæ, esto levia ad sensum appareant, tamen, exercita viros inter, & fœminas, gravia sunt. Quia dicti contactus facti ob delectationem ex illis ortam, sunt inductivi pollutionis, & pleni periculis.

85. Inq. 2. An qui propria pudenda tangit, grave peccatum committat ? R. si est uxoratus, solum ad se disponendum proxime ad copulam, præsente uxore, potest se tangere ; alias graviter peccat; nisi ex aliqua necessitate, aut levitate id peragat. Si solutus est, & id ob delectationem veneream efficiat, peccat graviter apud omnes. Si tactus fiant ob aliquam necessitatem, aut levitatem absque impudica delectatione, solum obiter, & non meditato, a culpa saltem gravi, ab omnibus absolvitur. Hoc ut plurimum, a causa, & intentione operan-

rantis venandum est.

86. Inq. 3. Quid dicendum de qnibusdam timoratis, qui in qualibet actione naturali rebellionem carnis experiuntur, aut ad quolibet verbum, seu aspectum ejus, quem sana diligunt voluntate, easdem sentiunt suggestiones? R. ad 1. quod vere timoratus despiciendo tales suggestiones, provideat sibi de necessariis, præcisasque actiones naturales libere exerceat. Ad 2. dicitur, quod numquam ex professo quærat illum, in quem naturaliter propendit, nec seorsim ex condicto alloquatur, ad vitandum quodlibet periculum. Si autem casualiter se objiciat aspectui, non tenetur, & pluries non convenit illum fugere; sed negligere, aut despicere fantasiæ spectra, quę supposita recta intentione, & animi sinceritate, nocere minime possunt.

87. Inq. 4. An peccet graviter, qui post sufficientem advertentiam negative se habet circa insurgentes motus venereos? Ante responsionem nota, quod voluntas circa motus venereos, & alios deordinatos tripliciter se potest habere. *Primo*, eis voluntarie assentiendo. *Secundo*, eis resistendo. *Tertio*, negative se habendo: hoc est, nec admittendo, nec rejiciendo, aut nullum actum, nec admissionis, nec resistentiæ eliciendo. *Primo modo* certum est graviter peccare. *Secundo* nedum peccat, sed meretur. *Tertio* autem modo peccare, ad minus leviter compertum est apud omnes propter desidiam, qua se gerit. Imo si adsit periculum consensus, certum est peccare graviter negative se habendo: nam qui potens, non tollit periculum, amat illud, & consequenter peccatum. Quod in trutinam vertitur est, an, secluso periculo consensus, peccet graviter, qui voluntarie se habet negative circa insurgentes motus venereos.

88. R. affirm. quia motus deordinati, præcipue veneris, inseparabiliter suum afferunt periculum; at permittere voluntarie periculum est peccatum grave: ergo etiam permittere voluntarie motus venereos: unde optime docet D. Thom. 1. 2. *q.* 74. *art.* 6. Quod, qui deliberate *non expellit* motum passionis inordinatum, dicitur interpretative esse in delectatione morosa.

89. *Confirmatur*; foemina advertens se libidinose tangi, tenetur, ut diximus, positive resistere, aut clamare. Similiter quilibet tenetur repellere motus sensuales ab alio homine excitatos, ita ut, si negative se habeat, graviter peccet, ergo pariter, qui non resistit positive motus venereos, sive a natura, sive a Diabolo excitatos. Tenendum est igitur, quod, qui deliberato animo negative se habet ad prædictos motus, graviter peccat. Nec huic sanæ doctrinæ opponitur, quod diximus de timoratis: isti enim exercendo ipsas actiones naturales, despiciendo suggestiones, interpretative eis dissentiunt. Quoniam dum bene moratus, aut despicit tentationes, aut mentem alio divertit, aut alia cogitat, minime se habet negative, sed revera indirecte resistit. Quæ indirecta resistentia quandoque utilior est, quam directa: ut patet in tentationibus contra fidem, quibus, contemnendo, melius, quam arguendo, resistimus.

90. Inq. 5. An qui brutorum verenda perfricat, aut contrectat usque ad seminis effusionem graviter peccet? R. affirm. quia est actio nimis indecens, & impudica, inseparabilisque a delectatione carnali, & periculo illius. Imo contrectare genitalia animalium ex professo absque necessitate, esto non usque ad effusionem seminis, nisi obiter, aut subito fiat, est grave peccatum, propter naturalem indecentiam, & actionem libidinosam redolentem bestialitatis flagitium. Si vero ex necessitate fiat, seclusa omni prava intentione, excusantur a culpa.

91. Inq. 6. Ad quam speciem luxuriæ pertineat concubitus cum muliere mortua? R. pertinere ad speciem pollutionis, si illam habuit; si non, ad speciem tactus obsceni cum periculo pollutionis, ad cujus speciem reducitur: quia ex una parte non pertinet ad bestialitatem, cum non sit cum bestia; alias neque ad simplicem fornicationem, quia non est apta ad generationem, erg. ad speciem pollutionis attinet. Tactus enim, oscula, & amplexus pertinent ad speciem peccati, quod intenditur, & distinguitur juxta species, & circumstantias objecti prohibiti: ideoque exprimendæ sunt in con-

confessione. Unde reus hujus monstruosi sceleris, in omni sententia debet ejus circumstantiam in confessione aperire: quia supra speciem communem pollutionis, præfert aliam circumstantiam, quæ horrorem ingerit, & variat moraliter judicium Confessoris.

PUNCTUM XI.

De parvitate materiæ in genere luxuriæ.

92. Inq. 1. An in genere luxuriæ detur parvitas materiæ? Ante responsionem notandum est 1. quod in hoc genere dantur quædam objecta ex se apud omnes gravia, ut fornicatio, pollutio; & quædam, quæ physice censentur levia, ut vellicatio subita carnis, intorsio digiti, aut calcatio pedis. 2. quod etiam ipsa delectatio potest esse gravis, ut illa, quæ vehementem commotionem carnis infert; & levis, quæ tantum remissam excitat. Consentiunt omnes delectationem voluntariam de objecto gravi esse grave peccatum. Similiter, delectationem gravem veneream ex parte actus, esto de materia levi, esse lethalem conveniunt, ut delectatio gravis de intorsione digitorum: quia quælibet delectatio gravis, etsi de levi materia, vehementer influit in pollutionem. Unde sola difficultas est, an delectatio venerea, quæ in esse physico est levis, tam ex parte actus, quam objecti, seu materiæ sit solum peccatum veniale?

93. R. esse peccatum grave: Prob. 1. authoritate Clement. VII. & Pauli V. qui jusserunt fidei inquisitoribus denuntiari asserentem, oscula, amplexus, & aspectus turpes habita ob solam delectationem veneream, absque ulteriori ordine ad copulam, esse solum venialia, ergo sentiunt non dari parvitatem materiæ in genere luxuriæ: nam oscula in esse physico quid leve sunt; alias etiam delectatio de illis absque ulteriori consensu in genere physico levis est; si enim gravis esset, secum afferret periculum ulterioris consensus, ergo ex mente SS. Pontificum nihil datur leve in materia luxuriæ. Idem probatur ex prop. 40. ab Alex. VII. proscripta, ac supra exposita n. 81.

94. Prob. rat. Omnis delectatio, semel quod sit venerea, est pollutio inchoata; sed in pollutione, licet inchoata, non datur parvitas materiæ, ergo nec in delectatione venerea, aut in materia luxuriæ. Consequentia est legitima, minor certa, quia pollutio ejusdem malitiæ specificæ est in principio, ac in fine: & major constat ex definitione delectationis venereæ, quę ex se est commotio humoris serosi generationi, seu pollutioni deservientis. Quod autem aliquando non sequatur, est per accidens; ex se vero ordinatur a natura ad pollutionem, ideo deliberate quæsita, aut habita, nequit esse levis.

95. Objic. 1. Conjugatus accedens ad suam ob solam voluptatem peccat venialiter, ergo datur parvitas materiæ in genere luxuriæ. R. neg. conseq. vel disting. consequens, datur parvitas materiæ accidentaliter, & ab extrinseco in actu libidinoso ex se bono, conc. conseq. ab intrinseco, & in actu libidinoso ex se malo, neg. conseq. Illa copula conjugati est bona intrinsece, & solum inficiatur ab extrinseco ex fine operantis, eam habendo ob solam voluptatem, cum deberet fieri ob prolis generationem. In præsenti autem loquimur de actu intrinsece malo in genere luxuriæ, de quo asserimus non admittere parvitatem materiæ, nisi ex imperfecta advertentia, aut defectu deliberationis.

96. Objic. 2. Delectatio cogitationis fornicationis potest esse veniale, ergo potest dari parvitas materiæ intra genus luxuriæ. R. conc. antec. & neg. conseq. quia delectatio cogitationis rei turpis multum differt a delectatione de ipsa turpitudine: quoniam prima est delectatio speculativa, secunda vero practica.

97. Inq. 2. Quid sit delectatio speculativa, quidve practica? R. prima est delectatio notitiæ rei: ut quando Theologi disserunt de hac materia: secunda vero est delectatio de ipsa re cognita, seu cogitata: ut cum quis delectatur de homicidio cogitato. Igitur delectatio speculativa rei, sive bonæ, sive malæ, secundum se accepta non est peccatum grave. Aliquando potest esse peccatum leve, dum quis inutiliter cogitat de re præsertim mala. Sæpe autem est bona, ut

dum

dum doctores ad explanandam rerum, etiam turpium naturam, eas in examen adducunt, delectantur de earum speculativa cogitatione ad propriam, proximorumque instructionem; odiendo, & execrando simul delectationem practicam cujuscumque sceleris, quæ in hac materia semper est gravis.

98. Notanda nunc est quædam detestabilis doctrina semel, & iterum ab Ecclesia proscripta, quæ certe *implevit mensuram scandali*, contendens: *Vellicare genas, & tangere mamillas monialium, tantum esse actus subimpudicos ex se veniales, & solum ex prava intentione agentis, aut patientis graves.* Merito sane hæc doctrina reprobata est, cum non solum in monialibus, sed in qualibet fœmina ejusmodi tactus valde impudici sint, extra necessitatis casum. Unde respectu monialium potius debebant dici *super impudici*, quam *sub impudici*: quare justissime fuit damnata tempore Bened. XIV. decreto Romanæ Inquisitionis die 16. *Aprilis* 1744. Deinde decreto Clement. XIII.

Punctum XII.

De stupro.

99. Inq. 1. Quid sit stuprum? R. est *concubitus viri cum fœmina virgine, quo ejus integritas defloratur.* Dicitur cum *fœmina virgine*: quia si fiat cum alio viro est sodomia; si cum corrupta, simplex fornicatio, & adulterium, si fuerit uxorata. Additur, *quo ejus integritas defloratur*, ad declarandum, debere esse actum consumatum; si enim extra vas polluatur, erit peccatum contra naturam, simul cum labe stupri ex affectu ad virginem.

100. Inq. 2. An detur proprie stuprum, quoties defloratur virgo, etiam ipsa consentiente? R. affirm. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 6. Ubi docet per defloratio nem fieri injuriam, tum puellæ, tum parentibus, sub quorum custodia est. Et art. 7. dicit: *stuprum sine raptu invenitur, quando aliquis absque violentiæ illatione virginem illicite defloral.* Ubi a perte tradit in defloratione virginis, etiam ipsa volente, dari stuprum, ergo quoties virgo defloratur, etiam ipsa consentiente, datur stupri peccatum.

101. Prob. ratione: quia per defloration em constituitur puella in via meretricandi, sed in hoc adest specialis deformitas, ut ait D. Thom. ergo defloratio virginis semper est stuprum. Deinde per eam fit injuria parentibus, seu tutoribus virginis, ergo etiam ex hoc capite, esto ipsa consentiat, semper in defloratione datur specialis malitia stupri. Denique virgo ejus defloration consentiens permittit sibi abscindi membrum virginale, cujus non est domina, ergo sicut in permissione abscissionis cujuslibet alterius membri peccatum injustitiæ committeret tam ipsa, quam abscindens, ita pariter in defloratione.

102. Objic. 1. Signaculum virginitatis, vel non est membrum peculiare, vel in tenuissima membrana situm est, ergo ejus abscissio non infert gravem deordinationem, nec peculiare peccatum. R. neg. conseq. quia amissio virginitatis in quocumque materialiter consistat, gravem apud omnes jacturam, infamiamque irreparabilem ex se infert.

103. Objic. 2. Virgo, non parentes, dominium sui corporis habet, ergo cum scienti, & volenti non fiat injuria, nulla erit in ejus voluntaria defloratione. R. quod nec parentes, nec virgo habent dominium sui corporis, nisi ad usus lege permissos: ideo in defloratione semper adest injuria facta ipsi naturæ, sicut in membrorum voluntaria abscissione absque necessitate facta.

104. Inq. 2. An virgo deflorata, & ejus defloretor debeant hanc circumstantiam aperire in confessione? R. affirm. sicut etiam desideria, delectationes morosas, & omnes actus interiores, quibus consentiunt in fornicationem: omnia hæc stupri circumstantiam induunt. Unde, & Confessarii consequenter tenentur de ea in confessione interrogare. Sed caute, & modeste se gerere debent, ne rubore suffundant puellas honestas, & præsertim virgines Deo sacratas. Minus malum est aliquando confessionem minus integre perfici, quam sibi, & pœnitenti laqueum, aut offendiculum parare. Maxime cum opinio contraria valde probabilis sit, tam ab intrinseco, quam ab extrinseco, docens,

cens, nisi defloratio virginis fiat vi, minis, importunis precibus, aut alia causa involuntarium faciente, non committi proprie stuprum, nec esse circumstantiam in confessione aperiendam, etiam si virgo sit sub potestate parentum.

105. Ex dictis vero sequitur, eum, qui virginem per vim, minas, aut importunas preces defloravit, triplex peccatum committere; scilicet fornicationis, stupri, & raptus, seu injustitiæ vi illatæ.

106. Inq. 3. Quæ pœnæ sint assignatæ contra stuprum committentes? R. 1. quod in jure canonico, si noluerit corruptam in uxorem ducere, assignatur, vel excommunicatio, vel fustigatio, aut intrusio in monasterium. Jure civili stupratores, si sint nobiles, publicatione dimidiæ partis bonorum puniuntur. Si abjectæ conditionis, fustigatione, & exilio. Qui vero virginem, aut viduam per vim violaverit, pœnæ mortis subjacet.

107. R. 2. Quod stuprator virginis immaturæ puniendus est, juxta aliquos, arbitrio judicis; juxta alios, relegandus exilio ad insulam, aut ad metalla damnandus. Sed qui eam vi stupraret, pœna capitis esset plectendus. Virgo immatura dicitur, quæ ad pubertatem non pervenit, aut minor est duodecim annis.

108. R. 3. Clericis stupratoribus impositam esse in jure canonico pœnitentiam decem annorum pro foro interno: & hæc eadem pœna constituta est contra clericos fornicatores. Nunc autem puniuntur, vel suspensione, vel depositione, vel alia arbitraria juxta Episcopi zelum, aut conditionem. Crimen stupri est mixti fori, punirique potest a judice laico, vel ecclesiastico, quando reus est sæcularis; secus, quando est ecclesiasticus.

Punctum XIII.

De raptu.

109. Inq. 1. Quid sit raptus? R. quod raptus, ut impedimentum matrimonii, est *violenta fœminæ abductio de loco in locum causa matrimonii.* Ut species luxuriæ, est *violenta personæ abductio de loco in locum causa libidinis explendæ:* dicitur *violenta abductio*, quia ad raptum requiritur violentia facta, vel ipsi personæ, vel parentibus, vel aliis, sub quorum custodia, aut potestate est: sive hæc violentia fiat per vim physicam, sive per moralem, nempe per metum, aut preces importunas. Additur *de loco ad locum*: ut significetur, quod persona rapta debeat extrahi a loco, ubi erat sub potestate patris, aut tutoris, ad locum sub potestate raptoris. Si enim in eadem domo patris abducatur de una in aliam cameram, non incurrit raptoris pœnas.

110. Ulterius ponitur *personæ*, & non *fœminæ*: quia semper ac persona abducatur, sive mulier sit, sive vir ad explendam libidinem, raptus committitur. Denique ponitur *causa libidinis explendæ*: tum ad distinguendum raptum a *plagio*: quia, si abducatur causa servitutis, erit *plagium*, & non raptus. Tum etiam ad distinctionem raptus, qui est impedimentum matrimonii; differunt enim peculiariter ex causa. Tum denique ad denotandum non requiri ad raptum, quod de facto violenter cognoscatur persona: quia sive hæc postea libenter consentiat, sive raptor pœnitentia ductus eam non cognoscat, semper est raptus. Ad hunc enim sufficit violenta abductio personæ de loco in locum ex motivo libidinis explendæ.

111. Inq. 2. An detur crimen raptus, quando persona per vim agnoscitur absque abductione de loco in locum? R. in foro interiori vere dari raptum; secus vero in foro fori, & quoad pœnas juris: nam qui violenter cognoscit corruptam, luxuriæ, & injustitiæ committit peccatum; sed hoc non est alterius speciei luxuriæ, præter raptum, ut ex se patet, ergo pro foro interno in specie raptus collocandus est. Qua acceptione sic valet definiri: *Violentia facta personæ, aut his, sub quorum cura est, causa libidinis explendæ.*

112. Ex dictis infertur 1. semper ac violentia inferatur personæ, aut aliis, sub quorum potestate est, causa libidinis, esto hæc non sequatur, datur raptus species luxuriæ. 2. Quod si violentia tantum inferatur fratribus, aut aliis propinquis fœminæ, quæ sui juris est, & sponte consentit, non est raptus, ut ex

se

se patet. 3. Si fœmina libenter vadat ad cubiculum viri, & eum provocet, non datur raptus. Similiter si agnoscatur dolo; quia dolus, & fraus, licet voluntarium diminuant, vim non inferunt. Si autem violenter per preces valde importunas, & reverentiales, datur malitia raptus.

113. Infertur 4. quod si fœmina, aut virgo libenter a domo patris cum amasio discedat causa libidinis, parentibus id ignorantibus, est stuprum, & fuga criminosa, sed non proprie raptus: quia violentia deficit, ad raptum speciem luxuriæ requisita. Quod enim, ignorante domino, aufertur, furtum quidem est; sed non rapina.

114. Infertur 5. quod, quælibet persona sive virgo, sive nupta, aut inupta sit, aut sponsa, vel meretrix, aut vir, vel etiam conjux ante bimestre cognoscatur per vim, committitur raptus; quia licet quoad pœnas non omnes istæ censeantur comprehensæ, verum quoad conscientiam omnes vere rapiuntur: cum omnibus inferatur violentia, & fiat peculiaris injustitia, quæ in confessione aperienda est.

115. Inq. 3. Quæ pœnæ sint in jure assignatæ contra raptores? R. jure civili pœna capitis puniuntur raptores: imo si in ipso delicto deprehendantur a parentibus, aut maritis, possunt impune occidi; hoc est in foro externo; non vero absque gravi culpa in interno.

116. Ex jure canonico pœnitentia publica multari debent raptores: & fiunt servi mulieris raptæ, & omnia bona raptoris illi applicantur, aut monasterio, si rapta est monialis. Quod verum tenet, licet ille pravam intentionem perficere non potuerit. Imo dicunt plures, quod raptores mulieris honestæ, & potiori ratione monialis, pœna capitis puniri debent, esto raptus non fuerit opere consumatus; non autem si monialem a monasterio non extraxit. Raptores masculorum, virginisque immaturæ eadem, & majori pœna puniendos merito asserunt Doctores. Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 7.

Punctum XIV.

De adulterio.

117. Inq. 1. Quid sit adulterium? R. quod, si ad nomen adulterii attendatur, est transitus ad alienum thorum, quasi alienum uterum terens; unde proprie definitur: *Accesus ad alienum thorum.* Tripliciter potest commiti; inter solutum, & conjugatam; inter conjugatum, & solutam; & inter conjugatos. In hoc ultimo duplex adulterium committitur; unum ex parte adulteri, & aliud ex parte adulteræ; ac proinde utrumque debet in confessione explicari; cum uterque duplex adulterii peccatum committat. D. Th. *ubi sup. a.* 8.

118. Inq. 2. Quanta sit malitia adulterii? R. esse maximum inter peccata contra proximum, excepto homicidio. Est igitur majus peccatum fornicatione simplici, aut furto: addit enim flagitium injustitiæ contra alterius conjugem, violat matrimonii fidem, adversatur bono prolis educandæ, filios legittimos cum spuriis confundit. Insuper violat bonum fidei, ipsique sacramento gravem irrogat injuriam: qua ratione large dicitur sacrilegium. Plurium est causa malorum: quia plerumque ex adulterio dissidia, rixæ, homicidia, & scandala proveniunt, ut experientia cum dolore testatur.

119. Tandem adversatur omni legi naturali, divinæ, & humanæ. Unde lex divina adulteros lapidibus obrui præcipit. Ethnici solo lumine naturali præditi gravissimis pœnis adulteros plectunt. Jure canonico 1. Adulteri excommunicantur. 2. Adultera perpetuo in monasterio detruditur. 3. Clericus adulter deponitur, & monasterio adjudicatur. Jure civili adulteri pœna capitis plectuntur; adultera dote privatur, & uterque jus petendi debitum amittit. Jure regio Castellæ decernitur, quod adulter simul cum adultera per judicem in potestate mariti ponantur, ut de eis, eorumque bonis faciat, quod maluerit: unde poterit eos occidere, aut aliud malum inferre post legitimam ipsi factam traditionem.

120. Inq. 3. An uxor committat adulterium, si vir consentiat, ut ab alio

cog-

cognoscatur ? R. affirm. constat ex propositione 50. damnata ab Innoc. XI. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non ese adulterium : adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Merito hujus thesis doctrina proscripta est ; tum quia maritus solum est dominus corporis suæ uxoris ad usus licitos, minime ad illicitos. Tum, quia nequit cedere juri prolis educandæ, nec fidei sacramenti, quibus injuria in adulterio irrogatur ; sicut clericus nequit cedere juri sui status.

121. Inq. 4. An accedens carnaliter ad desponsatam de futuro adulterium committat ? R. neg. quia adulterium est accessus ad nuptam ; sed sponsa de futuro nupta non est, ergo nec accessus ad eam est adulterium. Infertur tamen peculiaris injuria sponso in tali copula, quæ in confessione aperienda est. Accessus vero ad nuptam, non consumato matrimonio, verum adulterium est : quia per matrimonium ratum vere nupta est, & verum *jus in re* acquirunt per illud conjuges in corpus alterius.

122. Inq. 5. An copula sodomitica cum propria uxore sit adulterium ? R. affirm. quia esto proprie non accedat ad thorum alienum, violat proprium, vinculumque fidei caste vivendi, & in hoc sensu accedit ad thorum non proprium sodomita: quia corpus conjugis non est ejus, nisi ad usum licitum, uti jam diximus : ideoque hæc circumstantia propriæ uxoris exprimenda est in confessione.

123. Inq. 6. An peccatum adulterii sit gravius in marito, quam in uxore ? R. quod esto relative ad bonum fidei, & matrimonii sacramentum sit æquale in utroque, quia ambo eadem obligatione astringuntur ; tamen relative ad damna, quæ consequuntur, gravius est adulterium uxoris, quam mariti : quia illud prolem de suo patre incertam efficit, extraneum in hæreditatis partitionem adducit, maximam infamiam marito, filiis, ac universæ familiæ infert. Denique seditiones, rixæ, homicidia, & alia scandala ex uxoris adulterio præcipue, & maxime proveniunt.

Punctum XV.

De incestu.

124. Inq. 1. Quid sit incestus, & unde sumatur ? R. quod nomen *incestus* aliqui a *cestu*, seu cingulo Martis derivant : eoquod Venus Martem alligabat quodam cinctorio, ne alienos amaret amplexus : unde *incestus* idem est, ac *incinctus*, aut sine cingulo. Alii *incestum* vocant *incastum*, idest *sine castitate.* Sed missa nominis ethimologia, incestus est *accessus carnalis ad consanguineam, vel affinem intra gradus ab Ecclesia prohibitos.* Gradus autem ab Ecclesia prohibiti sunt quatuor ex matrimonio, duo ex copula illicita, & unus ex sponsalibus. Cum omnibus personis intra hos gradus comprehensis committitur incestus, dum quidquam contra castitatem inter se committunt. Item cum cognatis spiritualibus, & legalibus juxta dicenda.

125. Ratio autem, cur detur specialis malitia incestus, est, quia cognatis, & affinibus, & præcipue parentibus debetur peculiaris honor, & reverentia; in actibus vero venereis adest quædam turpitudo honorificentiæ contraria, ergo dum exercentur cum cognatis, & affinibus, adest specialis malitia, quæ constituit determinatam speciem luxuriæ, nempe incestum. Unde incestus est grave peccatum : quia per illud fit gravis irreverentia parentibus, & cognatis : qua ratione sæpe sub gravissimis verbis interdicitur in sacra pagina. Ut *Genes.* 49. 3. *& Levit.* 18. *&* 20. Ubi incestuosis pœna mortis imponitur. Jure civili pœna exilii plectitur. Jure canonico præter alias pœnas clerici incestuosi decennali pœnitentia puniuntur. At vero, si cum incestu simul adulterium committatur, beneficiis privantur, & deponuntur. Ex quibus gravitas hujus criminis satis innotescit. D. Thom. *ubi sup. a.* 9.

126. Inq. 2. An omnes incestus sint ejusdem speciei ? R. quod Cajetanus, Canus, Sotus, & alii eximiæ doctrinæ Theologi tenent affirmantem sententiam : Verum negativa prævalet, ut communior, & probabilior, quæ tria præcipue docet. 1, quod incestus inter consanguineos, &

affi-

affines differunt specie. 2. etiam differunt specie incestus cum consanguineis in linea recta, & transversali. 3. pariter specie differunt incestus in primo gradu consanguinitatis, & collateralis, atque in primo gradu affinitatis a reliquis ejusdem lineæ. Ita colligitur ex D. Thom. 2. 2. 154. *art.* 9. *ad* 3.

127. Probatur ratione: quia in primis lumine naturali patet peculiari reverentia dignos esse parentes præ omnibus propinquis: qua ratione nemo negare valet in primo gradu lineæ rectæ esse nullum matrimonium jure naturæ, ergo incestus in hoc primo gradu specie differt a cæteris. Deinde cognati proveniunt ab intrinseco naturaliter; affines vero ab extrinseco, & accidentaliter, ergo differunt etiam specie incestus inter cognatos, & affines. Denique in primo gradu affinitatis datur peculiaris ratio reverentiæ, ut inter privignum, & novercam, (*entenado*, *y madrasta*) & sic de cæteris primis gradibus, ergo incestus in illis differunt specie a reliquis ejusdem lineæ: quia actus venereus est quædam turpitudo debitæ sanguinis reverentiæ opposita: unde quo magis, aut minus hæc debetur ex peculiari ratione, incestus ei oppositus specie differt.

128. Objic. juxta D. Thom. omnis incestus est contra virtutem pietatis parentibus debitam; sed una est pietatis virtus, ergo unica erit species incestus. R. verum esse omnem incestum opponi virtuti pietatis, & hanc specifice esse unam; at non infimam, sed subalternam. Pietas in parentes diversa est a pietate in fratres, patrueles, consobrinos, & alios remotiores. Esto igitur D. Thom. doceat pietatem esse unam specie, non dicit esse speciem infimam: est ergo subalterna sub se continens alias a nobis recensitas. Unde juxta earum diversitatem est etiam exprimendus concubitus sodomiticus, qui in probabiliori sententia differt specie secundum gradus specifice distinctos consanguinitatis, & affinitatis.

129. Inq. 3. An incestus cum cognatis spiritualibus, aut legalibus sint vere incestus necessario explicandi in confessione? R. quod incestus cum cognatis spiritualibus sunt in primis quædam species sacrilegii contra reverentiam debitam sacramentis baptismi, & confirmationis, ex quibus cognatio spiritualis oritur. Deinde differunt specie ab omni alio incestu naturali, & legali: quia procedunt ex diversa specifice radice. Præterea incestus cum cognatis legalibus etiam differt specie ab incestu commisso cum cognatis naturalibus ex eadem diversitate radicis, a qua procedunt. Unde in confessione explicari debent, tum incestus spirituales, ut distincti ab omnibus aliis: tum si fuerunt in prima specie, aut in secunda in cognatione spirituali baptismi, quæ etiam tamquam diversa a cognatione in confirmatione contracta exprimenda est: tum denique incestus legales juxta diversitatem triplicis speciei cognationis matrimonium dirimentis.

130. Inq. 4. An copula Confessarii cum filia confessionis, habita absque ullo ordine, nec respectu ad confessionem, sit incestus necessario in confessione explicandus? R. affirm. quia esto inter Confessarium, & filiam confessionis non contrahatur proprie cognatio spiritualis sicut in baptismo, & confirmatione, contrahitur tamen quoddam fœdus, & familiaritatis vinculum, simile cognationi proprie spirituali, ergo copula inter eos habita est sua proportione incestus in confessione aperiendus. Verum ut filia confessionis dicatur, non sufficit, quod semel, aut raro confitetur, sed quod aliquoties eam saltem Confessarius instruat, audiat, & absolvat. Hinc deducitur hanc circumstantiam inter Parochos, & suas oves adesse: nam omnes curam animarum ex officio gerentes sunt patres spirituales suarum ovium. D. Thom. *in Suplem. q.* 56. *a.* 2. *ad* 8.

Punctum XVI.

De sacrilegio specie luxuriæ.

131. Inq. 1. Quid sit sacrilegium prout species luxuriæ? R. est *violatio rei sacræ per actum carnalem.* Nam cum sacrilegium ut sic sit *violatio rei sacræ*, per subsequentem particulam contrahitur ad sacrilegium, quod est species luxuriæ, de quo agitur in præsenti. Hoc autem, sicut & illud non solum est violatio

tio personæ sacræ, aut loci sacri; sed etiam violatio cujuslibet rei sacræ, ut violatio calicis, patenæ, aut sacrarum vestium, si ad turpia utantur. Unde triplex est sacrilegium, etiam in hac materia, nempe contra personam sacram, contra locum sacrum, & contra res sacras. Et hæc distinctio est essentialis, seu generis in species infimas. D. Thom. *artic.* 10.

132. Inq. 2. Quot modis committi possit sacrilegium contra personam sacram? R. tribus modis, 1. quando persona sacra peccatum turpe secum, vel cum persona non sacra committit. 2. quando persona non sacra illud perpetrat cum persona sacra. 3. quando persona sacra luxuriose agit cum alia persona sacra. In hoc autem tertio casu duplex sacrilegii peccatum adest; sicut in copula conjugati cum conjugata duplex adulterium.

133. Inq. 3. An religiosus professus, simul Sacerdos peccans contra castitatem duplex sacrilegium committat? R. affirmative: quia peccatum luxuriæ in sacerdote, & in quolibet sacris initiato opponitur specialiter ejus sanctitati, & consecrationi, sicut consecrationi, & sanctitati loci, atque sacrarum vestium, in quibus absque ullo voto, quo sunt incapaces per peccatum turpe committitur sacrilegium. Si ergo datur peccatum sacrilegii contra locum sacrum, & vestes sacras ex turpi violatione consecrationis eorum; cum non sit minor consecratio personæ sacris initiatæ, & Sacerdotis, asserendum est in ejus violatione turpi dari sacrilegium præcisive a voto. Unde religiosus, simulque sacris initiatus debet in confessione utrumque sacrilegium, & proprium statum manifestare.

134. Objic. 1. Votum castitatis ordini sacro annexum, & votum in professione emissum sunt ejusdem speciei, cum utrumque sit solemne, & ex eodem motivo, ergo eorum violatio erit pariter ejusdem speciei, & idem sacrilegium. R. quod peccatum sacrilegii in Sacerdote, & religioso, esto non sit contra duplex specie votum, est tamen in Sacerdote contra ejus consecrationem, cujus violatio precisive a voto est sacrilegium: ut patet in exemplo apposito loci sacri.

135. Objic. 2. Ergo omnis sacris initiatus, qui votum castitatis emisit, peccans contra castitatem duplex sacrilegium committit: aliud consecrationi, aliud voto oppositum. R. conced. conseq. cæterum dicendo in confessione se esse sacerdotem, vel sacris initiatum, sufficienter fatetur utrumque sacrilegium: sicut celebrans in peccato lethali sufficienter se accusat de duobus, vel tribus sacrilegiis, quæ juxta varias opiniones in tali celebratione inveniuntur, dicendo se celebrasse in tali statu. Voto solemni adstrictus, ut religiosus laicus debet illud expresse fateri, quia notabiliter gravius est voto simplici, & valet facile explicari, dum alias non cognoscitur a Confessario. Si enim agnoscitur pœnitens, superflua est ejus status explicatio.

136. Objic. 3. Sacerdotes Græci licite utuntur matrimonio, quod ante ordinationem contraxerunt, ergo usus venereus non opponitur per se ordini sacro, aut consecrationi personæ. R. neg. conseq. intellectam de usu venereo illicito: quia etiam in opinione contraria licitus est aliquando usus matrimonii in Ecclesia; numquam tamen peccatum luxuriæ: hoc enim semper est sacrilegium in Ecclesia loquendo de peccato gravi externo. Igitur sicut omne peccatum grave externum in Ecclesia est sacrilegium, quia opponitur ejus sanctitati, ita & potiori ratione omne peccatum, sive internum, sive externum luxuriæ in sacerdote, seu sacris initiato est sacrilegium oppositum ejus consecrationi. Hinc advertant Sacerdotes, quanta puritate vigere debeant!

137. Inq. 4. An habens votum castitatis, si alios inducat ad venerea, peccatum sacrilegii committat? R. affirm. tum quia sic inducens, ostendit affectum suum ad venerea. Tum quia peccatum scandali reducitur ad eam speciem peccati, ad quod inducitur; sed inductio est ad peccatum luxuriæ, ergo ligatus voto castitatis inducens alios ad luxuriam peccatum sacrilegii committit. Unde habens votum castitatis sacrilegium incurrit in qualibet actione, verbo, aut cogitatione contra virtutem castitatis: hoc enim votum in omne id se extendit, quod castitas prohibet. Verum si votum absolutæ castitatis habens emitteret votum de non

se

se polluendo, non multiplicaret sacrilegia, pollutione secuta : quia secundum votum, utpote supra eamdem materiam, solum est repetitio, aut confirmatio prioris, non voti novi emissio.

Punctum XVII.

De sacrilegio contra locum sacrum, & contra res sacras.

138. Inq. 1. Quid sit sacrilegium contra locum sacrum ? R. Est *violatio loci sacri per actum carnalem*. Unde omnis copula illicita in Ecclesia, aut voluntaria seminis effusio, seu tactus, vel actiones cum periculo pollutionis est grave sacrilegium contra locum sacrum : quia hujusmodi actiones gravem irreverentiam inferunt loco sacro, quando in eo exercentur. Idem teneas propter eamdem rationem de omni tactu, & actione externa graviter peccaminosa ; non vero de actibus internis, qui levem tantum irreverentiam sacro loco inferunt ; nisi sint circa turpe in Ecclesia peragendum, quia tunc sive intra, sive extra Ecclesiam existas, sacrilegium perpetratur. Copula a conjugibus in Ecclesia ex necessitate habita, in probabiliori sententia non est sacrilegium.

139. Inq. 2. Cur peccata commissa in Ecclesia contra quintum, sextum, & septimum Decalogi præceptum, & non alia, sunt sacrilegia ? R. hujus rationem eam esse : quod Ecclesia est locus incruentus Christi mansuetudinem representans, est etiam locus, cui summa puritas debetur, & denique expers omnis injustitiæ, domus orationis, & non spelunca latronum : ideo præcipue violatur ejus sanctitas per peccata contra quintum, sextum, & septimum præceptum. Diximus præcipue, quia verius, & probabilius est etiam alia peccata externa in Ecclesia commissa esse sacrilegia contra locum sacrum, ut constat ex cap. *Decet. tit. de immunitat. Eccles. in* 6. Quis enim negabit blasfemiam in Ecclesia commissam, & sic de aliis, irreverentiam templis, quibus decet sanctitudo, irrogare ?

140. Inq. 3. Quomodo, aut quando Ecclesia polluatur, ita ut nequeant Missæ, aut officia divina in ea celebrari ? R. solum pollui effusione publica seminis, aut sanguinis humani : debet autem esse graviter peccaminosa, quia si sit leviter illicita, ut quando pueri rixando, aut pugnis, sanguinem ex naribus fundunt, esto publice fiat, non polluitur Ecclesia. Manet tamen polluta sepeliendo in ea aliquem excommunicatum vitandum, aut infidelem non baptizatum, quando factum est publicum. Si Ecclesia polluta est consecrata, debet iterum ab Episcopo consecrari ; si solum est benedicta, conciliari potest quibusdam precibus, & aquæ benedictæ aspersione ab Episcopo, vel a Sacerdote de ejus licentia, aqua ab Episcopo benedicta. Oratoria privata non polluuntur.

141. Inq. 4. Circa sacrilegium contra res sacras : An si Sacerdos gestans Eucharistiam aliquod peccatum venereum internum, aut externum admittat, novum sacrilegium contra res sacras incurrat ? R. affirm. quia sancta sancte sunt tractanda : & qui sacram Eucharistiam in manibus, aut pectore portans in turpe labitur peccatum, sancta non sancte, sed immunde tractat, ergo novum committit sacrilegium. Idem dicendum est de eo, qui post sumptam Eucharistiam statim in luxuriæ peccatum incideret propter gravem irreverentiam contra Dominum, quem in pectore gestat. Similiter de eo, qui vestibus sacris indutus, paratusque ad purissimum offerendum sacrificium, simile flagitium perpetraret propter irreverentiam tanto sacrificio, vestibusque sacris irrogatam. Cæterum sacræ vestes non manerent pollutæ : quia ad hoc præter crimen exigitur dispositio Ecclesiæ, quæ solum pro casibus supra memoratis adest. *cap. Proposuisti, de consec. Ecclesiæ.*

142. Inq. 5. An qui calices, patenas, aut corporalia actione aliqua luxuriosa profanat, sacrilegium contra res sacras committat ? R. committere gravissimum sacrilegium : quia rebus immediate destinatis ad suscipiendum corpus, & sanguinem Christi ad actus turpes abutitur. Qui gestans reliquias fornicatur, non committit sacrilegium, tum quia id non facit in earum contemptum : tum quia earum gestatio se habet de materiali,

cum non eas portet ut, persona publica, sed privata. Si hujusmodi reliquiæ in pretium turpitudinis darentur amasiæ, sacrilegium, & simonia foret: tunc etiam daretur gravis irreverentia eas turpi actui snbjiciendo, & in valore comparando. Si vero in signum gratitudinis ei donentur, esto indecens sit, non est tamen sacrilegium, nec simonia.

143. Inq. 6. An peccatum luxuriæ, in diebus festivis commissum, sit sacrilegium? R. neg. quia dies festi solum violantur per opera proprie servilia, peccata autem non proprie, sed mystice sunt servilia. At si in die Veneris sancti, imo & tota hebdomada majori comediæ, & alia publica spectacula exercerentur, proculdubio esset sacrilegium: quia rationi naturali dissonat, ut tempore ad compunctionem, & meditationem nostræ redemptionis per passionem, & mortem Domini ab Ecclesia destinato, hujusmodi ludis, & comediis fideles voluptuosè vacent. Vid. *tract.* 14. *n.* 22.

CAPUT III.

De vitio contra naturam.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio hujus flagitii.

144. Inq. 1. Quid sit vitium contra naturam? R. est *indebitus usus venereorum contra ordinem naturæ*. Primæ particulæ ponuntur loco generis: quia in omni specie luxuriæ datur *indebitus usus venereorum*. Ly *contra ordinem naturæ* habet rationem differentiæ: quia talis usus pervertit ordinem generationis, ad quam natura actus venereos ordinavit. Et licet omnia peccata sint quodammodo contra naturam, quia naturæ rationali opponuntur; hæc, utpote primario fini naturæ repugnantia, dicuntur proprie *peccata contra naturam*. D. Thom. *a.* 11.

145. Inq. 2. Quotuplex sit peccatum contra naturam? R. dividi in quatuor species, quæ sunt pollutio, sodomia, bestialitas, & modus innaturalis concubandi. Omnes isti modi intra genus luxuriæ sunt peccatum grave: quia omnes graviter opponuntur magis, aut minus fini generationis. Alii Addunt quintum modum, nempe congressus cum Dœmone; sed hic reducitur ad bestialitatem, cum sit accessus ad rem alterius speciei.

146. Inq. 3. An pollutio, sodomia, & bestialitas differant specie? Resp. affirm. constat ex propositione 24. damnata ab Alexand. VII. *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ: ideoque sufficit dicere in confessione procurasse pollutionem*. Falsitas hujus propositionis facile percipitur: quia quilibet ex his modis importat peculiarem turpitudinem contra castitatem, & specialiter repugnat fini generationis: nam pollutio impedit conjunctionem maris, & fœminæ; idem efficit sodomia, profundendo semen in vasa non congrua; idem etiam agit bestialitas semen effundendo in vas, non solum incongruum, sed alterius speciei. Idcirco bestialitas est majus flagitium, quam pollutio, & sodomia, ergo pollutio, & sodomia, & bestialitas differunt specie. Modus autem innaturalis concubandi non semper est peccatum grave, nisi quando fit cum periculo effundendi semen extra vas, aut præpostere frequenter.

PUNCTUM II.

De pollutione.

147. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit pollutio? R. quod est duplex: alia *involuntaria*, quæ absque ullo consensu in somnis, aut in vigilia contingit. Alia *voluntaria*, quæ directe, aut indirecte quæritur. Hæc est prima, & minor species vitii contra naturam: & *deffinitur* communiter: *voluntaria seminis effusio*.

248. Inq. 2. An pollutio sit jure naturæ prohibita, & intrinsece mala? R. affirm. constat ex propos. 49. ab Innoc. XI. damnata *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali*. Quod ipso jure naturæ, & non tantum divino sit prohibita pollutio, liquet ex eo, quod est contra ipsam naturam, & finem prolis ab ipsa intentum, ut supra diximus. Merito ergo proscripta est propositio: cujus falsitatem, etiam ethnici agnoverunt: ut

cons-

constat ex Martiali epig. 42.

149. Objic. Semen est veluti lac, sanguis, sudor, aut urina, quorum expulsio non est contra ordinem naturæ, ergo idem de seminis effusione. R. neg. antec. quia sanguis, lac, &c. ex se ordinantur ad conservationem individui, in quo sunt: ideo quoties ad ejus salutem convenit eorum profussio, non prohibetur a natura; semen vero solum ordinatur a natura ad generationem similis in specie: unde ob nullum alium finem emitti valet absque peccato. Et licet membrum, aut alia pars hominis abscindi possit ad totius conservationem, hoc ideo est, quia pars ordinatur ad totum; econtra cum semen solum ordinetur ad generandum, ob nullum aliud motivum valet effundi, nec ad sanitatem, aut vitam conservandam potest honestari ejus affusio.

150. Inq. 3. An pollutio propriis tactibus habita distinguatur specie a pollutione tactibus fœminæ dormientis, aut pueri doli incapacis peracta? R. affirm. quia tactus sunt ejusdem specie, ac eorum objectum, ergo diversificantur juxta diversitatem objecti: ac proinde tactus, oscula, amplexus, desideria, aut delectatio morosa, ex se, vel cum quibus pollutio habetur, debent exprimi in confessione juxta differentiam personæ solutæ, uxoratæ, consecratæ, vel alterius circumstantiæ: tum, quia ultra malitiam pollutionis adest alia tactus, seu complacentiæ illius personæ: tum quia omnia præfata speciem sumunt ab objecto suis circumstantiis vestito.

151. Inq. 4 An liceat per tactus expellere semen corruptum saluti noxium? R. neg. quia nequeunt fieri, quin simul adsit aliqua venerea delectatio, atque veri seminis effusio, ergo omnino reprobandum est. Si enim id permitteretur, quilibet posset sibi persuadere habere semen corruptum sanitati nocivum, cum magno animarum, & speciei humanæ detrimento.

152. Inq. 5. An si uxorata immediate post coitum cum conjuge, & hujus seminationem, se tactibus excitet ad seminandum, comittat peccatum pollutionis? R. neg. quia talis seminatio est complementum præcedentis copulæ, aut moraliter idem. Debent tamen conjuges omni cautela procedere, ut, dum possint, opus conjugii simul perficiant. Uxorata post copulam non tenetur diu supina manere, ne semen effundatur, nam, sublata prava intentione illud perdendi, ex justa causa, aut naturali necessitate, potest se erigere, aut quidpiam aliud agere; ita ut si effusio sequatur, reputanda est involuntaria.

153. Inq. 6. An procurare distillationem aliquam notabilem sit peccatam grave? R. affirm. Pro cujus claritate nota, præter urinam, & semen dari tertium humorem viscosum, & semini similem, & de hoc est præsens dubium. Igitur semper est peccatum grave procurare distillationem; nam licet distinguatur substantialiter a semine, est tamen ei valde affinis, secumque affert commotionem libidinosam, ergo nequit sponte procurari absque peccato gravi. Imo omnis stillatio, etiam levis, consulto procurata est gravis: quia non datur parvitas materiæ. Est similiter peccatum grave illam pro viribus non vitare, dum provenit a causa vitiosa: ut ex aspectu, aut locutione alicujus personæ, ad quam inordinate afficitur, quam caute fugere debet, qui non vult perire. Si enim facile potest, & non fugit, interpretative illam querit. Devita ergo occasionem, si vere vis peccatum vitare. Quod optime docet D. Thom. *opusc. 64. de fluxu libid.*

154. Si autem hujusmodi distillatio difluat ex naturali calida, & humida complexione, aut ex infirmitate, vel ex causa honesta audiendi confessiones, aut legendi quod convenit, aut etiam ex allocutione mere sociali, & urbana, seclusa prava intentione, & periculo, despicienda est, nec de illa amplius curandum, quam de emissione sudoris, aut alterius humoris superflui, quo natura se exonerare solet. Uno verbo, nullo modo quæratur in se, nec in sua causa. Dum notabilis est, & facile possit, vitetur; de cætero, omnino despiciatur.

Punctum III.

De pollutione voluntaria in causa.

155. Inq. 1. Quando appositio alicujus causæ, ex qua prævidetur pollutio secu-

cutura, sit peccatum grave? Dubium hoc magna ex parte decisum manet in materia de peccatis, ubi distinctio causarum *per se*, *& per accidens*, *gravium*, *levium*, *& mediarum* explanata est *tract. 2. a n.* 122.

156. Unde juxta ibi exposita, breviter R. 1. quod apponens causam per se influentem in pollutionem absque alio effectu, vel si alium habet, non nisi media pollutione, peccat graviter: quia ponens causam, quæ ex se producit effectum graviter malum, nullumque alium habet bonum, nisi medio malo, eadem voluntate, qua vult causam, vult etiam effectum graviter malum ex ea necessario secutum, ergo apponens dictam causam pollutionis peccat graviter: vult enim illam in sua causa. Unde graviter peccat medicus præscribens, & infirmus recipiens medicinam, quæ per se tendat ad seminis expulsionem, esto inde sequeretur sanitas: quia seminis expulsio nullo modo ordinata est a natura ad sanitatem hominis.

157. R. 2. Quod si causa per se influens in pollutionem habet æque simul alium effectum bonum, ut curationem potest licite apponi ex gravi necessitate: sicut medicina æque tendens ad salutem matris, ac ad fœtum expellendum, potest matri ęgrotanti applicari, intendendo sanitatem, esto alias sequatur fœtus expulsio præter intentionem. Unde valet chirurgus curare verenda fœminæ ex gravi necessitate, licet ex tali curatione sequatur pollutio minime intentata in agente, aut patiente. Si autem seclusa necessitate gravi, apponatur talis causa, ipsa, & pollutio inde secuta, proculdubio gravis est culpa. Nam velle absque gravi necessitate apponere causam per se influentem in pollutionem, est velle ipsam pollutionem, sicut velle bibere multum vinum, est velle ebrietatem.

158. R. 3. Quod apponere causas leves, ut aspectus mulieris, aut tactus subitus exterior, aut ejus allocutio, seclusa prava intentione, regulariter non excedit venialem: quia causæ leviter influentes in pollutionem non sunt simpliciter causæ; sed secundum quid, & remote, nec moraliter possunt impediri ob earum frequentem occursum. Verum inspicienda est conditio cujusque subjecti: nam causæ leves respectu unius, possunt nimis influere respectu alterius, qui ideo tenetur sub gravi eas vitare. Unde si tibi aspectus, aut locutio hujus fœminæ est occasio ruinæ spiritualis, debes ab his abstinere, si absque gravi nota, aut incommodo possis. Igitur causæ leves accipiendæ sunt *respective* juxta diversitatem subjecti.

159. Idem sua proportione teneas de causis mediis: ut aspicere obiter propria verenda, aut imagines obscænas per transenam, aut animalium congressus, seclusо periculo, & mala intentione: quia prædictæ causæ non efficaciter influunt in pollutionem, nisi ex inclinatione subjecti ad venerea, ergo, hac deficiente, solum erit regulariter veniale eas apponere. In omnibus supponitur, quod si intendatur pollutio, quælibet appositio causæ, esto levis, erit mortalis: quia gravis malitia in prava intentione adest. Sed dicta, & dicenda intelligenda sunt *ex se*, & seclusa prava dispositione subjecti.

160. Inq. 2. An apponens causas *per accidens* pollutionis graviter peccet? Causæ *per accidens* aliæ sunt licitæ, ut lectio honesta instructioni deserviens, equitatio, accubatio hoc, aut illo modo, &c. Aliæ sunt illicitæ, ut immoderatus cibus, aut potus, & similes: quo supposito.

R. 1. Quod apponere causas licitas ex aliqua utilitate licitum est, esto ex eis præter intentionem, sequatur pollutio: quia quisque jus habet studendi, equitandi, & alia honesta faciendi. Si autem nulla adsit necessitas, aut utilitas eas apponendi, adhuc ajunt plures, non excedere venialem; quod verum censemus, si ex quadam oscitantia, aut pigritia, sine plena advertentia periculi pollutionis apponantur: ut si cubans tali positura ex desidia nollet mutare positionem; quoniam si quis cum plena prævisione secuturæ pollutionis, absque ulla utilitate, saltem commodius capiendi somnum, ita persisteret, vix a gravi culpa excusari posset.

161. R. 2. Quod apponens causas *per accidens* graviter illicitas, ut ebrietatem, cum previsione pollutionis, graviter peccat, non solum in materia intemperantiæ, sed, & luxuriæ; quia prævidens effectum graviter malum, tenetur sub gravi

vi

vi illum impedire, si possit, ergo prævidens pollutionem inebrietate secuturam, & potens, imo debens illam impedire, ad id tenetur sub gravi: ac proinde graviter peccat ebrietatem apponens, & pollutionem non impediens.

162. Si autem causæ *per accidens* non sint graviter illicitæ, eas apponere, esto cum prævisione pollutionis, regulariter venialem non excedit: quia difficile admodum est vitare causas venialiter illicitas, aut leviter per accidens influentes: ut levis immoderatio in essu ciborum calidorum, aut in vini potu. Unde licet aliquando, etiam ex appositione levis causæ, possit graviter delinqui; regulariter tamen illius applicatio venialem non excedit.

Punctum IV.

De pollutione nocturna.

163. Inq. 1. An pollutio nocturna secundum se sit peccatum? R. neg. quia ubi non est voluntarium, nequit esse peccatum; sed pollutio nocturna, quæ in somnis contingit, in se non est voluntaria: cum judicium rationis eo tempore sit omnino ligatum, ergo in se considerata non est peccatum. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 5.

164. Objic. 1. Meritum potest dari in somnis, ergo & demeritum: ac proinde pollutio in somnis habita potest in se esse peccaminosa. Anteced. constat ex eo, quod Salomon meruit a Deo sapientiam: ut dicitur 2. *Paralip.* 1. 11. R. quod Salomon non meruit sapientiam in somnis: sed ex desiderio prius habito Deus in somnis ei sapientiam infudit. Ut docet Angel. *ibi. ad* 1.

165. Objic. 2. experientia constat, quod in somnis quis argumentatur, sæpe etiam consentit, & plerumque dissentit objecto turpi, ergo datur in dormiente, quidquid requiritur ad peccatum. R. quod dormiens, cum libertate, & usu actuali rationis careat, nec argumentari, nec consentire proprie valet: idcirco nec mereri, aut demereri potest. Verum est, quod dormiens se gerit juxta morem sibi assuetum: unde sensus interni recogitant in somno species antea sensatas: qua ratione conveniens est, quod ante somnum, quæ recta, & honesta sunt, cogitemus.

166. Inq. 2. Quando pollutio nocturna sit peccatum in sua causa? Ante responsionem observa, triplicem dari causam pollutionis nocturnæ juxta D. Thom. loc. cit. Prima est corporalis, nempe abundantia humoris seminalis, aut nimia corporis calefactio. Secunda est animalis intrinseca, nimirum cogitatio *de* rebus venereis, quæ duplex esse potest: vel pure speculativa, ut lectio, aut disputatio honesta; vel non pure speculative, sed simul carnalis, quando nempe de illis cum aliqua affectione carnali cogitatur. Tertia causa pollutionis est spiritualis extrinseca, nempe Dœmon commovens phantasmata dormientis ad semen emittendum. Igitur ::

167. R. 1. Quod pollutio nocturna si procedat ex mera abundantia humoris, a quo in somnis exoneratur natura, non est peccaminosa; quia supponitur mere naturaliter effluere. Quoniam si procedat ex causa culpabili, ut ex nimio potu, aut ebrietate mortali, erit peccatum grave, supposita ejus prævisione. Nam hoc modo idem est de pollutione nocturna, ac de ea, quæ contingit in vigilia, quæ ex prævisione causæ graviter illicitæ, esto per accidens, consurgit graviter culpabilis. Si autem procederet ex ciborum calidorum essu innoxio, quia alii cibi non habentur, tunc a culpa vacaret pollutio inde secuta, vel ad summum esset venialis, si adfuit aliquis excessus in ciborum sumptione.

168. R. 2. quod si pollutio in somnis contingat ex causa pure speculativa: ut de lectione utili, & disputatione honesta de venereis, immunis erit a culpa: quia hæc nec datur in pollutione, nec in sua causa. Verum si disputatio, aut lectio non fuit pure speculativa, sed mixta cum carnali affectione, juxta gravitatem hujus causæ, erit pollutio gravis, aut levis culpa.

169. R. 3. quod si pollutio contingat ex Dœmone commovente dormientis species ad venerem inducentes, absque ulla culpa præmissa ex parte somniantis, nullum est peccatum; quia est omnino involuntaria. Cæterum, qui hæc pluries in

som-

somnis experitur, si negligit se præparare ad positivam reluctantiam, Dei opem, Angelique custodis, & aliorum sanctorum protectionem implorando, tunc erit culpabilis juxta malitiam negligentiæ; quapropter, qui similes patitur illusiones, devoto, ac demisso corde dicat cum Ecclesia: *Procul recedant somnia, & noctium phantasmata; hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.*

170. Inq. 3. An sit peccatum non resistere positive pollutioni innoxiæ in somnis inchoatæ, & in vigilia prosequenti? Pro resolutione nota, quod pollutio in somnis tripliciter potest evenire. 1. Ita ut tota in somnis consumetur. 2. Ita ut motus pollutionis inchoetur in somnis, & diffluat in vigilia. 3. Ita ut ipsa pollutio incipiat emitti partim in somnis, partim in vigilia. Igitur apud omnes pollutio consumata in somnis est penitus inculpabilis: quia supponitur omnino involuntaria. Circa alias vero.

171. R. quod si pollutio, seu ejus emissio partim sit in somno, & partim in vigilia, non est peccatum ejus cursum permittere absque ullo consensu venereo; quia ex una parte nullum supponitur peccatum in sua causa; alias cohibitio illa, quæ naturæ impetum interrumperet, sanitati corporis non parum noceret: cum semen vi retentum, & cito corruptum corpus inficiat, ergo potest absque culpa permitti, dummodo absit omnis complacentia venerea.

172. Quando autem semen e lumbis effluere incœpit, & cursum intra vasa interna jamjam inchoavit, esto effusio sit in vigilia, plus periculi affert. Tamen, supposita recta voluntate, erecta in Deum mente, & dissensu totali interno, potest etiam permitti ob eamdem rationem: nempe quod ejus principium est innoxium, & ejus retentio valde saluti noxia. Verum in tam lubrica materia summa cautela opus est. Unde ex conscientiæ puritate, & morum integritate illorum, qui talia patiuntur; desumenda erit regula judicandi eorum innocentiam, aut culpæ qualitatem. Compertum tamen est, quod si accidat pollutio in semiplena vigilia, esto adsit delectatio carnalis, non est lethale propter defectum perfectæ deliberationis.

173. Inq. 4. An possit quis gaudere in vigilia de pollutione naturali in somnis habita ob sanitatem corporis? R. 1. quod si pollutio nocturna proveniat ex tactu proprio, vel alieno, vel ex aliquo turpi somno, aut cogitatione venerea, est objective mala, ideoque nemo potest de illa gaudere, aut delectari; sicut nec de homicidio, aut fornicatione in ebrietate perpetratis: quia sunt objective mala. Similiter gaudium, delectatio, aut desiderium, esto inefficax, si habeantur cum commotione carnis, aut motu sensuali sunt pariter peccaminosa: quia tunc prædicti actus sunt venerei, & lascivi, & consequenter objective mali. Unde præcipua difficultas solum procedit de pollutione omnino naturali, an possit appeti inefficaciter, vel de ea delectari, aut gaudere propter corporis sanitatem? ad quam.

174. R. 2. neg. quia affert periculum in praxi. Aliud est gaudere de pollutione, aliud de sanitate. Hoc est licitum, non vero illud propter periculum, quod affert secum. Eadem ratione appetere sanitatem licet; non vero eam appetere media pollutione quantumvis innoxia, vel naturali.

175. Dices pollutio non est adeo intrinsece mala sicut homicidium, ergo poterit quis illam appetere inefficaciter, vel de ea gaudere propter sanitatem.

176. R. neg. conseq. nam esto non sit mala physice accepta, ut mera exoneratio naturæ, sicut est sudor, & urina; tamen cum in praxi sit fere imprascindibilis delectatio carnalis, ideo dicimus gaudium de illa deliberatum non esse admittendum, licet admittatut gaudium de exoneratione naturæ, aut de corporis sanitate jam subsecuta. Doctores concedentes posse appeti pollutionem mere naturalem, aut de ea gaudere propter sanitatem, intelligendi sunt speculative, & in sensu methaphysico, quo sensu mala non est. Sed cum materia sit adeo lubrica, appetitio, seu gaudium de illa moraliter loquendo fugi, & repelli debet.

177. P. Concina *lib.* 8. *in Decalog. dissert.* 2. *cap.* 13. *a num.* 48. fuso calamo discutit hanc controversiam, clamitans

tans contra Salmanticenses scholasticos, quorum doctrinam rejicit tamquam *falsam, & laxam*; sed eamdem doctrinam tradit paulo inferius. Nam *n.* 58. ait : *emissio seminis in genere physico considerata , non videtur secundum se mala. Nam , si secundum se metaphysico in sensu mala esset , neque per copulam conjugalem licita fieri posset , quod est absurdum. Quare non video , cur illa physica emissio seminis, quatenus est mera exoneratio naturæ , omni vitiosa causa sejuncta , ut est emissio urinæ , sudoris , salivæ dicenda sit peccatum materiale , de quo sane numquam gaudere licet.*

178. Non amplius dicunt perdocti Salmanticenses. Si licet gaudere de emissione naturali seminis , sicut de emissione sudoris : ubi *falsa*, ubi *laxa* Salmanticensium doctrina ? Profecto P. Concina in morem sibi vertit , suggere prius Salmanticensium doctrinam, deinde eam quadam verborum circumlocutione oppugnare. Nos vero solum dicere volumus, doctissimos Salmanticenses eviscerare rerum naturas doctrina vera , & sana , esto ob materiæ lubricitatem , ut ipsi monent , in praxi *caute* sit accipienda , & recte intelligenda. Summopere vero poterit quis mirari . quod appellet *falsam*, & *laxam* sententiam , cui *ibidem n.* 57. fatetur D. Thom. favere , & ipsum antea admisisse , eandemque in præsenti admittit , ut patet ex verbis citatis.

Punctum V.

De sodomia.

179. Inq. 1. Quid sit sodomia , & unde dicatur ? R. est *accessus ad non debitum sexum , puta masculi ad masculum , vel fœminæ ad fœminam.* Dicitur *accessus* , per quod differt sodomia a pollutione , quæ absque concubitu haberi potest , & convenit cum aliis speciebus luxuriæ , quæ per concubitum perpetrantur. Additur *ad non debitum sexum :* per quod distinguitur ab omnibus aliis luxuriæ speciebus , quia reliquæ sunt circa debitum sexum , præter bestialitatem , quæ est coitus cum altera specie. Dicitur *sodomia* a Sodomitis , seu civibus Sodomæ , qui præ omnibus aliis nationibus , huic nefando vitio dediti erant ; ita ut tam viri , quam parvuli hac turpitudine fœdarentur. Ut constat ex cap. 19. *Genes. vers.* 5.

180. Peccatum sodomiæ est adeo nefandum , & gravissimum , ut propter illud appellentur *pessimi* viri Sodomitæ in sacra pagina. Est gravius pollutione : quia licet utraque sit contra naturam , sodomia addit aliam detestabilem deordinationem infundendo semen in vasa opposita fini naturæ , & generationis ; quapropter gravissimis pœnis plectitur , ut infra patebit. D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 12. *ad* 4.

181. Inq. 2. An concubitus fœminæ cum alia fœmina sit vere sodomiæ peccatum ? R. affirm. quia sodomia est concubitus ad non debitum sexum , quod proprie adest , dum fœmina cum alia congreditur. Unde sive sit in vase naturali , sive in præpostero , sive cum alio instrumento , sive absque illo , datur in tali concubitu vera sodomia in confessione aperienda. Gravius est flagitium, dum fit medio instrumento , quia præter indebitum sexum , indebito utitur instrumento.

182. Inq. 3. An concubitus viri cum fœmina in vase præpostero sit vera sodomia ? R. quod metaphysice , & essentialiter non est proprie sodomia ; tamen in foro externo , ut sodomia reputatur. Quoad primam partem constat : quia non est concubitus ad non debitum sexum. Verum cum tantam habeat similitudinem cum ea , est sodomia similitudinaria , & in foro externo frequenter pœna ordinaria sodomiæ plectitur : quod non efficit, ut sit proprie sodomia , sed peccatum contra naturam.

183. Inq. 4. An tactus viri cum viro, ex quibus pollutio sequitur , sint peccatum sodomiæ ? R. neg. quia non est concubitus , nisi haberent affectum ad vas præposterum : quo in casu hoc desiderium , aut affectus malitiam sodomiæ induceret. Pollutio , seu congressio habita in ore sive viri , sive mulieris esto non sit sodomia , affert tamen turpissimam deformitatem in confessione necessario aperiendam.

184. Inq. 5. An circumstantia agentis, vel patientis sit explicanda necessario in con-

confessione? R. affirm. quia in agente pollutio est *per se*; in patiente vero quasi *per accidens*: quapropter si hic illam habeat, debet eam distincte exprimere.

185. Inq. 6. An in peccato sodomiæ circumstantia consanguinitatis, vel affinitatis addat speciem incestus in confessione aperiendam? R. affirm. quia non minus, sed amplius offenditur reverentia, & pietas cognatis debita in peccato sodomiæ, quam in aliis luxuriæ peccatis, ergo sicut in iis explicari debet circumstantia incestus, ita & potiori ratione in peccatis sodomiæ. Cæterum in hujusmodi congressu sodomitico non contrahitur affinitas; quia hæc necessario postulat copulam aptam ad generationem, qualis non est concubitus sodomiticus, nec etiam propter eamdem rationem ex copula spadonis: licet in utroque casu possit adesse circumstantia incestus.

Punctum VI.

De pœnis contra sodomitas.

186. Inq. 1. Quæ sin pœnæ contra sodomitas impositæ? R. quod hoc execrabile crimen in primis jure divino plectitur pœna mortis: *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas, morte moriatur. Levit.* 20. 13. Eamdem mortis pœnam assignat D. Paulus *ad Rom.* 1. non solum committentibus, sed etiam consentientibus hoc detestabile flagitium. Juxta D. Thom. in nocte nativitatis Domini omnes sodomitæ extincti fuerunt, ne natura, quam sumpserat, tanta immunditia fœdaretur. Mare mortuum successit loco Sodomæ, & Gomorræ, ne terra eo crimine infecta amplius videatur.

187. Jure humano etiam apud Ethnicos pœna capitis, & ignis puniebatur sodomita. Jure civili authenticarum similiter mortis pœnæ subjacet. Jure Hispanico pœna combustionis, & confiscationis bonorum merito plectitur. Jus canonicum excommunicationis anathemate punit laicos sodomitas *in cap. Clerici, de exces. Prælat.* Clericos, sive sæculares, sive regulares, præter alias pœnas jure communi latas degradari, & potestati sæculari tradi decrevit Pius V. in Const. edita 1568.

188. Inq. 2. An clericus sodomita in concubitu semen non effundens præfatas pœnas incurrat? R. neg. pœnæ enim sunt odiosæ, proindeque restringendæ, ergo esto clericus accedens ad sexum, & vas non debitum reus sit peccati sodomiæ, non vero pœnarum, aut reservationis, semine non effuso, in quo stat consumatio peccati. Idem est dicendum de clerico accedente ad fœminam in vase præpostero, et si ibi seminet: quia non est perfecta sodomia, cum non accedat ad sexum indebitum. Idem etiam tenendum de clerico semel, aut bis perpetrante sodomiam, etiam consumatam: quia prædictæ pœnæ sunt impositæ contra clericos eam *exercentes*; nemo autem exercere proprie dicitur, quod semel, aut raro peragit. Verum accedens ad fœminam in vase præpostero semen effundendo incurrit reservationem, ubi est reservatum peccatum contra naturam: quia esto non committat sodomiam perfectam, perpetrat tamen peccatum contra naturam consumatum. Similiter omnis clericus, sive agens, sive patiens sodomiam incurrit ejus pœnas, quia uterque est vere sodomita.

189. Inq. 3. An clericus sodomiam exercens sit ipso facto ante sententiam judicis privatus in foro conscientiæ ab omni officio, & beneficio jam possessis? R. neg. quia nulla pœna privans jure jam acquisito incurritur ante sententiam judicis, saltem declaratoriam criminis; alias teneretur quis spoliare, & prodere seipsum. Verum est, quod si publicus sodomita existeret clericus, deberet abstinere ab omni ministerio ecclesiastico propter indecentiam, & scandalum.

190. Inq. 4. An clericus bestialitatem exercens incurrat præfatas pœnas? R. negative, quia lex pœnalis extendi non debet de uno in alium casum, esto hic gravioris malitiæ sit, quando in utroque non eadem ratio, & omnimoda similitudo invenitur, quæ minime adest inter bestialitatem, & sodomiam, quia hæc facilius, quam illa committi potest. Pro coronide nota, sodomitam esse suspectum de hæresi, quia non bene sen-

ti-

tire præsumitur de immortalitate animæ, ideoque in Lusitania, aliisque regnis ejus punitio ad Inquisitores fidei privative pertinet. Verum jure Castellæ ejusmodi delictum est mixti fori, proinde ad prævention em sive ab Inquisitoribus, sive a judice sæculari puniri valet. Ab eo autem absolvi non potest nisi per privilegiatum; est enim reservatum S. Tribunali, sicut cætera crimina de hæresi suspecta.

Punctum VII.

De bestialitate.

191. Inq. 1. Quid sit bestialitas? R. est *concubitus cum individuo alterius speciei.* Bonitas hujus definitionis constat: quia per ly *concubitus* convenit bestialitas cum aliis speciebus luxuriæ, quæ per concubitum perpetrantur; & per reliquas particulas differt ab eis: quia sola bestialitas committitur cum individuo alterius speciei.

192. Inq. 2. An diversitas bestiarum, cum quibus delictum hoc perpetratur, debeat exprimi in confessione? R. neg. quia diversitas specierum de materiali se habet ad confessionem; cum formale, & specificativum peccati consistat in accessu ad alterius speciei individuum. Concubitus cum Dæmone sive incubo, sive succubo peccatum est bestialitatis, & simul superstitionis, propter societatem cum eo per accessum initam religioni oppositam. Præter hanc duplicem malitiam potest ejusmodi congressus alias diversas habere juxta diversitatem affectus, & representationis.

193. Hujus peccati gravitas satis constat ex sua detestabili deformitate, propter quam jure divino pœna mortis punitur: Ideo omnia flagitia contra naturam excedit. Jure canonico mulier succumbens bestiæ, simul cum ea occidi decernitur: quod etiam præcipiebatur *Levitico* 2. 15. Eadem pœna capitis imponitur jure Castellæ; imo in aliquibus Hispaniæ Provinciis reus bestialitatis cum bellua ipsa igne crematur. Sed jam calamus erubescit de vitiis adeo immundis peragere, quæ nisi necessitas cogeret, potius ignorare, quam scribere oporteret. Utinam omnia cedant in majorem Dei gloriam!

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS

DE SEPTIMO, ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

CUM in septimo Decalogi præcepto prohibeatur omne furtum juxta illud Exodi 20. 14. *Non furtum facies.* Et in decimo omne furti desiderium *vers.* 17. *Non concupisces rem proximi tui*: quod pertinet ad justitiam cum proximo servandam: Ideo justitiæ naturam, deinde spectantia ad utrumque præceptum simul explanare curabimus. Accipitur autem justitia in præsenti, non pro collectione omnis virtutis, sed pro illa sublimi particulari, quæ rectificat hominem in ordine ad proximum, de qua Angelicus 2. 2. *q.* 56. *& seq.*

CAPUT I.

De justitia, & jure.

Punctum I.

Notio, & divisio justitiæ.

1. Inq. 1. Quid sit justitia? R. est *constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Dicitur *voluntas*, id est actus voluntatis; residet enim justitia in voluntate tamquam in subjecto proprio: quia est virtus moralis rectificans voluntatem, & partem appetitivam. Dicitur *constans*, id est, non transiens, sicut actus, sed permanens, sicut potentia. Additur *perpetua*, hoc est, ex parte ob-

objecti, ita ut semper servetur justitia proximo. *Jus*, idest, debitum secundum æqualitatem, sumpto jure pro justo, & æquali. *Unicuique tribuendi*, scilicet, ut unicuique servetur immune, quod ei debetur. Definitio hæc Ulpiani communiter a theologis, & juristis cum acceptatione admittitur; verum theologice loquendo, justitia est *habitus, secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit ad æqualitatem.* Sic theologi cum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 58. *art.* 1.

2. Inq. 2. An justitia sit virtus? R. affirm. quia facit bonum, & rectum illam habentem; imo est nobilissima, & præclarissima inter virtutes morales, quia non solum perficit proprium subjectum, sicut aliæ virtutes, sed etiam attendit ad alienam perfectionem, servando proximo æqualitatem sibi debitam: qua ratione justitia semper est ad alterum, quia exigit facere æquale, & nemo sibi æqualis proprie dicitur. Unde medium rationis in justitia est *medium rei*, quod non habent aliæ virtutes, istæ enim dirigunt actiones, & passiones juxta *medium rationis*, prout convenit proprio subjecto; justitia vero etiam prout convenit alteri.

3. Inq. 3. Quod sit objectum justitiæ? R. objectum formale justitiæ esse jus, prout dicit justum, seu æquale; objectum materiale esse actiones exteriores, quibus æquale alteri redditur. Materia remota sunt res, quæ commuttantur, vel distribuuntur, ut pecuniæ, agri, domus, beneficia, & similia. Jus autem tripliciter accipi potest. 1. pro lege, quo pacto leges, & sanctiones dicuntur jura, seu jus positivum. 2. pro legitima potestate, quæ nobis competit ad aliquid accipiendum, aut agendum. 3. prout idem est, quod justum, seu æquale, & hoc modo est justitiæ objectum formale. Ratio vero *sub qua* est æqualitas, quam intendit justitia, & ad quam semper respicit.

4. *Jus* in secunda acceptione est *potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, aut quasi functionem, cujus violatio injuriam constituit.* Dividitur in *jus ad rem*, & *jus in re. Jus ad rem* acquiritur per venditionem, emptionem, contractum, aut pactum. Sed non potest quis uti tali re, quamdiu ad suum non transit dominium, ut sponsus nequit uti corpore sponsæ. *Jus in re* acquiritur legitima acceptione, traditione, aut usucapione, per quam transfertur dominium ejus in accipientem: qua ratione ea uti valet, ut equo empto, & accepto ab emptore. *Jus in re*, quod etiam dicitur reale, in novem partitur species, nempe: *Dominium, usus, ususfructus, servitus, emphiteusis, fœudum, pignus, hypotecha, & possessio.*

5. Inq. 4. Quotuplex sit justitia? R. est triplex, nam dividitur tamquam in species infimas in *commutativam, distributivam, & legalem. Commutativa* est partis ad partem. *Distributiva* totius ad partem. *Legalis* est partis ad totum. Per hanc trifariam combinationem ponit æqualitatem justitia, tribuens unicuique, quod suum est. Ad quem finem solum aptæ judicantur præfatæ combinationes: nempe partis ad partem tribuens unicuique privato, seu particulari, quod ei debetur, quod efficit commutativa. Vel totius ad partes, ita ut totum tribuat partibus, quod eis competit, ut exequitur distributiva, cujus est distribuere præmia secundum merita. Vel tandem partis ad totum, ita ut quælibet pars tribuat communitati, quod debet, seu quod bono totius expedit: quod proprium munus est justitiæ legalis, quæ ad commune bonum intendit media legum observantia.

6. Justitia legalis residet principaliter in Principe, & minus principaliter in subditis. Distributiva principaliter in Superioribus, qui bona distribuenda habent, & minus principaliter in inferioribus, quatenus conformantur justæ distributioni Superioris. Commutativa tandem reperitur inter partes communitatis unius civis ad alterum. Hinc potest etiam dividi justitia in *generalem*, & *particularem. Generalis* est, *quæ ordinat hominem ad bonum commune. Particularis, quæ ordinat hominem ad alterum singulariter consideratum.* Primum efficit justitia legalis; secundum commutativa: hæc omnia D. Thom. 2. 2. *q.* 58. *a.* 12.

PUNC.

Punctum II.

Explicatur justitia legalis, distributiva, & commuttativa.

7. Inq. 1. Quid sit justitia legalis? R. est *qua partes communitatis perfectæ ordinantur ad justum boni communis.* Dicitur *qua partes*: quia istæ, ut tales, respiciunt bonum communitatis; si enim illud promoveant tamquam ejusdem patriæ incolæ, exercent virtutem pietatis, justitia vero legalis respicit bonum commune, ut pars, cui incumbit bonum totius promovere.

8. Inq. 2. Cur hæc justitia dicatur legalis, & generalis? R. dici legalem, non quia procedit secundum legem: hoc quippe commune est omni justitiæ, sed quia præcipuum ejus munus est attendere ad legum observantiam, ne paulatim remittatur, qua ratione appellatur in religionibus *observantia regularis*. Dicitur *generalis*, non quia sit communis in essendo, aut prædicando, sed quia bonum commune, ad quod attendit, materialiter est generale, deserviens communitati.

9. Inq. 3. An justitia legalis sit specialis virtus a cæteris diversa? R. affirm. quia ubi est speciale jus, & debitum, specialis justitia debet assignari, quæ secundum illud reddat æquale; sed bono communi competit speciale jus, & debitum, ergo datur specialis justitia, quæ illud reddat bono communi, etiam cum præjudicio particularis, qui bono communitatis cedere debet. Aliqui justitiam legalem dividunt in *specialiter sumptam*, & in *epikeiam*: illam, ajunt, esse, quæ ad legum attendit observantiam secundum verba legis: hanc vero, quæ eamdem observantiam curat secundum Legislatoris intentionem præter verba legis in casu particulari. Unde *videtur esse idem cum ea*, quæ *dicta est eugnomosina*, ait D. Thom. 2. 2. *q.* 80. *a. unic. ad* 5.

10. Inq. 4. An inter civitatem, & civem possit dari justitia commutativa? R. affirm. nam quando civitas, Princeps, aut Superior paciscitur cum cive, vel aliquid ei dari debet debito stricto, considerantur, non ut civitas, Princeps, aut Superior, sed ut pars paciscens cum alia parte. Unde si pactum violet, tenetur ad restitutionem, quod non accidit ex violatione solius justitiæ legalis; quapropter hæc aliquomodo deficit a ratione justitiæ: quia non est omnino ad alterum, ut ex dicendis amplius patebit.

11. Inq. 5. Quid sit justitia distributiva? R. est *qua bona communia distribuuntur inter partes communitatis secundum proportionem meritorum.* Actus ejus interior est recta voluntas distribuendi bona communia juxta meritorum proportionem. Actus exterior est ipsa distributio facta, servata proportione. Medium rei in hac justitia non est æqualitas arithmetica, sed geometrica: Ut si præmium distribuendum sit ut sex, & habes meritum ut duodecim, alius autem ut octo: tibi danda sunt quatuor, alteri duo: quia sicut excedis in tertia parte, ita danda est tibi pars proportionabiliter major.

12. Inq. 6. Quid sit justitia commutativa? R. est *qua redditur unicuique res propria secundum æqualitatem rei redditæ ad rem debitam in commutationibus.* Hęc justitia semper versatur inter partem, & partem; esto pactum sit inter civitatem, & civem: quia ut diximus, tunc civitas se habet ut pars. Actus ejus sunt, prout diximus de distributiva. Materia ejus remota sunt res, quæ commutantur, seu venduntur. Materia proxima sunt ipsæ commutationes. Medium rei est æqualitas arithmetica rei ad rem: ita ut, si sex debeas, sex reddas: præcipuus ejus actus est restituere, ut suo loco dicitur, ex quo patet actum imperare.

13. Inq. 7. Quid sit justitia vindicativa, & an a commutativa distinguatur? R. justitia vindicativa est *virtus, qua Superior subditum condigna pœna pro delictis punit.* Non distinguitur a commutativa: quia per justitiam vindicativam rependitur delinquenti pœna æqualis debita delicto, & restituitur reipublicæ honor, quem ob scelus civis sui amiserat; sed reddere æquale, & restituere est proprium commutativæ, ergo ab hac non distinguitur vindicativa. Adverte tamen, actum, quo judex punit delictum, imperari a justitia legali bonum commune respiciente.

14. Objic. ejusdem virtutis est condigna merita remunerare, & delicta punire; sed primum pertinet ad distributivam, ergo & secundum. R. neg. minorem, quia dare præmia meritis condigna, non est munus justitiæ distributivæ, sed commutativæ. Unde respublica ex justitia commutativa debet remunerare milites, & alios in ejus commodum laborantes: in quo assimilantur delictorum punitio, & meritorum remuneratio. Justitia autem distributiva non respicit, quid boni alius in rempublicam fecerit, sed quid boni habeat in se: ut si sit sapiens, virtuosus, aut pauper, vel nobilis; solum enim attendit ad proportionem, quam habet cum præmio distribuendo.

15. Ex dictis infertur 1. justitiam commutativam specie differre a distributiva: quia hæc nec est inter partem, & partem, sed inter totum, & partem, nec respicit jus rigorosum, & proprium exigens æqualitatem arithmeticam, sicut commutativa. Unde ejus violatio non inducit obligationem restituendi, nisi quando jungitur cum justitia commutativa, & adest acceptio personarum in distributione: quo in casu duplex committitur peccatum: quia utraque violatur justitia, ut si conferas beneficium ecclesiasticum notabiliter minus digno, relicto digniore, contra utramque justitiam agis, & teneris restituere, tum digniori, tum Ecclesiæ, juxta qualitatem damni illati.

16. Infertur 2. justitiam distributivam deficere etiam a ratione strictæ justitiæ, prout diximus de legali, quia inter totum, & partem non datur rigorosa justitia: eo quod pars est aliquo modo totius; & quod est totius, quodammodo est partis, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 61. *art.* 1. *ad* 2.

Punctum III.

De injustitia, & vitiis oppositis justitiæ.

17. Inq. 1. An detur vitium oppositum justitiæ per excessum? R. neg. quia solum peccat contra justitiam, qui non dat, quod debet, vel minus dat, nullus vero justitiam violat, quia plus dat, quantumvis excedat, nec erit contra justitiam, esto possit esse contra liberalitatem, aut alias virtutes. Si autem tribuendo uni plus debito, noceat alteri, peccat quidem contra justitiam, sed non in eo, quod supra debitum datur, sed in eo, quod alteri nocetur: & sic tota injustitia reducitur ad defectum. Porro vitium deficiens a justitia dicitur *injustitia*: quæ sumi potest, vel generaliter pro collectione omnium vitiorum, vel specialiter pro injustitia particulari justitiæ opposita. D. Thom. *q.* 59. *a.* 1.

18. Hæc autem injustitia dividitur juxta præfatas species justitiæ. Unde quæ opponitur justitiæ legali, dicitur injustitia legalis, seu relaxatio legum: justitiæ distributivæ opponitur acceptio personarum, quando distributor attendit ad personam, non ad merita. Justitiæ commutativæ contrariantur omnia vitia, quæ nocumentum proximo inferunt, sive in vita, sive in fama, sive in bonis temporalibus, cogitatione, verbo, & opere: hujusmodi sunt homicidium, furtum, rapina, injustitia judicis in judicando, actoris, rei, testis, & advocati, insuper contumelia, convitium, & improperium, detractio, susurratio, derisio, & maledictio, denique fraus, & usura. Sive omnia hæc sint vitia specie distincta, sive aliqua solum importent diversos actus unius vitii. Peccatum speciale contra justitiam legalem non datur in qualibet fractione legis, nisi fiat animo contemnendi bonum commune, vel machinandi contra illud: sicut inobedientia specialis solum adest, quando committitur peccatum ex animo non obediendi.

19. Inq. 2. An peccatum injustitiæ sit mortale ex genere suo? R. affirm. quia opponitur charitati, quæ est vita spiritualis hominis. *Charitas enim*, ait D. Thom. 2. 2. q. 66. a. 6. *consistit principaliter quidem in dilectione Dei, secundario vero in dilectione proximi, ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus, & operemur.* Injustitia autem quælibet infert nocumentum proximo in suis rebus, erg Potest autem esse veniale, & plerumque. est tale, vel ex inadvertentia, vel ex parvitate materiæ.

20. Inq. 1. Quid sit proprie injustitia?

tia ? R. est *habitus, quo aliquis volens infert inæquale contra jus alterius nolentis.* Dicitur *volens*, quia, ut sit actus injustitiæ, debet scienter procedere a voluntate nocendi : in quo convenit cum omni alio vitio, cum nullum sit nisi voluntarium. Tamen ex parte objecti hoc habet speciale injustitia, quod etiam absque voluntate potest poni injustum, ut in possessore bonæ fidei, & in eo, qui involuntarie damnificat alterum. Similiter ex parte actus, ut detur injustitia formalis debet procedere ex voluntate nocendi : nam si procedat ex passione, aut libidine, ut in adulterio, licet vere adsit injustitia in confessione detegenda, non est injustitia formalis, seu actus elicitus ab injustitia speciali.

21. Additur *contra jus alterius nolentis*, ad denotandum, quod nemo patitur injustitiam volens : quia scienti, & volenti non fit injuria. Pro cujus intelligentia nota, quod ut aliquis volens non patiatur injuriam, debet talis voluntas esse *justa*, *& pura*. Tunc voluntas erit justa, quando volens est dominus rei, ita ut juste possit velle ; alias etiam volens patietur injustitiam : ut liquet in adulterio, in quo maritus injustitiam patitur, esto in eo consentiat. Idem in eo, qui membrum sanum sibi amputari consentit, & in aliis hujusmodi. Debet etiam talis voluntas esse *pura* ; nam si admixta sit involuntario, posset volens simpliciter pati injustitiam : ut qui metu, aut necessitate cogeretur dare pecuniam latroni, aut mutuum ab usurario petere. D. Thom. *a.* 3. *ad* 2.

CAPUT II.

De dominio, & possessione.

PUNCTUM I.

De dominio.

22. Inq. 1. Quid sit dominium ? R. quod dominium in generali acceptum est *facultas utendi re in omnes usus lege permissos.* Dominium sic acceptum dividitur in dominium *jurisdictionis*, & dominium *proprietatis.* Illud est, quod residet in Superiore ad gubernandum, judicandum, & puniendum subditos, ab eisque emolumenta recipiendum. Quod deinde dividitur in ecclesiasticum, & civile. Primum est *potestas regendi subditos quoad spiritualia.* Secundum *potestas eos regendi quoad temporalia*. In præsenti solum est nobis sermo de dominio proprietatis.

23. Igitur dominium proprietatis est *facultas utendi re, ut propria, ad omnes usus lege permissos in suum commodum.* Dicitur *facultas*, per quam convenit cum possessione. *Ut propria*, idest non alterius nomine. *Quoad omnes usus*, per quod differt ab usu nudo, & ab usu fructuario, qui non valet uti re ad omnes usus, non enim potest illam distrahere. *Lege permissos*, quia usus rei contra legem, non tam est usus, quam abusus. Hoc autem dominium subdividitur in *supernaturale*, ut dominium gratiæ, & gloriæ, *naturale*, ut dominium hæreditatis paternæ, *ecclesiasticum*, quod habetur in beneficia, aliaque officia ecclesiastica, & *civile*, quod per præscriptionem jure civili acquiritur.

24. Dominium proprietatis etiam dividitur in *altum*, & *humile*. Illud est, quod residet in Principe supremo ad disponendum de subditis ad commune bonum Istud est, quo quilibet privatus in sua propria re gaudet. *Dominium humile* subdividitur in *plenum*, *seu perfectum*, in *semiplenum*, seu *imperfectum*. *Perfectum* est jus disponendi de rei substantia una cum fructibus ad sui commodum: qua ratione dicitur dominium directum, & utile. Imperfectum, aliud est ex parte objecti, aliud ex parte subjecti : illud datur, quando utile, & dominium directum non reperitur in eodem ; sed in uno proprietas, & in alio utilitas : ex parte subjecti datur dominium imperfectum, quando sunt plures domini rei, vel res inter plures sit dividenda.

25. Inq. 2. An possidens majoratum habeat verum dominium illius? R. affir. quia habet potestatem illo utendi ad omnes usus lege permissos, esto non valeat illum alienare, quia hoc non permittitur a lege.

26. Inq. 3. An homo habeat jure naturæ proprietatem rerum temporalium? R. quod jure naturæ homo solum est do-

dominus suæ voluntatis, libertatis, famæ, & honoris; rerum vero temporalium proprietas ex earum dimanat divisione introducta, non jure naturæ, nec divino sed jure gentium. Divisio hæc, attenta humana conditione, & fragilitate, licita, & necessaria est ad communem tranquillitatem, & pacem. Ante illam autem omnia erant communia, *nec erat meum, & tuum, frigidum illud verbum innumera gignens bella*, sed fiebant primo occupantis. Proprietas igitur rerum, non jure naturæ, sed jure gentium introducta est in orbem, ut homini conveniens. Vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *a.* 1.

27. Inq. 5. Quid sit translatio dominii, & quot modis fiat? R. est *transmissio rei ab eo, qui legittime possidet, in alterum, qui incipit esse dominus*: quod fit tradendo rem, vel titulum ejus, qui est basis dominii. Hujus translationis triplex est causa. 1. Voluntas Dei certo cognita. 2. Voluntas expressa hominis, qui dominium possidet. 3. Voluntas Principis, seu Legislatoris transferentis per leges dominium unius in alium.

PUNCTUM II.

De usufructu, usu nudo, emphyteusi, & feudo.

28. Inq. 1. Quid sit usufructus? R. est *jus utendi, & fruendi aliena re, salva ejus substantia.* Hoc est dominium semiplenum, & utile. Dicitur *jus*, quia sermo est de usu *juris*, non de usu *facti*, qui solum est juris executio. *Utendi*, in quo convenit cum usu nudo, & differt a dominio. Et *fruendi*, per quod differt ab usu nudo: quia usuarius nequit jus transferre, neque usum alienare. *Salva rei substantia*, in quo distinguitur a dominio, quia dominus valet usum, & rem etiam vendere, quod non valet usufructuarius, sed solum frui fructibus, vel illos alienare, non vero substantiam rei, quam conservare tenetur sine dispendio.

29. Duplex est usufructus, *legalis*, qui ex lege acquiritur, ut usufructus patris in bonis adventitiis filiorum, & *conventionalis*, qui habetur ex hominum conventione, ut ex testamento, emptione, aut stipulatione. Quinque modis finitur usufructus. 1. per mortem usufructuarii. 2. si pereat res, in qua fundatur. 3. per legitimam præscriptionem. 4. per cessionem factam proprietario. 5. per terminum a lege, vel consuetudine usufructui constitutum. Plura alia, quæ de usufructuariis disputantur, pendent ex jure civili, & ad juristas proprius spectant.

30. Inq. 2. Quid sit usus nudus? R. est *jus utendi re aliena ad proprium tantum, non ad alienum commodum, salva rei substantia.* Dicitur *jus*, hoc est, facultas habitualis ad usum, per quod excluditur usus facti, ut habitatio domus, comestio panis, quæ non merentur nomen *juris*, sed solum usus. *Ad proprium tantum commodum*, per quod distinguitur ab usufructu, qui in proprium, & alienum commodum potest re uti, non vero usus nudus. Unde religiosi esto possint uti libris, aut vestibus sibi legitime concessis, nequeunt tamen illos utendos aliis sine licentia concedere, vel eorum usum alienare: quia solum usuarii, non usufructuarii sunt. Patet ex dictis, usum distingui a dominio in rebus, quæ eodem usu non consumuntur: nam plerumque dominium equi, domus, agri, & similium residet in uno, & eorum usus in alio. Idem est de rebus, quæ licet usu consumentur; non tamen uno, aut altero actu, ut vestes, & libri. Idemque dicendum etiam de his, quæ unico actu consumuntur, si sumantur ad usum secundarium, ut cibus, potus, pecunia ad meram ostentationem, quia sic per usum non consumuntur.

31. Inq. 3. An in rebus, quæ unico actu consumuntur, possit dominium a primario usu separari? R. affirm. nam qui utitur re dependenter ab alterius voluntate, ejus usum impedire valente, licet habeat usum rei, caret ejus dominio; alias haberet jus contra omnes, ejus usum impedire valentes, aut volentes, quod est falsum, ergo habet usum separatum a dominio. Sic habent fratres Minores observantes tam in particulari, quam in communi; solo usu contenti, dominio apud Papam existente, vel apud eleemosynas largientes. Reliqui religiosi eumdem nudum usum possident in particulari, remanente dominio in communita-

nitate: quia licet usus irrevocabilis non possit separari a dominio in rebus, quę usu consumuntur, bene tamen usus revocabilis, qualis est in religiosis; & etiam apud convivam in cibos sibi appositos, qui absque dominio in illis, habet usum facti revocabilem ad nutum domini. Heinc conviva, & religiosus possunt uti cibo; nequeunt tamen alteri dare sine licentia domini, aut Prælati.

32. Inq. 4. Quid sit emphyteusis? R. est *contractus, quo res immobilis alicui fruenda, non minus decennio, traditur, sub obligatione pensionis realis domino proprietatis reddendæ in recognitionem dominii directi.* Convenit cum usufructu in eo, quod ex re aliena fructum, & commodum concedit; differt vero, quod emphyteusis in rebus immobilibus, ususfructus etiam in mobilibus datur. Ususfructus morte fructuarii finitur, emphyteusis morte emphyteutæ non extinguitur, denique ususfructus nequit simpliciter transferri in alium; bene vero emphyteusis, consulto domino directo. §. *finitur, Instit. de usufruct.*

33. Inq. 5. Quid sit feudum? R. est *concessio rei immobilis cum translatione utilis dominii, retento directo dominio apud proprietarium, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi.* Unde emphyteusis pensionem realem; feudum personalem domino exhibet. Ratione emphyteusis, & feudi omnes Duces, & Marchiones dicuntur vasalli feudatarii, & emphyteutæ supremo Principi subjecti. Alia vide apud jurisconsultos.

Punctum III.

De possessione.

34. Inq. 1. Quid sit possessio? R. dari possessionem facti, & juris. Possessio facti est *detentio rei corporis, & animi, jurisque adminiculo.* Dicitur *detentio rei*, sive corporalis, sive spiritualis; licet Juristæ contra Theologos solius rei corporalis propriam possessionem admittant; ideo in definitione *rei corporalis* ponunt. Additur *corporis, & animi, jurisque adminiculo*, ad denotandum, quod corpore, & simul animo debet res apprehendi, ut possessio adsit. Sufficit autem, quod jus positive non resistat, esto non faveat, ut sic non excludantur injustæ possessiones furis v. g. & possessoris malæ fidei, quæ quidem a possessione juris excluduntur. Nam possessio juris est *jus insistendi alicui tamquam suæ, non prohibitæ possideri.* Unde possessor malæ fidei, & fur non habent hanc juris possessionem, sed solam facti. Non enim habent jus insistendi *rei* tamquam suæ: hoc est pacifice possidendi, & viribus eam defendendi. Possessio secundum aliquos a *pedum sessione* dicitur. Alii a *pos* antiquo nomine derivant, & est idem, ac *potens*, & *sedeo*, quasi *cum potestate sedeo.*

35. Inq. 2. Quotuplex sit possessio? R. est duplex, *civilis*, & *naturalis. Civilis* est, quando res solo animo possidetur, ut cum dominus a suo fundo est absens. *Naturalis* est, qua res animo, & corpore possidetur, ut cum dominus est præsens rei suæ.

36. Inq. 3. Quot modis acquiratur possessio? R. tribus modis posse acquiri, *apprehensione vera, apprehensione ficta*, & *apprehensione civilissima.* 1. datur quando res vere corpore apprehenditur, ut intrando domum, vel fundum calcando. 2. cum rem ab antiquo domino accipimus per traditionem clavium, scripturæ, aut instrumenti jus ad illam continentis. 3. fit sola legis dispositione, ut in majoratibus. Absque possessione aliqua regulariter dominium non comparatur. Aliquando accidere solet ex indulgentia juris.

37. Inq. 4. Quot sint privilegia justæ possessionis? R. Privilegia præcipua esse quatuor. 1. quod possessio bonæ fidei parit præscriptionem, & media præscriptione dominium. 2. quod in dubio circa rei dominium, melior est conditio possidentis, & pro eo in pari casu judicandum est. 3. quod in judicio non incumbit possessori probare rei dominium. 4. quod possessor potest armis, cum moderamine, suam possessionem tueri.

38. Inq. 5. Quot modis deperdatur possessio? R. quod possessio rerum mobilium deperditur. 1. per solam voluntatem expressam possidentis, ut per donationem. In pupillis, & minoribus requiritur etiam voluntas tutoris, aut curatoris.

ris. 2. per furtum, aut rapinam. 3. per amissionem ipsius rei. Possessio autem servi per ejus fugam non amittitur. Rerum immobilium possessio deperditur. 1. per longam absentiam, juxta prudentum arbitrium. 2. per negligentiam possessoris videntis rem suam ab alio occupari, & non resistentis. 3. per occupationem alterius irrecuperabilem. 4. per longam oblivionem.

Punctum IV.

Qui, & quarum rerum possint habere dominium?

39. Inq. 1. Quis sit capax dominii? R. quod sola creatura rationalis est capax dominii: quia habet liberum arbitrium, quod est fundamentum, & basis totius dominationis: unde cum irrationabilia careant libero arbitrio, prorsus incapacia sunt dominio, qua ratione nulla eis fit injuria, si feriantur, aut occidantur; quia injuria solum fit contra jus, cujus animalia sunt incapacia.

40. Igitur omnes homines, etiam pravi, & peccatores sunt capaces dominii, quia homo per peccatum non amittit jus, quo gaudet ad propriam famam, & reliqua, quæ juste possidet, ergo habet, esto sit peccator, eorum dominium. Hęc doctrina, tamquam de fide, definita est in Concilio Constantiensi *sess.* 8. & 15. contra Wichleph, & Joannem Hus, contendentes Principes infideles, aut peccatores non esse obediendos, nec honorandos, quod est hæreticum, & contra doctrinam catholicam, & apostolicam, ad *Rom.* 13. & 1. *Petri* 3. 1. Imo etiam pueri ante usum rationis, & perpetuo amentes sunt dominii capaces, quia ad hoc sufficit potentia, & voluntas ex se capax utendi re, ut sua, quam utique isti habent; licet per accidens ligatam, & impeditam.

41. Inq. 2. Quarum rerum possit homo habere dominium? R. omnium sublunarium: omnia enim a Deo facta sunt, ut homini serviant, cui super omnia sublunaria dedit principatum, & dominium, ut dicitur Gen. 1. 26. *præsit universæ creaturæ.* Solum alterius hominis non habet homo jure naturæ dominium, quia omnes sunt a natura æquales, ab eodem parente progeniti, & ad eumdem finem ordinati. Igitur nullus homo a natura supra alterum dominium habet. Servitus, non a natura, sed jure gentium introducta, tribuit homini dominium rationabile in alium hominem quatuor titulis. 1. jure belli justi. 2. nativitate. 3. ex justa sententia. 4. propria venditione.

42. Homo non est dominus suæ vitæ, aut membrorum, sed custos, quia solus Deus est dominus vitæ, & mortis. Est tamen homo dominus suæ famæ, & honoris, nisi alteri ex eorum dispendio damnum inferatur; tunc enim non agitur de sola fama propria, sed de fama aliorum. Similiter est dominus bonorum spiritualium interiorum, quia auxilio Dei per liberum arbitrium ea acquisivit, & etiam externorum, ut sunt vineæ, oliveta, quædam officia, & dignitates, quia ea possidens habet jus eis utendi in usus lege permissos. Papa, Episcopus, & alii ecclesiastici licet gaudeant dominio possessivo suorum officiorum, & dignitatum, verius dicuntur, & sunt dispensatores, & administratores officiorum, & bonorum Ecclesiæ, excepta congrua sustentatione.

Punctum V.

De dominio filiorum.

43. Inq. 1. Quid sit patria potestas? R. est *illud jus, quod habet pater in filios, & eorum bona.* Non est introducta patria potestas jure naturali, aut divino, sed tantum jure civili, ideoque potest per consuetudinem derogari, ut dicitur de Gallia, & Aragonia. Triplicem habet effectum. 1. quod ratione illius habet pater dominium, ac proprietatem, & usumfructum in bonis profectitiis filii, & usumfructum in adventitiis. 2. quod pater in castro obsessus potest impune (illicite tamen) filium edere, ne fame pereat. 3. quod pater ob famis necessitatem, cui aliter consulere nequit, potest filium, nisi sit in sacris constitutus, vendere, aut oppignorare. Omnes filii legitimi, & adoptati adoptione perfecta, quæ fit Principis authoritate, sunt sub patria potestate; non vero filii illegitimi. Mater non gaudet privilegio patriæ potestatis.

44. Liberantur filii a patria potestate.

1. per emancipationem coram judice factam ex patris, filiique consensu. 2. per mortem naturalem, aut civilem patris, ut perpetua relegatio, vel perpetuus carcer: si indulgentia Principis restituatur, redit patria potestas sicut antea. 3. ratione magnæ dignitatis consecutæ a filio, ut si fiat Episcopus, Cardinalis, vel Consiliarius Regis. 4. per professionem religiosam patris, aut filii, quia est quædam mors civilis. 5. ex novo jure Hispano per matrimonium filii, velationibus secutis.

45. Inq. 2. Quot sint bona filiorum? R. esse *castrensia*, *quasi castrensia*, *adventitia*, & *profectitia*. *Castrensia*, a castris dicta, sunt illa, quæ ratione belli justi adveniunt filio, ut stipendia, hostilis præda, & quæ occasione belli a patre, sive a Rege, vel ab aliis filio donantur. Item acquisita in palatio regio, vel obsequio Principis, vel alterius similis personæ. Denique quocumque modo acquisita peculio castrensi,

46. *Quasi castrensia* sunt illa, quæ ratione alicujus officii publici filius acquirit v. g. advocati, tabellionis, medici, procuratoris, vel professoris artium liberalium, & quæcumque ad prædicta munera obeunda donantur, ut libri, equi, aut alia. Similiter quæ a Rege, vel Principe filio conceduntur, etiam patris intuitu. Pariter quæ filio dantur, ut ipse, non pater, habeat usumfructum. Tandem omnia bona ratione beneficii ecclesiastici acquisita, & quæ filius clericali privilegio gaudens quomodolibet acquirit, etiam si alias essent adventitia, & patrimonium ab aliis, quam a parentibus, constitutum in titulum ad suscipiendos ordines sacros.

47. *Adventitia* dicuntur, quæcumque bona adveniunt filio, non a patre, sed vel jure hæreditatis, aut pro labore, industria, legato, negotiatione, vel casu inventa, sive ex matris, aut avorum maternorum successione, sive ab avorum paternorum melioratione, sive etiam a patre in meritorum remunerationem; si vero nulla sint merita, ex jure communi sunt profectitia, jure regni adventitia, dummodo tertium, & quintum bonorum patris non excedant; alias nulla erit donatio. *Profectitia* sunt illa bona, quæ a patre in filium proficiscuntur, vel immediate, & primario intuitu patris ei conceduntur: quibus suppositis.

48. Inq. 3. Quorum bonorum habeat filius dominium, usumfructum, & administrationem? R. 1. quod bonorum castrensium, aut quasi castrensium habet filius puber plenum dominium utile, & directum, potestque de eis disponere, ut eorum absolutus dominus. Si pubertatem nondum fuerit nactus, esto proprietatem, & usumfructum eorum obtineat, non tamen administrationem; nam hæc est apud patrem, vel tutorem, sine quorum consensu ea alienare non valet.

49. R. 2. quod in bonis advertentiis filius habet dominium directum, non usumfructum, nec administrationem, qui sunt apud patrem. Verum in triplici casu filius gaudet etiam usufructu adventitiorum. 1. si pater cedat usumfructum filio. 2. si aliquid liberum filio donetur ea conditione, ut ipse, non pater, habeat usumfructum. 3. si filio quidquam donetur renuente patre. Alii casus apud authores videri possunt.

50. R. 3. Quod in bonis profectitiis filius nec dominium, nec usumfructum habet: unde solum proficit filio hoc peculium, ne publicentur bona profectitia apud patrem existentia, casu quo bona patris ob aliquod delictum publicentur. Excipe tamen patrimonium constitutum a patre filio ad ordines sacros, aut filiæ pro matrimonio contrahendo, in quibus habet filius, aut filia dominium, & usumfructum; & esto ipsum patrimonium adducendum sit ad partitionem, non ejus fructus.

Punctum VI.

De dominio religiosorum.

51. Inq. 1. An religiosi possint habere dominium alicujus rei? R. quod religiosi in particulari solum habent dominium bonorum spiritualium, quæ auxilio Dei per liberum arbitrium, & pia exercitia assecuntur. Sermo nobis nunc non est de quadam religione privilegiata, quæ jam evanuit. Verum in communi possunt omnes religiones (exceptis Minoribus de observantia, & Capuccinis) bonorum tem-

temporalium habere dominium; ut constat ex *Extravag.* Nicolai III. *Exiit, de verb. signif. in* 6. Minores vero de observantia, & Capuccini non solum in particulari, sed etiam in communi incapaces sunt dominii. Cæteræ religiones capaces sunt dominii in communi bonorum, nedum mobilium, sed etiam immobilium. Apostoli habuerunt in communi loculos sine præjudicio suæ strictissimæ paupertatis.

52. Inq. 2. An religiones sint capaces successionis hæreditariæ? R. quod religio capax dominii bonorum temporalium, etiam est capax succedendi in bonis religiosi defuncti, sive ex testamento, sive ab intestato. Unde si religio non excludatur tacite, vel expresse a possessione majoratus, quem religiosus possidebat, succedit in eo monasterium. Omne legatum religioso relictum pertinet immediate ad monasterium; quia omnia jura in illud translata fuere per solemnem professionem.

53. Inq. 3. An casu, quo hæreditas, vel legatum relinquatur religioso ea conditione, ut ipse illud possideat independenter a voluntate Superioris, validum sit? R. esse invalidum, quia religiosus incapax est dominii. Si autem relinquat commoditatem religioso, & dominium monasterio (quod semper est præsumendum, nisi certo constet oppositum) sub conditione, *ne Superior possit illam impedire:* tunc, rejecta conditione, ut turpi, subsistit legatum. Denique si sensus sit, ut legatum voluntati Superioris relinquatur subjectum, addita pœna, *ut si Superior commoditatem, & usum illius neget subdito, cesset legatum, & transeat ad extraneum*, valet legatum; ita ut, deficiente conditione, monasterium dominium amittat: quia, deficiente conditione, deficit contractus.

54. Inq. 4. Quæ religiones sint capaces, ut eorum monasteria instituantur hæredes rerum mobilium, vel immobilium? R. hoc pendere ex regula, & constitutionibus cujusque religionis, juxta communem usum in ea observatum: quia praxis communis est intelligentia melior, & interpretatio securior legum: maxime in sacris religionibus, ubi præcipue splendet, ac viget zelus domus Dei, & observantiæ regularis.

55. Monasteria nostræ Discalceatæ familiæ nequeunt succedere ab intestato in hæreditate paterna, nec institui hæredes bonorum immobilium, quæ intra breve tempus vendi non possint: quia immobilia possidere non valemus, nisi quæ necessaria sunt ad consuetam habitationem domus, hortus, aut moderati viridarii, seu vineæ. Cæterum possunt conventus nostri annuos redditus habere, aut eleemosynam annualem ratione fundationis, patronatus, anniversarii, orationis, vel alterius devoti exercitii cum certis limitationibus appositis in constitutionibus 1. *p. cap.* 7. *num.* 13. & 14.

56. Inq. 5. An religiosi possint testari, vel disponere de aliqua re causa mortis? R. neg. quia nullius rei sunt domini. Valent tamen ex licentia Prælati de bonis, quæ ad usum habent, disponere per donationem causa mortis, sicut ex eadem licentia potuerunt in vita donare. Religiosi ordinum Militarium in sæculo degentes, etiam Equites D. Joannis, possunt testamentum condere, non solum de bonis patrimonialibus, sed & de fructibus commendarum, juxta statuta propriæ religionis: tum ex consuetudine, tum ex concessione SS. Pontificum; quod, ex opposita ratione, prohibentur religiosis clericis Militaribus degentibus intra claustra.

57. Quo modo religiosis prohibitum sit habere peculium, & solum ex necessitate illud eis permittatur, dicitur in tract. de statu religioso. Solum hic innuere volumus dominium in communi minime opponi vitæ communi, quam cum tali dominio primitiva Ecclesia cum Apostolis, & aliis viris apostolicis adamussim coluit, & servavit, ut constat *ex cap.* 2. *Act.*

PUNCTUM VII.

De dominio uxorum, & servorum.

58. Inq. 1. Quorum bonorum dominium uxor habeat? R. habere dominium, & administrationem in bonis paraphernalibus. Paraphernalia bona dicuntur, quæ uxori hæreditate, legato, aut donatione adveniunt: vel quæ sua singulari

lari industria ipsa acquirit absque dispendio familiæ. Pariter habet dominium, & administrationem in bonis, quæ ipsa præter dotem ad suos usus reservavit. Item in eis, quæ a viro pro sumptibus ad suum splendorem, & honestam recreationem conceduntur, ut inter nobiles frequenter agitur. In bonis dotalibus habet uxor dominium; sed administratio est penes virum; nisi longe abeat, aut incidat in amentiam. Idem est de bonis communibus, in quibus conjuges habent partiale dominium, & vir administrationem.

59. Inq. 2. An mancipia, seu servi habeant dominium alicujus rei? R. habere in primis dominium bonorum spiritualium, gratiæ, & virtutis. Deinde gaudent dominio sui corporis ad contrahendum matrimonium. Præterea retinent verum jus vitæ, & membrorum, ne eis absque causa priventur; sunt enim horum bonorum custodes, sicut cæteri homines. Sermo est de servis proprie talibus, vel mancipiis; quia de famulis non dubitatur. Exinde mancipium habet dominium in sua fama, & honore. Denique juxta plures habet etiam in bonis temporalibus in septem casibus positis tract. 15. num. 60.

Punctum VIII.

De dominio circa animalia.

60. Inq. 1. Quomodo acquiratur, & amittatur dominium animalium? Ante responsionem nota, quod animalia alia sunt ex natura sua mansueta, & domestica, ut equi, oves, boves, & gallinæ; alia silvestria, & ferina, ut lepores, perdices, & pisces. Alia partim ferina, partim domestica, ut anseres, columbæ, cuniculi, apes. Ex his aliqua mansuescunt, ut accipitres, cervi, apes, & etiam pisces in stagnis occlusi. Alia econtra quæ ex se sunt mansueta, sibi relicta redduntur fera, ut sues, & capræ, & in Occidentali India etiam equi, & tauri. Quibus prænotatis.

61. R. 1. Quod animalia mansueta, esto egrediantur e domini custodia, longiusque abeant, nemini licet ea sibi usurpare; alias restitutioni tenetur, quia domini semper remanent. Ideo si contingat præfata animalia, vel fulmine percuti, vel a feris discerpi, vel alio modo vulnerari, quidquid reliquum manet, domino competit.

62. R. 2. Quod animalia industria humana mansueta, quando in custodiis conservantur, ut apes in alveariis, & pisces in stagnis, sub dominio possessoris existunt; si vero e custodia egrediantur, nullaque sit spes regressus judicio prudentum, fiunt primo occupantis, quia censentur nativam libertatem recuperasse. Aves tamen venaticæ, ut falcones, & milvi, & etiam passeres musici magni pretii, esto de custodia evolent, aut consuetudinem redeundi amittant, debent domino restitui, justo pretio capienti reddito. Apes ex tuo alveario egressæ tamdiu sub tuo existunt dominio, quamdiu eas facile capere potes; si vero dispareant, nec illas insequaris, fiunt primi occupantis.

63. Columbaria esse licita communis praxis testatur. Nam si grana aliquando bona capiunt, multoties nociva auferunt, impediuntque, ne herbæ, & semina inutilia adeo augeantur, ut segetes inficiant, aut suffocent. In Hispania observanda est moderna disposit. Carol. III. in administratione, & occisione columbarum. Illicitum est alienas columbas speciali pabulo, vel alia fraude attrahere; si autem ipsæ tuis columbis se immisceant, ac sponte in tua columbaria ingrediantur sine fraude, tuæ reputantur.

64. Animalia silvestria fiunt primo occupantis, quia sua natura communia sunt. Unde si ea in alieno fundo capias, tua fiunt: quia dominus fundi non acquirit eorum dominium per ingressum in suum fundum. Fera ab uno vulnerata, aut illaqueata, seu insecuta, & ab alio capta, hujus est, si adhuc fugere poterat; sin minus, vulnerantis est, illaqueantis, aut insequentis. Si tandem ratione vulneris, aut laquei difficilius fugiens, ab alio capiatur, inter utrumque ejus utilitas dividenda est.

Punctum IX.

De piscatione, venatione, & aucupio.

65. Inq. 1. An venatio omnibus sit li-

ci-

cita ? R. quod jure naturæ nulli est prohibitum piscari, aut venari. Tamen jure positivo aliquibus locis, temporibus, & personis juste prohibetur ob commune bonum, & personarum splendorem. Venari feras, aut aves tempore procreandi vetitum est. Similiter nivium tempore venari lepores, columbas, perdices; ne extinguantur, aut nimis minuantur ex facilitate capiendi. Eadem ratione prohibentur retia nimis stricta, ne parvi pisciculi capiantur. Sicut etiam emissio cibi in flumen, quo pisces moriantur, & inficiantur aquæ : quia hæc omnia cedunt in damnum commune. Quilibet autem potest prohibere piscationem, aut venationem in loco sui dominii : quia gaudet jure, ne alius in sua prædia, aut flumina ingrediatur.

66. Inq. 2. An Princeps valeat prohibere piscationem, aut venationem in locis communibus alicujus oppidi, sibi ea reservando ? R. posse tribus conditionibus. 1. quod Princeps illius loci habitatores compenset, vel tributorum levamine, vel privilegiorum concessione. 2. ne Princeps damna eis inferat, aut nimia multiplicatione ferarum potentium vicina loca devastare, aut segetum conculcatione, aut alio quocumque modo. 3. ne Princeps pœnam nimis severam, ut capitis, flagellationis, mutilationis contra piscantes, aut venantes imponat : quia eæ actiones haud dignæ sunt tanti rigoris. Pœna justa non debet excedere culpam.

67. Inq. 3. Quale peccatum committat, qui contra prohibitionem Principis, aut communitatis in locis reservatis piscatur, aut venatur ? R. ex communi sententia non peccare graviter : tum quia edictum sic communiter interpretatur ; tum quia materia levis reputatur. Si autem magna animalium strages fieret, aut cibi in flumen missi aquas inficerent, proculdubio daretur culpa gravis, cum onere restitutionis. Hoc ipsum teneas de piscantibus, aut venantibus in privatorum locis circumseptis ; nisi loca sint adeo ampla, ut captura difficilis foret, quo in casu tenentur restituere, non animalia, sed damna locis illata.

68. Inq. 4. Quibus personis piscatio, aut venatio sit prohibita ? R. quod piscatio diebus pro festis nulli est prohibita : nam etiam Apostoli post conversionem munus piscatorum obierunt. Venatio autem clamorosa, nempe cum canibus, avibus, & armis prohibita est clericis, & monachis, ut colligitur ex Tridentino *sess. 24. cap. 12. & ex cap. de clerico venatore*, & alibi. Episcopi venantes suspenduntur a communione tribus mensibus, Presbyteri duobus, Diaconi ab omni officio : quia talis venatio dedecet statum clericalem. Venationes autem quietæ sine canibus, avibus, & sclopis, sed solis retibus, aut laqueis licitæ clericis sunt, & monachis intra proprios saltus, ut constat ex Trid. ubi supra : & *ex cap. Ne in agro, de stat. monach.* Meminerint clerici, quod Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum de venatoribus respondit: *Præsertim, cum neminem, nisi reproborum, venationes exercuisse, sacra designet historia.* Videatur Bened. XIV. *de Synod. Diœces. lib. 11. cap. 10. a num. 6.*

Punctum X.

De montibus, sylvis, & pascuis.

69. Inq. 1. Ad quem pertineat dominium montium, sylvarum, & pascuorum ? R. jure gentium pertinere ad populum viciniorem ; nisi ex venditione, aut aliis titulis particularibus personis, aut aliis populis conveniant. Verum habens jurisdictionem civilem, aut criminalem in populum non gaudet dominio utili montium, & pascuorum : hoc enim populus privative possidet. Unde si damna gravia inferat, non secus, ac alii oppidani, peccat, & compensare tenetur. Poterit vero sicut cæteri cives, & potiori titulo, ligna cædere, & animalia in pascua mittere.

70. Inq. 2. An Princeps, aut respublica prohibere valeat sub certis pœnis pascua, vel lignationem in locis communibus ? R. affirm. quia ne tali loco, vel tali tempore animalia in pascua ingrediantur, aut ligna abscindantur, convenit sæpe bono communi, ergo potest juste prohiberi. Tamen non peccant graviter cives, qui contra hanc prohibitionem armenta pascuntur, aut ligna cædunt, juxta communem Theologorum placi-

citum; nisi ligna magni essent valoris, aut bono publico grave inferant damnum. Idem dicunt de civibus oppidorum confinium, dum ligna cædua alterius loci scindunt, aut in pascua animalia introducunt; nisi magnum esset detrimentum: quia frequenter ab utraque parte fieri scitur, & ad invicem condonare communitates censentur, contentæ solutione pœnæ eorum, qui in facto capiuntur.

71. Graviter autem peccant, & ad restitutionem tenentur, qui pascunt, aut ligna cædunt in sylvis alicujus particularis, vel in non vicinis; quia tunc nulla est mutua compensatio, aut tacitus consensus; esto quoad restitutionem inspiciendæ sint circumstantiæ domini, damni, & loci, & consuetudines, legesque municipales locorum. Pauperibus non est prohibendum minuta ligna colligere ad suæ necessitatis subventionem.

Punctum XI.

De rebus inventis.

72. Inq. 1. Quotuplex sit genus rerum inventarum? R. esse triplex. Nam alia sunt, quæ nemo antea possedit, ut gemmæ, aut margaritæ in mari existentes: aut licet fuerint alicujus domini, amissa fuere, & pro derelictis reputantur, fiuntque primi occupantis. Secundi generis est thesaurus, qui licet jure naturæ competat inventori, jure tamen positivo dimidia pars debetur domino fundi. Tertii generis sunt bona deperdita, quæ si de proximo dominum habeant, furtum committit, qui sciens ea sibi arrogat. Si autem id ignoret, potest ea accipere, ut reddat domino comparenti. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 2.

73. Inq. 2. Quando gemmæ, & lapilli sint primo occupantis? R. quando antea nullius fuere domini: quod jure naturæ intelligitur. Nam jure positivo valet Princeps in suis dominiis justis legibus prohibere, ne eas quis ex industria quærat. Prohibitio tamen non extenditur ad margaritas forte inventas, quarum dominium acquirit, qui primo illas capiat, licet alter prius videat: quia sunt primo occupantis. Si vero qui lapillum cepit, ideo vidit, quia alter ostendit, inter utrumque dividendus est valor: quia unus est inventor, alter occupator.

74. Inq. 3. Quando bona amissa pro derelictis reputantur? R. quando ex certis signis colligitur nullum habere dominum, ut si cum possit, non curat de iis recuperandis, vel sponte ea projiciat: & tunc vocantur despreta. Unde naufragantium bona in littore reperta minime pro derelictis reputantur: quia non sponte projiciuntur. Si vero talia bona quis acciperet animo ea domino reddendi, prudenter se gereret. Domino autem non comparente, potest ex prudenti consilio aliquam sibi partem applicare, & reliquum pauperibus distribuere. Nec bona, quæ incendio, aliove periculo projiciuntur, habenda sunt pro derelictis, nec oves a feris captæ, si eripiantur: quia in his, & similibus quod reliquum fuerit, domino tradi debet. Bona Christianorum ab infidelibus capta, & postea a fidelibus empta, esto sint calices, aut alia sacra, possunt fideles sibi licite retinere: ut patet ex epistola Bened. XIV. *tom.* 3. *bullarii num.* 57.

75. Bona autem, quæ vi fluminis, aut alluvionis asportantur, si paulatim, & insensibiliter adjiciantur, fiunt domini fundi; si vero sensibiliter subita alluvione magna portio ex meo fundo adjiciatur tuo, adhuc manet sub meo dominio: quia sensibiliter est facta. Si res asportatæ vi fluminis sint magni valoris, idem est tenendum. Sed hæc, & alia, utpote jure civili disposita, plus ad Jurisconsultos spectant.

76. Inq. 4. Cui competant bona vacantia? R. bona vacantia sunt, quæ defunctus ab intestato, & absque hæredibus relinquit, quæ esto ex jure communi, & Castellæ applicentur fisco, tamen ex regia liberalitate, ajunt plures, pro redimendis captivis esse applicata. Excipiuntur autem bona peregrinorum, qui decedunt in Xenodochiis privilegium habentibus, ut hæccine bona sibi applicentur. Alias per manus Episcopi hæredibus sunt tradenda, vel in opera pia distribuenda.

77. Inq. 5. Cujus sint bona ab uno deperdita, & ab alio inventa? R. inventem rem alienam, ut vestem, annulum, crumenam &c. teneri domino redde-

dere: nec potest exigere pretium pro inventione. Esto valeat accipere, quod dominus gratis ei rependerit. At si nihil ei tribuat, demptis expensis, si quæ factæ sint in rei conservatione, eam tradere debet: quia inventio rei nullum jus præbet inventori. Si dominus non compareat, tenetur congruam diligentiam adhibere; alias reus erit furti. Si plures domini appareant, cum dubio veri domini, debet rem tradere, ut inter se dividant, vel sortem mittant: quia omnes habent jus in rem illam, esto singuli sub dubio.

78. Inq. 6. An, si post adhibitam diligentiam dominus non compareat, teneatur inventor rem pauperibus distribuere, vel in alia pia opera expendere? R. affirm. quia res inventa dominum habet vivum, vel defunctum, ergo debet applicari juxta ejus voluntatem rationabilem: quæ utique est, ut res sua in bonum ejus spirituale expendatur. Accedit, quod hæc est praxis communis timoratorum, ergo ita est faciendum.

79. Quatuor conditionibus doctrina hęc est intelligenda. 1. Si res conservari possit, & adsit spes, quod dominus compareat: tunc inventor debet eam conservare, vel ejus pretium, si conservari nequeat, ut domino reddatur: quia hæc præsumitur ejus voluntas. 2. Nisi fiat compositio per Bullam, qua legitime peracta, potest rem sibi retinere. 3. Si inventor sit vere pauper, poterit in toto, vel in parte ex consilio Parochi, vel viri docti sibi applicare. 4. Si post legitimam applicationem pauperibus factam dominus appareat, & res sit magni valoris, in specieque existat, aut facti sunt ditiores, æquitati consonat, ut prudenti quodam medio se componant. Si inventor ipse rem bona fide consumpsit, & ditior inde factus est, tenetur restituere id, in quo factus est ditior. Si dominus rei perditæ quidquam promisit eam invenienti, debet ex fidelitate solvere promissum; licet autem non solvat, res inventa ei tradenda est.

80. Inq. 7. Quid sit thesaurus, & an competat inventori? R. Thesaurus est *vetus depositio pecuniæ, aut alterius rei pretiosæ, cujus depositionis non extat memoria, ita ut dominum non habeat*. Ad veram rationem thesauri non sufficit quælibet occultatio rei pretiosę, sed requiritur, quod sit vetus depositio, cujus non datur memoria, ideoque non dari dominum. Unde jure naturæ est inventoris, quia reputatur inter bona derelicta, quæ fiunt primo occupantis. Jure autem positivo est quidem inventoris, si casu, vel industria inveniatur in proprio fundo, aut domo; si vero in aliena possessione, dimidia pars est domini proprietatis fundi, & altera dimidia inventoris. Jure denique Castellæ pertinet ad Regem, reddita quarta, vel quinta parte inventori. Quando casus occurrat, consulantur viri docti, & timorati. Idem teneas de mineralibus, venisque metallicis, quæ licet jure naturæ sint inventoris, juxta leges municipales, cui competant, dandæ sunt. Emens agrum, in quo est thesaurus, fit dominus agri, & thesauri, ut patet ex parabola Evangelii *Matth. cap.* 13.

81. *Nota.* Dicta in hoc puncto intelligi debent in Hispania juxta Sched. Caroli III. editam 6. Decemb. ann. 1785. in qua statuit thesauros, bona incerta naufragantium, ab intestato relicta absque herede intra quartum gradum, & illa, quæ hispane dicuntur *mostrencos*, sive animata, sive inanimata spectare ad Fiscum, & per 17. cap. declarat, ex tunc illa aplicare constructioni, & conservationi viarum, aliisque publicis operis, cum exclusione religionum redemptarum. *Vid. Lucium Ferr. in Supplem. novæ edit. pag.* 15. qua lege supposita, nullus particularis valet aliter de his rebus disponere, sed omnia ministris Regiis denuntiare debet.

Punctum XII.

De aliis modis dominium acquirendi.

82. Inq. 1. An præter enuntiatos dentur alii modi acquirendi dominium? R. affirm. nempe per *specificationem*, *accessionem*, *communicationem*, *confusionem*, *ingdificationem*, *pictionem*, *implantationem*, *nativitatem*, & denique per *præscriptionem*, de qua puncto sequenti. *Specificatio* dicitur, cum res in aliam transit speciem: ut ex uvis fit vinum, ex

li-

lino tela. *Accessio* datur, quando rei aliquid additur: ut domui pictura, aut viridarium. *Commixtio* contingit, cum miscibilia in uno commiscentur: ut vinum, & aqua, aut unum ex duobus vinis. *Confusio* evenit, quando res ita confunduntur, ut discerni amplius nequeant: ut frumenta, & pecuniæ.

83. *Ingedificatio* vocatur ædificium constructum in alieno fundo. Si bona fide id contingat, debet dominus compensare expensas; sin mala, amittit eas ædificans. *Pictio* adest, quando pictor in aliena tabula pingit, cujus dominium acquirit, cum onere solvendi domino tabulæ pretium. Econtra, litteræ in aliena carta, aut membrana exaratæ, non scribentis, sed domini membranæ sunt. *Implantatio* datur, quando in alieno fundo plantantur arbores, quæ ad dominum fundi pertinent, si radices jecerint. Debet tamen expensas implantationis solvere, si bona fide effecta est. *Nativitas* indicat partum animalis sexus fœminei, spectat enim ad dominum fœminæ parientis, nisi aliter pactum sit: ita ut homo natus ex ancilla, seu serva, licet ex patre libero, est servus, quia partus sequitur ventrem.

84. Inq. 2. Quid sit advertendum circa præfatos modos acquirendi dominium? R. ita acquiri per eos dominium rei, ut maneas astrictus solvendi pretium rei alienæ priori domino. Ut si uvis alienis conficias vinum, aut ex lino telam, teneris pretium uvarum, & lini solvere domino. Idem est de confusione, & commixtione. Verum si vendidisti bona fide vestem, aut equum latroni, & accepisti ab eo pecunias furtivas antea cum propriis latronis permixtas, non teneris illas restituere priori domino. Unde monitum habeas, quod si tibi aliquæ dentur pecuniæ, vel frumenta, ut ea custodias, ne illa cum tuis pecuniis, aut frumentis commisceas; si enim post commixtionem auferantur, tibi pereunt. Si vero ea separata custodias, & pereant absque tua culpa, traditori pereunt: quia in primo casu acquisisti dominium; non vero in secundo.

Punctum XIII.

De præscriptione.

85. Inq. 1. Quid sit præscriptio? R. est *acquisitio dominii per possessionem bonæ fidei, continuatam tempore a lege constituto.* Quamvis præscriptio a jure civili dimanet, juri etiam naturali, & divino consentanea est. Recta enim ratio partitionem bonorum ad publicam pacem tuendam introduxit: qua supposita, præscriptione confirmatur bonorum possessio, animorumque tranquillitas, ne interminatis litibus communis pax scindatur. Ad finem igitur publicæ pacis conservandæ præscriptio suis conditionibus a jure civili constituta est. *Instit. de usucapionibus in principio. Leg. unic. cod. de usucap. leg. 3. ff. de usucap.*

86. Inq. 2. Quot requirantur conditiones ad præscriptionem legitimam? R. quinque requiri conditiones, nempe quod res sit apta, bona fides, possessio, titulus, & tempus a lege assignatum: quæ his versiculis comprehenduntur.

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Sit res apta, bona fides, sit titulus justus,
Possideas juste, completo tempore legis.

Prima ergo conditio ad præscriptionem est, quod sit *res apta.* Unde excludantur res ob aliquam legem præscriptionis incapaces, ut ea, quæ debentur Principi, ut tali, libertas hominis, viæ publicæ, obedientia debita Episcopis, & eadem ratione aliis Superioribus, res sacræ, templa, jus decimarum, & alia jura spiritualia respectu laicorum. Nec valet dari præscriptio contra onera, & fundationes beneficiorum, nec contra numerum Missarum: quia animæ purgatorii, quoad suffragia eis debita, sunt pupillæ, causam enim suam agere non valent. Idem dicendum est de rebus pupillorum, de dotalibus, de debitis juratis, de rebus gratuitæ voluntatis, quæ omnia inepta sunt ad præscriptionem.

87. Secunda conditio est *bona fides*, qua quis prudenter putat rem esse suam. Qui ab initio dubitat prudenter an res sua sit, nequit inchoare præscriptionem: quia dubitans prudenter in principio, non est possessor bonæ fidei. Non tamen of-

ficit peccatum veniale, aut dubium leve; alias vix aliquis daretur bonæ fidei possessor. Ad impediendam ergo præscriptionem exigitur peccatum grave in dubitatione: ut cum dubitans prudenter rem esse Petri, ab eo illam accipit. Dubium autem grave superveniens possessioni bona fide inchoatæ, ad illud repellendum obligat, adhibita morali diligentia. Si adhuc persistat, probabilius impedit præscriptionem, & obligat dubitantem ad restituendum pro rata, quia sic dubitans non est amplius in bona fide, quod res sit sua, cum de hoc graviter dubitet, maxime si adversæ rationes sint probabiliores.

88. Tertia conditio est *titulus*, sive verus, sive præsumptus, quia sine aliquo titulo non potuit res ab initio bona fide possideri. Est enim titulus *motivum seu causa, cur talis rei acquiratur dominium.* Sufficit autem titulus coloratus, aut prudenter putatus verus: ut si bona fide emas rem ab eo, quem putabas esse verum dominum: quo in casu, esto ita non sit, tibi prodest titulus emptionis ad præscriptionem ordinariam. Ejusmodi titulus non requiritur ad præscriptionem longissimi temporis: quia in tanto decursu potest titulus, vel oblivisci, vel deperdi. Quarta conditio est *possessio civilis*: quia sine possessione præscriptio non procedit; imo possessio hinc dicitur civilis, quia causat effectum civilem possessionis.

89. Inq. 3. An salvetur bona fides requisita ad præscriptionem cum ignorantia juris, vel facti? R. ignorantiam, etiam invincibilem, juris certi impedire omnem præscriptionem: quia *numquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest.* ex L. *Numquam* 31. *ff. de usucapionibus.* Ignorantia vero facti non impedit præscriptionem: quia fere numquam potest dari præscriptio absque ignorantia facti. Nec ignorantia juris dubii ei obest, quando adsunt possessori rationes probabiliores. Si fundamenta dubii æqualia sint, officit præscriptioni, & debet res dividi.

90. Inq. 4. An mala fides possessoris antecedentis noceat successori bonæ fidei ad præscriptionem? R. quod successori immediato ratione hæreditatis nocet ad præscriptionem ordinariam: quia refert personam defuncti, vel eadem persona reputatur cum eo. Non tamen nocet ei ad præscriptionem extraordinariam longioris temporis: quia ad hanc nullus requiritur titulus, nisi ipsum tempus. Neque ei officit ad fructus rei præscribendos, etiam tempore ordinario. Nec similiter nocet hæredi mediato possessoris, cum non eadem reputetur persona. Nec tandem nocet successori ob titulum emptionis, legati, aut alterius similis propter eamdem rationem. Si tamen res sit furtiva, aut immobilis, requiritur tempus extraordinarium ad ejus præscriptionem in successore immediato; secus in successore successoris immediati, seu in successore mediato.

91. Conditio 5. ad præscriptionem requisita est *tempus.* Igitur ad præscriptionem ordinariam rerum immobilium requiruntur decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes. Ad præscriptionem rerum mobilium tres anni sufficiunt inter præsentes, & quatuor inter absentes. Contra Romanam Ecclesiam nulla datur præscriptio, nisi post tempus centum annorum. Contra alias Ecclesias, hospitalia, & causas pias triginta anni inter præsentes, & quadraginta inter absentes requiruntur.

92. Tempus hoc oportet esse non interruptum; interrumpitur autem, vel naturaliter, quia deficit titulus, bona fides, aut possessio, vel civiliter, per litis contestationem, citationem, aut quid simile, vel etiam per dormitionem, quando ob aliquod impedimentum currere cessat tempus præscriptionis: ut ratione belli, pestis, quo tempore tribunalia silere solent. Similiter quoties legitimo defensore bona carent, ut Episcopo, aut rectore respectu Ecclesiæ, curatore, aut patre respectu minorum, & filiorum, dormit præscriptio.

93. Contra pupillos in ætate pupillari nulla datur præscriptio. Contra minores tempus triginta annorum inter præsentes, & quadraginta inter absentes necessarium est. Bona civitatibus legata, donata, aut vendita centum annorum spatium requirunt, ut præscribantur. Præsentes dicuntur, qui in eodem territorio degunt; absentes; qui alibi vivunt. Igitur præscrip-

criptio legitima dictis conditionibus munita deservit probabilius pro utroque foro interno, & externo. Sed quia definire, quando vere adsunt præfatæ conditiones, plus attinet ad juristas, ideo nobis, hæc de præscriptione levi calamo delibasse sufficiat.

CAPUT III.

De furto.

PUNCTUM I.

Definitio, & divisio furti.

94. Inq. 1. Quid sit furtum? R. est *acceptio occulta rei alienæ invito domino rationabiliter.* Dicitur *acceptio* ad innuendam quamcumque usurpationem, aut retentionem adversus justitiam, seu jus alterius, in quo furtum convenit cum aliis injuriis proximi. Additur *occulta*, per quod secernitur a rapina, quia hæc in præsentia, illud in occulto perpetratur. Fur enim a *furto* dicitur; eo quod fur præcipue noctis utitur tempore. *Rei alienæ*, per hanc particulam differt furtum ab aliis injuriis contra proximum. Nam homicidium aufert vitam; mutilatio membrum, contumelia honorem, detractio famam, stuprum virginitatem; adulterium lædit thalamum, furtum vero externa bona surripit. Nomine autem *rei* comprehenditur etiam usus, aut possessio. Denique additur, *invito domino rationabiliter*, ad denotandum, quod tunc solum datur furtum, quando accipitur res aliena, juste repugnante domino. Furtum igitur ex genere suo est peccatum mortale prohibitum in septimo Decalogi præcepto. *Exod.* 20. *Non furtum facies*, & in decimo, *Non desiderabis domum proximi tui.* D. Thom. 2. 2. *q.* 66.

95. Quatuor species furti assignant juristæ, nempe *peculatum*, quod est furtum de rebus reipublicæ; *plagiatum*, seu *plagium*, quod est furtum hominis liberi scienter venditi, aut empti, *sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ, & *abigeatum*, quod est furtum pecorum, aut jumentorum. Verum a Theologis solum dividitur furtum in sacrilegium, & rapinam. Sacrilegium adest quoties auferitur sacrum de sacro; non sacrum de sacro; vel sacrum de non sacro, uti diximus agentes de sacrilegio.

96. Inq. 2. Quid sit rapina? R. est *ablatio violenta rei alienæ.* Differt specie a furto propter involuntarium, quod per rapinam irrogatur proximo: qua ratione est majus peccatum quam furtum; sicut contumelia est gravior quam detractio ob eandem rationem involuntarii reperti in contumelia. Tam rapina, quam furtum sunt contra justitiam commutativam; sed in rapina adest duplex malitia specie distincta, quia eripit bona, & injuriat personam. D. Thom. *a.* 4.

97. Inq. 3. An furtum sit intrinsece malum? R. furtum manendo in ratione furti est intrinsece malum, sicut homicidium in ratione homicidii. Verum potest Deus facere, quod acceptio rei alienæ non sit furtum, transferendo rerum dominium de uno in alium, uti fecit bonorum Ægiptiorum, quorum dominium trastulit ad filios Israel. Potest etiam excusari a peccato ex triplici capite. Primo, ob necessitatem extremam. Secundo, ob voluntatem interpretativam domini. Tertio, ob parvitatem materiæ. Primum caput ab omni culpa, duo posteriora saltem a gravi excusant. Circa primum, ajunt plures, posse in extrema necessitate subripi etiam magna summa pecuniæ, ut sex mille aureorum: & revera si necessarii supponantur pro evadenda dicta necessitate, ubi omnia sunt communia, nequit improbari subreptio, saltem dum dominus non constitueretur in eadem necessitate. Circa secundum vide casum positum *tract.* 9 *n.* 284. quem admittit etiam Concina *tom.* 2. *pag.* 120. *n.* 11. D. Thom. a. 5.

PUNCTUM II.

De parvitate materiæ in furto.

98. Inq. 1. Quæ dicenda sit parva, aut magna materia in furto? R. illam dici absolute parvam, quæ ex se leve nocumentum infert proximo: illam vero dici magnam, quæ grave nocumentum eidem causare valet, licet de facto non causet. Unde unus obolus respectu omnium reputatur levis, unus vero aureus ju-

judicatur gravis esto a Rege accipiatur, quia licet non inferat notabile damnum, aufert tamen notabile bonum. Datur tamen materia respectiva ad locum, ad tempus, & ad personas: nam quod hic, & nunc minus valet, potest in alio loco, & tempore plus valere; & quod est materia levis respectu divitis, potest gravis esse respectu pauperis.

99. Nec est sufficiens distinctio quatuor statuum personarum, quam aliqui designant ad declarandam materiam respectivam. Primus eorum, qui splendide vivunt, ut magnates opulenti. Secundus eorum, qui suis redditibus vitam degunt non adeo splendide, ut cives mediocriter divites. Tertius artificum, qui suo se sustentant labore. Quartus denique pauperum mendicantium. Hæc inquam distinctio, licet præ oculis habenda sit, non tamen sufficit; quia in quolibet statu est magnum discrimen opulentię, & paupertatis. Ideo nulla aptior regula assignari valet ad dignoscendum furtum esse grave, nisi quando materia ablata sufficeret ad congruum unius diei alimentum personę, cui aufertur; victus enim unius diei juxta commune judicium est quid notabile: unde regulariter quatuor regales in Castella reputatur materia gravis respectu hominis ordinarii, at etiam duo regales respectu pauperis judicatur gtavis materia.

100. Nota, quod aliud est loqui de furto intrinsece, & in ratione furti, aliud de furto in ratione damni ab extrinseco, & per accidens: nam quod est leve in ratione furti, potest esse grave in ratione damni, ut si auferas a sartore acum, vel ab scriba calamum, sine quibus nequeunt laborare, nec comparare victum per integrum diem, committis peccatum grave ratione nocumenti notabilis ab extrinseco secuti. Verum si lata esset excommunicatio contra furantes, aut furtum esset reservatum, nec ex communicationem, nec reservationem incurreres, quia furtum grave in ratione furti non committis. D. Thom. *a.* 6. *ad* 3.

Punctum III.

De furtis minutis.

101. Inq. 1. Quot modis possint accidere furta minuta? R. tripliciter posse contingere. Vel quando unus solus surripit paulatim ab uno solo: vel quando unus solus aufert a pluribus, vel quando plures auferunt ab uno solo. Nota primo, quod major quantitas requiritur ad peccatum mortale in furtis parvis successivis, quam in unico furto: quia non adeo nocet damnum divisum, quam simul inflictum. Quænam vero sit mensura istius majoris quantitatis, certo nequit definiri, sed ex circumstantiis spectanda est.

102. Nota 2. quod furtum rei ex se levis potest esse peccatum grave ex sex capitibus. 1. ratione nocumenti, ut diximus de furante acu a sartore. 2. ratione scandali, ut si prævideas, quod dominus ob furtum leve sit blasphematurus, aut aliud crimen grave commissurus. 3. ratione gravis mœroris, quem prevides a domino concipiendum ob specialem affectum ad rem furatam. 4. ratione violentiæ, ut si rem parvam cum notabili violentia surripias. 5. ratione finis, ut si auferas quid leve ad grave crimen perpetrandum. 6. ratione intentionis, ut si rem parvam accipias animo prosequendi usque ad magnam quantitatem. Unde qui modica aufert prædicto animo, peccat graviter, & cum ad magnam quantitatem pervenerit, debet eam restituere sub gravi culpa, ut patet ex propos. 38. damnata ab Innoc. XI. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod oblatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Justissime propositio hæc proscripta fuit; aperiebat enim spatiosam portam ad furta, & latrocinia, quibus fures possent ditescere cum maximo dispendio reipublicæ. D. Thom. *ibid.*

103. Ut autem furta minuta in magnam quantitatem coalescant, opus est, ut moraliter conjungantur; absque morali enim conjunctione unum totum conflare, seu constituere nequeunt. Quantum vero temporis intervallum requiratur,

ut

ut interrupta moraliter censeantur, varia sunt placita. Verosimilius putamus, quod spatium quindecim dierum plus minusve inter unum, & aliud furtulum in personis ad ea non assuetis, & absque advertentia ad anteriora, sufficere ad moralem interruptionem. Unde si famula furtulis non assueta hodie surripiat rem levem absque animo ulterius accipiendi, & post quindecim dies, occasione casu oblata, & sine advertentia prioris furtuli, accipiat aliam levitatem, quæ cum priori simul accepta efficeret gravem materiam, non est damnanda ad lethale: quia, supposita ejus communi, ac regulari fidelitate, hæc duo furtula censentur disparata, tum ob desuetudinem famulæ ad illa; tum ob intervallum temporis sufficiens ad interrumpendum actum voluntatis. Si enim Concina unum integrum diem putat sufficere ad interrumpendos actus voluntatis circa omissionem restitutionis; cur quindecim dies non sufficient ad eos sejungendos circa furtula discontinuata? Corripiendi vero, & ad restitutionem cogendi sunt famuli a Confessario, dum invenerit eos hoc modo furasse; ut sic ab hujusmodi furtulis absterreantur, & ne ad majora gradum faciant.

104. Inq. 2. An modica surripiens usque ad magnam quantitatem peccet graviter in ultima acceptione, vel solum in retentione? R. in ipsa acceptione peccat graviter; quia licet illa acceptio ex se sit levis, relata tamen ad anteriora fit gravis: Sicut in jejunio, qui post leves comestiones sumit quid parvum, quo notabilis quantitas completur, graviter peccat. Unde in omnium opinione, qui post furtiola addit aliud, hoc tenetur restituere sub gravi, non alia ratione, nisi quia licet in se quid leve sit, tamen relatum ad priora grave constituit, ergo. Similiter de acceptione. Sicut in multis guttis cavantibus lapidem ultima est, quæ cavat in virtute præcedentium, ut de augmento charitatis per ejus actus ait D. Thom. 2. 2. *q.* 24. *art.* 6. *ad* 2.

PUNCTUM IV.

Alia dubia de furtis minutis.

105. Inq. 1. An qui post furtum grave aliquid leve ab eodem surripit, peccet graviter? R. sub distinctione. Nam vel illud restituit, vel restituere proposuit, vel de illo pœnituit, aut secus. Si primum, furtulum subsequens veniale est; quia est saltem moraliter diversum a furto priori. Si secundum, adest major difficultas. Nihilominus probabilius putamus novum furtiolum non esse grave peccatum, dum non fit animo prosequendi: alias qui furatus est unico actu mille aureos, si post aliquos dies casu surriperet unum assem, peccaret mortaliter, quod est durissimum. Igitur illud novum furtulum, nec ratione intentionis, nec ratione materiæ unitur moraliter cum præcedenti furto gravi, sed illo completo, incipit nova series furtorum levium, quæ ex se grave non constituunt, quamdiu ad magnam quantitatem non perveniant. Ita expresse P. Concina *lib.* 9. *in Decal. diss. unic. de furt. cap.* 4. *n.* 5. ubi ait: *Post completum furtum grave, & interruptum, si iterum surripias rem exiguam, non peccas mortaliter, sed venialiter: quia nova furtulorum series incipit.* Licet oppositum astruat paulo post ibi n. 16.

106. Inq. 2. An quando plures per furta minuta grave damnum inferunt uni, peccent graviter sub onere restituendi? R. 1. Quod si ex communi consensu se invicem hortantes, & excitantes conveniant ad damnum inferendum, omnes peccant graviter, ac singuli tenentur ad restitutionem insolidum; quia in hoc casu singuli quasi una manu concurrerunt, se cohortando ad damnum, ergo omnes, & singuli peccant graviter, ac tenentur restituere insolidum. Unde si ex eadem vinea, aut viridario simul cum aliis unum alterum racemum, aut pomum accipias, gravi damno ex omnibus secuto, peccas graviter, ac restituere teneris totum damnum in defectu aliorum.

107. R. 2. Quod si unus, nec excitet alios, aut eorum damni conscius sit, sed casu unum botrum ex vinea aliena accipiat, & similiter alius, & alius, ita ut quantitas sic ablata notabilis consurgat, nullus eorum peccat graviter, nec sub gravi tenetur restituere: quia nemo in particulari est causa per se damni notabilis, sed singuli perinde se habent,

ac si quilibet separatim modicam rem acciperet; quippe nec alium movet ad malum, nec scit ab aliis perpetratum esse. Contrarium est dicendum, quando plures scienter eodem concurrunt tempore, tunc quippe ad damnum grave conveniunt, ideoque graviter peccant; causant enim simul scienter grave damnum.

108. R. 3. Quod surripiens modicum post aliorum furta magna, aut parva, licet alias, furasse non ignoret, si illos non moveret, nec simul cum illis consentiat in malum notabile, nec graviter peccat, nec ad restituendum sub gravi astringitur: quia ex una parte modicum tantum damnum intulit; alias non movet alios ad magnum, ergo non peccat graviter, nec gravi restitutioni obnoxius est; sola enim notitia non sufficit ad inducendam moralem conjunctionem cum aliis furtis. Alias cum sciamus a Rege plura levia, aut gravia furari, graviter peccaret ex ejus bonis, vel unum obolum accipiens, quod nemo jure dicere valet. Hanc sententiam, quidquid dicat Concina, tuetur, præter alios, perdoctus Cuniliati *tract. 9. cap. 5. §. 1. num. 6.*

109. Objic. 1. qui post furtiola accipit quid leve, quod grave damnum conflatur, cooperatur ad notabile damnum, illud complendo, ergo est causa gravis damni, proindeque graviter peccat? R. illum cooperari, complereque damnum per quid modicum, quo per accidens respectu ejus consurgit damnum notabile, ad modum, quo aliis tibi minutim dantibus usque ad 99. alio postea dante unum, quo centum compleret, hic nec magnam quantitatem, aut utilitatem tibi conferret, nec esset causa totius doni, esto centum compleret.

110. Objic. 2. Omnes qui minutim damnum notabile inferunt, possunt compelli ad restituendum sub excommunicatione majori, ergo quia graviter peccant in levibus furtis. R. neg. consequentiam, quia excommunicatio tunc casus non imponitur ratione culpæ, sed ratione damni emergentis, ad quod avertendum juste imponitur; ideo non obtemperantes illam incurrunt, non quia receperunt, aut retinent absolute, sed quia justo præcepto non obediunt. Si hoc argumentum, cui nimis fidit Concina, teneret, probaret non solum posteriores levia furta committentes in casu peccare graviter, sed etiam primi, vel priores; omnes quippe subjacent excommunicationi, ut ex se patet; sed hoc secundum a nullo asseritur, ergo nec primum debet asseri, nec tenet argumentum. Nec est novum, præcipi sub gravi rem levem, quando graviter conducit ad finem Legislatoris. D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a.* 9.

Punctum V.

De furtis domesticorum.

111. Inq. 1. An filii surripientes ex bonis paternis peccent graviter? R. quod si auferant notabilem quantitatem ex bonis, quorum dominium, vel ususfructus residet penes parentes, absque eorum licentia, aut consensu peccant graviter. Patet ex *cap.* 28. Prov. *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Ratio id ipsum suadet; quia accipiens notabilem quantitatem, invito domino, peccat graviter, & filii, dum parentes vivunt, nullum dominium habent in bonis eorum, ergo si ex eis absque illorum consensu gravem quantitatem accipiant, peccant graviter.

112. Inq. 2. Quæ sit dicenda quantitas notabilis in furtis filiorum? R. non posse regulam generalem certo pro omnibus definiri, sed esse metiendam juxta varias circumstantias, inspiciendo parentum indolem, ac divitias, filiorum numerum, domus expensas, finem acceptionis, & id genus similia. His accurate perpensis, poterit Confessarius judicium efformare de furtis filiorum, ita ut nec facile damnet ad lethale, nec laxet habenas ad ea perpetranda. Omnes conveniunt in eo, quod major quantitas requiritur ad gravem culpam in furto filii divitis, quam pauperis: major etiam in quolibet furto filii, quam extranei, quidquid renuat, & simul concedat quidam Neothericus. Nam semper ægrius fertur furtum extraneorum, quam domesticorum. Unde, si quatuor regales sunt materia gravis respectu extranei, saltem sex requiruntur respectu filii. Quando patri

non

non displicet acceptio, nisi modus, solum est veniale, quia non est invitus quoad substantiam.

113. Supposita vero injusta acceptione materiæ gravis, tenentur filii patri eam restituere. Si autem non possint, debent illam postea in partitione cum aliis fratribus computare, nisi constet eosdem ex bonis paternis tantumdem expendisse, vel parentes condonasse ex his, quæ valent ex testamento relinquere. Excusantur filii a culpa, & restitutione, quando parentes, juxta conditionem status, non tribuunt eis necessaria ad victum, vestitum, & ad honestas recreationes. Aliqui addunt posse filios, qui negotia patris gerunt, accipere pro suo labore, & industria, quantum daretur extraneo, detractis expensis: verum hoc absolute admittendum non est, nisi ex vi alicujus pacti, quia sicut pater debet alere filios, ita isti adjuvare parentes in omnibus, quæ ad domus regimen, & incrementum spectant.

114. Parentes, qui, invitis filiis, de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quorum dominium, & administrationem habent, aliquid notabile surripiunt, peccant graviter, ob generalem rationem, quia rem alienam, invito domino, capiunt. Similiter culpæ gravis rei sunt parentes, qui rem familiarem dilapidant, aut prodige ludis, aliisve modis indebitis dissipant, sive omissione, negligentia, vel commissione.

115. Inq. 3. Quando peccent uxores accipiendo de bonis mariti? R. peccare graviter, & teneri restituere, quoties, invitis maritis, bona, quorum dominium, & administratio apud ipsos existit, in magna quantitate surripiunt; quia maritus privatur saltem administratione sibi pertinente. Verum major quantitas requiritur ad peccatum grave in furtis uxorum, quam extraneorum, ut diximus de furtis filiorum.

116. Objic. Tutor habet administrationem bonorum pupilli; & tamen pupillus surripiens de bonis propriis non peccat graviter, nec tenetur restituere, ergo nec uxor. R. neg. conseq. quia tutor habet administrationem bonorum pupilli solum in commodum ipsius pupilli; at maritus habet generalem administrationem in commodum proprium, cujus notabilis privatio injusta culpam gravem injustitiæ constituit.

117. Verum in septem casibus possunt uxores absque reatu culpæ, saltem gravis, quædam bona accipere. 1. dum maritus omittit subministrare necessaria ad familiæ sustentationem, & rectam educationem. 2. ad impediendum grave malum spirituale, aut temporale ejusdem viri, aut familiæ. 3. quando vir est amens, & uxor administratrix evadit. 4. quando prudenter viri consensus præsumitur. 5. ad faciendas eleemosynas consuetas juxta conditionem sui status. 6. quando vir est dissipator, potest uxor clam accipere pro familiæ meliori regimine. 7. ad succurrendum extreme, vel graviter indigenti, præcipue suis, vel mariti fratribus, aut conjunctis.

118. Inq. 4. Quid sit dicendum de furtis famulorum? R. quod furta famulorum, quando fiunt de pecuniis, aut aliis rebus, etiam de esculentis extraordinariis, aut delicatioribus, sunt peccata gravia restitutioni obnoxia, si pertingant ad quantitatem gravem supra pro extraneis indicatam: nulla enim ratio famulos excusat ad talia surripienda. *Catechismus Romanus part.* 3. *cap.* 8. *n.* 9. dicit, famulos infideles detestabiliores esse latronibus extraneis, quibus clausa est janua. Hinc dictum est latro a latere, eo quod a latere adoriatur. Fideles sint dominis, *non fraudanter*, ut Apost. præcipit. 2. ad Tit. Furta vero eorum de esculentis, aut poculentis communibus, & ordinariis ad edendum, vel bibendum raro reputantur gravia, licet ad notabilem quantitatem sensim perveniant, nisi ad extraneos, seu ad vendendum accipiant. Nam domini non ignorant, attenta humana fragilitate, vix posse alligari os bobi trituranti. Semper increpari, quandoque etiam ad restituendum compelli debent famuli ob furta etiam minuta, ne eis assuescant, aut ne ratione occasionis frequentioris ad maiora perveniant. Aliqui hic annectunt disputationem de furtis religiosorum: sed de his opportunius agetur in tractatu de statu religioso: ubi tanquam in proprio loco videri valet, quid congruat paupertati religiosæ: justitia enim æque religiosos, ac cæteros astringit.

TRAC-

TRACTATUS DECIMUS NONUS

DE RESTITUTIONE.

IN hoc tractatu, qui æque prolixus, ac utilis est, prius agemus de restitutione in communi, de conditionibus, loco, ordine, modo, tempore, & personis, quibus debet fieri: deinde de restitutione exhibenda ob peculiares injustitias contra proximum, sequentes doctrinam D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *& alibi.*

CAPUT I.

De restitutione in communi.

PUNCTUM I.

Notio, & præceptum restitutionis.

1. Inq. 1. Quid sit restitutio? R. Quod restitutio in communi idem est, ac reddere aliquid alteri, sive ex justitia, aut alio titulo. Sic aliquis dicitur se in patriam, sanitatem, seu in amissam dignitatem restitui. Restitutio vero proprie dicta est *actus justitiæ commutativæ, quo damnum proximo irrogatum reparatur.* Ponitur loco generis *actus justitiæ*, quia in hoc convenit cum actu justitiæ legalis, & distributivæ. Per ly *commutativæ* cum reliquis particulis secernitur restitutio ab actibus justitiæ legalis, & distributivæ, ex quorum violatione non oritur obligatio restitutionis, nisi simul violetur justitia commutativa: Igitur restitutio est actus solius justitiæ commutativæ, ut docet D. Thom. *loc. cit. art.* 1. *ad* 3.

2. Differt vero restitutio a solutione, & a satisfactione; ab illa, nam restitutio supponit damnum irrogatum, non autem solutio, ut dum solvimus pretium rei emptæ, vel vota Domino. Differt a satisfactione; tum, quia hæc latius patet quam restitutio: omnis enim restitutio est satisfactio, non vero econtra. Tum, quia satisfactio proprie consistit, aut fit in actionibus, & passionibus; restitutio fit de rebus. Tum, quia satisfactio potest esse pars integralis pœnitentiæ, secus restitutio, hæc enim reddit secundum æqualitatem rei ad rem, quod non valet agere satisfactio. Tum denique, quia satisfactio proprie sumpta supponit injuriam personalem, non autem restitutio. Verum, quia hæc nomina in communi acceptione coincidunt, uno, vel altero utemur, pro majori explicatione reddendi unicuique quod suum est.

3. Inq. 2. An detur præceptum restituendi? R. Dari præceptum naturale, divinum, & humanum restituendi: quia in primis sicut jus naturale præcipit, ne rem suam ab alio auferas, ita præcipit, quod ei rem ablatam reddas. Deinde jure divino, *Ezechiel.* 33. dicitur, non remitti culpam, nisi reddatur rapina. Denique, jure humano passim præcipitur per leges civiles, & canonicas præcipue, *in cap. Si res aliena* 14. 16. ubi ex August. dicitur: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

4. Restitutio est necessaria necessitate præcepti, non necessitate medii absolute, ut baptismus in re, vel in voto, quia si quis invincibiliter ignoraret rem esse alienam, vel obligationem restituendi, absque restitutione in re, nec in voto potest consequi æternam salutem. Quando autem in re fieri valet, est de necessitate salutis, seu necessaria necessitate medii.

5. Inq. 3. An præceptum restituendi sit affirmativum, aut negativum? R. esse affirmativum. Prob. 1. ex D. Thom. *loc. cit. art.* 8. *ad* 1. ubi aperte supponens esse formaliter affirmativum, addit implicare etiam negativum his verbis: *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alienam retinere.* Ac si diceret, præceptum restituendi, quamvis sit affirmativum, affert secum præceptum non retinendi rem alterius, & ideo obligat ad statim. Si hæc non esset mens D. Thom. posset facilius

ur-

argumento sibi objecto respondere: præceptum restituendi esse negativum, obligareque ad semper, & consequenter ad statim. Nec dicit S. D. *Quamvis secundum formam appareat affirmativum*, ut aliqui interpretantur; sed *quamvis sit*: Est ergo vere, & formaliter affirmativum. Igitur sicut præceptum sciendi mysteria fidei est affirmativum, afferens secum præceptum ea non ignorandi, ex qua parte obligat semper, aut statim, ac opportunitas occurrat; ita pariter præceptum restituendi obligat semper, ac statim. D. Thom. *ibi. a.* 8.

6. Prob. 2. ratione: quia præceptum restituendi præcipit per se actionem: illud enim præceptum, quod numquam potest impleri absque actione, per se, & non per accidens præcipit actionem; sed hujusmodi est præceptum restituendi, ut consideranti constabit, ergo est affirmativum. *Confirmatur*: quia præceptum pœnitendi est apud omnes affirmativum, erg. etiam præceptum restituendi. Patet conseq. quia pœnitere nihil aliud est, nisi restituere suo modo, seu reintegrare pro posse jus divinum læsum. Unde præceptum pœnitendi solum differt a præcepto restituendi in eo, quod non possumus reddere Deo æquale, sicut homini. Verum sicut pœnitentia supponit jus divinum læsum, & jubet satisfieri, ita restitutio supponit jus humanum læsum, & præcipit reintegrari, ergo sicut primum est affirmativum, etiam secundum. *Confirm.* 2. nequit idem præceptum obligare, & non obligare omnes; sed præceptum non furandi obligat omnes, & præceptum restituendi non omnes obligat, ut ex se patet, ergo non sunt idem. Quædam distinctiunculæ v. g. *implicite*, & *explicite*, ut alienæ ab studio morali proscribi debent a præsenti quæstione.

7. Objic. 1. cum Concina hic: Retinere rem alienam, invito domino, furtum est; sed furtum præcepto negativo vetatur, ergo præceptum restituendi est negativum. R. neg. major. quia furtum est acceptio occulta; retentio vero potest esse non occulta, unde licet quoad peccatum sæpe conveniant, metaphysice tamen, & proprie loquendo valde differunt. Potest enim quis retinere licite rem alienam in circumstantiis, in quibus illam non potest furari, aut clam a domino accipere. Nec valet respondere, quod in illis circumstantiis non est dominus rationabiliter invitus: nam hoc ipsum manifestat retentionem valde differre a furto; hoc enim in illis circumstantiis non est licitum. *Præterea*, si daretur excommunicatio non furandi, retentor morosus pecuniæ mutuo acceptæ non illam incurreret: igitur furtum, & retentio etiam morosa valde differunt.

8. Objic. 2. præceptum jejunandi, esto appareat positivum, revera est negativum, ergo pariter præceptum restituendi. R. neg. conseq. præceptum enim jejunandi est negativum, quia nullam actionem præcipit; qui enim toto die jejunii nihil prorsus comederet, optime jejunaret. Cujus oppositum exigit præceptum restituendi; jubet quippe reddere positive æquale, seu ponere in effectu æqualitatem læsam per injustam actionem, sive alias a justitia postulatam. Objectio confirmat nostram sententiam: quia præceptum negativum nulla indiget actione pro sui adimplectione, cujus oppositum accidit in præcepto restituendi.

Punctum II.

De radicibus restitutionis.

9. Inq. Ex quibus radicibus oriatur obligatio restitutionis? R. oriri ex duplici radice, nempe *ex re accepta*, & *ex injusta actione*. *Ex re accepta*, quando nimirum rem alienam accipis bona, vel mala fide, teneris ad restitutionem: quia res ubicumque sit, domino suo clamat. Ex *injusta actione*, nempe ex quacumque læsione, seu culpa contra justitiam commutativam, damno secuto, ut ex homicidio, mutilatione, adulterio, stupro, infamatione, furto, rapina, aut quid simile. Non requiritur, ut utraque radix simul concurrat, ut quis astringatur ad restitutionem; qualibet enim astante datur obligatio, ut si res aliena apud te sit bona fide, teneris ex re accepta tantum: si autem ex furto eam habes, teneris ex utraque, videlicet ex re accepta, & injusta actione. Aliquando etiam teneris ex sola actione injusta, ut ex homicidio, aut incendio voluntario

rio causato.

10. Sed est duplex discrimen in onere restituendi, quando utraque radix concurrit, ut in fure, vel injusto damnificatore, ac quando solum datur ex re accepta. *Primum*, quod ex re accepta solum datur obligatio restituendi, quando ipsam in specie retines, vel id in quo factus es ditior: ita ut, si in nihilo factus sis ditior, ad nihil teneris. At quando oritur ex injusta actione, teneris ad restitutionem, esto res pereat, nec factus sis ea ditior. *Secundum*, quod ex injusta actione teneris statim restituere, vel dum commode fieri possit; verum ex re accepta, solum tempore præfinito inter partes, ut in venditione, aut deposito.

11. Quidam assignant aliam duplicem restitutionis radicem, videlicet *contractum, & sententiam judicis.* Sed, re pressius inspecta, utraque reducitur ad duplicem supra assignatam, quia si est ex sententia judicis, oritur ex *re*, vel *actione injusta*, saltem *juridice.* Si ex contractu debetur, trahit originem ex *re accepta.* Ex re igitur *accepta*, & *actione injusta*, sive moraliter, sive juridice, sive physice, aut imputative oritur obligatio restituendi, vel reddendi unicuique quod suum est.

Punctum III.

De culpa, ex qua oritur obligatio restituendi.

12. Inq. 1. Ex quali culpa oriatur obligatio restituendi? R. solum oriri ex culpa contra justitiam commutativam, quia solum ex violatione hujus justitiæ aufertur æqualitas alteri stricte debita. Unde ex culpa, seu injuria contra charitatem, pietatem, misericordiam, & reliquas virtutes, esto inde sequatur alteri damnum, præfata obligatio non oritur. Ideo omittens succurrere infirmo, aut extreme indigenti, aut cuicumque alio, quibus ex justitia non teneris, minime obligationem restituendi contrahis; licet ex tua omissione moriatur, aut aliud damnum patiatur. D. Thom. *a.* 1.

13. Inq. 2. Quotuplex sit culpa restitutionis obligationem inducens? R. Dividi in primis in *theologicam*, & *juridicam.* Culpa *theologica* est peccatum, sive mortale, sive veniale. *Juridica* alia est positiva, ut omnis actio contra justitiam commutativam. Alia negativa, & est *omissio diligentiæ debitæ.* Deinde culpa juridica negativa est triplex, nempe *lata, levis*, & *levissima. Lata* est omissio diligentiæ, quam homines talis status, aut professionis adhibere solent pro tali negotio: hæc culpa etiam appellari solet *latissima*, uti est dolus manifestus, ut si custos rei alienæ dormit, aut se dormire fingit: *latior* etiam solet dici, & est dolus præsumptus, ut si custos sciens, & potens impedire furtum, illud non impedit. *Levis* culpa est omissio diligentiæ, quam prudentiores apponere solent, ut si quis rem depositam, seu comodatam relinquat janua non clavi occlusa. *Levissima* est omissio diligentiæ, quam prudentissimi, seu vigilantissimi adhibere solent: ut si in casu dicto januam clavi quidem clauserit, sed manu non tentat illam ad experiendum, num bene sit clausa.

14. Quando nulla ex his culpis adest, non datur obligatio restitutionis, exceptis tribus casibus infra referendis. Ideo, si puteum apertum relinquis in loco remotissimo; aut in eodem, vel simili loco adferas capiendas laqueum paras, aut sagittam emittis, non teneris ad damnum, quod forte accidit. Econtra, si puteum apertum, vel laqueum paratum relinquas in loco, per quem homines, aut animalia transire solent, vel ignem prope domum, aut segetes accenderes, neglecta diligentia debita, culpæ juridicæ reus esses, & saltem in foro externo, totum damnum deberes restituere.

15. Tres excipiuntur casus, in quibus post sententiam Judicis, non ante eam, tenetur quis ad restitutionem. *Primus*, quando animal tuum alterius animal lædit, aut occidit, aut segetes conculcat, vel aliud damnum infert: teneris, aut animal tradere, aut damnum compensare, nisi animal tuum fuerit invasum, aut si ad feram, quam ligatam tenes, animal accedat, & lædatur. *Titul. Si quadruplex inest. Secundus*, si mancipium tuum absque tua culpa alterum culpabiliter lædat sive in persona, sive in bonis,

nis, teneris, vel mancipium tradere, vel damna restituere. *Ex Inst*, §. *Domino.* Si autem servus tuus inculpabiliter lædat, uterque liber est a restitutione. *Tertius* casus est, quando ex domo tua aliquid projicitur in viam, & non fuerit proclamatum: esto damnum absque tua culpa illatum sit, si caput domus es, teneris ad duplum: si capiti vivo nocuit, debes solvere expensas curationis, & omne aliud damnum inde secutum. Si aliquid ex domo tua appensum est in via, & de facto decidens nocuit, teneris ad damni restitutionem: si vero non nocuit, is, qui illud apposuit, debet solvere decem aureos propter periculum, & caput familiæ alios decem, si vidit, aut scivit: *L. 1. ff. de his qui dejiciunt, vel effendunt.*

16 Ex dictis sequitur primo, quod, seclusis tribus enumeratis casibus, non tenetur restituere ille, apud quem res aliena periit ex casu fortuito: quia casus fortuitus est *inopinatus eventus, quem natura humana prævidere non potest*; ideoque similes casus sunt extra humanam prudentiam, ut si domum locatam habeas, & igne, aut tempestate destruatur; si equum conductum recipias, & casu moriatur, vel a fure rapiatur, ad nihil teneris: nisi in casu, quo in pactum deducas, te velle obligari etiam ad eventus fortuitos, vel nisi commodatarius ad alia usus fuerit re commodata, vel sit in mora culpabili reddendi eam tempore debito: quia tunc ad restitutionem tenetur, nisi forte res eodem modo peritura esset apud dominum, vel nisi debitor prudenter judicaret domino non displicere illum alium usum, vel moram.

17. Sequitur secundo, quod, si dans operam rei illicitæ fuit causa damni, nec prævisi, nec intenti, nec ex sua actione per se secuti, non tenetur in foro interno ad ejus restitutionem: quia tale damnum non fuit illi voluntarium, sed omnino per accidens secutum. Aliud est in foro externo, de quo nunc præscindimus. Si autem damnum illud prævideres, ac intenderes, ad satisfaciendum astringeris, quia tibi jam est voluntarium.

18. Sequitur tertio, quod ignorantia non solum antecedens, sed etiam concomitans excusat ab onere restitutionis, ut si projicias sagittam adhibens omnem diligentiam, ne alteri damnum inferas, & tamen ita affectus, ut si scires hominem transire, eum occideres, transit homo, & occidis, ad restituendum damnum non teneris, quia hujusmodi occisio non est voluntaria, quidquid dicat hic Concina, a quo possumus inquirere, cur ipse astruit matrimonium contractum cum ignorantia concomitanti personæ esse invalidum, nisi quia deficit consensus actualis? Dicat igitur idipsum in præsenti, fatendo non dari consensum actualem ad homicidium, vel hoc non provenire a voluntate actuali.

PUNCTUM IV.

De qualitate culpæ requisitæ, ut inducat obligationem restituendi ex delicto.

19. Inq. 1. Ex quali culpa oriatur obligatio restituendi? R. 1. Quod obligatio levis restituendi materiam levem oritur ex culpa levi, ut si ex culpa levi inferas damnum leve, teneris sub levi illud restituere.

20. R. 2. Quod obligatio restituendi materiam gravem solum provenit ex culpa lata juridica, simul cum gravi theologica: quia ex natura rei obligatio ad pœnam gravem, seu quasi pœnam supponit gravem culpam; ergo ubi non adest culpa gravis, nequit ex natura rei adesse gravis obligatio ad pœnam, aut quasi pœnam gravem, qualis est restitutio, & consequenter solum ex culpa lata juridica simul cum gravi theologica oritur ejus obligatio.

21. Objic. 1. Ex culpa gravi nascitur obligatio gravis, ergo ex culpa levi oritur obligatio levis restituendi materiam gravem. R. neg. conseq. quia obligatio ad materiam gravem nequit ex natura rei esse levis, debet namque dari proportio inter materiam, & obligationem, ut cernitur in omni præcepto naturali.

22. Objic. 2. Qui occidit equum alterius, putans valere quinquaginta aureos, si valeat centum, ad centum tenetur, ergo qui occidit aliud animal putans valere duos regales, si valeat vi-

ginti, ad viginti astringitur. R. neg. conseq. quia in primo casu datur injuria gravis, qua supposita, ad totum damnum ex sua injusta actione secutum tenetur. In secundo vero solum datur injuria, & culpa levis, ex qua nequit consurgere obligatio gravis ex natura rei, & in foro conscientiæ, si vere illa levis sit.

23. Inq. 2. An ex culpa juridica levi, aut levissima animo nocendi commissa oriatur obligatio restituendi? Vel, an advocatus, medicus, aut chirurgus apponens diligentiam debitam, omittens vero exactiorem, aut exactissimam animo nocendi teneatur ad restituendum damnum clienti, aut infirmo secutum? R. neg. quia ubi non datur influxus in damnum, non adest obligatio restituendi; sed in casu quæstionis non datur influxus in damnum, ergo nec obligatio restituendi. Prob. min. quia non datur influxus positivus, ut supponitur, alias nec imputativus; hic quippe solum datur in omissione contra justitiam, aut in omissione diligentiæ debitæ ex justitia, ergo cum omissio diligentiæ quæstionis præsentis tantum sit exactioris, aut exactissimæ indebitæ ex justitia, caret influxu etiam imputativo in damnum: proindeque immunis est ab obligatione restituendi.

24. Nec valet dicere, quod talis obligatio non oritur præcise ex omissione, sed ex animo nocendi juncto cum omissione: Nam si ipsa omissio, saltem imputative, non influit, nec juncta cum animo quit influere; animus enim actus internus est, ideoque nisi supponat influxum in damnum, non subit obligationem restituendi, cum hæc a solo influxu injusto damni oriatur.

25. Objic. 1. D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 4. docet, quod si quis recto animo impedit, ne dignus acquirat beneficium, ut detur digniori, ad nihil tenetur; si autem impediat animo nocendi digno, ad aliquid compensandum astringitur, ergo pariter de omissione levi, aut levissima eodem animo commissa. R. quod D. Thom. adducitur hic extra chorum. Nam tantum loquitur de actione positive influente in damnum, non vero de omissione, quod est valde diversum, ut statim videbimus.

26. Objic. 2. Cum Concina ex authoritate præfata sic arguente. Ex hac Angelica doctrina eruitur eandem actionem exteriorem ex sola affectuum, animorumque diversitate in uno, secus in alio debitum *parere restitutionis*, ergo omissio levis, aut levissima ex animo nocendi debitum parit restitutionis. R. consequentiam non tenere. Concedimus actionem ex diversitate animorum esse justam, aut injustam, parereque sæpe debitum restituendi, sed non tenet in omissionibus; alias omnis omissio contra charitatem ex animo nocendi pareret idem debitum, quod negat Concina cum aliis, esto inconsequenter. Cur enim omissio gravis contra charitatem ex animo nocendi non parit obligationem restituendi, si illam parit omissio levis, aut levissima juridica ex eodem animo orta? Si namque animus pravus junctus omissioni levissimæ illam efficit injustam; pariter animus pravus alteri nocendi junctus omissioni gravi contra charitatem, illam constituit graviter injustam; hæc per vos non parit obligationem restituendi, ergo nec illa. Igitur disparitas inter actionem, & omissionem consistit in eo, quod actio exterior præstat influxum positivum, ut fundamentum injustitiæ, adveniente pravo animo, omissio vero, cum nullum præstet influxum positivum, solum tribuit imputativum in illis, qui ex justitia debent mala impedire. Qui ad hoc ex justitia non tenentur, nec restitutioni per omissionem astringuntur.

27. Idem respondetur exemplis, quæ pro exponenda contraria opinione adduci solent, ut de cenante calida affectu se nutriendi, vel se polluendi, & de recipiente latronem, vel ut talem, vel ut amicum. Hæc, & similia nihil probant, cum vere afferant influxum positivum in effectum, qui proinde diversimode imputatur, accedente animo bono, vel malo: quod optime, sed non aliud quoad præsens, docet D. Thom.

28. Ex dictis sequitur, quod qui perpetraret delictum, prævidens ex hoc alteri secuturum damnum, idque vere intenderet, ad omnis damni restitutionem teneretur. Si autem id non intenderet, licet alteri imputandum ex aliorum malitia prævideret, solum teneretur restitue-

quere innocenti, quod coactus est dare parti læsæ, non vero totum damnum subire: quia non fuit causa, ut alteri delictum imputaretur, sed hoc provenit ex malitia aliorum; unde si propter homicidium injuste imputatum innocens ad mortem raperetur, non teneretur occisor se prodere, nisi, vel illius gladio utens, vel illius pallio coopertus, homicidium perpetrasset, quia tunc jam fuit causa imputationis.

PUNCTUM V.

De culpa, ob quam teneatur quis ad restitutionem ex officio, aut ex contractu.

29. Inq. 1. Ex quali culpa teneatur quis ad restituendum ex officio? R. quod nec ex officio tenetur quis restituere ex culpa levi, aut levisima, sed tantum ex culpa lata simul cum gravi theologica: quia non tenetur ratione rei acceptæ, ut supponitur, nec ex actione injusta: quia actio injusta non datur, ubi quis apponit diligentiam, quam adhibere solent prudentes in tali officio, ergo solum ex culpa lata, & non ex levi, aut levissima oritur obligatio restituendi ex officio.

30. Aliqui limitant primo, nisi quis promitteret apponere diligentiam exactiorem, aut exactissimam. Secundo, nisi assumat officium, vel locet operas circa res, quæ summam diligentiam, & cautionem exigunt: tunc enim, ajunt, teneri restituere, etiam ex culpa levi, aut levissima. Quod licet verum contineat absolute; tamen juxta dicenda, in idem incidit: quia in his casibus omisrio majoris, aut exactissimæ diligentiæ jam est culpa lata respectiva, quæ in tali officio, negotio, aut circumstantiis vitari debet sub gravi.

31. Ex culpa igitur lata simul cum gravi theologica oritur obligatio restituendi in omni artifice, medico, chirurgo, Parocho, Confessario, advocato, & cæteris cujuscumque professionis, ad quos pertinet resolutio, seu consultatio, si non apponant diligentiam juxta qualitatem negotii, ne damnum alteri ex sua operatione, aut consultatione sequatur; quia ex officio, & professione tenentur id scire, & in operando, aut respondendo errorem vitare. Excusarentur autem a restitutione, si solum dicerent se ita sentire, vel se dubitare, non suadendo, ut alter suum judicium sequatur, sed admonendo, ut alios peritiores consulat, quia tunc, si damnum consulenti adveniat, sibi, non consultori, imputare debet.

32. Inq. 2. Qualis culpa requiratur, ut sit obligatio restituendi ex contractu? R. nec ex contractu oritur talis obligatio in foro conscientiæ, nisi ex culpa lata simul cum theologica gravi: quia nemo ex contractu tenetur majorem adhibere diligentiam in conservatione rei alienæ, quam propriæ, nec ex vi contractus aliquis obligatur ad majorem diligentiam, quam solent prudentes in tali materia adhibere, ergo solum ex culpa lata simul cum theologica oritur saltem in foro conscientiæ obligatio restituendi. Unde sive contractus sit in commodum tui, sive in commodum alterius, sive in commodum utriusque, solum teneris restituere ex culpa lata, prout dictum est, sive ex omissione graviter culpabili illius diligentiæ, quam prudentes in tali materia, & contractu adhibere solent, nec aliud disponunt, saltem pro foro interno, leges civiles, quæ communiter adducuntur ab authoribus contrariæ opinionis.

33. Sed ad concordiam revocabis utramque sententiam notando, quod culpa levis, aut levissima dupliciter accipi potest. Primo *absolute*: Secundo *respective*: culpa enim, quæ in uno reputatur levis, in alio gravis evadit. Nam irreverentia, quæ in aliis levis est, in filio respectu patris consurgit gravis: defectus, qui in sæculari leves judicantur, in religioso, Parocho, aut Episcopo sunt graves. Ita culpa, quæ in uno contractu est levis, in alio, ubi major diligentia exigitur, erit gravis. Unde optime conciliatur, quod ex una parte non detur obligatio restituendi, nisi ex culpa lata: & ex alia dari talem obligationem etiam ex levi, aut levissima; quia hæc in contractibus, qui majorem diligentiam postulant, est respective lata; quoniam tunc datur culpa lata, quando quis non adhibet

hiber illam diligentiam, ad quam tenetur: multoties autem tenetur ad diligentiam exactiorem, aut exactissimam, ergo si illam omittat, tenetur ad restituendum ex culpa, quæ esto absolute sit levis, respective tamen gravis, & lata est.

Punctum VI.

De obligatione restituendi ex re accepta.

34. Inq. 1. Quis teneatur ad restituendum ex re accepta? R. quod tenetur ille, apud quem res existit, & dicitur possessor bonæ, vel malæ fidei: hic ante omnes alios restituere debet rem apud se repertam, si absque justo titulo eam possideat, quia res ubicumque sit, domino suo clamat. *Ang. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 1.*

35. Inq. 2. Quis sit possessor bonæ, aut malæ fidei? R. quod possessor bonæ fidei est ille, qui rem alienam accipit, aut retinet absque conscientia peccati mortalis, quia invincibiliter putat esse propriam, aut ignorat esse alienam; esto alias venialiter peccet circa negligentiam in tali notitia acquirenda: quia venialis culpa non tollit bonam fidem simpliciter, ut diximus agentes de præscriptione. Possessor malæ fidei ille est, qui vel scienter, vel sub dubio accipit, aut retinet rem alienam, vel cum ignorantia crassa, supina, aut affectata, ita ut in acceptione, vel retentione peccet graviter.

36. Inq. 3. Quid teneatur restituere possessor bonæ fidei? R. quod possessor bonæ fidei, quamdiu in bona fide perdurat, potest rem consumere, alienare, aut vendere, quia ejus dominus invincibiliter reputatur. Habita vero notitia, rem esse alienam, seque obligatum ad eam domino restituendam, nec esse præscriptam, tenetur ipsam, cum prius commode valeat, domino tradere, vel in toto, si extet, vel in parte, aut id, in quo ditior factus sit. Quod verum est, sive illam contractu gratuito, ut per donationem, sive contractu oneroso, dato pretio, acceperis, quia res semper domini est. Nec iste tenetur dare tibi pretium, quia non tenetur rem suam emere, nisi tu prius, non tibi, sed in gratiam domini, eam a fure emeris.

37. Si, durante bona fide, rem consumpsisti, vel ipsa casu, vel etiam ex tua culpa pereat, vel eodem, aut minori pretio, quo emeras, vendidisti, ad nihil teneris; quia nec ex injusta actione, ut supponitur, nec ex re aliena, quæ non extat, obligaris. Si autem apud te existat, licet non in se, in suo tamen equivalente, quia in aliquo ex ea factus es ditior, ad hoc restituendum teneris: ut si rem dono accepisti, & eam vendidisti, totum pretium, deductis expensis, restituere debes. Si frumentum, aut vinum alienum consumpsisti parcens tuis, si equo alieno iter egisti, si ex cibo alieno comedisti: in his, & similibus, id, in quo factus es ditior, domino reddere teneris. In æquali dubio, an sis factus ex aliena re locupletior, pro rata dubii restituere debes arbitrio viri prudentis.

38. Si autem consumpsisti in ludo, vel in aliis rebus, in quibus alioquin nihil esses consumpturus, ad nihil teneris, quia in nihilo factus es ditior. Imo, si occasione rei alienæ splendidius vixeres, ad nihil obligaris, quia esto occasione ejus statum mutaveris, in nihilo tamen factus es ditior. Addunt plures, non immerito, illum, qui bona fide hæreditatem alienam possidens fecit de suis donis majores expensas, quam alioquin facturus esset, posse in restitutione detrahere expensas factas, quas non esset alioquin facturus. Sed hoc caute est accipiendum.

39. Inq. 4. An qui recipit, aut emit bona fide a fure res usu consumptibiles, ut vinum, triticum, oleum, vestem, aut quid simile, teneatur ad restituendam rem, si extet, aut id, in quo factus est ditior? Quæstio autem est de fure potente aliunde restituere, nam si impotens sit, omnes asserunt debere restitui res vel id, in quo factus est ditior; quod est commune omni possessori bonæ fidei. In præsenti vero idem tenendum est de possessore malæ fidei cum differentia, quod hic totum, ille tantum id, in quo factus est ditior, debet, vel non domino reddere. Circa quam difficultatem triplex militat sententia. Prima affirmat. Secunda negat. Tertia distinguit, cum qua:

40. R. Si res usu consumptibiles permix-

mixtæ sint cum aliis rebus latronis, ita ut in hujus dominium transierint, non tenetur ad aliquid domino restituendum eas emens pretio, aut gratuito a fure recipiens; secus vero dicendum, si impermixtæ permaneant. Hæc secunda pars prob. quia res semper est domini, ubicumque fuerit, ergo ad quemcumque possessorem transeat, onere eam domino restituendi transit. Prima autem pars, in qua est præcipua difficultas, prob. quia recipiens, aut emens res prædicto modo permixtas, non recipit res prioris domini, qui dominium earum per commixtionem cum aliis furis amisit, sed recipit res ipsius furis, qui per commixtionem dominium illarum acquisivit, ergo eas sic recipiens, aut emens ad restituendum non tenetur.

41. P. Concina tom. 7. de just. pag. 60. num. 9. ait, hanc sententiam, quam cum aliis defendunt Salmanticenses, sibi esse probabiliorem, sed non tutam, quia dicit, se non videre, cur hæc permixtio tantæ virtutis sit, ut spoliare priorem, dominum possit jure, quod habet. Sed in *primis*, si sententia hæc probabilior est, utique tuta in conscientia est; quia tuta conscientia possumus sequi opiniones probabiliores, nisi Concina velit subscribere tutioristis. *Deinde*: eo ipso quod videt opinionem hanc esse probabiliorem, videt permixtionis virtutem. *Præterea*, en exemplum, quo videtur dominum astringi ad restituendum per commixtionem. Si recipias a Petro pecunias custodiendas, easque impermixtas teneas, & pereant absque tua culpa, ad nihil teneris. Si vero eas cum tuis pecuniis admisceas, & pereant eodem modo, ad earum restitutionem astringeris, quia dominium earum acquisisti; & domino respectivo in utroque casu pereunt, unde impermixtæ pereunt Petro, permixtæ autem tibi. En quomodo permixtio tribuit, & tollit dominium, & obligationem. Si ergo permixtio imponit obligationem restituendi, cur non liberabit a restituendi obligatione? Si potens est ad unum, cur non erit potens ad aliud? Vide Cunil. *tract. 9. de domin. cap. 2. §. 11. n. 4. & 5.*

42. Idem est dicendum, si quis bona fide pecunias furtivas recipit a fure emente suam rem, aut non furtivas pro equo alieno, quem bona fide vendit, nam si tales pecunias impermixtas conservet, tenetur illas vero domino comparenti tradere; at si jam eas permixtas cum aliis propriis habeat, non astringitur illas ei reddere, propter supradictam rationem innixam legibus civilibus, quæ decernunt acquisitionem dominii per commixtionem. Sed adverte, quod semper ac res aliena eadem numero ad te perveniat, ex jure naturæ teneris restituere domino saltem id, in quo factus es ditior. Imo si eadem apud te conservetur, non sufficit reddere aliam similem, aut pretium, sed ipsa reddenda est, maxime, si dominus specialem affectum ad illam habeat. Nisi alias detur justa causa eamdem ipsam non reddendi.

Punctum VII.

De restitutione facienda a possessore malæ fidei.

43. Inq. 1. Ad quid teneatur possessor malæ fidei? R. Quod tenetur rem quantocius domino restituere, si extet; si autem eam consumpsit, vendidit, aut casu ipsa periit, etiam absque ejus culpa, totum ejusdem rei pretium restituere debet. Insuper omne lucrum cessans, & damnum domino emergens satisfacere tenetur, ut si auferas equum, cum quo dominus esset lucraturus, aut alium conducere cogatur: idem est de nummis mercatori ablatis, ex quorum ablatione dispendium est passus, sive in lucro cessante, aut damno emergente, ad omnia restituenda teneris. Est enim per tuam injustam ablationem, aut retentionem causa omnis damni.

44. Inq. 2. An si res peritura esset apud dominum, teneatur restituere, qui eam rapuit? R. Tria esse certa circa hoc dubium. 1. quod si dubites, an peritura esset apud dominum, teneris restituere rem, aut pretium ejus saltem juxta æstimationem dubii, licet absque tua culpa apud te pereat. Idem est de depositario, aut debitore, qui fuerit in mora reddendi rem alienam. 2. quod licet constaret, quod res periisset apud dominum injuste, quia alius fur eam esset rap-

rapturus, non excusari a restitutione, quia præveniendo furtum alterius, suscipis, aut prævenis onus restitutionis. 3. quod esto scias rem apud dominum casu fortuito, incendio, aut naufragio perecundam, si tamen illam tibi subripuisti, teneris ad eam restituendam, si extet, vel ejus pretium: quia eam rapuisti, non ut domino servares, sed in tui commodum, ergo teneris restituere tam ex re accepta, quam ex actione injusta; quare, si casu apud te pereat, tibi imputare debes, quod per injustam acceptionem onus restitutionis subeas. Verum est, quod res tempore periculi, puta belli, minus valent, ideoque circa taxationem pretii, si ipsa periit, periculum præ oculis habendum est.

45. Si autem res ablata eodem tempore, ac periculo apud te pereat, ac esset peritura apud dominum, puta eodem naufragio, eodem incendio, eadem urbis devastatione, & similibus, non teneris ad restitutionem, quidquid dicat Concina, quia nullum damnum reale intulisti domino, cui non tam injusta actio tua, quam voracitas flammarum, aut furor maris rem devoravit; atque ideo ex tua actione injusta nullum damnum reale passus est, supposito, quod in eodem tempore, ac periculo eam amisisset. Solum ergo teneris restituere rem, vel pretium ejus, quando periculum non est commune, aut ab eo eam liberasti, ut si in urbis devastatione abscondisti rem alterius ab hostibus, aut eripuisti a faucibus feræ ovem Petri. In his, & similibus, in quibus res quocumque modo liberata est, debet restitui domino, secus, si in eodem periculo periit, ut dictum est.

46. Inq. 3. Quid restitui debeat pro re furata, quæ melior futura erat, si ante augmentum consumatur? R. quod si dominus non esset servaturus rem usque ad augmentum, solum debet restitui juxta valorem, quem in priori statu habebat, quia solum passus est damnum valoris, in quo eam consumpturus erat. Si autem dominus servaturus esset rem usque ad statum meliorem, debet restitui, non totum valorem melioris status, sed juxta spem illius valoris secundum æstimationem prudentum, quia dominus solum hujus spei valore privatus est. Unde, si subripuisti pullum æquinum, vitulum, agnum, aut incendisti segetes, vel vineas tempore, quæ amplius postea valerent, sufficit restituere secundum spem hujus valoris. Verum, si res in viliori statu furata apud te crescat, debes illam cum omnibus melioramentis, restituere, esto dominus non eam esset servaturus usque ad illud tempus; quia res cum suis melioramentis domini est, & domino crescit.

47. Inq. 4. An si res in viliori statu furata apud te crescat, & postea ad deteriorem statum perveniat, tenearis restituere secundum majorem valorem, quem apud te habuit? R. tria in hac difficultate ut certa esse supponenda. 1. quod, si dominus servaturus erat rem usque ad incrementum, teneris juxta hujus valorem restituere. 2. quod si res apud te habuit decrementum, quod apud dominum subitura non esset, teneris eodem modo secundum meliorem statum restituere; ratio utriusque est: quia in primo casu datur lucrum cessans, & in secundo damnum emergens, quod domino compensare astringeris. 3. quod si rem distraxisti, aut consumpsisti tempore decrementi, in quo etiam dominus consumpturus erat, solum hoc pretium vilius teneris restituere, quia solum in eo damnificatus est dominus. Difficultas est casu, quo consumpsisti, aut vendidisti tempore incrementi rem, quam dominus in valore minori esset consumpturus, an debeas restituere?

48. R. affirm. quia valor rei adhæret rei, seu est ipsa res equivalenter, ergo sive ab intrinseco, sive ab extrinseco rei adveniat, teneris restituere valorem, sicut ipsam rem cum melioramentis.

49. Objic. 1. Restitutio solum obligat juxta damnum, quod domino infertur, ergo supposito, quod rem consumpturus erat in viliori statu, non tenetur fur ad majus pretium restituendum. R. quod, supposito incremento rei, vel ejus valoris, novum damnum infertur domino, cui jus habet ad suam rem cum novo incremento, quod proinde illi restitui debet.

50. Objic. 2. Vendere rem hoc, vel alio tempore est fructus industriæ, ergo major valor non est domini, sed ven-

den-

dentis. R. antec. esse verum in aliquibus rebus, ut postea dicemus, sed non in omnibus. Certum autem est, saltem incrementum intrinsecum rei non esse fructum industriæ, sed ipsius rei.

51. Objic. 3. Si mutuo triticum accipias, sufficit tantumdem reddere, esto incrementum in valore ei adveniat, ergo idem in præsenti, R. neg. conseq. quia hæc natura mutui est, quod idem in specie reddatur, sive crescat, sive decrescat in valore, si bona fide contractus fiat: non ita in furto, ubi res cum suo valore domini est, cui proinde competit fructus, & utilitas ex ea proveniens; imo etiam in mutuo pecuniæ non tam res, quam ejus valor attendi debet, ne reddatur minus, quam acceptum est. In his contractibus debent fieri pacta clara, & expressa ad jurgia, & litigia vitanda.

Punctum VIII.

De possessore dubiæ fidei.

52. Inq. 1. Quis sit possessor dubiæ fidei, & ad quid teneatur? R. quod possessor dubiæ fidei est ille, qui, vel a principio accipit rem dubitans, an sit furata, vel, qui ab initio bona fide rem accipit, & postea sub oritur dubium, an sit aliena. Primo modo accipiens, ut eam sibi retineat, graviter peccat, quia exponitur periculo alienam rem, invito domino, possidendi, cooperandique peccato furis eam vendentis. Quare nullus potest accipere, nec emere a sartoribus, famulis, filiis familias, & similibus res, quas prudenter suspicantur, aut dubitant furto esse sublatas. Si autem eas accipiat, aut emat, tenetur sufficientem adhibere diligentiam ad inquirendam veritatem, an sint alienæ: quo cognito, debet totum domino reddere, etiamsi, dato pretio, comparaverit.

53. Si facta diligentia, non inveniatur dominus, tunc, vel probabilius apparet rem esse alienam, quo in casu debet in pauperes distribui, aut in sacrificia pro domino donari cum fructibus naturalibus, & mixtis, deductis expensis, vel remanet dubium æquale, quo in casu dividenda est cum dictis fructibus inter possidentes, & pauperes, vel cum eo, de quo dubitatur, an sit dominus, si compareat.

54. Verum, si dubitans rem esse alienam recipit, non animo eam sibi retinendi, sed inquirendi dominum, eoque comperto, illi tradendi, non peccat, nec tenetur de casu fortuito, solum tenetur debitam adhibere diligentiam pro inquirendo domino, cui, si compareat, suam rem tradere debet, deducto pretio, quod pro illa dedit juxta infra dicenda. Si autem dominus non compareat, debet, vel totam, vel partem in pauperes, aut sacrificia distribuere secundum diversitatem dubii, ut diximus num. præced. Si, adhibita morali diligentia, dominus non appareat, & dubium cesset, sibi retinere eam valet, quia jam evadit possessor bonæ fidei.

55. Qui secundo modo est possessor dubiæ fidei, hoc est, accipiens, vel emens rem ab initio bona fide, dubitat vero postea, an sit aliena, tenetur ad inquirendam veritatem adhibere diligentiam, qua adhibita, si dubium grave adhuc persistat, debet pro rata dubii domino reddere, vel eo non comparente, pauperibus partem distribuere, ut suæ conscientiæ satisfaciat. Si omittat diligentiam dominum inquirendi, tenetur restituere rem, aut pretium ejus, si eam vendidit, aut distraxit pro quantitate dubii; sua enim negligentia privatur dominus spe saltem dubia, quæ compensari debet. Durante dubio, nullus potest uti re, quæ usu consumitur, frustra quippe inquireretur dominus, ipsa consumpta: potest tamen possessor uti rebus, quæ usu non consumuntur, ut mancipiis, aut equis, paratus solvere domino pretium usus, deductis alimentis. Quando probabilius apparet rem esse alienam, debet aliquid amplius restitui juxta majorem propensionem arbitrio prudentum.

Punctum IX.

De fructibus, & expensis in restitutione deducendis a possessore bonæ, vel malæ fidei.

56. Inq. 1. Quotuplex sit genus fructuum. R. esse triplex: Nam alii sunt pure *naturales*: alii pure *industriales*;

alii *mixti ex naturalibus, & industrialibus*. Fructus *naturales* sunt, qui ex re absque industria humana proveniunt, ut herba pratorum, glandes quercuum, & plures fœtus. *Industriales* sunt, qui ex industria comparantur, ut fructus pecuniæ, negotiationis, asportationis mercium. *Mixti* sunt, qui partim a natura, partim ab industria oriuntur, ut fructus vinearum, agrorum, animalium domesticorum, navium, & similium. Si in fructibus his mixtis natura prævaleat, naturales, si industria, industriales reputantur. Si dubium circa hoc occurrat, arbitrio prudentum, vel judicis standum est.

57. Inq. 2. Quos fructus possessor bonæ fidei restituere teneatur? R. teneri restituere fructus naturales, si extent, si vero consumpti fuerint, id in quo factus est ditior; quod verum est etiam, si dominus illos alias percepturus non erat: quia res semel quod fructificet, domino fructificat. Unde fructus in alieno agro a te perceptos, lucrum in aliena domo locata, idem de torque aurea divitis, aut ex equo, aut bove alterius conducto, esto dominus hæc locaturus, aut conducturus non esset, nec soleat, teneris restituere, si extet, vel id in quo factus es ditior, nisi tempus præscriptionis transierit Jure Castellæ ex fructibus mixtis, qui non extant, possessor bonæ fidei nihil tenetur restituere, ut habetur *lib.* 39. *tit.* 28. *p.* 3.

58. Fructus pure industriales nullus restituere astringitur, quia sunt fructus industriæ, non rei, sunt ergo illius cujus est industria. Unde pictura penicillo alieno a te depicta, lucrum ex alienis pecuniis, aut ex asportatione mercium alterius a te comparatum, tua sunt; item fructus orti ex semine alieno a te in tuo fundo seminato, quia censentur fructus agri, & tuæ industriæ, non seminis, quod moritur, & perit.

59. Inq. 3. Quos fructus restituere debeat possessor malæ fidei? R. debet restituere omnes fructus naturales, & mixtos, sive extent, sive perierint, sive ditior factus fuerit, sive non, sive rem retinuerit, sive alienaverit; quia omnes hujusmodi fructus pertinebant ad dominum, qui per injustam actionem eis privatus est. Idem teneas de possessore bonæ fidei, conscio facto, rem esse alienam, & de debitore, aut depositario moroso. Unde furans pecunias negotiationi, aut reparationi domus expositas, aut instrumenta artifici, ad omne lucrum cessans, & damnum emergens compensandum tenetur. Fructus, quos dominus percepturus non erat, restituere non tenetur fur, qui eos non percipit, quia in hoc nullum damnum ei intulit. Quos vero fur percepit, restituere debet; quia ut dictum est, res domino fructificat. Pretium rei furatæ, nec supremum, nec infimum, sed medium est restituendum.

60. Inq. 4. Quotuplex sit genus expensarum? R. Esse triplex: aliæ sunt *necessariæ*: aliæ *utiles*, & aliæ *voluntariæ*. *Necessariæ* sunt, sine quibus res deterioraretur, aut non conservaretur, ut alimenta, aut custodia animalium, aut refectio domorum, & cultura agrorum. *Utiles* sunt, quibus res melioratur substantialiter, ut vitum, & olivarum plantatio, aut gregis aumentatio, & quidquid in rei utilitatem cedit. *Voluntariæ* sunt, quæ solum recreationi, aut voluptati deserviunt, ut picturæ, & viridaria.

61. Inq. 5. Quæ expensæ deduci possint in restitutione? R. posse detrahi omnes expensas necessarias, & utiles, esto dominus non esset eas facturus, si vere res meliorata sit; quia non est consonum æquitati, dominum ob restitutionem lucrum portare, & non esse contentum cum æquali suæ rei satisfactione, ergo. Si vere res meliorata sit, possunt juste deduci prædictæ expensæ a possessore sive bonæ, sive malæ fidei: quod si dominus nolit eas solvere, poterit res in pignus detineri, nisi dominus sine eis rem suam esset conservaturus, quo in casu solus possessor bonæ fidei potest eas detrahere: vel nisi expensæ excedant fructus; tunc enim neutri possessori tenetur dominus omnes illas solvere, quia in eo casu non cedunt in utilitatem domini, nec iste cogendus est rem suam carius emere. Denique ab utroque possessore non amplius est detrahendum, quam eorum labor, & industria æstimatur, licet melioratio rei plus valeat; quia rei melioratio ad dominum pertinet. Unde solum

est

est attendendum ad id, quod circa illam est impensum, non ad rei valorem.

62. Inq. 6. An detrahi etiam possint expensæ voluntariæ? R. si vere res ex eis pretiosior fiat, possunt detrahi a possessore bonæ fidei, quia saltem respectu istius non est ratio, cur dominus in restitutione lucrum reportet. Similiter in dicto casu æquum est, ut aliquid solvatur possessori malæ fidei; si tamen nolit dominus, sibi imputet iniquus possessor amissionem earum, quas volens fecit, debens eam prævidere. Si separari valeant, uterque potest eas detrahere: ut si horologium ædibus est affixum, potest subtrahi ab utroque possesore. Si denique nullam meliorationem expensæ rei tribuant, a neutro valent deduci; quia dominus non est cogendus emere, quod forte ei non placet.

Punctum X.

De emente, aut vendente rem alienam.

63. Inq. 1. An emens bona fide rem furtivam rescindere possit contractum, ut suum pretium recuperet? R. si moraliter sis certus a latrone eam esse domino restituendam, omnes conveniunt, te posse recuperare pretium, reddendo latroni rem furtivam. Similiter est exploratum, quod, si tu facile possis pretium a fure recuperare, teneris rem tradere domino, quia tunc posses dominum, & te indemnes conservare. Tandem supponitur, quod si rem a fure dono accepisti, teneris reddere eam non furi, sed domino, cujus est. Difficultas consistit, an, quando aliter non vales pretium recuperare, possis rescindere contractum, reddereque furi rem, ne amittas pretium a te solutum? Igitur:

64. R. affirm. prob. *primo*: quia nullam injuriam domino irrogasti rem bona fide a fure emendo, ergo nec ei illam irrogas, si rem in eodem statu reponas, in quo erat antea. Quemadmodum si rem inventam in platea tibi accepisti, postea vero sciens tibi esse damnosam, in eodem loco reponas, ut tibi consulas, nullam facis injuriam domino: in æquali enim periculo, aut dispendio, tibi consulere debes, potius quam domino. *Secundo*: quia hic contractus est omnino involuntarius, ut omnes fatentur; sed contractus involuntarius est nullus, vel saltem rescindibilis pro arbitrio ejus, qui deceptus est, ergo in foro conscientiæ, de quo loquimur, potest rescindi ab emptore bonæ fidei.

65. Objic. 1. Si possessor rem furi reddat, cooperatur ejus iniquæ retentioni; scit enim non redditurum eam domino, ergo. R. neg. antec. emptor enim utitur jure suo, ut se indemnem conservet; nec suadet alteri, ut non restituat, sed potius per contractus rescissionem, dat occassionem, ut restituat, nec amplius retineat.

66. Objic. 2. Si fur venditor non compareat, tenetur emptor rem domino reddere, etiam cum jactura pretii, ergo. Similiter ipso præsente. R. Quod, si latro non compareat, non datur quæstio, nemo enim ambigit rem esse domino reddendam, quia nec ipsa potest reponi in eodem loco, nec contractus rescindi: quando vero hæc fieri possunt, jus habet emptor innocens se indemnem conservandi: Nemo enim tenetur cum detrimento proprio equali alteri consulere.

67. Non tamen admittimus, quod aliqui asserunt, etiam illum, qui mala fide rem emit a fure, posse rescindere contractum, reddereque illam furi, ut pretium recuperet: quia hic ob malam fidem, qua rem injuste emit, in se transtulit obligationem restituendi, quam fur habebat. Unde, sicut fur tenetur ex re accepta, ac ex injusta actione ad eam domino restituendam, ita ipse. Qui bona fide rem emit a latrone, & bona fide alteri vendidit, solum tenetur reddere domino, si in aliquo factus est ditior ex ipsa re, secus si in nihilo factus sit ditior; quia ad hoc, & non amplius tenetur possessor bonæ fidei, qui rem consumpsit, distraxit, aut vendidit. Emptori autem compensare debet id, in quo ex sua venditione damnificatus fuerit: sicut vendens rem vitiatam, aut argentum pro auro tenetur satisfacere emptori damnum, quod ex deceptione passus est.

68. Hinc inferas, illum, qui monetam falsam, etiam bona fide, alteri in contractu tradit, cognito errore, debere damnum illatum compensare, quia minus de-

dedit, quam debebat. Quid autem faciendum, si ille, cui dedisti in pretium monetam falsam, non cognoscatur, aut non compareat? R. Debere tantumdem in pauperes, aut in sacrificia distribui in utilitatem spiritualem ejus, qui dispendium temporale subierit; potest enim illud subire forte non immediatus, sed mediatus acceptor. Nemo igitur monetam falsam, esto in pretium deceptus accipiat, potest alteri in contractu tradere, sed continuo debet, vel projicere in flumen, vel in aliam rem transmutare, ita ut naturam, aut speciem monetæ penitus amittat.

69. Inq. 2. An qui rem alienam majori pretio vendit, teneatur incrementum domino reddere? R. Quod, si incrementum proveniat ab ipsa re immutata in substantia, aut circumstantiis loci, & temporis, restituendum esse domino: quia sic incrementum est fructus ipsius rei, non industriæ. Si autem res asportata sit industria possessoris in alium locum, vel reservata in aliud tempus, ubi, & quando plus valet, incrementum restitui non debet, quia est fructus industriæ. Unde incrementum rerum consumptibilium, ut pecuniæ, frumenti, vini, & olei fructus industriæ reputatur.

70. Inq 3. Quot dentur differentiæ inter possessores bonæ, & malæ fidei? R. Dari saltem sex 1. Quod possessor bonę fidei solum debet restituere rem, vel id, in quo factus est ditior; ita ut, si res periit etiam sua culpa, ad nihil tenetur: possessor vero malæ fidei debet restituere rem, vel pretium ejus, quomodocumque pereat cum lucro cessante, & damno emergente. 2. Eadem differentia datur inter utrumque possessorem circa restitutionem fructuum naturalium, & mixtorum, cum advertentia supra posita, quod jure Castellæ nihil tenetur restituere possessor bonæ fidei de fructibus jam consumptis, licet ex eis ditior factus sit. 3. Quod possessor bonæ fidei potest detrahere expensas etiam voluntarias, ex quibus res meliorata est, secus vero possessor malæ fidei. 4. Quod possessor bonæ fidei potest præscribere tempore per legem assignato, non vero possessor malæ fidei. 5. Quod possessor bonæ fidei valet rescindere contractum ad rem suam recuperandam, minime autem possessor malæ fidei. 6. Quod possessor bonæ fidei potest juste rem suam moderate defendere, non sic possessor malæ fidei.

Punctum XI.

De obligatione restituendi ob injustum impedimentum boni alieni.

71. Inq. 1. An impediens bonum alterius ad restitutionem teneatur? Pro resolutione notandum est *primo*, quod dupliciter potest quis impedire bonum alteri. Vel *juste*, quia indignus est tali bono, aut beneficio, quo in casu nulla est obligatio restituendi; & idem est, si impedias, ne beneficium conferatur digno, relicto digniori; agis enim juxta intentionem Ecclesiæ, & justitiæ. Vel *injuste*, ita ut absque ulla causa impedias alterius bonum, & hoc etiam bifariam potest accidere, vel solum precibus, aut suasione, vel vi, dolo, aut fraude. Notandum est *secundo*, quod dupliciter etiam potest aliquis sperare bonum, aut beneficium; vel enim sperat illud solum ex voluntate libera conferentis absque ullo jure ad illud: vel habendo jus in re, vel ad rem ad illud, quia ipsi erat debitum ex justitia. Quibus prænotatis:

72. R. 1. Impediens efficaciter bonum, ad quod alius jus in re, vel ad rem habebat, esto solum precibus, aut suasione impediat, tenetur ad restitutionem, quia violat jus alterius, ergo juxta violationem juris ad resarciendum astringitur, vel in parte, vel in toto, secundum quod fuit causa efficax, ne alter consequeretur, vel attenta certitudine, si collator erat omnino determinatus ad dandum, vel spe majori, aut minori, si ita determinatus non erat. Si vero ipsum candidatum suasione, aut precibus absque vi, aut dolo avertas, ne se opponat, aut illud procuret, ad nihil teneris. Idem est, si artifici eodem modo suadeas, ne laboret, quia ex sua voluntate uterque abstinet. Si vero candidatum, artificem, aut alium vi, seu dolo avertas a procuratione, seu a labore, teneris ad damnum restituendum, quia injuste privas illos jure ad beneficium, aut lu-

lucrum ex procuratione, aut labore acquirendum.

73. R. 2. Impediens alterum vi, dolo, aut fraude a consequendo bono, ad quod non habebat jus, sed erat in proximo, ut illi daretur, ad restitutionem tenetur juxta quantitatem spei, quia licet non haberet jus ad illud, habet tamen jus, ne injustis modis impediretur ab illo consequendo. Si injuste impedias, quod Petrus adimpleat promissionem gratis factam Paulo, vel eleemosynam dandam pauperi, aut hæreditatem, seu legata relinquenda Joanni, seu ingressum candidati in religionem, vel quodcumque beneficium, seu donum alteri dandum, etiam ex mera voluntate conferentis, teneris, prout dictum est, ad restitutionem. Secus, si impedias solis precibus, aut suasione, absque ulla vi, dolo, aut fraude. Adverte tamen casum de quo agitur *Clem. I. de privilegiis*, ubi sub comminatione mortis eternæ prohibetur religiosis, ne retrahant etiam sine vi, & dolo testatores a legatis faciendis Ecclesiæ matrici, in quo, si secus agant, quod absit, esto peccent graviter, ad restitutionem tamen non tenentur, quia contra justitiam non operantur.

74. Inq. 2. An in casibus, in quibus diximus, te non teneri ad restituendum, quia sine vi, aut dolo retraxisti collatorem eleemosynæ, beneficii, aut legati indebiti, tenearis ad illam, si pravo animo alteri nocendi id efficias? R. affirmative: quia juxta a nobis dicta potest animus internus pravus ita conjungi cum opere externo, ut opus externum, quod sine illo injustum non erat, cum illo injustum reddatur, & sic obligare ad restitutionem.

75. Inq. 3. An qui absque frudibus, dolo, minis, aut mendaciis impedit, ne fisco bona per sententiam judicis applicentur, teneatur ad eorum restitutionem? R. negative; quia fiscus non habet jus ad talia bona nisi post sententiam legitimam, ergo, hac non secuta, non datur obligatio restituendi. Unde mulier adultera, cujus dos post judicis sententiam marito applicanda erat, si absque fraudibus, vel mendaciis impediat, ne sententia proferatur, dotem marito dare non tenetur. Si vero, prolata jam sententia, impedires, vel fisco bona, vel dotem tradi marito, absdubio ad restitutionem astringeris.

76. Circa bona communia particularibus distribuenda dicendum est, quod, si distributio pendeat solum a voluntate distribuentis, & solum precibus, aut suasione impedias, ne huic applicentur, sed alteri, ad nihil teneris; si autem distributio facienda esset inter tales virgines, aut personas hujus familiæ, aut urbis, seu habentes tales qualitates, & tu aliquam illarum impedias, etiam absque vi, aut dolo, teneris ad restituendum, quia tunc collator tenetur distribuere talia bona, nedum ex justitia distributiva, sicut in primo casu, sed etiam ex commutativa; cum singulæ virgines, aut personæ jus habeant ad illa, ergo, violata hac justitia, consurgit obligatio restituendi tum in collatore, tum in suasore. Idem teneas potiori ratione de suadente conferri beneficium ecclesiastico cum digno, relicto digniori.

Punctum XII.

De his, qui ad restitutionem astringuntur.

77. Inq. 1. Qui teneantur ad restitutionem? R. cum D. Thom. Quod ad restituendum tenetur *Quis*, & cæteri contenti sub hac particula *Quis*. & sunt novem genera causarum, seu personarum, quæ in his versibus comprenduntur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

78. *Quis* denotat executorem, seu illum, qui damnificat, sive furando, sive ignem applicando, sive alio modo damnum inferendo. *Jussio* indicat illum, qui ut superior mandat damnificare, ut pater mandans filio, vel superior subdito. *Consilium* denotat consiliantem contra justitiam commutativam. *Consensus* suffragium ferentem contra eandem justitiam. *Palpo* innuit illos, qui laudant malefactorem, vel offensum irrident, ex quo hic, aut ille moventur ad aliquid injustum faciendum. *Recursus* significat receptatores, seu recipientes malefactores, ut tales,

ex

ex quo illi ad rua maleficia prosequenda incitantur. Si autem non ut tales, sed ut amici, consanguinei, vel alio honesto titulo recipiantur, non datur obligatio restituendi. *Participans* dicitur, qui participat in actione injusta, aut in præda. *Mutus* denotat illos, qui ex justitia tenentur loqui, & tacent, ut testis legitime interrogatus a Judice. *Non obstans* indicat illos, qui ex justitia debent damna impedire, & non impediunt, ut Judices, Prælati, Gubernatores, & alii. *Non manifestans* denotat illos, qui ex justitia astringuntur ad latrones, vel malefactores declarandos, & omittunt eos denunciare, ut custodes, & alii ministri justitiæ, seu reipublicæ.

79. Inq. 2. Quomodo præfatæ causæ ad restitutionem teneantur? R. Quod aliquæ teneantur ut causæ physicæ, velut executor damni, & omnes ad illud physice cooperantes; aliæ ut causæ morales; ex quibus sex priores directe, & positive concurrunt ad damnum, & tres ultimæ solum indirecte, & privative, nempe omittendo loqui, impedire, aut denunciare. Omnes tamen ad restitutionem tenentur, quando causæ efficaces damni per suum concursum existunt: quia per injustam actionem, seu omissionem justitiæ commutativæ violatores evadunt. Contrarium est proscriptum ab Ecclesia in propos. 39. damnata ab Innocent. XI. quæ dicebat: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7.

80. Inq. 3. Quem influxum præbere debeant præfatæ causæ, ut ad restitutionem teneantur? R. Influxus debet esse efficax, ut ex eo onus restituendi oriatur. Unde infertur 1. Quod, si alius omnino paratus erat, suadens non tenetur ad restitutionem, quia supposito pravo animo alterius, influxus moventis inefficax est. Unde, qui parato ad malum inferendum annuit, licet peccet contra charitatem, & forte etiam contra justitiam, a restitutione liber est; quia alter non ex tuo assensu, sed ex sua malitia motus est ad damnum causandum.

81. Infertur 2. Quod suadens minus malum parato majus exequi nihil tenetur restituere, si suasio sit respectu ejusdem damnificati, ut si parato furari a Petro centum, vel illum occidere, suadeas, ut ei tantum quinquaginta subripiat, vel eundem vulneret; quia in hoc potius faves, quam damnificas Petro. Si vero ipse adjuvares ad minus malum, obnoxius fores restitutioni, quia esses causa efficax damni. Similiter, si parato occidere Petrum consulas, ut lædat Paulum, quia es causa hujus læsionis.

82. Infertur 3. Quod, si solum partem consulisti, aut mandasti, teneris regulariter tantum ad illam partem, ut si consuluisti, quod quis quinquaginta furaretur, & ipse centum furatus est, tantum ad quinquaginta astringeris. Vel si parato furari quinquaginta suades, ut centum furetur, ad sola quinquaginta teneris, quia horum dumtaxat causa fuisti, cum alius jam ad alia quinquaginta paratus firmiter esset. Nihilominus, aliquando consulens, seu mandans grave damnum, si majus ab executore perpetretur, difficile a toto restituendo liberabitur. *Nam cap.* 15. *Qui mandat de homicidio in* 6. decernitur: jubentem verberationem, ex qua sequatur homicidium non intentum, sed fortuitum respectu mandantis, incurrere irregularitatem. Igitur mandans damnum grave, ex quo aliud majus sequitur, non omnino liber est a toto resarciendo. Econtra mandans quidquam licitum, ex quo nullum damnum prudenter timetur, aut prævidetur, immunis est a restitutione, esto fortuito sequatur, ut patet *ex cap. Dilectus*, ubi liber a censuris declaratur capellanus insidens equo, qui fracto freno, & sessore dejecto, irruit in mulierem, atque infantem, quem illa gestabat, oppressit.

83. Infertur 4. Illum, qui consulit, aut mandat, aliove modo movet executorem, ut damnum inferat, teneri, damno secuto, ad ejus restitutionem, etiam si alius simili modo esset influxurus, est enim velut latro præveniens alium latronem, qui sicut prævenit furtum, ita prævenit peccatum, & obligationem ex eo ortam: ille ergo, qui primus ad damnum influxit, suscipit in se onus restitutionis. Qui certus est suum consilium, mandatum, aut motionem nullum influ-

lum præbuisse in damnum, a restitutione liber est.

84. Inq. 4. An alium paratum ad malum committendum movens, ut celerius, aut gravius exequatur, teneatur ad totum restituendum? R. Sub distinctione, vel enim alius paratus est illico perpetrare malum; vel post aliquod tempus, dies, aut hebdomadam. Si primum, solum tenetur movens ad illud majus, in quod suo influxu excitavit, quia solum respectu illius excessus est causa efficax. Si secundum, tenetur ad totum, quia cum voluntas humana mutabilis sit, & hodie nolit, quod heri voluit, excitans, ut nunc fiat malum, quod forte postea non fieret, causa est totius damni, ergo tenetur ad totum, semper ac inter executionem, & animum pravum tantum temporis spatium interveniat, quo voluntatis humanæ mutatio sperari moraliter posset.

85. Inq. 5. An qui dubitat num ex suo influxu, consilio, vel mandato secutum sit damnum, ad restitutionem teneatur? R. Quod, si dubitet de consilio, mandato, aut influxu, liber est a restitutione; quia nullus præsumitur malus, nisi probetur, & tunc melior est conditio possidentis. Si autem, posito consilio, mandato, seu influxu, dubitet, an damnum secutum sit, vel esto sequatur, an suus influxus fuerit efficax, vel aliunde provenerit, tenetur pro rata dubii restituere; quia, posita injusta actione, certo constat de tuo crimine, tibique incumbit probare immunitatem: unde venditor jactus retis, si jacere noluerit, præstare debet æstimationem eventus incerti, quia vendens jactum in se suscipit periculum jactus. *Ex leg. Si jactum* 12. *ff. de act. empt.*

86. Objic. Possessor bonæ fidei, si dubitet de re possessa, etiamsi dubium perseveret, non tenetur eam tradere, ergo nec mandans, aut consilians in dubio damni a se illati. R. nego conseq. quia, posito consilio, aut mandato injusto, æquiparatur consilians, aut mandans possessori malæ fidei, qui pro rata dubii debet restituere; nec antecedens est omnino verum, tenetur enim possessor bonæ fidei restituere, etiam pro rata dubii gravis, si non deponatur.

87. Inq. 6. An qui suo exemplo est occasio, ut alii furentur, aut aliud damnum inferant, teneatur ad restitutionem? R. negat. quia licet peccet contra charitatem, non vero contra justitiam. Solum autem causa influens contra justitiam onus subit restituendi. Verum si pravo animo alios excitandi ad damnum inferendum iniquum exemplum tribueres, non es liber ab injustitia, nec a restitutione; quia jam illa actio externa conjuncta cum iniqua intentione interna evadit injusta, moralem influxum conferens in damnum intentum, supposito malo exemplo excitativo simul cum pravo animo.

Punctum XIII.

De causis ad damna positive influentibus.

88. Inq. 1. Quæ sint causæ ad damnum positive influentes? R. esse sex, & comprehendi in sequentibus: *Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans.* Ex his quinque priores moraliter influunt; sexta autem, nempe *participans* phisice concurrit. Omnes nunc fusius, quam supra sigillatim explicare libet duplici paragrapho cum D. Thom. *art. 7.*

§. I.

Jussio, consilium, consensus.

89. *Jussio* comprehendit omnes, qui mandant fieri damnum, ad quod alius paratus non erat, sive jubeat ut superior, sive non, sive explicite, ut *fac hoc*, sive implicite dicendo: *gauderem, quod hoc fieret: quis me vindicabit?* Sive signis, aut nutibus innotescens inferiori gratum sibi fore, si talem injustitiam committat. Sic gravissime peccavit Henricus II. circa mortem S. Thomæ Cantuarensis Episcopi. Igitur mandans quocumque modo tenetur ad restituendum damnum ex suo mandato secutum. Nisi mandatum revocaverit, & revocatio efficax ad mandatarium perveniat. Nam hoc modo revocato mandato, si nihilominus sequatur damnum, jam non ex suo mandato,

sed

sed ex malitia exequentis oriretur.

90. Inq. 2. An, qui ratum habet damnum suo nomine factum, teneatur ad restitutionem, si nullum influxum ad illud antea præstitit? R. Neg. quia ubi nullus est influxus ad injustitiam, nulla adest obligatio ad restitutionem. Esto enim ratihabitio retro trahatur, & mandato comparetur quoad peccatum, vel quo ad forum externum, vel quoad incursionem censuræ in percussione clerici, vel denique quoad contractus confirmationem: non vero quoad restitutionis obligationem, quæ solum ex influxu in damnum proficiscitur. Si vero ex tua ratihabitione alius moveretur ad continuandum damnum, vel ad non restituendum, jam deberes restituere ex influxu interpretative præstito. Similiter ad restitutionem astringitur, qui agnoscens alterum paratum esse in gratiam sui damnum inferre, & non impediat, si possit, cohibendo, vel significando sibi minime id gratum esse; quia quilibet tenetur ex justitia impedire, ne nomine suo, & tanquam sibi gratum proximo damnum inferatur. Alias censetur tacite velle, ejusque taciturnitas, approbatio seu consensus reputatur. Quæ omnia, intellige dum a malefactore talis approbatio, seu consensus percipitur. Si enim nullo modo percipiatur, nullum influxum confert in damnum, nullaque proinde obligatio adest restituendi.

91. *Consilium* denotat illos, qui consilium præbent ad malum scienter, sive ex ignorantia culpabili, & eos, qui petunt, rogant, suadent, aut blanditiis inducunt ad damnum secutum efficaciter ex sua motione: qui omnes ad restitutionem tenentur, nisi illam omni via possibili revocent, revocatioque innotescat consiliario. Sed revocatione etiam posita, adhuc est difficultas. Pro qua:

92. Inq. 3. An consiliator, revocato consilio, teneatur ad restitutionem, quando consiliarius, esto conscius de revocatione, executus est damnum? R. 1. Si consilium fuit falsæ innixum historiæ, ut quod occidas Petrum, quia hic interfecit fratrem tuum, si consiliator revocet consilium, certiorem te faciens se falsum dixisse, ad nihil amplius teneris. Similiter si alius quærat a te, an teneatur restituere, & respondeas falso non teneri; sed deinde illum moneas, te deceptum fuisse, ac vere ad restitutionem se teneri, liber es a restitutione, esto alter non restituat, quia non ex tuo consilio, sed ex sua malitia omittit restituere; simplex enim consilium simplici revocatione eliditur.

93. R. 2. Etiam dum datur consilium instructivum docendo media, ac modos exequendi damnum, si consultor postea modis omnibus conetur avertere alterum rationibus, quibus potest, dissuadens ne illud exequatur, non tenetur restituere damnum secutum, quia saltem moraliter jam non a consulente, sed a malitia consiliarii provenire dicendum est. Debet tamen, si possit, monere damnificandum, ut sibi caveat, res diligentius custodiat, aut claves abscondat, ita cum Salmanticensibus Concina in præsenti, licet mox agens de censuris contra eos oppositum defendat.

94. Inq. 4. An mandans, seu consulens teneatur non solum ad damna tertio illata, sed etiam ad illa, quæ obveniunt mandatario; ut si jubeas Petro occidere Paulum, & hic occidit, seu vulneravit ipsum Petrum? R. Consilians nullo modo tenetur, quia consiliarius sponte exequitur malum, sibique proinde imputare debet damna inde sibi secuta. *Et nullus ex consilio, dummodo fraudulentus non fuerit, obligatur. Ex cap. Nuper, de regul. jur. in* 6. Idem est de mandatario, qui non a superiore, sed ex stipendio mandatum exequitur, quia voluntarie tali periculo se exposuit: scienti autem, & volenti non fit injuria. Mandans vero, ut superior, obligatur ad ea restituenda, quæ probabiliter prævideri poterant mandatario superventura; quia imperium superioris quandam vim, & coactionem inducit.

95. *Consensus* in præsenti non sumitur pro mera complacentia mali, sed denotat influxum efficacem ad damnum, ita ut sine eo non fieret, ut subscriptio injustæ litis, vel sententiæ, suffragium ad bellum injustum, ad furtum, ad indigni electionem, vel ad aliam injustitiam, qua posita, datur obligatio restituendi; circa quod:

96. Inq. 5. An, aut quando teneantur restituere illi, qui injustæ sententiæ

subs-

subscribunt, aut electioni indigni suffragium conferunt? R. Teneri restituere, quando suffragium eorum necessarium fuerit ad valorem electionis indigni, aut sententiæ injustæ; quia tunc suffragium est causa efficax injustitiæ. Idem dicas de illis, qui cum ex officio suffragia ferre debent, sua vota in capitulo, vel consistorio denegant, prævidentes, quod inde damnum aliquod sequatur, tacendo, dum loqui deberent. Similiter dum omnes conspirant ad injustam sententiam, aut electionem, si omnium vota necessaria sunt, quia omnes concurrunt ad damnum. Quando autem tuum suffragium non est necessarium, quia omnia necessaria præcesserunt, liber es a debito restituendi, non enim causa efficax damni fuisti. Si vero prius suffragium dedisti, licet prævidens cæteros etiam daturos suffragia ad injustam sententiam, aut electionem, teneris restitutioni, quia cum prior fueris in suffragio injusto, prior etiam evadis in restitutionis debito.

97. Inq. 6. An dubitans num suum suffragium fuerit ex prioribus, aut necessariis ad damnum, teneatur ad ejus restitutionem? R. affirmative, quia constat de suffragio injusto, ac de damno illato, ergo possessio stat pro damnificato, & suffraganti injuste incumbit probare, se in illud non influxisse, ut liberetur a restitutione.

98. Inq. 7. An, quando suffragium publice fertur, vel ante suffragia negotium voce discutitur, prævideat, qui suffragium ferre posterius debet, cæteros, qui jam suffragium injustum dederunt, mutaturos animum, audientes ejus rationes, seu ejus votum agnoscentes, teneatur suum dictamen justum publice proferre sub pœna restitutionis? R. Affirmative: quia alias ejus silentium, vel denegatio voti conspiraret in cæterorum injustitiam approbandam. In dubio autem præsumi debet alios mutaturos suffragium, dum sanum alterius consilium audirent. Igitur quilibet in talibus negotiis media circumspectione, & prudentia dicere debet, quod ante Deum, & in sua conscientia sibi justum apparet.

§. II.

Palpo, recursus, participans.

99. *Palpo* indicat eos, qui incitant alios ad malum laudibus, seu adulatione, aut impellunt ad vindictam convitiis, vel irrisione: ut exprobando marito tolerantiam adulterii suæ uxoris, vel alteri injuriæ sibi irrogatæ, ex quibus concitati occidunt uxorem, seu convitiatorem. Nec excusatur aliquis a restitutione, eo quod non laudaverit, seu vituperaverit intendens homicidium, aut aliud malum; quia sat est, quod ex tua imprudenti locutione alter fuerit concitatus ad malum perpetrandum: nisi aliquando inadvertentia, seu ignorantia te excuset, quod ex circumstantiis arbitrio prudentum dispiciendum est.

100. *Recursus* significat receptatores malefactorum, ut talium, eos occultando, aut eis favendo, ex quo ipsi animosiores fiunt ad prosequenda furta, aut alia damna, confisi in patrocinio receptatoris. Unde viri potentes, seu magnates, qui videntes famulos suos rapinas, damna, & oppressiones exequi, non coercent, nec reprimunt, ad restitutionem tenentur, Item, qui furta, fures, eorumve instrumenta occultant, præbendo asylum ad alia exercenda, restitutioni obnoxii sunt, comprehenduntur enim in particula *recursus*.

101. Verum si tantum materialiter eos recipiant titulo cognationis, aut amicitiæ, vel ratione officii, ut stabularii, sive ante, sive post patrata damna eos recipiant, debitum restituendi non subeunt; nec similiter esto post commissa delicta eos occultent, sive adjuvent, ut fugiant, quia hi nec ad illa influunt, nec securitatem ad ea continuanda præbere intendunt. Qui prædam latronis custodiunt, debent eam domino reddere, si absque suo gravi incommodo id efficere valeant.

102. *Participans* dicitur, qui cum latrone positive physice concurrit ad damnum: dupliciter talis dicitur. Vel enim est participans in actione, vel est participans in præda. Participans in actione etiam bifariam potest participare, nem-

pe per actionem injustam, vel per actionem justam, aut ex se indifferentem. Participans in actione injusta tenetur restituere, vel totum, si ad totum concurrat, vel partem, si solum ad partem damni concursum præbeat: quia vere est causa efficax talis damni: ut qui latronem comittatur, ut eum defendat, qui ei arma ministrat: artifices claves falsas conficientes, qui portas reserat, explorator assistens, ut eum moneat, qui terga defendit, servi usurariorum in usuris deservientes, res furatas custodientes, aut vendentes pro latrone, vel ementes ab eo; si enim non essent, qui res furatas emerent, tot latrones in republica non essent. Omnes hi, & alii similes comprehenduntur sub verbo *participans*.

103. Verum, qui per actionem ex se indifferentem concurrit ad damnum, vel hoc efficit sponte, vel ex metu gravi: si primum, restituere debet magis, vel minus juxta concursum majorem, aut minorem ad malum: quia voluntarie participat in peccato injustitiæ. Si secundum, excusatur a culpa, & onere restituendi, ut famuli mere amanuenses usurariorum, qui solum scribunt, aut numerant pecunias ex metu gravis damni: non enim proxime, sed remote, aut materialiter cooperantur ad usuras, proxima enim, aut formalis cooperatio ad malum ex nulla causa apponi licite valet.

104. Denique *participans in præda*, vel participat bona fide, vel mala; si bona fide accepit aliquid de furto, debet illud reddere domino, si extat. Si vero eadem fide consumpsit, id in quo factus est ditior. Si mala fide participavit, totum, vel pretium ejus, quod accepit, restituere tenetur ratione rei acceptæ, juxta superius stabilita de possessore bonæ, vel malæ fidei.

PUNCTUM XIV.

De causis negative concurrentibus ad damnum.

105. *Mutus, non obstans, non manifestans* concurrunt negative ad damnum alterius, quando ad illud impediendum tenentur ex justitia, ex contractu, ex officio, aut munere, esto munus contra eorum voluntatem sit eis a Superiore legitimo impositum, tenentur enim obedire, ac consequenter munus sibi impositum diligenter obire. Unde tenentur restituere, qui mala debent impedire loquendo, obstando, & manifestando, dum ita non impediunt, nisi aliqua justa causa alias excusentur: ut gubernatores, judices, ministri publici, duces belli, medici, chirurgi, parentes, tutores, curatores, nautæ, custodes, & similes, quibus incumbit ex justitia corrigere, coercere, monere, clamare, obstare, & impedire damna,

106. Qui autem solo titulo charitatis ea impedire tenentur, esto peccent contra charitatem, si non impediant, cum possint, non tamen contra justitiam, nec restituendi onus subeunt; quia, ut sæpe dictum est, obligatio restitutionis solum ex delicto contra justitiam consurgit. An vero, si ex odio, & animo pravo mali alterius omittant impedire, obnoxii sint restitutioni? P. Concina inquit: *Quando solo charitatis titulo devincti sunt, ad nihil tenentur. Lib. 2. de just. diss. 2. cap. 9. num. 40.*

107. Verum, si ipse cum aliis consequentiam doctrinæ observare velit, affirmative de omnibus quæstioni respondere debet. Nam alibi ipse cum aliis obligat ad restituendum advocatum, medicum, & quemlibet alium, qui apponens diligentiam debitam, & quam prudentes illius artis apponere solent, omittit animo nocendi adhibere diligentiam prudentissimam, ex qua omissione sequitur damnum: eo quod diversitas animi diversam parit obligationem. Et licet advocatus, aut medicus non teneatur ad majorem diligentiam, alius tamen habet jus, ne ex animo nocendi omittatur. Cur igitur in præsenti, & in omni eventu non habet quilibet idem jus? Si namque mutus, aut tacens contra charitatem non influit in damnum, nec omittens id, ad quod solum ex charitate tenetur, influit in illud. Disparitas vix percipi, aut inveniri valet; ideo de omnibus idem est tenendum: nempe ad restitutionem non teneri.

108. Sed quid dicendum de illis, qui solum ex charitate debent damnum impedire, recipiunt tamen pecunias, ne clament,

ment, impediant, aut manifestent? R. Quod si pecunia accipiatur, ne patefiat delictum, postquam commissum est, nec imminet damnum novum damnificato, nulla adest obligatio restituendi in accipiente: nullum enim præbet influxum ad damnum. Si vero ita accipias, ut inde fur animosior fiat, vel cum pacto non clamandi, ex quo securior latro redditur, teneris ad restituendum; evadis enim comparticeps, seu concausa moralis damni inferendi.

109. Inq. 1. An custodes montium, agrorum, aut vinearum. & alii a republica, seu Principe constituti, non rite suum munus obeuntes, nec damna impedientes, ea restituere teneantur? R. affirm. quia, & peccant graviter contra justitiam, & sunt causa damni domino, seu reipublicæ illati. Unde si non manifestant piscatores, venatores, defraudatores gabellarum, tributorum, aut vectigalium, aut asportantes merces prohibitas, restituere debent gabellas, tributa, vectigalia, aut alia damna ex eorum culpabili omissione secuta. Non autem tenetur manifestare cum periculo vitæ, aut damni gravioris suo stipendio, aut commodo ex suo munere deportato: nec tenentur, si quid pauperi semel, aut raro extrahere dissimulent; debet enim damnum esse notabile; nam sicut in jure dicitur, *de modico non curat Prætor*, nec Rex est adeo rigidus exactor, præsertim cum pauperibus, & similibus personis. Sed heu! Pauperes puniuntur, & divites simulantur.

110. An vero non solum peccent graviter dicti custodes, & teneantur damna domino secuta restituere, sed etiam subire pœnam, quam rei accusati luerent, dissident Theologi. Communior sententia negat: quia talem pœnam non tenetur reus solvere, nisi post sententiam judicis, ergo nec custos tenetur eam solvere ante sententiam, nisi alias prædictæ omissiones in pactum essent deductæ, vel aliæ circumstantiæ ad solutionem astringant. Custodes vectigalium in omnium sententia debent solvere pretium, quod pro transferendis mercibus a mercatore esset solvendum: si vero merces sint omnino prohibitæ, & negligant eas denunciare, debent saltem custodes solvere stipendium illius diei, quo suo muneri non satisfaciunt.

111. Inq. 2. An Confessarius non monens pœnitentem, ut restituat, teneatur restituere? R. quod si positive influat in omissionem pœnitentis, dicens illi falso non teneri ad restituendum, quando revera tenetur, debet petere licentiam ad loquendum de confessione, qua sponte data a pœnitente, tenetur aperire illi veritatem, ac obligationem restituendi; alias ipse debet restituere. Si autem mere negative se habuit, probabilius putamus non teneri: quia Confessarius, sive Parochus, sive alius non tenetur invigilare ex officio bonis temporalibus, ut custodes mercium, sed tantum spiritualibus pœnitentium, ergo quando non influunt positive ad omissionem restitutionis, ad illam non obligantur. Si autem ex sua taciturnitate pœnitens moveretur ad non restituendum, teneretur, vel aperire veritatem, vel ad restitutionem.

112. Inq. 3. An servi, vel famuli videntes domesticos, sive extraneos subripientes aliquid ex domo domini, ac tacentes restituere teneantur? R. quod si videant extraneos domum ingredi ad furandum, & non impediant, vel taceant, tenentur ad restituendum damnum ab eis illatum, quia ex justitia ratione famulatus censentur obligati ad res domini ab injuriis exterorum tuendas. Idem est, si alios famulos, seu domesticos videant rapere res, quæ ipsis specialiter sunt creditæ, & non contradicant, quia semel quod res peculiariter curæ famuli demandata est, debet ex justitia ejus custodiæ invigilare. Si vero res a domesticis ablatæ famuli curæ non sint specialiter creditæ, quamvis peccet tacendo, ad restitutionem non astringitur, quia non tenetur ex justitia ad res domini contra domesticos tuendas. Ex fidelitate tamen debent monere dominos, si videant bona etiam communia a conservis suis insumi, prodigi, aut dilapidari.

PUNCTUM XV.

De ordine restituendi a cooperantibus in damnum.

113. Inq. 1. Quem ordinem observare de-

debeant in restitutione cooperantes in damnum ? R. Quod quando plures ad eandem rem furandam concurrunt, primus omnium debet restituere ille, qui rem apud se habet, vel in se, vel in æquivalenti : quia iste tenetur ex re accepta, si extat ; si vero non extet, ex injusta actione, ex qua solus percepit totum commodum. Isto autem integre restituente, ad nihil alii tenentur. D. Thom. *loc. cit. a.* 7.

114. Si nihil ablatum sit, sed damnum irrogatum, ut in devastatione, seu incendio segetum, primus tenetur principalis, qui ut superior jussit damnum fieri : deinde ille, qui induxit ad malum suo nomine, vel in sui gratiam faciendum : exinde executor, quia executor post mandantem, & inducentem in sui gratiam malum fieri, est causa principalis ; reliqui sunt causæ accessoriæ, & secundariæ cooperantes cum illo. Unde, executore restituente, cæteri, excepto mandante, nec ipsi, nec domino quidquam restituere debent, nec tenentur. Igitur causæ principales sunt mandans, ut superior, inducens in sui gratiam, & executor. Istis non restituentibus, tenentur secundariæ positive influentes per consilium, consensum, palpationem, recursum, aut participationem. Si unus ex istis totum damnum satisfaciat damnificato, reliqui huic nihil reddere debent, tenentur tamen refundere illi, qui plene satisfecit. D. Thom. *a.* 6. *ad* 3.

115. Inq. 2. An inter causas secundarias aliquis ordo in restituendo servandus sit ? R. neg. quia omnes æque primo tenentur plus, minusve juxta quantitatem influxus. Si autem una influat media alia, jam illa esset velut principalis, quæ proinde primo loco teneretur, ut si quis moveret adulatorem, aut receptatorem. Cæterum quando omnes solum ut secundariæ influunt in damnum movendo executorem, in hujus defectu æqualiter tenentur restituere singuli suam partem, vel totum in solidum, si alii nolint, aut nequeant.

116. Inq. 3. Quo loco, & ordine teneantur restituere causæ privativæ ? R. causas privativas teneri post positivas, & solum in defectu eorum, ut custos in defectu asportantium merces prohibitas : quia sicut causa positiva prior est in influxu, ita priorem locum debet habere in restitutione. Positivis vero nolentibus, aut non valentibus, succedunt negativæ, quæ in solidum tenentur restituere juxta majus, aut minus debitum damna illa impediendi ; servari tamen debet talis ordo, ut primo loco teneantur superiores, qui impedire neglexerunt : secundo custodes rerum : tertio testes, qui juridice interrogati veritatem celaverunt : quarto qui ex justitia tenebantur monere, aut dare consilium rectum, & tacuerunt. Verum observari debet, quænam ex his causis arctius, & immediatius obstricta erat ad damnum impediendum, potest enim contingere custodes negligentes prius teneri, quam magistratus, aut econtra juxta cujusque pacta, & obligationes.

Punctum XVI.

Quando omnes prædictæ causæ teneantur in solidum restituere.

117. Inq. 1. An quando plures concurrunt ad idem damnum, teneantur restituere in solidum ? R. sub distinctione ; vel enim concurrunt ad idem damnum divisibile, vel ad individuum, seu indivisibile : quando diverso tempore concurrunt absque communi assensu ad idem damnum divisibile, non tenentur in solidum, sed singuli ad suam partem, ut quando plures eandem vineam ingressi, singuli partem abstulerunt, vel ex eodem thesauro singuli decem aureos subripuerunt : quia unusquisque solum est causa partialis damni tam partialitate effectus, quam causæ, non enim conspirant ad illud incitando, aut movendo alios : igitur solum tenentur restituere singuli suam partem. Si autem aliquis, ut superior, aut principalis motor alios concitaret, hic ad totum in solidum teneretur, quia ipse est causa moralis totius damni. Atque idem teneas, quando plures simul concurrunt scienter ad illud causandum, quod enim sit divisibile, aut individuum, de materiali est. D. Thom *q.* 62. *a.* 7. *ad* 2.

118. Quando pariter plures concurrunt ad idem damnum individuum, ut ad eum-

eumdem hominem necandum, ad eamdem domum incendendam, ad eamdem navim trahendam, ad eamdem actionem injustam, ad eumdem viatorem spoliandum, omnes tenentur restituere in solidum: quia licet physice a singulis forte partialiter causetur effectus: moraliter tamen totus a quolibet procedit; omnes enim quasi una manu ad idem opus indivisibile concurrunt: proindeque omnes in solidum ad totum damnum astringuntur. Hoc in casu conveniunt omnes doctores, licet nullus fur sit excitator aliorum: cur igitur in priori non idem asserunt, cum vix ulla disparitas appareat in utroque?

119. Objic. 1. Obligatio restituendi est juxta causalitatem in damnum, sed in casu quæstionis causalitas est partialis, omnes enim concurrunt ut causæ partiales, ergo solum partialiter tenentur restituere. R. quod restitutio est, non juxta causalitatem physicam, sed moralem. In casu autem quæstionis, licet causalitas physica sit partialis, causalitas tamen moralis reputatur totalis; ex quo enim omnes simul conspirant ad idem damnum, totum singulis imputatur, unde ad totum singuli tenentur.

120. Objic. 2. Quando plures in bonum trahunt eamdem navim, non debetur singulis idem præmium, ergo nec quando illam in malum deferunt, debetur singulis idem damnum. R. neg. conseq. quia plus requiritur ad præmium, quam ad supplicium, sicut plus requiritur ad meritum, quam ad demeritum: nam bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Præmium datur hic juxta causalitatem physicam; supplicium autem juxta moralem.

121. Inq. 2. An si dubites, utrum causa principalis restituerit, tenearis tu, qui solum in ejus defectum astringeris, & idem quando dubitares de sociis, & tuis concausis æqualibus? R. quod, absolute loquendo, teneris ad restitutionem totius: quia constat de damno, & de obligatione, ergo tibi incumbit probare, esse satisfactum: quamdiu igitur non constat de satisfactione, debes eam exhibere. Si autem tales adessent conjecturæ, ut prudenter præsumere posses principalem, & socios restituisse, sufficeret tuam partem restituere.

PUNCTUM XVII.

De acceptis ob turpem causam.

122. Inq. 1. An conventiones, seu pacta onerosa de re peccaminosa jure naturæ sint valida, aut obligent ad sui adimpletionem? Ante resolutionem duo ut certa supponuntur. *Primum*, quod nulla promissio, conventio, & pactum etiam juratum ob turpem causam initum, nec jure naturæ, nec positivo obligat, antequam scelus committatur: quia talis promissio, utpote ad malum provocans, neminem obligare valet: implicat enim aliquem posse obligari ad peccandum. *Secundum*, quod non datur obligatio solvendi pretium promissum ob turpem actum, si hic ex parte alterius appositus non est; imo, si quid acceptum est, debet restitui opere non impleto. Quibus suppositis.

123. R. Jure naturæ valida sunt pacta onerosa de opere illicito, obligantque, illo apposito, ad solvendum pretium initum, quin recipiens teneatur ad ejus restitutionem. Prob. *Primo*: quia sicut alter in contractu oneroso implevit promissum, par est, ut alius solvat, quod promiserat, ergo si ille apposuit opus, esto illicitum, æquum est, ut ei solvatur pretium: quod enim licitum, vel illicitum sit, de materiali est ad pretium: quia etiam res illicita est pretio estimabilis ratione laboris, & periculi, cui exequens se exponit, Secundo: quia omnis promissio implenda est, dum licite impleri valet; sed posito alterius opere illicito, promissio impleri licite valet, ergo debet. *Tertio*: quia si fœmina consentiat in actum turpem sub promissione matrimonii, tenetur vir eam ducere, ergo posito opere illicito, validus est contractus, & obligat ad sui adimpletionem. Unde, posito homicidio, adulterio, fornicatione, aut alio actu malo, obligat jure naturæ contractus, & recipiens pretium pro eo, potest illud retinere. Meretrix turpiter facit, quod sit meretrix: non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix. *Unde, & mulier potest sibi retinere, quod ei datum est*, concludit D. Thom.

Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 2.

124. P. Concina asserens communem hanc esse Theologorum sententiam, illam tamen deserens, oppositamque amplectens, sibi videtur, hoc in eluctabili argumento eam probare: *Stipulatio ad malum non obligat ante factum, ergo nec post factum: quia post factum non datur nova conventio, ergo vel obligat ex conventione factum præcedente, aut ex nulla.* Sed tenetur Concina sibi respondere; instatur enim manifeste argumentum in conventione copulæ habitæ sub spe matrimonii, quam obligare in conscientia, nequit ipse negare. Unde omnes respondere debemus conventionem illam esse velut conditionalem, quæ solum obligat, posita conditione.

125. Quod autem addit posse quidem meretrices retinere pretium corporis, non ut pretium, sed ut pœnam scortatorum, arbitrarie dicitur, quia meretrices ipsæ eadem, aut majori pœna dignæ sunt. Imo suis positionibus non parum adversatur. Nam in dissertatione de scandalo recedens a D. August. & D. Thom. contendit impugnare permissionem meretricum in orbe christiano; hic vero astruit leges permittere scorta, & meretrices ob majora mala vitanda. Profecto actio, seu promissio jure naturæ invalida nunquam legibus approbatur, licet quandoque actio, seu promissio valida jure naturæ legibus irritetur, igitur promissio, aut conventio legibus permissa, jure naturæ non est invalida, licet contrarium se convincere putet Concina, tom. 7. pag. 88. & seq.

126. Sed manifestius innotescit ejus in consequentia, quando agens de restitutione facienda ob stuprum dicit: *illud etiam advertendum occurrit, quod si virgo defiorata æque, aut nubere, aut profiteri religionem possit, ac si deflorata non fuisset, tunc ad nihil deflorator tenetur, nisi pactum præcessisset dandi talem summam: quia in hoc casu, ratione promissionis solvendum debitum est, non ratione damnorum, cum nulla supponantur.* Non possent optari verba melius confirmantia nostram sententiam; ex eis enim legitime inferuntur hæ quatuor consequentiæ. 1. ergo promissio de actu turpi, hoc posito, valida est. 2. ergo impleri debet. 3. ergo deflorata summam sibi promissam, & traditam ob actum turpem retinere valet. 4. ergo sententia communis (quam ex D. Thom. defendunt Salmanticenses) vera est.

127. Aliis fœminis, quæ meretrices non sunt, sed honestæ, sive virgines, sive viduæ, aut Deo per votum castitatis sacratæ denegatur legibus actio petendi pretium sui corporis in judicio; tamen communis sententia concedit etiam ipsis posse accipere in foro interno tale pretium, supposito opere illicito: dummodo illud accipiant a potente illud dare, & non a filio familias, minori, servo, nec a religioso; isti enim nequeunt illud dare, nec ipsæ ab eis illud accipere. Similiter, si meretrix, aut alia dolo, aut fraude fingens se virginem, aut nobilem, cum talis non sit, aliquid a viro extorqueat ultra justum pretium, restituere tenetur. Secus si absque fraude, & dolo, blanditiis, illecebris, facetiis, aut illectamentis decipiens virum ab eo subtrahat: caveat enim sibi vir, & ne se decipi permittat, meretricumque technas non solum fugiat, sed & horreat.

128. Inq. 2. An fœmina retinere sibi valeat data ab amasio ad consequendum ejus consensum? R. quod donata fœminæ a viro ad extorquendum consensum possunt ab ea retineri, etiam non secuto corporis usu, si absque pacto ea donavit, quia solum fuit datio gratuita ad movendum voluntatem, ergo absque injustitia potest retineri. Difficile tamen excusabitur mulier a peccato gravi scandali. *Quia matrona non est casta, quæ, cum rogatur, munera accipit.* Ut ex D. Hieron. inquit D. Thom. *lib.* 4. *de erudit. Princip.*

129. Quidam Neotericus, contra Salmanticenses asserens oppositum, dicit: *Ego restituendum totum assero donatori ad scandalum vitandum.* Nos vero asserimus, forte rectius, distribuendum pauperibus, non restituendum donatori, tum quia amisit jus ad illud, tum in pœnam sui delicti, ac pravæ intentionis. Circumstantiæ tamen inspiciendæ sunt: nam si fœmina pauper sit, & non assueta hujusmodi acceptionibus, vel donum non sit magni valoris, retinere licite valet.

PUNC-

PUNCTUM XVIII.

Alia dubia circa acceptionem ob turpem causam.

130. Inq. 1. An prodiga promissio facta fœminæ ob usum corporis sit implenda? R. quod, supposito pravo opere, si res promissa sit partibilis, impleri debet reducendo pretium ad justos limites; ita Soto, Bañez, & communiter Theologi, quidquid oppositum dicat Concina. Si res impartibilis sit, non est implenda, quia datio prodiga est illicita, & nemo potest teneri, seu obligari ad illicitum. D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 7.

131. Nec refert, quod promissio matrimonii facta a viro nobili puellæ virgini inferioris conditionis, ut se permittat ab eo deflorari, debet impleri; sed talis promissio est prodiga, ergo promissio, esto prodiga, implenda est. R. enim quod si talis promissio impleri debet, prodiga non est: quia honestas virginis, aut pudicæ fœminæ pluris habetur omni bono temporali. Vid. *tract.* 34. *n.* 13.

132. Advertat prudens Confessarius circa omnia præfata, quod aliud est debitum justitiæ, aliud debitum honestatis; propter quod, quando hujusmodi casus occurrant, perpendere debet circumstantias dantis, seu promittentis, & accipientis, & juxta eas, vel cogere ad dandum promissum, vel coercere illum: accipientem pariter obligare ad distribuendum inter pauperes pretium, si pauper non sit ipsa, tum in pœnam peccati commissi, tum in detestationem similia committendi.

133. Ex jure positivo quidquid accipitur contra leges reprobantes actum, seu lucrum, restituendum est, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *a.* 7. *ad* 2. dicens: *Apud illos, qui sunt hujusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem, qui lucrantur.* Quod præcipue verum tenet in regno Hispaniæ, ubi judices, & alii ministri justitiæ coguntur restituere munera accepta sive pro justa, sive pro injusta sententia, ut dicemus fusius *tract.* 21.

134. Pro actu igitur, quem quis debet ex justitia exercere, vel omittere, nihil valet accipere: ut Judex pro justa sententia ferenda: vel ne proferat injustam: testis, ut verum testetur, aut ne falsum in judicio dicat, & similes, si quid recipiant, restituere debent. Recipientes autem aliquid pro actu ex aliis virtutibus debito non tenentur restituere; præcipue si aliquem laborem, seu periculum in eis præstandis subeant. Accepta pro actione, seu omissione cedente in commodum tantum accipientis, sive spirituale, sive temporale, retineri licite valent; dantur enim gratiose ad movendum voluntatem, ut quæ dantur pueris, ut scholam adeant, ut missam audiant, jejunium observent, vel adultis, ut a sociis suspectis, vel a delictis abstineant.

135. Denique accipientes aliquid pro eo, quod ex charitate præstare debent, ut medici, chirurgi, advocati, & similes, esto vi justitiæ restituere non teneantur; tamen in pœnam suæ omissionis cogendi sunt a Confessario, ut illud in pauperes distribuant, nisi ipsi pauperes sint, aut aliquem peculiarem laborem, periculum, seu expensas in alterius beneficium subierint; vel nisi quidquam eis donetur gratuito, aut in remunerationem operis facti ex charitate.

PUNCTUM XIX.

De loco, & expensis, quibus restitutio fieri debet.

136. Inq. 1. Quo loco fieri debeat restitutio? R. vel restitutio provenit ex re accepta, vel ex injusta actione, vel ex contractu. Si provenit ex re accepta, sufficit, quod fiat, ubi res habetur, aut si mittenda sit ad dominum absentem, hujus expensis facienda est, quia nullum damnum subire debet possessor bonæ fidei ex redditione rei alienæ. Quare monendus es dominus, & ejus expensis deferri res ad ipsum debet. Verum, si postquam aliena esse agnoscitur, alio transferatur a possessore antea bonæ fidei, hujus expensis mittenda est ad dominum, deductis illis, quas impendere dominus debuisset in asportatione ex priori loco: nisi possessor alio detulerit, ne periret, vel judicans negotium do-

mi-

mini facere in rei translatione. Si dominus adeo absens fuerit, ut nequeat facile admoneri, conservari res debet, donec occurrat monendi, aut restituendi occasio; vel pro varietate circumstantiarum tradi potest alicui pio loco servanda, vel consanguineis domini, vel si est parvi valoris in pauperes distribui.

137. Si restitutio proveniat ex injusta actione, facienda est expensis debitoris in loco, ubi dominus rem suam esset habiturus, quia hic non debet pati dispendium ob alterius delictum. Quando vero majores sumptus essent faciendi in asportatione rei, quam res ipsa valet, circumstantiæ inspiciendæ sunt. Nam quando dominus dives est, aut non multum indiget sua re, & debitor est pauper, poterit differre restitutionem. Tamen absolute loquendo, fur, sive injustus retentor tenetur cum suo gravamine rem domino restituere, & sibi imputet, si expensæ graviores ad hoc necessariæ sint. Si creditor, seu dominus rei alio sponte se transtulit, detrahi debent expensæ, quas in rei suæ asportatione facere debuisset.

138. Tandem, si restitutio proveniat ex contractu, facienda est in loco, ubi contractus celebratur, nisi aliud in contractu exprimatur: quia cum ille sit utriusque locus communis, censetur ab utroque designatus. Aliquando tacite designatur locus creditoris, ut, si in itinere a Petro postules pecuniam mutuatam, solvi debet, non in itinere, sed in loco Petri, qui tacite censetur assignatus. Quando alter post initum contractum alio discedit; tradenda est res expensis illius, in cujus commodum celebratus est contractus. Igitur mutuum afferens commodum accipienti, hujus expensis reddendum est; depositum vero expensis deponentis, istius namque commodum defert. Semper ergo attendi debet, ut æqualitas servetur, restitutioque fiat in illo loco, qui naturæ contractus correspondeat.

139. Inq. 2. An restituens per alium teneatur iterum restituere, si res ad manus domini non perveniat? Ante resolutionem quatuor ut certa supponenda sunt. *Primum*, quod si per nuntium periculosum rem domino mittas, teneris in casu quæstionis iterum restituere, quia ex tua culpa, & negligentia res perivit: *Secundum*, quod, si nuntius a creditore sit designatus, sive ejus consensu a te electus, liber es a nova restitutione: quia tunc, sive fidelis, sive infidelis sit, gerit personam creditoris, proinde ipsi, non tibi res perit. *Tertium*, quod si creditor tuo arbitrio relinquat, quod eligas, quem malueris ad rem sibi mittendam, & tu eligas nuntium reputatum fidelem, ad amplius non teneris, propter eandem rationem: consensum enim præstitit ad eum eligendum. *Quartum*, quod idem dicendum est, quando ex imperio Judicis eligis talem portatorem. Quare dubium versatur, quando debitor eligit portatorem fidelem, vel reputatum ut talem. Circa quod:

140. R. 1. Quod tenetur iterum restituere fur, sive debitor ex delicto, qui per nuntium rem creditori mittit, si ad eum non perveniat. Prob. *Primo*; quia restitutio obligat ad ponendam æqualitatem, sed quamdiu res non pervenit ad manus domini, non ponitur æqualitas, ergo hæc apponenda est nova restitutione. *Secundo*, possessor malæ fidei tenetur, etiam de casu fortuito, ergo esto fortuito pereat res missa, tenetur restituere denuo. Ob hanc rationem, esto pecuniam paratam haberet fur in mensa, ut eam restitueret, & casu periret, aut subriperetur, adhuc tenetur restituere, ergo idem in præsenti.

141. Objic. 1. fur non tenetur per se ipsum immediate restituere, nec convenit, ergo sufficit, quod per alium rem mittat creditori: maxime per nuntium fidelem, ut Parochum, aut Confessarium. Respondent plures, nihil aliud requiri, ut fur liberetur a peccato injustæ detentionis, requiri tamen, ut apponat æqualitatem: hi autem non valde consequenter procedunt, dum alias præceptum restituendi non affirmativum, sed negativum propugnant: sed favet nobis illud affirmativum asserentibus. Igitur, quamdiu æqualitas non ponatur, fur denuo restituere tenetur.

142. Objic. 2. Creditor habet consensum tacitum, ut sibi res per nuntium fidelem mittatur, ergo qui hoc egit, suæ ob-

obligationi satisfecit. R. Creditorem velle, ut res sibi per nuntium fidelem mittatur, ita ut ad suas manus perveniat: Quamdiu vero non pervenit, manet cum jure ad illam, & debitor cum obligatione eam restituendi.

143. R. 2. Quod, si res restituenda mittatur per virum, aut nuntium fidelem a possessore bonæ fidei, qui eam invenit, aut apud se habeat, liber est a nova restitutione, quia non tenetur ad eam, nec ex injusta actione, ut supponitur, neque ex re accepta, cum eam non habet, nec ex casu fortuito teneatur, sicut fur.

144. R. 3. Quod circa debitum ex contractu mutui, commodati, aut alterius distinguendum est. Nam res, quæ in individuo restituendæ sunt, ut hic equus, hæc ovis, hæc vestis, hæc pecunia pereunt domino, nec debent denuo restitui, si semel mittantur per nuntium fidelem. Res autem, quæ sunt restituendæ in genere, ut pecunia indeterminata, vinum, frumentum, aut oleum pereunt debitori; proindeque esto mittantur per nuntium fidelem, debent iterum restitui, si non perveniant ad dominum. Unde, si mittas ad amicum equum ab eo commodatum, & simul pecunias ab ipso mutuo acceptas, & pereant in via, aut subripiantur, teneris restituere denuo pecunias; secus equum, quia equus erat domini, & huic periit: pecuniæ erant tuæ, & tibi pereunt, quia res perit domino.

Punctum XX.

De illis, quibus restitutio fieri debet.

145. Inq. 1. Cui sit facienda restitutio rei ablatæ? R. fieri debere ei, a quo fuit ablata, si justo titulo eam possidebat, licet ejus dominus non esset: quia restitutio tendit ad ponendam æqualitatem, quæ proinde ibi debet reponi, ubi ablata est: Unde si auferas rem ab eo, qui eam possidebat in depositum, commodatum, pignus, vel administrationem, eidem debes restituere, nisi nullum dispendium inferres possessori, illam domino restituens. Si vero subripias rem ab eo, qui nullo titulo justo eam possidebat, & hoc certo constet, debes eam domino reddere. In dubio injustæ possessionis restituenda est possessori: quia in dubio non debet privari sua possessione. Quando res ablata ab injusto possessore traditur domino, monendus est hic, ne iterum repetat, & ille, ne denuo restituat, aut in mala fide permaneat. Similiter accipiens rem contractu lucrativo a possessore injusto, debet eam tradere domino.

146. Verum si contractu oneroso eam a fure acceperit, poterit illam reddere furi, ne pretium amittat, si aliter recuperare illud non valeat. Fure autem non comparente, debet domino tradere, etiam cum jactura pretii, ut supra diximus. Quando dominus rei mortuus est, facienda est restitutio hæredibus, ita ut, si fiat pauperibus, hæredibus iterum fieri debeat. Si auferas aliquid a religioso, filio familias, uxore, aut minoribus, debes reddere monasterio, patri, viro, seu tutoribus, in quibus residet dominium, seu administratio rei ablatæ: nisi sit ex bonis, quorum dominium, administratio, seu usus apud religiosum, aut cæteros prædictos reperitur.

147. Inq. 2. An restitutio facienda sit domino, si ipsi, vel alteri futura est nociva? R. neg. quia fieri debet in commodum creditoris; unde si arma Petri habeas, & ille in suam, vel aliorum perniciem ea a te petat, debes, tum ex charitate, tum ex justitia ea pro tunc denegare: alias obnoxius eris restitutioni damnorum inde sibi, vel alteri obvenientium: nisi ipse æquale damnum passurus esses illa retinendo; in hoc enim casu non teneris vitare alienum damnum cum detrimento proprio. Hoc asseritur ab omnibus, & etiam a Concina, qui alias negat, posse rescindi contractum cum fure, ad vitandum æquale damnum proprium in recuperatione pretii. Hoc idem exemplum, ab omnibus assertum, probat cooperationem remotam ad peccatum alterius, saltem ex metu mortis, non esse peccatum, quod amplius patet ex his, quæ subjicimus. D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 1.

148. Inq. 3. An fieri debeat restitutio cum prævisione, quod dominus ea ad peccandum sit absurus? R. Quod in hoc ca-

casu differri debet restitutio ex charitate, non ex justitia ; ut si pecunias quis postulet ad scorta , ad aliave illicita , non teneris ex justitia denegare, quia denegatio hæc non est medium proportionatum ad peccata vitanda , sed correctio fraterna : & quilibet est dominus suarum actionum spiritualium. Ex charitate autem debet differri solutio, quia quisque tenetur ex charitate vitare perniciem animæ proximi , dum commode valet. Verum si absque dispendio proprio non possit, minime tenetur consulere alteri, libere peccare volenti. Si peccatum , quod timetur , sit non solum ipsius peccantis, sed alterius tertii , arctius tenetur quisque illud vitare : non tamen cum grave detrimento propio. D. Thom. ibidem.

Punctum XXI.

De restitutione rei ablatæ , cujus dominus ignoratur.

149. Inq. 1. Cui fieri debeat restitutio rei ablatæ , quando ignoratur , aut est incertus dominus ? R. Quod circa rem alienam debet in primis fieri prudens inquisitio , ut vero domino , vel ejus hæredibus restituatur. Illo autem non invento , si dubitetur , an sit Petri , aut Pauli , pro rata dubii inter utrumque dividenda est. Si vero penitus ignoretur, omnia debita ex delicto restituenda , debent pauperibus distribui , vel piis operibus applicari. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 3.

150. Inq. 2. An , præciso jure positivo , ex jure naturæ debeantur talia bona pauperibus applicari ? R. negative : quia pauperes non sunt hæredes legitimi domini ignoti : alias nec Pontifex , nec Princeps aliquis posset talia bona alteri applicare , cujus oppositum videmus. Igitur bona incerti domini jure naturæ devolvuntur ad statum pristinum , in quo erant ante divisionem , eorumque administratio transit ad Pontificem , Regem, seu rempublicam : qua ratione valent jure Pontificio , seu Regali applicari urgentioribus necessitatibus , nempe pauperibus , ut infirmioribus membris reipublicæ. Hinc tamen non inferas , valere quemlibet bona incerti domini , fide bona possessa , sive ex contractu licito habita , sibi applicare , eo quod ad priorem statum sint devoluta ; hoc enim communi sensui doctorum repugnat.

151. Inq. 3. Quibus pauperibus distribui debeant bona incerti domini? R. Quod licet sit optimum consilium pauperioribus ea tradere : sufficit tamen vere pauperibus ea distribuere. Quando autem alicui communitati , aut illius notabili parti facta est injuria , ignoranturque certi domini , restitutio facienda est communitati , ut hæc inter partes læsas modo convenientiori distribuat. Quando vero damnum illatum est alicui oppido , seu majori ejus parti minutis venditionibus , & ignorantur determinatæ personæ , debet restitutio fieri vilius vendendo. Consensus Episcopi , seu Parochi ad distribuenda præfata bona incerta inter pauperes non est de præcepto , bene vero de consilio; ipsi enim sunt pauperum tutores. Utinam illos , ut suos præcipuos creditores respiciant , foveant , ac tueantur !

152. Super hæc bona incerta potest fieri compositio per Bullam , non per juniores suggestam , ut perperam ait Concina , sed a summo Ecclesiæ Præsule concessam , in qua datur facultas componendi super omnia bona , quorum creditor certus non invenitur , ut suo loco fusius dicemus.

153. Inq. 4. An solutione facta creditori mei creditoris , liber sim ab alia facienda ? R. Quod , si ex eadem causa debitum oriatur , omnes affirmant : ut si ex locatione domus debeo tibi centum, & ex simili locatione debes totidem fratri meo solvenda. Quando auten debita ex diversa causa ortum ducunt, probabilius est non satisfieri contra voluntatem creditoris solvendo hujus creditori, quia creditor jus habet , ut debitor sibi solvat , ergo pervertit hoc jus , qui contra ejus voluntatem non sibi , sed suo creditori solvit. Non inficiamur , quod , adstante justa causa , aut prudenti motivo ad ita faciendum , possit , saltim post factum , substineri opinio contraria.

PUNC-

PUNCTUM XXII.

De ordine in restitutione servando.

154. Decisio presentis difficultatis plus ad juristas, quam ad theologos spectat; ex majori enim parte a legibus, & juribus, tum communibus, tum municipalibus pendet. Quare cauti sint theologi, oportet, in hujusmodi dubiis decidendis. Nihilominus explicandus nobis est saltem levi calamo ordo, qui servari debet in debitorum solutione, quando debitor omnibus creditoribus satisfacere nequit: si enim sufficienter omnibus solvere valeat, non est necesse assignare, cui prius, aut posterius solvat: cum singulis integram satisfactionem reddere possit, ac debeat. Sed ante omnia:

155. Inq. 1. Quotuplex sit differentia creditorum, ac hypotecarum? R. Quod aliqui creditores sunt, qui jure naturæ aliis præferri debent absque respectu ad leges: alii solum ex lege præferuntur, & dicuntur *privilegiati*: alii nullam prelationem sortiuntur, sed æquale jus ad bona debitoris habent. Præterea creditores, alii sunt *chirographarii*, *seu personales*, illi nimirum, qui in personam directe, in bona vero debitoris indirecte actionem habent. Alii *hypothecarii*, qui in personam, & bona jus directum habent. Hypotheca autem est duplex, alia *tacita*, ut illa, qua bona tutoris, & curatoris hypothecata censentur pro pupillis, & minoribus, & bona mariti pro dote uxoris. Alia *expressa*, quæ etiam est duplex, alia *generalis*, devinciens omnia bona debitoris habita, & habenda: alia *specialis*, afficiens rem determinatam, ut hanc domum, hanc vineam. Hypotheca generalis non transit cum re ad alium possessorem; specialis vero semper transit cum re, quamdiu debitum non extinguatur. Creditor est, *qui exceptione perpetua summoveri non potest a jure, seu actione in rem. Instit. de verbor. signif.* 55.

156. Inq. 2. An leges statuentes ordinem inter creditores servandum obligent in conscientia? R. Affirmative: quia sunt leges justæ præceptivæ, non fundatæ in falsa præsumptione, sed ordinatæ ad publicum bonum, & communem pacem, & utilitatem. Ideo a Confessariis monendi sunt ignorantes, qui, bona fide, non servantes ordinem juris bona a debitoribus percipiunt, ut juxta regulas possessoris bonæ fidei illa restituant. Sed heu! Quot Confessarios eadem ignorantia laborantes reperies!

157. Igitur summatim loquendo sequens ordo in debitorum solutione est servandus. *Primo*; omnia bona in sua specie apud debitores existentia, non translato in istos dominio, suis dominis tradenda sunt ante solutionem cujuscumque debiti, ut deposita, pignora, commodata; & etiam vendita, quorum pretium solutum non est: quia nec eorum dominium translatum est in emptorem, vel si translatum est, censetur translatum sub conditione pretii solvendi, manendo in pignus pro pretio. *Secundo*, debita certa ante incerta solvenda sunt, quia restitutio debetur creditoribus certis immediate, mediate autem incertis, nempe mediis pauperibus. *Tertio*, inter debita certa ante omnia solvendæ sunt expensæ necessariæ, & moderatæ pro funere, & pro curatione in infirmitate factæ.

158. *Quarto*, inter debita certa præferenda sunt onerosa gratuitis. Ideo debita defuncti solvuntur ante legata quantumvis pia, & ante vota, quæ Deo non placent cum præjudicio justitiæ. *Quinto*, intra debita onerosa præferenda sunt hypothecata, aut privilegiata nudis, aut personalibus, quia speciali jure pertinent ad creditores. *Sexto*, inter creditores hypothecarios præferendus est, qui prior est tempore, quia in illis tenet proprie illa regula juris: *Qui prior est tempore, potior est jure.*

159. Verum septem in jure reperiuntur casus, in quibus quædam hypothecæ aliis prioribus præferuntur, hujusmodi sunt: 1. quando quis mutuum debet pro conservatione rei hypothecatæ, 2. Cum quis dedit mutuum pro mercium vectura, vel pro locatione domus, in qua servantur. 3. est hypotheca dotalis, quæ bona mariti devincit uxori, ejus filiis, & aliis descendentibus; præferenda est enim dos omnibus hypothecis tacitis, licet non expressis anterioribus do-

te, & matrimonio; alias per subsequens matrimonium fraudari possent. 4. Dum cum pecunia pupilli emitur prædium, aut alia res, quæ hypothecata manet præ omnibus. 5. Dum quis alteri dat pecunias mutuo ad emendam rem, quæ devincta manet datori mutui pro solutione pretii. 6. Dum quis contrahit cum fisco. 7. Quando quis dat mutuo pecuniam ad militiam, seu causa belli. Hæc autem hypotheca cedens in bonum commune præfertur aliis etiam expressis, & specialibus. Pro praxi autem omnium leges cujusque Regni, seu Regionis consulendæ sunt. Nos quippe ex doctioribus solum quædam magis obvia, ut Confessarii saltem dubitare sciant, exhibemus.

160. Post creditores hypothecarios solvendum est personalibus; inter hos autem alii sunt *privilegiati*, alii non. Primi generis numerantur creditores expensarum funeris moderati, & infirmitatis; sponsa tradens dotem ante matrimonium: deponentes pecuniam apud publicum depositarium a republica constitutum, nulla percepta usura, & Princeps, seu respublica: inter quos, ille debet præferri, qui potior est causa, licet posterior sit tempore. Inter creditores vero non privilegiatos præferendus est, qui prior es tempore: quia prior creditor jus acquirit in debitorem, ac indirecte in ejus bona, quod per subsequens non eliditur: idemque tenendum est, etiamsi posterior sit pauperior; paupertas enim mea juri tuo minime præjudicare debet. Idipsum teneas de debitis, sive ex contractu, sive ex delicto provenientibus.

161. Si debitor uni ex creditoribus integre voluntarie solvat, tenetur iste aliis suam partem pro rata juris satisfacere, quia, ut diximus, ordo præscriptus obligat in conscientia. Si vero solvat petenti in judicio, apud omnes recte agit. Idem probabilius judicamus respectu petentis extra judicium in præmium ejus majoris vigilantiæ, ac diligentiæ. Nequit tamen debitor licite monere amicum, ut prior petat, & sic ei solvat cum aliorum detrimento; hoc enim monitum dolum, fraudem, ac injustitiam involvit. Monitum sanum pro debitoribus sit, quod omni via possibili satagant debitorum solutioni, minorando sumptus, atque admittendo legata, hæreditatem, aut quamlibet donationem sibi gratuito factam. Alii autem, ab homine supra facultates gravato, nec munera, nec aliquid valoris pro donatione accipiant, ne injustitiæ ipsius in mora solvendi cooperentur.

Punctum XXIII.

De tempore, quo restitutio fieri debet.

162. Inq. 1. Quo tempore facienda sit restitutio? R. sub distinctione. Nam vel debetur ex contractu, vel ex delicto, aut re accepta. Si ex contractu debetur, facienda est tempore in eo assignato. Si vero nullum tempus sit designatum, non peccat graviter omittens restituere, antequam admoneatur, aut res a domino petatur. Nisi ob timorem, impotentiam, aut oblivionem admoneri non possit: vel juramentum additum sit contractui, quia juramentum vim habet interpellationis, obligatque, ut quantocius debitum reddatur.

163. Nec refert, quod juramentum sequitur naturam actus, cui adhæret. Verum enim est sequi naturam primordialem actus, non accidentalem: natura autem primordialis contractus postulat, ut, quamprimum possit, impleatur, quando tempus non præfigitur; quod vero monitione indigeat, ex accidenti habet, nempe ex consuetudine usu recepta.

164. Si restitutio facienda provenit ex delicto, aut ex re accepta, non per contractum, statim debet fieri, quia dominus privatur usu rei suæ, quod est injustum: Esto enim præceptum restituendi sit affirmativum, implicat negativum, non retinendi rem alienam. Unde eam absque justa causa retinens peccat contra justitiam, & tenetur ad damna emergentia, & lucra cessantia ex ejus retentione subsecuta. Cæterum, ut retentio sit peccatum grave, attendi debet, tum mora retentionis; non enim quælibet brevis morula ad id sufficit: tum facultas, & commoditas debitoris, tum damnum, & renitentia creditoris. Ex quibus deduci valet, quando retentio sit gravis culpa. Nam instans restituendi, non mathematice, sed moraliter sumendum est; ita ut restitutio fiat statim, ac commode mo-

ra-

raliter possit. D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *a.* 8.

165. Inq. 2. An qui non restituit, sit, non solum in peccato habituali, sed etiam in continuo actuali? R. Affirmative: quia non restituere est privare actualiter dominum usu rei suæ, ut diximus, ergo non solum est in peccato habituali, sed etiam in actuali injustitiæ; ex ea enim parte, qua restituendi præceptum est negativum, obligat pro semper, ut ait D. Thom. in Supplem. *q.* 6. *art.* 5. *ad* 3.

166. Inq. 3. Quot peccata committat debitor culpabiliter non restituens? R. 1. Certum esse apud omnes debitorem morosum tot peccata physice numero diversa committere, quot occasiones restituendi occurrunt, ac eas despicit: quoties a creditore interpellatur, & denegat: quoties repetit actus internos non restituendi, aut externos utendi re aliena, vel illam consumendi, & similibus. Dissident tamen authores, an ista peccata sint tantum physice diversa, constituentia unum gravius in æstimatione morali, ac in ordine ad confessionem, admodum quo, decernens hostem occidere tot peccata physice committit, quoties repetit animum, arma sumit, & iter aggreditur; quæ omnia unum morale gravius crimen efficiunt. Difficultas ergo est, quando prædicta peccata judicantur moraliter interrupta, ut debeant in confessione explicari. Circa quam:

167. P. Concina *tom.* 10. *pag.* 316. *n.* 19. censet ad multiplicationem dierum multiplicari peccata; putat enim, quolibet integro die interrumpi moraliter actus voluntatis. Sed hoc verum non est; alias furta levia numquam possent moraliter conjungi cum hodiernis, & crastinis. Unde, utpote discontinuata, numquam obligarent graviter ad sui restitutionem, quod nemo dicere valet. Igitur,

168. R. Tunc censeri moraliter interrupta dicta peccata, debereque explicari in confessione, quando vel adest efficax retractatio voluntatis, & nova repetitio, vel quando discontinuantur, non per breves morulas, ut sunt oblivio, seu inadvertentia actualis, comestio, somnum, aut etiam duratio unius, vel alterius diei, sed per durationem, aut interruptionem moraliter diuturnam, ut per hebdomadam plus, minusve, quia homo per integram hebdomadam plus minusve ad negotia valde disparata se distrahit, aliaque peragit, per quæ ejus propositum moraliter interruptum, seu distinctum censeatur. Unde ad explicandum pro possibili numerum peccatorum debet pœnitens patefacere tempus, quo in omissione restituendi perduravit: hoc, & non amplius exigunt, nec exigere debent sectatores strictioris opinionis, monentes, ne Confessarius sit nimius in supputando peccatorum numero; sufficit enim, quod ex duratione conjiciat eorum multiplicitatem, statumque pœnitentis, quando hic distincte eorum numerum non agnoscit. *Vide tract.* 5. *a n.* 156.

169. Inq. 4. An absolvi valeat nollens statim, cum potest, restituere? R. neg. tum ex regula 4. juris. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Tum, quia retinens deliberate rem alienam est in continuo peccato actuali, ut dictum est, ergo absolvi nequit. Idem teneas de illis, qui partem, & non totum restituere volunt, ex qua dimidiata solutione grave dispendium inferunt creditoribus. Nisi impotentes sint ad totum, tunc enim partem solvere debent. Igitur dum possunt totum, minime per partes, sed integre, esto cum incommodo aliquo, si non superet, quod creditor patitur, restituere obstringendi sunt absque ullo respectu personarum. Aliquando tamen absolvi valent, si sincere promittant, quantocius se restituturos; maxime dum ob aliquam circumstantiam illico non possunt, aut debitum non ex delicto, sed ex contractu provenit. Ille autem, qui ex delicto debet, & non restituit, cum possit, non est absolvendus, quia nec est dispositus, nec præsumi valet, quod cito restituet, ut regulariter contingit.

170. Inq. 5. An sint absolvendi, qui potentes in vita restituere, differunt usque ad mortem: vel qui in mortis articulo hæredibus, aut aliis restitutionem committunt? R. negat. Tum, quia similes homines indicant, se non habere sincerum propositum restituendi, nisi sub conditione quod moriantur. Tum, quia exponunt creditores periculo debita non recuperandi, cum sæpe hæredes, præcipue

pue magnatum, vix, aut numquam illa persolvant, nisi post longissimum tempus. Unde Confessarius ad audiendam confessionem hujusmodi pœnitentis vocatus, ante confessionem præcipiat illi, ut viro probo committat facultatem plenam in scriptis ad solvendum statim omnibus suis debitoribus, si absque nota infamiæ fieri valet, vel saltem antequam bona ipsius transeant ad hæredes, istis enim hoc onus demandare, nihil aliud est, quam restitutionem, suamque salutem æternam maximo periculo exponere.

Punctum XXIV.

De causis a restitutione excusantibus.

171. Inq. 1. Quænam sint causæ excusantes a restitutione? R. Sunt tres, nempe voluntas domini expressa, seu præsumpta, impotentia physica, seu moralis, atque ignorantia invincibilis; hæc namque quamdiu durat omnino excusat, sicut ab omni præcepto, ita etiam a restitutione. Igitur prima causa per quam debitor excusatur a restitutione sive totali, sive partiali est condonatio creditoris cum duplici conditione, nempe, quod sit spontanea, & libera, & á jure non impedita. Ex defectu hujus secundæ conditionis sunt nullæ condonationes factæ a pupillo, & furioso, & similiter, quæ fiunt circa distributiones canonicis, qui divinis officiis non intersunt, & Episcopis circa ea, quæ accipiunt in visitatione præter sumptus necessarios; tenentur enim duplum restituere. In quo etiam vere laudandum est exemplum hodierni Archiepiscopi Burgensis, qui nihil penitus admittit in visitatione suæ Diœcesis, omnes sumptus sibi, suoque comitatui necessarios ex proprio penu libenter subministrando, ne clerici, aut Ecclesiæ pauperes graventur.

172. Ex defectu primæ conditionis nulla est condonatio ab ebrio, amente, aut ex metu gravi facta, seu importunis precibus extorta: quia sic non est spontanea, aut omnino libera. Mercatores, & alii debitores, qui publico se subducunt commercio, fugientes ad Ecclesiam, ut a creditoribus remissionem partis obtineant, se componentes in minori summa, si dolo, aut fraude id peragant, ad integram restitutionem obstricti manent: raro quippe talis compositio, esto creditores in eam conveniant, spontanea, nec voluntaria omnino est. Unde vix, aut rarissime liberi manent a restituendo, dum valeant,

173. Inq. 2. An condonatio virtualis, seu præsumpta sufficiat ad excusandum debitorem a restitutione? R. affirm. nam quando ex conjecturis prudenter creditur dominum illam remittere, nihil, invito domino, retinet debitor, ergo liber est a restitutione. Hac ratione excusantur filii accipientes aliqua non magni valoris, & famuli subripientes esculenta, aut poculenta communia, & levia ex voluntate præsumpta patris, & domini condonantium, qui licet egre ferant talia furtula quo ad modum, non vero quoad substantiam.

174. Quando creditor uni ex debitoribus, qui ob injustam læsionem restituere debent, condonat suam partem; non propterea alii liberantur; nisi ille cui remissio facta est, sit causa principalis damni illati, ut mandans, aut executor voluntarius; in hoc enim casu, remissione huic facta, liberantur omnes alii, qui solum in ejus defectum tenebantur. Nequit tamen creditor remmittere uni in gravamen aliorum, qui, ut æque primarii, vel æque secundarii astringuntur. Unde si Petrus, Paulus, & Joannes 300. aureos furentur a Didaco, & hic remittat Petro suam partem, si Paulus restituere suam nolit, non ob id Joannes tenetur 200. restituere, sed tantum 150. quia ex tribus debitoribus uno nolente, refunditur totum debitum in duos, qui proinde ad 150. tenentur. Si vero postea Paulus restituere suam portionem velit, inter Didacum creditorem, & Joannem 100. refundere debet.

175. Secunda causa a restitutione excusans est impotentia, quia ad impossibile nemo tenetur. Verum non solum impotentia physica excusat, sed etiam moralis, nempe si restitutio fieri nequeat absque notabili damno, sive temporali, sive spirituali debitoris: quia debet creditor velle, quod differatur restitutio, quæ absque tali dispendio fieri non valet; alias esset irrationabiliter invitus.

176.

176. Objic. nemo ad vitandum proprium damnum bona alterius subripere potest, ergo nec illa retinere, quia idem est retinere, ac subripere. R. semper esse deterius aliena subripere, ac ea retinere, sicut deterius est alium vulnerare, quam vulneratum non mederi. Inspicias obiter hac paritate perbelle confirmari præceptum restituendi idem non esse, ac præceptum non furandi, sed satis distinctum, & affirmativum, uti est præceptum medendi læsum, seu vulneratum.

177. Ex dictis sequitur non teneri restituere illum, dicunt aliqui, qui periculum spirituale, aut temporale salutis suæ, aut suorum inde prudenter timeret: ut si ob id cogeretur furari, filiam prostituere, vel alia peccata committere. Sed hoc gratis dicitur a quibusdam: quia nemo cogitur peccare, nisi a sua malitia: restituat, & non peccet. Verum est, quod debitor pecuniæ non teneatur ad restituendum vendere multo vilius agrum, seu domum, aut instrumenta, quibus laborando sustentatur. Debet tamen artem, seu officium suæ conditioni congruum exercere ad solvendum. Pariter esto non teneatur alienare, quæ necessaria sunt, ut vestes, lectum, habitaculum, nec nobilis artem mechanicam exercere, aut se privare omni obsequio famulorum, nec cadere a statu juste acquisito, debet tamen plura minuere in fastu, cibis, vestitu, aut equis, ut quantocius debita satisfaciat.

178. Inq. 3. An in æquali gravi necessitate creditoris, & debitoris sit facienda restitutio? R. affirm. quia in pari causa innocens est præferendus. Unde si creditor a proprio cogeretur cadere statu, aut res familiares vilius vendere, teneretur debitor restituere etiam cum simili jactura. In extrema autem necessitate utriusque melior est conditio possidentis, ideoque non tenetur debitor restituere, esto creditor in eadem sit necessitate.

179. Regulariter ob lucrum acquirendum nequit differri restitutio: quia non est privandus creditor suis rebus, ut ex eis debitor ditescat. Nihilominus, si ex dilatione fere nullum creditor patitur detrimentum, & debitor notabile comparet emolumentum, differri aliquamdiu valet, ut sic iste sibi, & aliis creditoribus providere possit. Verum quia frequenter spes lucrandi debitores decipit, unde nec debita solvunt, nec lucra comparant, ideo raro ob spem lucri restitutio differenda est. Debitor tenetur ad damnum emergens, & lucrum cessans ex suæ restitutionis dilatione proveniens, esto habeat motivum differendi, quia per suam injustam actionem fuit causa totius damni subsecuti; secus vero debitor ex contractu, nisi sit in mora culpabili solvendi, propter oppositam rationem,

180. Inq. 4. An cum detrimento bonorum ordinis superioris teneatur debitor restituere? Ante resolutionem notandum est bona dividi in *spiritualia*, & *temporalia*, & hæc semper sunt inferiora illis. Rursus temporalia subdividuntur in triplicem ordinem *infimum*, *medium*, & *supremum*. *Infimum* locum tenent res emptioni, & venditioni subjectæ: *medium* honor, & fama: *supremum* vita, libertas, salus, virginitas, ac membra. Aliqui honorem, & famam diligunt super ipsam vitam. Igitur:

181. Dicendum est, quod si non potest solvi debitum absque notabili dispendio bonorum superioris ordinis, valet differri, vel in totum prætermitti: quia quilibet velle debet solutionem rei familiaris differri, vel omitti, quando nequit fieri absque notabili dispendio vitæ, salutis, famæ, aut honoris. Si autem cum levi jactura boni superioris peragi valeat restitutio, fieri utique debet. Idcirco diffamatus ob alia furta restituere debet etiam cum aliqua nova famæ jactura: hæc enim læsio famæ levis est respectu antea diffamati. Aliquando etiam tenetur debitor restituere cum jactura proprii honoris, ut si creditor ob non soluta sibi debita cadere a suo statu coge-retur. Sed hoc est per accidens; per se enim nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis cum detrimento bonorum ordinis superioris, & numquam cum jactura vitæ. Nec tenetur aliquis se in servum vendere ad restituenda bona fortunæ.

182. Objic. Ergo, qui per usuras, & furta injuste acquisivit statum altiorem, non tenetur cum jactura sui status, & ho-

honoris restituere, nec cadere ab illo. R. neg. conseq. quia vel habebat in opinione aliorum juste acquisitum talem statum, vel non? Si hoc secundum, nullum detrimentum famæ patitur in amissione illius, sed potius providus suæ animæ, & justus reputabitur. Si primum: idem bonum nomen potest assequi distribuendo pecunias in usus pios. Si autem restitutio facienda sit determinatæ personæ, fieri valet occulte paulatim per Confessarium, aut alium virum probum, ita ut creditoribus satisfaciat, & suæ famæ non officiat. Unde filii usurariorum, & aliorum, qui per injustitias ad altiorem statum devenerunt, tenentur debita parentum modo dicto restituere, etiam cadendo a statu per illorum injustitias acquisito.

Punctum XXV.

De ære alieno gravatis religionem ingredi volentibus.

183. Inq. 1. An gravatus ære alieno possit ingredi religionem? R. 1. Eum, qui deliberat religionis ingressum, debere prius omnia debita solvere, si possit, quia obligatio justitiæ ad id illum compellit. Si autem creditores sint incerti, debet omnia sua bona distribuere pro rata in pia opera ad compensandum detrimenta illata. Si vero impotens sit, nec adsit spes restituendi, ingredi, & profiteri religionem valet, quia ad impossibile nemo tenetur. Si enim brevi tempore, ut intra biennium in sæculo manens speraret posse restituere, teneretur differre ingressum religionis, ne omitteret obligationem justitiæ; nam tunc casus non est absolute impotens. Si debita proveniant ex contractu gratuito, aut ex liberali promissione, potest statim cedendo bonis suis ingredi religionem, quia promissio gratuita intelligitur sub conditione tacita: *nisi ad meliorem statum transiero.* Præcipua difficultas est, an, jure naturæ inspecto, teneatur quis multo tempore manere in sæculo, quando spes adest solvendi debita ex delicto, sive ex contractu oneroso? Pro qua:

184. R. 2. negat. quia persona hominis libera est per se, ergo cedendo bonis, si quæ habeat, in favorem creditorum, ad amplius non tenetur, & potest de persona in Dei obsequium, & in utilitatem propriæ salutis æternæ disponere. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 6. *ad* 3.

185. Objic. 1, Si persona hominis libera est, ergo, pereuntibus bonis debitoris, non tenetur, licet in sæculo maneat, laborare ad satisfaciendum creditoribus. R. neg. conseq. Aliud quippe est, quod persona hominis sit libera ad assumendum statum Deo gratiorem, dum non valet debita solvere, quin ab hoc statu longo tempore privetur: aliud, quod in sæculo manens, non debeat pro viribus laborare ad illa persolvenda, quia ex suppositione mansionis in sæculo, etiam persona, saltem indirecte, devincta est creditoribus in ordine ad solutionem, esto, non in ordine ad status assumptionem: ex adverso, quia persona servi devincta est per se domino, nequit religionem ingredi absque ejus consensu: nec filius cum præjudicio parentum indigentium ejus operis, quia ex ortu, seu origine tenentur parentibus subvenire.

186. Objic. 2. Solutio debitorum est de jure naturali, & divino, ingressus religionis est de consilio; sed opera consilii postponenda sunt operibus de præcepto, ergo. R. opera consilii posponenda esse operibus de præcepto, quando hæc fieri valent absque notabili detrimento propriæ libertatis, & salutis animæ. Si vero apponi nequeant absque tali dispendio, minime obligant: non enim obligat restitutio bonorum ordinis inferioris cum gravi dispendio bonorum ordinis superioris, ut ex communi supra diximus.

187. Inq. 2. Quid sit dispositum jure canonico circa illos, qui gravati ære alieno, religionem ingredi volunt? R. quod Sixtus V. motu proprio *anno* 1585. vetuit, ne admittantur ad religionem illi, qui ingentibus debitis gravati, nequeunt cito satisfacere, possunt vero in sęculo manentes; taliumque professionem irritam declaravit. Quod Decretum non comprehendit moniales, nec eos quorum bona sufficiunt ad debita persolvenda, nec loquitur de debitis non magni momenti, aut mere gratuitis, nec denique

de

de contractis absque culpa. Clemens vero VIII. alio motu proprio revocavit præfatum decretum circa nullitatem professionis, quoad cætera illud relinquens in suo robore. Apud nos nullus admittitur debitis gravatus, aut rationem de re aliqua redditurus, ut præscribitur a nostris constitutionibus *p. 2. cap. 2. num. 9. & 10.*

Punctum XXVI.

De compensatione.

188. Inq. 1. Quid sit compensatio? R. Compensationem esse duplicem: nempe propriam, & impropriam. Propria est *debiti, & crediti inter se invicem contributio*, seu *qua unum debitum alio debito extinguitur*: ut quando tu mihi debes centum, & ego tibi totidem debeo. Hæc duo debita mutua compensatione remitti, etiam non interpellata Judicis authoritate, asserunt omnes. Compensatio impropria adest, quando debitum solum datur ex parte unius, ut, si Petrus mihi debeat centum, nollensque ea solvere, occulte accipio centum: quæ potius recuperatio debiti, quam compensatio nuncupari valet. Sed quia eodem nomine una, & altera significatur, & de impropria sunt præcipue difficultates, ideo de ea nomine compensationis in hoc puncto agemus.

189. Inq. 2. An compensatio occulta aliquando sit licita? R. esse licitam, servatis quibusdam conditionibus: quia licitum est recuperare rem propriam occulte, quando aliter non potest, ut tenet communis Theologorum sententia, quam mordacitas unius, vel alterius Neoterici labefactare non valet. Imo ipsæ leges civiles videntur concedere compensationem ei, qui in pignus sui crediti habet rem, quam retinere potest pro solutione, etiam ante alios creditores. Cur ergo, si absolute illam habeat, & non possit aliter suum creditum recuperare, non valebit eam retinere pro solutione, saltem sine præjudicio anteriorum creditorum? Nonne justitia clamat pro uniuscujusque jure illæso servando? Ergo si aliter servari non valeat, licita est occulta compensatio, debitis conditionibus appositis.

190. Inq. 3. Quot conditiones servari debeant pro licita compensatione? R. Sex conditiones esse servandas: *Prima*, quod debitum sit certum, & liquidum: unde excluditur compensatio cum opinione probabili, aut etiam probabiliori; requiritur namque debitum esse certum, per quod etiam excluditur debitum futurum; hoc enim nec certum, nec liquidum est. *Secunda*, quod solum fiat de bonis propriis debitoris: unde non licet accipere rem alienam apud debitorem existentem, sive in pignus, commodatum, aut depositum. Idem est de re, quam debitor apud te deposuit, *ex cap. Bona fides, de deposit.* Nec debitum ex deposito cum alio debito, etiam ex deposito compensari valet. Ex *eodem cap.* & aliis legibus, tum communibus, tum Castellæ. *Tertia*, quod fiat absque detrimento debitoris; ne plus accipias, quam tibi debetur; alias non servaretur æqualitas a justitia postulata. Qua ratione monendus est debitor caute, ne tibi, aut tuo hæredi iterum solvat, neque in mala fide amplius permaneat. *Quarta*, ut fiat etiam absque præjudicio tertii, ne alteri imputetur, quod ablatum est, neque fiat cum detrimento aliorum creditorum anteriorum, juxta dicta de ordine in restitutione servando. Item, ne fiat de bonis a debitore depositis, commodatis, seu pignoratis apud alium, cui non est auferendum jus illis utendi, neque cogendus forte eadem restituere. *Quinta*, quod debitum sit ex justitia; debita enim ex sola charitate, aut aliis virtutibus minime valent occulte compensari, nam compensatio locum non habet, ubi obligatio justitiæ non adest.

191. *Sexta*, quod fiat authoritate Judicis, quando ordo juris servari possit. Verum si absque magnis expensis, aut notabili incommodo Judex adiri non valet, tunc licita est recuperatio debiti per compensationem occultam: quidquid dicat Concina, nolens eam admittere, prætermisso ordine juris, etiamsi absque magnis expensis id in judicio obtineri non possit. Unde juxta doctrinam Concinæ, si Petrus debeat tibi centum, & in eorum recuperatione per Judicem duplum es impensurus, cogeris, vel amittere centum,

tum, vel insumere ducenta.

192. Sed communi sententiæ subscribendo dicimus, quod dum debitum est certum, servatis cæteris conditionibus, licita est compensatio absque Judicis interpellatione, si hæc haberi non valeat sine expensis majoribus, aut æqualibus debito, vel quando debitum probari non potest. Verum quando debita sunt valoris notabilis, & recuperari valent medio Judice per expensas litibus communes, & ordinarias, sexta conditio sub gravi observanda est. Ita, nec singuli erunt Judices in suis causis, nec Tribunalia de medio tolluntur, ut quidam gratis clamitat.

Punctum XXVII.

Alia dubia circa compensationem.

193. Inq. 1. An, qui utitur compensatione sine authoritate Judicis, quam commode posset interpellare, teneatur ad restitutionem? R. neg. quia non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem, usurpando non rem alienam, sed suæ rei judicium, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *a.* 5. *ad* 3.

194. Inq. 2. An qui rem accepit in compensationem, possit jurare se nihil accepisse, *intelligendo, quod sibi non deberetur*? R. neg. Quia subauditio hæc est restrictio mere interna. Ob eamdem rationem accipiens aliquid ad suam sustentationem jurare nequit, se nihil accepisse, ne a creditoribus spolietur. Ideo si excommunicatio lata fuerit contra talia accipientes, incurritur ab illis, qui ad se compensandum ea surripiunt.

195. Inq. 3. An famuli, & famulæ possint uti compensatione occulta, eo quod sibi solvitur salarium suo labori inferius? R. quod, si revera non solvitur a domino salarium integrum consuetum, vel in quo ab initio conventum fuit, non sunt pejoris conditionis, ac cæteri, quibus licet compensatio de debito certo, servatis aliis conditionibus. Verum, si libere cum domino paciscantur pro tanto stipendio tamet si inferiori eo, quod sibi debetur, nequeunt aliquid subripere ad amplius recuperandum, uti diximus tract. XV. n. 68. ubi exponitur propositio circa famulorum compensationem damnata ab Innocent. XI.

196. Inq. 4. An sartores, sive magistri, sive famuli valeant subripere fragmenta vestium in compensationem majoris stipendii, aut exiguæ mercedis? R. Nullatenus esse permittendam hujusmodi compensationem, sed penitus relegandam sive in magistris, sive in famulis; ne cupiditas insatiabilis ultra justa confinia augeat sartorum stipendia. Imo, quo frequentior est culpa, eo arctius a Confessariis est repellenda, improbanda, ac cohibenda. Si autem certum sit eis non solvi salarium justum, idem de eis teneas, ac de famulis, caute tamen.

197. Inq. 5. An debita ex justitia compensentur per dona, aut obsequia gratuita, ut si ex justitia debeas centum Petro, & eidem dono gratuito totidem tribuas, liber maneas a solutione? R. neg. quia debitum ex justitia postulat solutionem ex justitia, donum autem, favor, aut gratia sunt extra omnes limites justitiæ. Verum, si, quando centum donas, habeas voluntatem satisfaciendi obligationi justitiæ, si, cui tenearis, vere satisfacis, propter animum solvendi prius debita ex justitia.

198. Inq. 6. An circa famæ restitutionem sit licita compensatio? R. Quod diffamatus ab alio nullatenus potest diffamare eum ad se compensandum, sicut vulneratus ab alio, minime ad se compensandum valet alium vulnerare. Cæterum quando duo mutuo se infamant, si ille, qui prius diffamavit, nolit famam restituere, poterit æque diffamatus differre restitutionem, ne ea indirecte confirmet propriam infamiam. Similiter falso diffamatus ab alio potest aliquod ejus peccatum verum occultum detegere, quantum necessarium sit ad labefactandum ejus testimonium, quia hoc non est compensare una infamia aliam; sed defendere famam propriam. Nemini licet clam subripere pecunias pro compensatione famæ sibi ablatæ, nec, ut supra diximus, cum opinione etiam probabiliori; ad compensationem enim requiritur, quod res, quæ accipitur, certo debeatur ex justitia.

199. Pro coronide observa, quod dum astruimus compensationem licitam, nulli-

li eam suademus. Nam dicere quid fieri valeat, non est suadere, ut quisque id efficiat. P. Concina *lib. 9. in Decal. cap. 6.* fusso calamo de more improbat compensationem, quia periculis plena est, & vix ejus conditiones observantur. Sed dicat ipse, cur admittit defensionem propriæ vitæ, etiam cum occissione injusti invasoris, sex adjectis conditionibus, esto vix servari valeant in conflictu invasionis? Porro plus periculi præfert occisio invasoris, quam compensatio occulta, ergo qui illam admittit, non cohærenter rejicit istam, ex eo, quod periculis sit exposita.

200. Nota obiter, Concinam admittere occisionem injusti invasoris, etiam Regis; quod nos cum doctissimo Soto omnino reprobamus; Rex enim, aut supremus Princeps est toti Regno valde utilis, & necessarius, licet aliquando forte deficiat a justitia; sequereturque ex ejus occisione maxima perturbatio, cum qua non licet resistere Principibus etiam malis, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *in corp.* quem nequiter pro occisione Regis invasoris citat Concina *lib. 7. in Decal. cap.* 5. §. 2. *n.* 1. nam loco laudato, nec alibi loquitur D. Thom. de Rege privata authoritate invadente. Mirum est, quod nolit admittere compensationem privatam circa debita liquida, & certa, clamans esse perniciosam Principibus, & quod admittat occisionem Principis, & Regis invasoris, esto fiat ab infimo plebis. Nos vero hanc penitus reprobamus, ut perniciosam Principibus; illam autem cum communi sententia, debitis conditionibus, ut consentaneam æquitati naturali asserimus. Angelicus loco laudato agit non de Rege invasore, sed de reo injuste condemnato ad mortem, de quo ait, posse resistere Principibus, seclusa gravi perturbatione: quod toto coelo distat a Regis occisione. Principi suo infidelis est subditus, qui pro ejus vita conservanda propriam vitam non exponit; quanto igitur infidelior erit, qui ab ipso eam eripit? Quamvis itaque Rex, aut Princeps supremus sit in regimine tyrannus, vel arreptus aliqua passione propria hominis invadat, nullo modo interfici valet ab invaso; esto huic liceat defensio propria sine tanti invassoris occisione.

CAPUT II.

De restitutione in particulari.

PUNCTUM I.

De restitutione propter homicidium facienda.

201. Inq. 1. An aliquid sit restituendum pro vita, aut membris ablatis? Pro resolutione nota, duplex posse dari damnum in occisione, aut mutilatione. Aliud personale ipsius occisi, aut mutilati; aliud temporale, vel hæredum utriusque, vel saltem ejusdem mutilati. Secundum puncto sequenti, nunc primum est discutiendum, an nimirum aliquid sit restituendum pro ipsa occisione, aut mutilatione. Circa quam difficultatem duplex militat sententia: prima affirmat, secunda negat: utraque sua fruitur probabilitate; utriusque vero probabilitatis rationem portentosam tradit Concina, ait enim, *quia nulla est evidens.* Portentosam dicimus rationem, quia a sæculo non est auditum, opinionem aliquam esse evidentem.

202. Sed quidquid sit de hoc, utraque sententia in idem tandem convenit, solum namque discrepat in eo, quod prima tenet esse aliquid restituendum ex justitia, secunda ex quadam æquitate naturali, decentia, aut congruitate. Nos igitur propter reverentiam D. Thom. cujus authoritatem statim producimus, priori subscribere debemus. Ideo:

203. Dicendum est, quod occisor, aut mutilator injustus debet aliquid ex justitia restituere arbitrio viri prudentis pro ipsa occisione, aut mutilatione, tum ipsi damnificato, tum ejus hæredibus, si eo indigeant. Si enim nihil indigeant, aut velint, nihil est restituendum: ut si constaret occisum in peccato lethali decessisse, nullumque hæredem reliquisse. Hanc sententiam expresse videtur tenere D. Tho. 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *ad* 1. dicens: *Quando, id quod est ablatum, non est restituibile per aliud æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui abstulit membrum,*

brum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri.

204. Ex quibus verbis sic efformatur ratio assertionis: posita injusta alterius læsione, facienda est restitutio possibilis arbitrio prudentum; sed posita occisione, aut mutilatione, ponitur læsio alterius, ergo facienda est possibilis restitutio arbitrio prudentum. Quoniam justitia obligat ad ponendam æqualitatem possibilem moraliter, ubi injustitia inæqualitatem apposuit.

205. Objic. 1. Leges civiles decernunt nihil esse restituendum pro læsione corporali præter expensas curationis, & alia damna temporalia, ergo. R. leges civiles decernunt non dari actionem in foro externo contra percussorem pro ipsa cicatrice, aut deformitate; sed D. Thom. docet aliquid esse restituendum arbitrio boni viri in foro conscientiæ.

206. Objic. 2. Leges civiles, & ipsa ratio naturalis declarat vitam, ac membra humana non esse pretio æstimabilia, ergo. R. Vitam, ac membra humana excedere omne pretium, esseque altioris ordinis, solum probare non posse restitui ad æqualitatem; minime vero non debere aliquid compensari arbitrio boni viri. Fatemur difficile posse assignari quid, aut quantum sit restituendum, ideo, ut ait Mag. Soto, plus huc conducit prudentum sententia, quam Theologorum scientia.

207. Pro praxi igitur curet Confessarius, ut considerata conditione utriusque personæ præter damnorum compensationem aliquid homicida largiatur hæredibus interfecti pro vita ablata, studeatque uxori, ac familiæ afflictæ solamen, & subsidium, vel per se, vel per alios pro viribus impertiri: insuper quod sacrificia, jejunia, eleemosynas, aut orationes pro occiso singulis hebdomadis saltem per annum offerat: denique quod aliquas preces quotidie per totam vitam pro illo recitet. Si pœnam talionis subeat, omnia hæc restituta censentur. Pariter si pars offensa nobilis, aut dives sit, non pecunia, sed submissione, & petitione veniæ ab homicida, vel mutilatore lenienda est.

Punctum II.

De restitutione debita ob damna secuta ex homicidio, aut mutilatione.

208. Inq. 1. Quæ damna occisor, aut mutilator restituere debeat? R. occisor, aut mutilator tenetur restituere omnia damna, quæ ex sua injusta læsione parti læsæ, vel ejus hæredibus proveniunt; quia est eorum causa efficax. Unde debet compensare expensas necessarias curationis cum omni damno emergente, & lucro cessante. Non quidem omne lucrum integrum, sed quantum æstimatur spes lucri, deductis expensis, quas facturus esset læsus in lucrando, ut si esset impensurus quinquaginta ad lucrandum centum, ad quinquaginta solum tenetur lædens. Non tamen est detrahendus labor, aut molestia, seu incommodum, quod vulneratus subiret in suæ artis exercitio, ut aliqui asserunt; si enim juxta laboris æstimationem diminuendum esset pretium, vix aliquid foret restituendum, quia sæpe lucrum non excedit laborem.

209. Nec etiam est audiendus modus opinandi aliorum, qui omnia damna pro occisione solvenda reducunt ad quinquaginta aureos; quia hæc summa solum taxatur per legem tamquam pœna, seu multa occisoris. Pariter improbanda est ratio temporis, quo victurus esset occisus ab aliquibus asserta, nempe usque ad sexaginta annos; alias occidens hominem sexaginta annorum ad nullam restitutionem teneretur, quod non est dicendum, quia a directione, industria, negotiatione, seu arte hominis sexagenarii plerumque pendet sustentatio universæ familiæ. Ideo rationabilius hic computus definiendus est arbitrio prudentum, ætate, robore, cæterisque circumstantiis occisi bene perspectis. Qui occideret proxime moriturum, vel a Judice statim occidendum, ad nihil restituendum astringitur, quia nullius damni subsecuti est causa efficax. Secans, aut inutile reddens membrum alterius sufficit, quod singulis annis, aut mensibus solvat lucrum cessans juxta spem, quin computet annos vitæ vulnerati. Præfata damna restitui debent, præsertim, si a partibus læ-

læsi postulentur, esto lædens pœnam talionis subeat: quia per pœnam satisfit reipublicæ, non vero parti.

210. Nihilominus potest differri restitutio in gravi necessitate lædentis, nisi læsus, aut hæredes occisi in eadem necessitate sint constituti, ut supra diximus. Pariter inter nobiles, ac divites omitti valet, si certo credatur non esse admittendam, imo dedecore habendam, ut communis tenet consuetudo. Expensæ funeris non sunt regulariter restituendæ, quia necessario aliquando essent faciendæ. Si autem ob anticipationem, vel aliam circumstantiam majores expensæ fierent, ut, si quia fuit quis occisus extra patriam, funeralia duplicanda forent, aut cadaver in eam transferendum, compensari debet excessus. Obligatio restituendi hujusmodi damna transit ad hærædes, sicut obligatio solvendi debita realia, si ante solutionem debitor moriatur. Unde, etiam fiscus tenetur ea solvere, si bona homicidæ publicata, aut ei applicata fuerint.

211. Inq. 2. An teneatur restituere provocatus ad pugnam, si occidat provocantem? R. Quod, si illum occidat servato moderamine inculpatæ tutelæ, vel etiam cum aliquo levi excessu, ad nihil tenetur; quia jus habet ad se defendendum; si vero graviter in moderamine excedat, ad restituendum obstringitur. Non tamen integrum damnum, quia sibi ex parte imputare debet invadens cum periculo propriæ occisionis, tribuens eo ipso potestatem alteri, ut contra se agat, vel ut se defendat.

212. Supponimus nullum posse admittere duellum prætextu dedecoris, seu infamiæ, aut alterius cujuslibet causæ, sicut suo loco diximus; difficultas est, an, si admittens duellum interficiat provocantem, peccet contra justitiam, teneaturque ad restitutionem? R. neg. quia provocans cessit juri suo, & licet provocatus injuste agat, quia uterque peccat contra charitatem, & justitiam respectu Dei, reipublicæ, & sui ipsius, tam in duello, quam in pugna lethali; amplius tamen peccat provocans, ceditque juri suo, & justitiæ respectu propriæ vitæ.

213. Inq. 3. An ex homicidio casuali oriatur obligatio restituendi? R. quod, si per errorem volens Petrus occidere Paulum, occidit, vel mutilat Joannem, restitutioni astringitur, quia ejus crimen vere est homicidium voluntarium, esto casuale respectu Joannis. Vulnerans autem alium non lethaliter, esto ex injuria chirurgi mors sequatur, liber est a damnis ex morte, licet non ex vulnere subsecutis: nisi mors sequeretur, eo quod chirurgus non reperiatur. Similiter nihil est restituendum ex homicidio omnino per accidens, sive ex actione licita, sive illicita secuto: ut si clericus chirurgiam, aut venationem sibi vetitam exerceret, adhibita morali diligentia ad damnum præcavendum, ad nullam restitutionem tenetur. Si autem ex negligentia graviter culpabili homicidium sequeretur, ad omnia damna teneretur. Unde prævidens se ebrium, aut somniantem hominem læsurum, restitutioni astringeretur, nisi sufficientem diligentiam adhiberet ad precavendum. Pariter, qui affectus injuria alterum occidit, restituere debet, quia injuria illata non præbet jus ad sumendam vindictam, & multo minus ad aliquem occidendum.

214. Inq. 4. Quibus personis facienda est restitutio damnorum, quæ ex homicidio subsecuntur? R. Quod restitutio alimentorum debet fieri hæredibus necessariis; uti sunt parentes, uxor, filii, & nepotes. Hujusmodi autem restitutio facienda est, esto hæredes ea non indigeant, nisi ipsi nolint compensari, ut de nobilibus supra diximus. Verum debita realia, ut expensæ curationis, lucrum cessans, aut ea, quæ occisor forsan promisit ob injuriæ remissionem, solvenda sunt hæredibus, etiam liberis, illis nempe, quos vulneratus sua sponte instituit. Fratres, aut alii consanguinei hæredes necessarii non sunt, ideo eis non tenetur occisor alimenta compensare, nisi homicidium perpetraret animo eis nocendi. Similiter non tenetur debita personalia solvere creditoribus occisi, quia creditores, sublata persona, solum habent jus in ejus bona, si quæ supersint, & consequenter hæredes debent eis satisfacere. Si lethaliter vulneratus remittat omnia damna homicidæ, remissio valida est, esto peccaret contra charitatem, quando hæredes necessari subsidio indigerent.

PUNC-

Punctum III.

De restitutione ratione stupri.

215. Inq. 1. Quid sit restituendum ob crimen stupri? R. Sub distinctione: nam vel committitur seducendo virginem dolo, vi, fraude, aut precibus importunis; vel ipsa sponte consentiente: in hoc secundo casu nihil tenetur *per se* defloratór restituere ipsi puellæ, quia scienti, & volenti non fit injuria: parentibus autem ejus aliquam satisfactionem præstare debet propter inhonorationem, aut injuriam; quia violavit jus custodiæ, quo potiuntur circa illam. Unde, inconsequenter asserit Concina ex una parte stuprum, etiam puella consentiente, esse injustitiam respectu parentum, & ex alia nihil in tali casu eis restituendum. Nostra igitur assertio congruentior est rationi, maxime, si aliquod dedecus, seu infamia parentibus ex tali copula obveniat; quod, quando ex jactantia, seu manifestatione defloratoris proveniret, omnes tenent debere parentibus, & ipsi puellæ satisfieri. *S. Antonin. p. 2. tit. 5. cap. 6.*

316. Si autem quis virginem dolo, vi, fraude, aut minis, ceu precibus importunis violavit, tenetur compensare omnia damna honoris, & fortunæ ipsi, & parentibus inde secuta, quia fuit illorum causa injusta. Unde si puella nullam dotem habuisset præter suam honestatem, dotanda est a stupratore, ut honeste nubat. Si habeat dotem juxta personæ conditionem, augenda est dos, ut si ante defloratiónem sufficiunt mille, & post eam exiguntur duo milla, debet defloràtor ei tradere mille, ut æqualiter cum augmento nubat, & insuper debet aliquid dare arbitrio prudentum propter illum dolorem, aut mærorem, quem fœmina vi oppressa patitur, vel ob timorem, ac periculum, ut si conjugata cognoscatur a viro, & dimittatur, aut male tractetur.

217. In foro conscientiæ non tenetur corruptor, qui vi, aut fraude copulam extorsit absque promissione matrimonii, fœminam ducere, ac dotare; sed unum ex his ei exhibere, nisi aliter, quam eam ducendo non posset damnum recuperare, quia solum tenetur ad damnum compensandum, ergo, dum hoc recuperare valet eam dotando, non tenetur ad eam ducendum; nisi Judex in pœnam criminis ad unum determinate, vel ad ambo simul eum obliget; tunc enim deberet obedire: quia sententia pœnalis justa obligat in foro conscientiæ. Verum seducens virginem per vim, aut fraudem, fingendo se nobilem, aut divitem, cum talis non sit, si velit eam ducere, ipsa autem, & parentes ejus recusent, debet ei pecunia reparare damnum illatum: ad hoc enim ipse tenetur; ipsa autem non est cogenda contrahere cum injusto deceptore. Nec iste debet eam ducere, si ex matrimonio gravia jurgia, lites, aut scandala timeantur, ut plerumque contingit. D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 6. *ad* 3.

218. Si vir oppresor dubitet, an puella esset virgo, debet modo dicto damna compensare, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur. Imo licet certo cognoscat, non reperisse virginem, reputabatur tamen talis, & suo concubitu eam diffamavit, tenetur eodem modo, vel eam ducere, vel dotem augere: quia fuit causa damni secuti. Si ex coitu nullam passa est infamiam, asserunt plures, nihil esse restituendum. Sed nos consequenter ad dicta putamus, aliquid esse compensandum arbitrio prudentum, propter vim, & mærorem oppressionis. Quod dictum est de virgine, idem tenendum de vidua honesta. Si virgo defloràta æque religionem profiteri valeat, ac si defloràta non fuisset, ad nihil defloràtor astringitur, nisi ad aliquid propter vim, vel pactum, aut sententia summæ pecuniariæ præcesserit: quia in tali casu ratione horum teneretur illam solvere, vel puellæ, vel ejus hæredibus, si ipsa ante tempus nubendi moriatur, quin remitteret, vel condonaret defloratori injuriam, aut debitum.

219. Inq. 2. An si vir repetitis precibus, munusculis, aut blanditiis virginem in consensum pertraxit, teneatur damna secuta compensare? R. negative, quia preces, munuscula, aut blanditiæ non inferunt violentiam, ergo nec injuriam. Si tamen preces jungantur cum metu reve-

ren-

rentiali gravi, aut sint adeo importunæ, ut violentiæ æquivaleant, deberet damna subsecuta reparare, Item si vir incœpit amplexibus, osculis, aut tactibus vim virgini inferre, licet postea ipsa consentiat, non liberatur a crimine stupri, nec a damnorum compensatione: quia per priorem violentiam virginem in tali statu constituit, ut ad resistendum virtute heroica indiguerit. Quæ omnia intelligas, si vere adest metus gravis reverentialis, aut violentia incepta; verum quia fœminæ sponte plerumque volunt, etiam ea, quæ nolle produnt, nec serio repellunt, ut debent, suos amasios, aut procos, sed potius eorum amorem conciliare satagunt; ideo raro credendum est eis violentiam incuti, suæque libidini imputari debent damna inde subsecuta: & optarem, quod judices ita cum eis se gererent; sic quippe plures querelæ falsæ, injustitiæ, & culpæ excusarentur.

Punctum IV.

Alia dubia circa restitutionem ratione stupri.

220. Inq. 1. Ad quid teneatur, qui sub promissione matrimonii virginem violavit? R. teneri ad eam ducendam, sive vere, sive ficte promiserit; quia adfuit contractus onerosus, ergo impleto ex parte fœminæ, debet etiam ex parte viri adimpleri. D. Thom. *in* 4. *Sentent. d.* 28. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 4. Si impedimentum dirimens affinitatis, sacri ordinis, aut professionis superveniat viro, debet fœminæ omnia damna compensare. Si paratus eam ducere, ipsa vero, aut parentes recusent, ad nihil tenetur. Idem est, si puella alium post promissionem cognoverit, quia per violationem, aut fractionem fidei ex parte fœminæ cessat obligatio ex parte viri. Idem similiter dicendum, si puella virginem se fingens, certo defloratam vir reperiat: quia per deceptionem injustam amisit jus omne contra virum, ut clarius statim dicitur.

221. Pariter, licet puella virum non decipiat, sed vir putans virginem esse, sub promissione conjugii eam cognoscens, certo defloratam inveniat, ad nihil tenetur: non ad eam ducendam; quia copula præcedens sufficiens causa est dissolvendi promissionem; nec ad damna reparanda: quia nullum ex copula secutum supponitur, cum præcesserit alia. Nisi secunda copula fœminam diffamasset: tunc enim teneretur vir ad eam ducendam, vel dotandam. Atque etiam debet aliquid arbitrio prudenti compensare ob usuram corporis non virginalis, juxta plures. Vide tamen a nobis dicta in fine puncti præcedentis.

222. Inq. 2. An astrictus voto castitatis, seu religionis cognoscens virginem sub promissione conjugii, teneatur ad eam ducendam? Ante resolutionem tria supponuntur. 1. Quod si virgo hujus voti conscia erat, mala fide processit: ideoque non tenetur vir eam ducere, nec dotare, nisi forte persuasa sit a viro, se de facile dispensationem obtenturum. 2. Quod si puella contenta sit alia satisfactione, nequit vir eam ducere, sed debet votum implere. 3. Quod si alio modo non potest reparari damnum, quod virgo ignara voti passa est, tenetur vir dispensationem voti petere, & cum ea contrahere, imo, & matrimonium consumare, ut sic utrique obligationi voti, & matrimonii fiat satis. Quod in trutinam adducitur, est: an quando virgo inscia voti, permittens se sub promissione conjugii violari, nollensque aliam satisfactionem, teneatur vir eam ducere?

223. R. Negative: quia non tenetur ex vi promissionis, quæ, supposito voto, nulla est; nec ex vi damni illati, quod aliunde potest compensari, ergo ex nullo capite tenetur ad conjugium: sed debet implere votum, ad modum, quo si quis simili voto astrictus virginem vi, aut fraude, sine conjugii promissione violaret, ad votum implendum teneretur, semper ac damna virgini illata, aliunde reparare posset.

224. Objicies 1. Votum non est vinculum iniquitatis; sed tale esset impediendo reparationem injuriæ virgini irrogatæ, ergo. 2. Votum non obligat rebus notabiliter mutatis, sed hic adest notabilis rerum mutatio, ergo. 3. Obligatio justitiæ præponderat obligationi religionis, maxime illi, quæ ex libera voluntate oritur, ergo. R. Quod hæc omnia

solum evincunt, suspendi obligationem voti, quando aliter justitiæ nequit satisfieri; at in præsenti supponimus virum posse aliunde compensare damna defloratæ subsecuta; unde debet ea reparare, & votum adimplere.

Punctum V.

De restitutione ratione adulterii.

225. Inq. 1. Quid restituere debeat adulter, quando ex adulterio partus subsequitur? R. Quod si ex signis certo agnoscat adulter, prolem esse suam, quia maritus absens, graviter æger, aut omnino impotens erat tempore conceptionis, debet compensare omnia damna marito consecuta in puero alendo a tertio ætatis anno, & etiam in hoc triennio, si quæ passus est ratione alienæ prolis: omnium enim est causa injusta adulter. Nam esto verum sit, quod mater teneatur alere infantem primis tribus annis, & pater a tertio anno, usque dum filius sibi providere valeat, si tamen mater lacte careat, aut alia dispendia maritus subeat, tenetur adulter in defectu adulteræ omnia compensare. Maxime si per vim, aut metum gravem extorsit ab adultera copulam: quia tunc ipse solus est causa principalis eorum, & minus principalis adultera, quæ proinde in defectu illius tenetur ad omnia. Si ambo mutuo consentiant, uterque in solidum debent universa damna marito, & familiæ compensare. Parentes, qui hospitalibus filios alendos exponunt, debent eis expensas solvere, si vires suppetant, hospitalia enim instituta sunt ad alendos filios pauperum.

226. In æquali dubio an proles sit adulterina, compensanda sunt damna pro qualitate dubii: quia de crimine constat, & ad reum pertinet probare non esse suam. Nec refert, quod puer non debet se credere spurium, ergo nec adulter debet se putare ejus patrem; quia puer est innocens, & non est spoliandus sua innocentia, & legitimitate, quin probetur. Adulter vero est nocens, ideo se debet putare debitorem, nisi oppositum probet.

227. Inq. 2. An si fœmina cognita sit a duobus, vel pluribus, & non agnoscatur verus pater, teneantur omnes in solidum alere prolem? R. affirm. Quia omnes sunt criminosi, & rei, ergo, si nullus certo probet, se non influxisse in effectum, uterque, aut omnes tenentur alere filium modo dicto. Nec audiendi sunt oppositi assertores innixi in paritate hominis occisi, & in via reperti: qui si nesciatur an a Petro, vel a Paulo sit occisus, uterque absolvitur in foro externo. R. Enim, quod si certo constaret utrumque in homicidium influxisse, uterque juxta æquitatem puniretur, & uterque in conscientia deberet damna pro rata, vel in solidum compensare, ergo similiter, dum certum est, duos, aut plures rem habuisse cum fœmina, tenentur singuli pro rata, vel in solidum in aliorum defectu ad prolem alendam.

228. Inq. 3. Ad quid teneatur adulter certo sciens prolem esse suam? R. Tam adulterum, quam adulteram teneri compensare omnia damna, quæ subeunt filii legitimi in portione hæreditatis, aut legatorum ratione filii spurii, esto adulteræ non suadeat suppositionem, aut fictionem supponendi marito, ut suum proprium filium adulterinum: quia sive suadeat, sive non, tam adulter, quam adultera est causa, ut ille filius reputetur legitimus, nec oppositum rationi arridet, ergo adulter, & adultera tenentur in solidum compensare damna filiis legitimis ex adulterina prole obvenientia.

229. Inq. 4. Ad quid teneatur adultera ob prolem susceptam ex adulterio? R. Quod in primis debet omnia media tentare, ac moliri, ut legitimi hæredes damnum non subeant ratione filii illegitimi, quantum absque dispendio vitæ, aut famæ valeat. Si habeat bona paraphernalia, ea filiis legitimis dare debet. Tenetur expensas, & sumptus minuere, quantum possit, ac laborare, prout conditio sui status permittat, ut exinde acceptis, hæredibus compenset. Suadere spurio, si idoneus fuerit, ut religionem ingrediatur, atque in fratrum utilitatem hæreditatem renuntiet. Tandem adhibitis his, & aliis mediis ad plene compensandum legitimis, ad nihil amplius tenetur, sed potest permittere, quod no-

thus

thus ille in paterna hæreditate succedat.

230. Inq. 5. An adultera teneatur detegere suum crimen spurio, ut filiorum damna impediat? R. Quod, si adultera dubitet, seu spem certam moraliter non habeat præcavendi damna hæredum, minime tenetur se prodere: quia imprudenter famam prodigeret, dubitans sui delicti manifestationem profuturam. Nec refert infamatorem teneri dictum revocare, etiam cum famæ dispendio, quando dubitat suam revocationem profuturam; quia infamator damnum intulit in fama, ideo etiam cum suæ famæ dispendio debet illud resarcire. At mulier non in fama, sed in pecunia legitimis damnificavit, unde, cum non potest damna pecunia reparare, non tenetur cum famæ dispendio compensare.

231. Inq. 6. An filius debeat credere matri dicenti, ipsum spurium esse? R. Quod regulariter non tenetur, etiam si cum juramento id assereret: quia dictum unius testis non inducit necessitatem credendi. Unde nisi signis manifestissimis convincatur, neutiquam tenetur, se spurium credere. Si autem convinceretur argumentis adeo urgentibus, quod maritus toto illo tempore abfuit, vel aliis, quibus liquido constaret; tunc deberet credere in conscientia, atque hæreditatem adire non posset.

232. Inq. 7. An fœmina teneatur cum vitæ, famæque periculo revelare filium esse spurium, quando ita certo crederet damna hæredibus præcavenda? R. 1. quod si fœmina sit inferioris conditionis, exiguæque famæ, ingens vero hæreditas ab spurio capienda, tenetur ad criminis revelationem: quia ingens hæreditas tribuenda est suo domino cum dispendio famæ parvi momenti. Similiter si maritus, & legitimi filii probi essent, silentioque custodirent delictum uxoris, nec contumeliis vexarent, pandere veritatem ad precavenda damna ipsa teneretur, dum adest spes certa ea avertendi: quia in hoc etiam casu, licet valde raro, exigua adest infamia.

233. R. 2. Fœminam honestam non teneri per se cum dispendio vitæ, aut famæ prodere suum crimen, licet amplissima hæreditas, aut etiam Regnum ab spurio adeundum esset: quia vita, & fama, ut pote ordinis superioris, præstant bonis fortunæ; nec ista tenetur quis restituere cum gravi dispendio bonorum ordinis superioris. Igitur, si spurius in Regno succederet, non teneretur per se Regina ad suum crimen detegendum cum dispendio famæ clarissimæ. Si autem spurius esset perversæ indolis, posset per accidens astringi ad vitanda Regni ingentia mala. At hoc est gravissimum negotium, maturo consilio resolvendum. Vid. S. Raym. *in Summa lib. 2. tit. de rapt.*

TRACTATUS VIGESIMUS

DE CONTRACTIBUS.

AD completam notitiam justitiæ opere pretium est explanare contractus, commutationes, & pacta, quæ sunt ejus præcipua materia. Ideo prius in communi, deinde in particulari de illis, quorum instructio Confessariis magis necessaria est, in hoc tractatu disseremus.

CAPUT I.

De contractibus in communi.

PUNCTUM I.

De natura, divisione, & perfectione contractus.

1. Inq. 1. Quid sit contractus? R. quod secundum Juristas est *ultro citroque obligatio.* Hoc est signum obligationis, vel

quo homines sese vicissim mutuo obligant. Secundum theologos definitur, *Conventio inter duos ex qua utrinque obligatio nascitur.* Aliqui confundunt contractum cum pacto, sed vere differunt, & se habent sicut superior, & inferior, quia omnis contractus est pactum, sed non omne pactum est contractus, saltem perfectus: ideo alius est semicontractus, seu imperfectus, comprehenditque pacta etiam gratuita, ut sunt promissio, donatio, & alia in quibus solum ex parte unius adest obligatio, licet requiratur consensus, seu acceptatio ex parte alterius. Unde contractus imperfectus definitur, *Conventio duorum obligationem saltem in alterutro pariens.*

2. Inq. 2. Quotuplex sit contractus? R. quod est multiplex. *Primo* enim dividitur contractus in *nominatum*, & in *innominatum. Innominati* dicuntur, qui non habent nomen proprium, seu specificum, quorum quatuor numerantur. *Do, ut des*, ut do bovem, ut des mihi equum. *Do, ut facias*, ut do bovem, ut in meo fundo labores. *Facio, ut des*, ut laboro tibi, ut conferas mihi hæreditatem. *Facio, ut facias*, ut laboro pro te, ut tu pro me labores. *Nominati* dicuntur, qui nomine specifico exprimuntur, & sic communiter nominantur: *emptio, venditio, mutuum, permutatio, cambium, commodatum, precarium, locatum, conductum, emphyteusis, feudum, &c.*

3. *Secundo* dividitur contractus in *explicitum*, & *implicitum*, seu *tacitum. Explicitus* est, qui verbis, vel signis expressis constat. *Tacitus*, qui absque verbis per susceptionem alterius obligationis, seu officii consurgit, ut tutor, curator, medicus, & alii, qui cum officio suscipiunt obligationem providendi de sibi commissis. *Tertio* dividitur in lucrativum, & onerosum. Ille est, in quo nihil rependitur, ut promissio, donatio, commodatum, aut testamentum: hic, in quo aliquid rependitur ab altera parte, ut *emptio*, & *venditio. Quarto* dividitur in *nudum*, & *vestitum*, seu *qualificatum. Nudus* est, qui caret firmitate præbente actionem in foro externo, ut contractus innominati, antequam ex altera parte impleantur, vel juramentum accedat. *Vestitus* est, qui obtinet robur, aut formulam, unde actionem pariat in foro externo, ut conventiones factæ stipulationibus scriptis, aut juramento, aut testibus. *Quinto* dividitur in *absolutum*, & *conditionatum.* Ille est, qui absque ulla conditione, hic vero, qui cum aliqua conditione celebratur.

4. *Sexto* (omissis aliis) dividitur in *purum*, & *modificatum*. *Purus* dicitur, qui nullo pacto, seu modo afficitur, ut simplex venditio. *Modificatus* est, qui modo aliquo exprimitur. Quatuor recensentur modi, quibus potest contractus exprimi. *Primus* assignando diem obligationis, seu traditionis rei. *Secundus* addendo aliquod pactum, ut si tibi fiat donatio sub pacto, ut alteri aliquid tribuas. *Tertius* dicitur ad causam, ut si fiat tibi donatio, quia pauper, aut cognatus es. *Quartus* dicitur ad demonstrationem, ut si tibi donentur centum aurei in tali loco repositi. Circa hunc modum præcipue notandum est, quod demonstratio potest apponi *taxative*, aut *demonstrative.* Tunc dicitur apponi *taxative*, quando dispositio incipit a numero, vel mensura rei demonstratæ, ut si quis dicat: *lego Petro centum aureos, qui sunt in tali arca*, in hoc casu, si inveniuntur plures aurei in arca, solum centum dandi sunt Petro, quia dispositio principaliter *taxativa* judicatur. Si autem dispositio incipiat ab ipsa re, quæ legatur, subjungendo deinde numerum, aut mensuram, ut *lego Paulo pecuniam, quæ est in tali bursa, quæ est summæ centum regalium:* tunc, etiam si mille reperiantur in bursa, tradendi sunt Paulo, quia dispositio reputatur principaliter *demonstrativa*, & ideo debetur ei totum, quod demonstratur. Hæc diligenter advertas ad resolvenda dubia circa onera Missarum, & aliorum piorum operum.

5. Inq. 3. Quot modis perficiantur contractus? R. quatuor modis substantialiter perfici: nimirum *consensu, verbis, scriptura, & rei traditione.* Illi solo consensu quomodocumque expresso perficiuntur, qui mutuam contrahentium conventionem significant, ut *emptio, venditio, locatio.* Illi solis verbis consumuntur, qui determinata verba exigunt, ut stipulationes, in quibus uno interrogante, *dabis mihi centum?* alter respondit, *spondeo. Dabis mihi*

hi equum? Dabo: sed hæc antiquata sunt, ideo jure novo quælibet verba consensum exprimentia sufficiunt. Illi perficiuntur scriptura, in quibus contrahentes suspendunt consensum, quousque per scripturam exprimatur, quia ab initio ita convenerunt. Illi tandem perficiuntur traditione rei, qui rem ipsam, & ejus traditionem significant, ut donatio, depositum, mutuum, commodatum, & pignus. Igitur ex contractibus modo dicto substantialiter perfectis consurgit obligatio naturalis, & ex rigorosa justitia obligationem restitutionis inducente: & non tantum *antidoræ*, aut *antidoralis*, qua quis ex urbanitate, liberalitate, aut gratitudine tenetur esse gratus benefactori.

Punctum II.

De contractu metu inito.

6. Inq. 1. An contractus metu gravi ab extrinseco incusso ad extorquendum consensum initi sint validi? R. esse validos tam jure naturæ, quam positivo, exceptis quibusdam a jure positivo irritatis. Quod jure naturæ sint validi, probatur; quia metus non tollit voluntarium simpliciter, ut patet in percutiente Episcopum ex metu gravi, qui absdubio graviter peccat, & excommunicationem incurrit, ergo cum ad valorem contractus jure naturæ solum requiratur voluntarium simpliciter, hoc habito in contractu, validus est jure naturæ; idem prob. jure positivo, quia in jure datur actio, & exactio in metum patiente adversus incussorem, quæ dicitur *metus causa* §. 1. *Instit. de except.* D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *a.* 6.

7. Objic. 1. Nihil tam contrarium consensui requisito ad contractum, quam metus; quia consensus non habet locum, ubi metus, vel coactio intercedit. *cap. Cum locum, de spons.* ergo contractus ex metu gravi celebrati jure naturæ, & positivo sunt invalidi. R. quod metus contrarius quidem est consensui omnino libero, non vero simpliciter, & absolute tali: ut patet in transgrediente præceptum divinum ex metu, qui peccat graviter, quod impossibile esset, si metus tolleret voluntarium simpliciter.

8. Objic. 2. Qui metu cogitur ad aliquid promittendum, non peccat postea rem promissam non tradendo, ergo quia promissio fuit nulla. R. quod esto omnis contractus, sive onerosus, sive gratuitus ex metu gravi sit validus, quia tamen potest metum patiens contractus rescindere, verum est non peccare, esto aliquando non adimpleat. Unde licet metu rem extorquens dominium acquirat rei, debet eam reddere ei, a quo illam injuste extorsit. Similiter iste actionem habet, sive intra, sive extra judicium recuperandi, rescindendo contractum metu initum, qui licet validus sit, rescindibilis est ad nutum metum patientis. Idem est, licet res transeat ad alium possessorem, qui metum non incussit, ut enim contractus rescindatur, de materiali est, quod metus incutiatur a contrahente, vel ab alio tertio, ut in jure civili cavetur.

9. Pariter contractus metu levi extortus potest rescindi jure naturæ, esto in foro externo non detur actio ad vitandas lites; quia etiam metus levis infert injuriam, cum cogat ad præstandum consensum medio injusto, ergo metum patiens habet jus ad rescindendum contractum; alias, illum incutiens, commodum ex iniquitate reportaret. Excipe matrimonium, & professionem, quæ semel perfecta, rescindi non valent.

Punctum III.

De contractu dolo celebrato.

10. Inq. 1. Quid sit dolus? R. quod dolus potest sumi dupliciter. Nam alius est dolus bonus, & pars prudentiæ, qui dicitur *solertia*, ac definitur: *habitus ad inveniendum de repente id quod congruit.* Alius est malus, de quo in præsenti, & definitur: *Calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita.* Calliditas est in animo doloso; fallacia in verbis; machinatio in artificio verborum. Unde dolus in præsenti est, quælibet fraus in contractu reperta, seu apposita; præcipue ex parte vendentis, qui vitium rei sciens dissimulat. At quia dolus, & error pares sunt ad tollendum liberum consen-

sum, quod dictum fuerit de uno, de alio intelligendum est, error enim nihil aliud est, quam putare unum pro alio.

11. Inq. 2. Quot modis dolus, aut error contingere possit in contractibus? R. posse dari, vel circa substantiam rei, vel circa accidentia. Circa substantiam est dolus, quando una res loco alterius substituitur, ut si emas plumbum, putans esse argentum. Circa accidentia adest, quando solum adest variatio in accidentibus; ut si emas vinum debile, putans esse forte. Rursus potest esse error *antecedens*, aut *concomitans*. *Antecedens* dansque causam contractui est, quando si adverteres, abstineres a contractu. Valetque oriri, vel a fraude contrahentis, vel ab alio tertio, vel ab ignorantia. *Concomitans* datur, quando esto adverteres vitium rei, eodem modo contraheres.

12. Inq. 3. Quando contractus dolo, errore ve initus sit validus? R. quod contractus, in quo adest error, sive antecedens, sive concomitans circa substantiam est invalidus, quia deficit consensus jure naturæ ad contractum requisitus. Et licet in errore concomitante præstaretur consensus, esto adesset advertentia ad illum, nihilominus vere actualiter non datur, ideo etiam manet nullus. Unde, si emas vitrum putans esse gemmam, sive errore antecedenti, sive concomitante, nulla est emptio, & venditio; teneturque vendens reddere pretium.

13. R. 2. Quod si dolus sit concomitans circa rei qualitatem, non dans causam contractui, hic validus est: quia jam adest consensus simpliciter in contractu, & circa substantiam rei, licet circa pretium decipiatur. Ut si emeres equum debilem, aut pigrum mille aureis, putans esse fortem, & strenuum, sed æque illum emeres, licet non tanto pretio, sciens illius defectus. Verum est, quod si deceptio sit ultra dimidium pretii, potest rescindi in utroque foro contractus ad nutum decepti. Vel debet deceptor ad æqualitatem reducere contractum. Si vero deceptio sit infra dimidium, non datur actio contra deceptorem in foro externo ad vitandas lites: in interno autem debet ex justitia reddere equivalens compensando injuriam decepto irrogatam.

14. R. 3. Quod etiam quando dolus circa qualitatem est antecedens dans causam contractui, hic probabilius manet validus, nisi ad qualitatem affigatur consensus, quia actus manet simpliciter voluntarius circa substantiam rei: quod sufficit ad valorem contractus, ut patet in contractu cum fæda, corrupta, aut paupere, putans pulchram, virginem, aut divitem, & in occidente amicum falso putatum inimicum, cujus actus quoad substantiam est voluntarius, & solum quoad circumstantiam involuntarius. Idem teneas de contractu inito *sub causa*, nam error causæ finalis contractum efficit nullum; secus vero error causæ impulsivæ: quia causa finalis movet substantialiter voluntatem, impulsiva vero allicit eam ad actum, ut facilius illum efficiat. Ut si contrahas cum Lucretia, quæ ratione personæ te movet ad contrahendum, ratione vero pulchritudinis te allicit, ut facilius contrahas.

Punctum IV.

De contractu conditionato.

15. Præmittenda est diversitas conditionum, quæ contractibus apponi possunt: nam aliæ sunt generales, ut *si consentias*, *si vixerimus*. Aliæ particulares, ex quibus aliæ sunt de præsenti, aut præterito, aliæ de futuro: ex istis quædam sunt necessariæ, vel ex natura, vel ex divino decreto, ut *si cras sol oriatur*, *vel Anti-christus sit futurus*: aliæ impossibiles naturaliter, ut *si digito cælum attigeris*: aliæ impossibiles ex jure, ut *contrabo tecum*, *si pupillus absque licentia tutoris valet contrahere*: aliæ contingentes, & harum quædam honestæ, quæ sine peccato impleri possunt: aliæ turpes, quæ absque peccato impleri non valent. Quibus præmissis.

16. Inq. 1. Quæ conditiones suspendant, vel non contractum? R. 1. conditiones necessarias ab intrinseco, ut si sol cras oriatur, quando accipiuntur in vi conditionum, non suspendere contractum, sed eam absolutum relinquunt. Si autem apponantur non in vi conditionis, sed

pro

pro temporis designatione, illum suspendunt usque ad tempus designatum, ut contraho tecum pro tempore, quo cras sol oriturus est. Similiter, si conditiones necessariæ judicentur a contrahentibus, ut contingentes, suspendunt contractum, quia ipsis non sunt necessariæ, sed contingentes. Conditiones pariter necessariæ ex divino decreto minime suspendunt contractum; quia semel quod sint, & agnoscantur necessariæ, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, perinde est, ac si non apponerentur. Idem est de conditionibus generalibus, ut si vixerimus, quia supponuntur, & pro impletis habentur.

17. R. 2. Conditiones impossibiles cognitas a contrahentibus nullum efficere contractum, etiam matrimonii, si deliberate apponantur; quia alligans consensum conditioni, quam agnoscit impossibilem, plane demonstrat non consentire. Quando vero non constat de animo contrahentium, tantum rejiciuntur tales conditiones a matrimonio, & ultimis voluntatibus ex speciali jure. Sicut etiam in eis conditiones turpes, ut non adjectæ habentur. Verum in cæteris contractibus conditiones impossibiles, & turpes eos in utroque foro nullos efficiunt; quia consensus sub conditione, quæ aut impossibilis est, aut impleri nequit absque peccato, nullus est.

18. R. 3. Conditiones contingentes, & honestas de futuro suspendere contractum usque ad earum eventum, quando apponuntur, vel ante contractum, vel in ipsius celebratione, vel post contractum ex mutuo partium consensu: sicut enim valet contractus rescindi ex mutuo consensu, ita quælibet conditio ei addi, vel apponi, dummodo rescindibilis sit. Semel tamen sub conditione celebrato contractu, nulla pars potest altera invita resilire usque ad eventum conditionis, nisi ex justa causa; quia sicut ex contractu absoluto oritur obligatio absoluta, ita ex conditionato provenit obligatio conditionata.

19. Inq. 2. An contractus sub conditione contingenti initus fiat perfectus, & absolutus sine novo consensu, statim ac impletur conditio? R. quod si prior consensus virtualiter permaneat, posita conditione, fit absolutus absque novo consensu, obligationemque ex justitia producit; quia, quod in contractu conditionato suspendit obligationem absolutam, est conditio, ergo hac purificata, tollitur suspensio, & consurgit obligatio. Quod verum est, licet impletio conditionis ignoretur a contrahentibos, hi enim non alligant consensum notitiæ, sed rei, nisi forte contrahant sub expressa conditione ipsius notitiæ.

20. P. Concina requirit novum consensum, ut contractus conditionatus transeat in absolutum, quia prior, inquit, non fuit *absolutus, & perfectus*: contractus autem absque absoluto, & perfecto consensu non valet; neque eventus conditionis, utpote exterior, potest perficere consensum internum. Sed hæc gratis, & incohærenter dicuntur a Concina: ipse enim ad denegandam Episcopis facultatem dispensandi vota conditionata de materia, alias reservata, contendit per eventum conditionis transire absque novo consensu in absoluta, & perfecta. Adeo mordicus hoc propugnat contra Salmanticenses, ut eorum doctrinam tamquam falsam rejiciens, sic arguat: *Tota causa imperfectionis, quæ in voto conditionato invenitur, est conditio, quæ executionem voti suspendit, ergo remota, seu impleta conditione, votum perfectissimum evadit. Nonne omnes contractus conditionati, positis conditionibus, absoluti evadunt, eosdemque effectus pariunt, quos producunt contractus omnino absoluti?* Profecto hæc verba nostram perbelle confirmant doctrinam, sed funditus evertunt positionem Concinæ. Vide tract. xi. num. 149.

21. *Dices*: Nos etiam pugnantia docere, dum ex una parte negamus vota conditionata, etiam impleta conditione, esse reservata, quia non sunt perfecta; & ex alia in præsenti astruimus, contractus conditionatos, posita conditione, transire absque novo consensu in absolutos. R. negando assumptum, quia aliud est obligatio, aliud reservatio. Vota conditionata, & contractus pariter conditionati, purificata conditione, absque novo consensu apud nos obligationem probabilius pariunt; sed illa, dicimus, non esse reservata, quia in sua radice non sunt perfecta, & absoluta: quod in præsen-

senti fatetur, ac defendit Concina tom. 7. pag. 149. num. 9.

22. Inq. 3. An modus contractui additus illum suspendat? vel an contractus initus sub modo sit conditionatus? R. neg. quia conditio, & modus valde differunt. Illa explicatur per particulam *si*, hic vero per *ut*, vel *ne*, vel *pro*, ut si dicas, dono tibi centum, *ut* me doceas, vel *ne* tibi desit ad tale iter agendum, vel *pro* tali obsequio a te mihi exhibendo. Igitur modus non suspendit, sed supponit contractum, & addit aliquod onus subeundum, obligatque ex justitia juxta gravitatem materiæ. Si dubitetur de mente disponentis, an sub conditione, vel sub modo disponat, conditionalis interpretanda est dispositio; quia in stipulationibus non determinatis, quod minus est, eligere debitor valet. Unde etiam si promittas decem, aut quindecim, solum decem debentur, ut decernitur in jure civili.

Punctum V.

De his, qui contrahere valent.

23. Inq. 1. Quotuplex sit obligatio? R. Est triplex: *naturalis*, *civilis*, *& honoraria*, seu *antidora*, aut *antidoralis*. *Naturalis* obligatio oritur in contractibus ex justitia obstringens sub gravi culpa. *Civilis* est obligatio producens actionem, & exceptionem pro foro externo. *Honoraria*, seu *antidoralis* est obligatio orta ex fidelitate, urbanitate, & ex veritate, qua homines honorarii suum verbum impleri procurant; solentque exprimere dicendo: *En fee de palabra de hombre de bien.* In præsenti solum agimus de obligatione naturali, & civili, quæ a contractibus oritur.

24. Inq. 2. Qui ex jure naturæ sint habiles ad contractus celebrandos? R. Omnes habentes usum rationis, ac liberam bonorum administrationem posse contractus celebrare, nisi aliquo jure prohibeantur. Quia gaudens usu rationis, ac libera bonorum administratione, potest illa in alterum transferre; quod, & non amplius requiritur ad celebrandos contractus. Ex opposita ratione, nullus carens usu rationis, ac libera bonorum administratione valet contractus celebrare; quia contractus est pactum humanum, ergo celebrari nequit a privato usu rationis, frenetico, ebrio, insano, aut dormiente, nec a carente bonorum dominio, aut administratione, ut a religiosis sine Prælati licentia, ab uxoribus, & filiis familias de bonis, quorum administrationem non habent sine consensu viri, aut patris.

25. Inq. 3. Qui ex jure positivo sint inhabiles ad contrahendum? R. Quod in primis *prodigus* declaratus ut talis per Judicem inhabilis est ad contrahendum, nedum civiliter, verum etiam naturaliter. *Servi*, licet sint inhabiles ad contrahendum civiliter, non vero naturaliter, quando sine domini præjudicio implere possunt promissa, seu pacta. Imo hoc modo etiam cum ipso domino contrahere valent, ita ut ex vi contractus servo dominus naturaliter obligetur. Eodem modo Princeps supremus potest per contractum manere subditis naturaliter obligatus. Tutor, aut curator nequeunt, durante tutela, aut cura, cum minore, aut pupillo contrahere. Nec advocatus a suo cliente, nec medicus a suo infirmo, durante lite, aut infirmitate, potest rem emere aliove contractu accipere, nec executores testamentorum res sui defuncti sine authoritate Judicis, nec cæteri negotiorum gestores res, circa quas negotiantur nomine alterius, ut cavetur in jure ad vitandas fraudes.

26. Pupillus, & filius familias dolo capaces contrahere possunt, aut obligari naturaliter de bonis, quorum ipsi habent administrationem liberam, ut sunt bona castrensia, aut quasi castrensia, quia sicut obligari valent Deo per votum, ita homini per contractum. Quando autem juristæ dicunt, eos non posse adhuc naturaliter obligari, nisi proximi sint pubertati, intelligendum est, quia ex præsumptione juris carent sufficienti usu rationis in tam tenera ætate, quod si verum sit, jam non erunt doli capaces.

27. Nec minor, nec pupillus possunt ullo modo alienare bona, quæ servando servari queunt, absque authoritate judicis. Unde minor nullam obligationem civilem, aut naturalem habet implendi, quod ex his bonis promisit; & si impleat

pleat, valet rem suam repetere, quia alienatio fuit nulla, ac irrita. Sed circa alia bona mobilia potest obligari naturaliter, & civiliter minor, non pupillus, carens curatore, esto uti possit, si lædatur, beneficio restitutionis in integrum. Sed de rebus mobilibus, quæ servando servari non possunt, valent minor, & pupillus habentes curatorem, aut tutorem ejus authoritate contrahere, & obligari naturaliter. & civiliter: verum absque illius authoritate, nec civiliter, ut omnes fatentur, nec probabilius naturaliter obligari possunt, quia in jure omnis alienatio eorum sine authoritate tutoris, aut curatoris absolute irritatur. *Inst. tit. quibus alienare liceat.*

28. Objic. 1. Pupillus proximus pubertati, & minor viginti quatuor annorum gaudent sufficienti advertentia ad contrahendum, imo plures leges declarant, eos naturaliter obligari, ergo. R. Quod pupillus pubertati proximus, & minores habent sufficientem advertentiam; sed obstant leges civiles eorum contractus irritos decernentes. Si autem aliquæ leges obligant pupillos contrahentes, solum est in his, in quibus facti sunt ditiores; ut, si pecuniam mutuo accipiant pro casu indigentiæ, obligantur naturaliter ad solvendum, non vero si accipiant ad usus inutiles: quod accurate inspiciant mutuantes pupillis, ne pecuniam amittant. Si tamen mutuans dedit bona fide pecuniam ad usus utiles, tenetur pupillus solvere, esto in superfluos, & inutiles consumat.

29. Objic. 2. Fidejussor minoris obligatur naturaliter, & civiliter, ergo ipse minor saltem naturaliter; fidejussor enim non obstringitur, principali nullatenus devincto. R. Quod fidejussor tunc casus est principalis obligatus; cum enim sciat pupillos nullo modo posse contrahere sine tutoris, aut judicis authoritate, si fidejubeat, principalem personam induit in contractu; unde obligatur tum naturaliter, tum civiliter. Illa bona dicuntur servando servari posse, quæ ultra triennium conservari valent, ut argentum, aurum, gemmæ. Quæ autem triennium non durant, dicuntur servando servari non posse, & de istis etiam dicimus esse nullam alienationem a pupillo, aut minore factam absque tutoris, vel curatoris authoritate.

30. Pupillus pubertati proximus potest absque authoritate tutoris cum majori contrahere in suum commodum, non autem in suum incommodum; quia hoc privilegium teneræ pupillorum ætati jura concedunt, quod possint alios majores sibi obligare, quin ipsi obligati maneant. Eodem privilegio funguntur Ecclesiæ, hospitalia, cæterique minorum privilegio gaudentes. Alia ejusmodi missa facimus, quia plus ad jurisconsultos, quam ad theologos spectant.

31. Inq. 4. An contractus sine solemnitate substantiali juris celebrati valeant in foro conscientiæ? R. neg. De matrimonio, & professione nemo ambigit, esse nulla in utroque foro. Dæ cęteris contractibus idem est tenendum; quia solemnitas substantialis a jure assignata est forma contractus, sed actus sine forma substantiali est nullus, ergo etiam contractus. Vide *tract.* 3. *n.* 127. *& seqq.*

Punctum VI.

De beneficio restitutionis in in integrum.

32. Inq. 1. Quid sit, & quibus concedatur restitutio in integrum? R. Est *prioris status redintegratio.* Tunc proprie locum habet, quando contractus fuit jure validus, sed in favorem minoris læsi authoritate judicis rescinditur. Hoc beneficium concessum est præcipue minoribus, si antequam vigintiquinque annos compleverint, damnum receperint in aliquo contractu non prudenter celebrato, esto initus sit authoritate tutoris, curatoris, aut etiam judicis: quia authoritas hæc facit utique contractum validum, tamen non impedit beneficium restitutionis in integrum. Potest autem hujusmodi restitutio fieri, vel rescindendo contractum, vel reddendo pretium, in quo minor læsus fuit, esto sit infra dimidium. Durat vero hoc beneficium adversus omnes contractus celebratos a minori ante vigintiquinque annos expletos, quatuor annis post prædictos vigintiquinque completos.

33. Inq. 2. Quando minor uti possit beneficio restitutionis? R. Poste uti semper

per ac læsus fuerit in notabili quantitate ex vi contractus validi : ut si læsionem passus est in venditione, etiam infra dimidium, vel in mutuo accepto, quod inutiliter consumpsit, vel in donatione, donando rem magni valoris sine rationabili causa, vel in quasi contractu repudiando hæreditatem lucrosam, vel acceptando damnosam : vel eligendo deteriorem partem : vel denique accipiendo pecunias sibi debitas absque authoritate tutoris, vel curatoris. In his casibus potest uti beneficio restitutionis, licet solutio legitime facta sit ; alias jura nullum privilegium minori concederent.

34. Verum ejusmodi beneficio uti non valebit minor, quando contractum prudenter celebravit, esto aliunde patiatur læsionem ; ut si equum justo pretio emit, & postea moriatur, quia tunc non ex vi contractus læsus est. Nec, quando contractum in ætate minori celebratum, factus jam major, ratificat, vel si juramento confirmavit absque vi, aut dolo. Fructus rei alienatæ a minore contractu gratuito debent restitui minori sicut ipsa res ; secus autem rei alienatæ contractu oneroso, ut vendendo eam justo pretio recepto ; quia tunc non censetur læsus in alienatione fructuum, poterat enim eos percipere ex pretio.

35. Inq. 3. Quibus aliis præter minores concedatur hoc restitutionis beneficium ? R. Concedi in primis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, aliisque locis piis. Deinde reipublicæ, & supremis Principibus quoad bona Principatus alienata, quia pertinent ad rempublicam. Præterea, juxta aliquos, extenditur ad universitatem studiorum, ad rudes, rusticos, & mulieres. Denique ad milites tempore belli, non quantum ad contractus per seipsos celebratos, sed quoad præscriptionem, ne progrediatur contra illos.

CAPUT II.

De emptione, & venditione.

CUm emptio, & venditio correlativa sint, nequit una sine altera perfici, nec cognosci ; ideo de utraque simul in hoc capite disceptabimus cum D. Thom. 2. 2. *q.* 7.

PUNCTUM I.

De natura emptionis, & venditionis.

36. Inq. 1. Quid sit emptio, & venditio ? R. Quod emptio est *pactio pretii pro merce* : Venditio autem *pactio mercis pro pretio.* Utraque vero simul est *contractus in quo de merce pro pretio determinato, & de pretio pro merce determinata paciscitur, duorumque consensu completur.* Nomine *mercis* intelliguntur omnes res, quæ pecunia æstimari valent, & sunt materia hujus contractus, in qua comprehenduntur omnes actiones, & jura naturalia. Spiritualia, aut spirituali annexa nullo modo sunt vendibilia. Nomine autem pretii venit ipsum numisma, quod omnium rerum est pretium. Cum enim olim non esset pecunia, una pro alia re permutabatur ; at, adinventa pecunia, hæc datur in pretium omnium, ac sic valent homines facilius, ac commodius convivere, & quærere necessaria pro nummis, unde loco permutationum invecta fuit emptio, & venditio.

37. Ut validus sit contractus venditionis debet determinari pretium, & merces, vel saltem pretium remitti judicio certæ personæ, non emptoris ; nam si remittatur voluntati emptoris, nulla est venditio. Si autem res vendatur justo pretio, valida est venditio, quando pretium lege taxatum est, secus, si taxatum non sit, nec a contrahentibus determinatum. Hoc explicatur per illas particulas definitionis *pro pretio determinato, pro merce determinata.*

38. Per ultimas autem, *duorumque consensu completur*, innuitur perfici substantialiter hunc contractum consensu contrahentium. Unde esto res non tradatur, si gabella, aut tributum solvendum sit, debetur ab instanti perfectionis substantialis ei, qui tunc erat gabellarius, non illi, qui tempore traditionis est, si forte alius existat. Nisi conventum sit inter contrahentes de scriptura conficienda, tunc enim ante eam nec contractus perficitur, nec gabella debetur. Idem

est

est de omni venditione sub conditione inita.

Punctum II.

Quando rei dominium per venditionem acquiratur?

39. Inq. 1. An statim post venditionem perfectam emptor rei dominium acquirat? R. Quod ante rei traditionem non acquiritur ejus dominium, esto solutum sit pretium. Nam *traditionibus, & usucapionibus dominia rerum transferuntur. Instit. de rerum divisione.* Unde si venditor ante rei traditionem alteri secundo eam vendat, & tradat, secundus emptor comparat dominium; quia prior solum habebat jus ad rem, secundus vero jus in re. Quatuor casus excipiuntur ab hac regula. Primus, quando res prius vendita fuit Ecclesiæ, aut civitati, quibus debet dari, esto tradita sit secundo emptori privato, nisi fuerit ei hypotecata. *Ex Leg. final. Cod. de sacros. Eccles.* Secundus, quando prior emptor solverat pretium, secus posterior. Tertius, quando pactum fuerat alteri non tradendi, aut de clausula *constituti*, id est, possidendi rem nomine emptoris. Quartus, quando secundus emptor sciebat priorem venditionem; quo in casu prior emptor potest rem evincere infra annum a die notitiæ fraudis. Idem est, si alteri quamvis ignoranti tradita sit per donationem. Si autem secundus emptor, seu donatarius scienter induxit ad rem sibi vendendam, vel donandam, quocumque tempore poterit a priori emptore evinci.

40. Inq. 2. Cui debeatur res duplici emptori successive vendita? R. Quod si nullus emptor solverit pretium, nec alicui eorum fuit tradita, debetur priori, qui, sicut fuit prior tempore, potior est jure, & quia non poterat vendi secundo sine injuria primi, huic unice tradenda est.

41. Inq. 3. An venditione perfecta quoad substantiam, ac re tradita emptori, acquirat hic dominium ejus ante pretii solutionem? R. neg. nisi, vel solvat, aut offerat pretium, vel det fidejussorem, aut pignus, vel alio modo satisfaciat venditori, ita ut pretium pro soluto habeat. Unde non secuta utrinque traditione, nempe pretii ex parte emptoris, & rei ex parte venditoris, censetur contractus incompletus integraliter, licet substantialiter completus: idcirco nec transfertur dominium, nec pœna, si quæ apponatur emptioni, aut venditioni, incurritur; intelligitur enim de actibus per traditionem completis, nisi aliud Legislator expresse decernat.

42. Inq. 4. Cui pereat res vendita, nondum emptori tradita? R. Regulam generalem esse semper domino rem perire; ideo illi perit, apud quem ejus dominium existat. Unde si tradita sit emptori, pretio soluto, aut habito pro soluto, exploratum est apud omnes perire emptori, quia ejus dominium acquisivit. Ante traditionem autem distinctione opus est. Nam potest vendi res indeterminata, aut in genere, vel determinata, & in individuo, ut hic equus, hoc prædium. Rursus, res determinata potest vendi ad corpus, vel ad mensuram. Ad corpus dicitur vendi, quando aliquid determinatum venditur totum unico pretio, ut si vendas tuum prædium mille aureis. Ad mensuram dicitur vendi, quando non totum unico pretio, sed assignato pretio cuilibet mensuræ venditur: ut si vendas horreum tritici assignatis quatuor ducatis pro singulis mensuris.

43. Igitur, si res vendita sit in genere, vel in determinata vendatur ad mensuram, perit venditori, quia in utroque casu ejus dominium retinet. Nam venditio indeterminata, vel ad mensuram est sub tacita conditione, *si tradatur*, *si mensuretur*. Si autem emptor sit in culpa, ne res tempore constituto sit dimensa, ipsi perit. Similiter perit emptori res determinate vendita: quia esto jus civile impediat translationem dominii, non tamen ejus effectus, nempe quod commoda, & incommoda rei venditæ pertineant ad emptorem. Quare si a Petro emas dolium vini ad corpus, dicens: *Emo tibi hoc dolium tot nummis*, si effundatur, tibi perit. Si vero emas ad mensuram dicendo: *Emo tibi hoc dolium duobus aureis pro singulis mensuris*, si ante mensurationem dispereat, perit venditori. Periculum autem pretii rei indeterminatæ, & venditæ ad mensuram ad emptorem

pertinet ; ita ut si fiat melior , aut deterior , aut pretium crevit , aut decrevit absque culpa venditoris , commodum , aut incommodum ad emptorem attinet.

Punctum III.

Ad quem pertineant fructus rei venditæ.

44. Inq. 1. Cujus sint fructus rei venditæ antequam pretium solvatur ? R. quod fructus pendentes ex plantis tempore venditionis ad emptorem attinent , quia sunt pars rei venditæ , & simul cum ea emuntur. Similiter futuri , si res tradatur , & pretium solvitur , vel habetur pro soluto, ad emptorem spectant , quia acquirit ejus dominium , & res domino fructificat. Eodem modo , si venditor sit in mora rei tradendæ , debet emptori solvere omne damnum emergens , ac lucrum cessans. Difficultas est , quando pretium nec est solutum , nec pro soluto habitum , sed emptor promissit solvere statim , vel tali tempore , & non solvit, ad quem tunc fructus rei pertineant?

45. R. pertinere ad emptorem , nisi aliter expresse sit conventum ; quia perfecto contractu venditionis , licet emptor non sit dominus rei , tamen juxta æquitatem naturalem debet commodum fructuum sentire , sicut sentit incommodum periculi vilioris pretii , quod etiam ad emptorem spectat , ut diximus . Unde licet , si res pereat , domino pereat; nihilominus cum periculum valoris sit penes emptorem , æquitas naturalis deposcit , ut ipsi fructificet.

46. Nec valet objicere leges civiles decernentes emptorem , qui fructus rei percipit , debere interesse illorum cum usuris reddere venditori , donec pretium solvat , licet nulla mora solutionis intercesserit. R. enim , quod , dum emptor non est in mora solutionis , si venditor peteret fructus rei , esset usura paliata accipiendo fructus supra sortem pro dilatione solutionis. Si hoc disponunt præfatæ leges , correctæ sunt jure canonico. Si autem ob moram solvendi patiatur venditor damnum emergens , aut lucrum cessans , æquum est , ut fructibus , vel alio modo compensetur ; ac ita verificari valet illa lex : *Nam cum re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras* , (utique compensatorias) *pretii pendere* , ut habetur in lege : *Julianus* 13. §. *ex vendito ff. de action. empti , et vend.*

47. Inq. 2. An contrahentes convenire valeant , ut venditor fruatur fructibus, donec emptor solvat ? R. neg. quia tale pactum usura paliata est , cum ob solam dilationem pretii reciperet fructus ultra sortem. Si autem ratione dilationis aliquod damnum subeat venditor , aut lucrum amittat , poterit compensari ex fructibus , vel aliunde , ratione damni emergentis , aut lucri cessantis. Unde usurarius est contractus , in quo quis pecuniam mutuo tradit , ut alius rem ad usum conferat , ut si mille aureos mutues Petro, ut ille tibi domum conferat ad habitandum , relicta utrique facultate repetendi pecuniam , aut domum , quia tunc ex mutuo pecuniæ lucrum acciperet.

48. Dices : possum dare domum Petro, ut ipse mihi fundum largiatur ad usum cum pacto , ut liberum sit utrique rem suam repetere , quando voluerit , ergo similiter potero dare pecunias Paulo sub eodem pacto , ut ille mihi domum donet ad habitandum. R. neg. conseq. Disparitas consistit in eo , quod primus contractus est mutui , secundus permutationis : solum autem pro mutuo , quando pecunia creditur , prohibetur lucrum , non in permutationibus aliarum rerum , quia tradendo unam rem pro alia censetur eam locari , aut vendi , ac sic potest lucrum percipi : pecunia vero locari , aut vendi non valet.

49. Inq. 3. Ad quem pertineant fructus medio tempore percepti , quando contractus venditionis dissolvitur ? Ante responsionem nota , quatuor modis posse contractum dissolvi. Primo , si fuit celebratus cum pacto *adjectionis in diem* , sic, *vendo tibi domum hoc pacto , ut si intra annum melior mihi occurrat conditio , domus sit inempta.* Vel cum pacto legis commissoriæ sic : *Vendo tibi domum , ut intra annum pretium solvas , alioquin nullus erit contractus.* Uterque autem iste contractus potest celebrari , vel verbis directis , ut in exemplis appositis , vel indirectis exprimentibus contractum irritandum esse in posterum , si non solvas intra

tra annum, vel melior occurrat occasio. Secundo, potest dissolvi contractus, si celebretur cum pacto retro vendendi, ut *do tibi pecunias, ut mihi domum vendas eo pacto, ut quoties pecunias reddas, iterum domum tibi vendam.* Tertio, si mutuo consensu post annum rescindatur contractus. Quarto, si contractus sit conditionatus, & conditio non impleatur. Quibus præmisis:

50. R. 1. quod, si contractus venditionis fuit celebratus verbis directis cum pacto adjectionis in diem, aut legis commissariæ, ipso facto est nullus: ideoque fructus medii temporis pertinent ad venditorem, quia sic se habet talis venditio, ac si numquam extitisset. Si autem verbis obliquis, aut indirectis celebretur, fructus ad emptorem attinent: quia in hoc casu venditio est valida, & solum ex tempore, quo melior occurrat occasio, aut pretium non solvatur, rescinditur. Pariter, si cum pacto retrovenditionis conventio dissolvatur, fructus medii a tempore venditionis usque ad redemptionem pertinent ad emptorem. Qui vero ex tempore retrovenditionis colligantur, sunt primi venditoris. Ratio utriusque est, quia res domino fructificat; sed a tempore venditionis usque ad redemptionem emptor est dominus, & deinceps primus venditor, ergo eadem ratione frutus medii ad emptorem spectant, quando mutuo consensu venditio dissolvitur: quia contractus ante dissolutionem erat validus, & emptor dominus rei, proindeque ipsi fructificat.

51. R. 2. Quod si venditio fuit celebrata sub conditione, distinguendum est. Vel enim conditio est *casualis*, vel *potestativa*. Conditio *casualis* est, quæ non pendet a voluntate contrahentium, ut si naves ex India hoc anno venerint. *Potestativa* dicitur, quæ est in potestate contrahentium, ut si hoc, vel illud dederis, aut feceris. Igitur si conditio, quæcumque illa sit, non impleatur, fructus medii pertinent ad venditorem: quia venditio fuit nulla. Si vero impleatur conditio casualis, fructus pertinent ad emptorem, quia retrotrahitur contractus ad diem venditionis, & ex illo die reputatur emptor dominus rei. Si autem impleatur conditio potestativa, non retrotrahitur contractus, ideoque fructus attinent ad venditorem: hæc quippe conditio potestativa adjicitur a venditore ad movendum emptorem, ut celerius contractum adimpleat. Verum præcipua horum ratio est voluntas contrahentium, qui hoc modo, & non aliter intendunt se mutuo obligare.

Punctum IV.

De personis, quæ vendere, aut emere jure possunt, & quæ sint res venales.

52. Inq. 1. Qui vendere, & emere valeant? R. esse generalem regulam, omnes qui habiles sunt ad contractus celebrandos, vendere, & emere jure posse. Cæterum esto aliqui absolute contrahere valeant, prohibentur tamen a jure positivo quædam pro libito vendere, aut emere. Nam, ut supra diximus, executores testamentorum, medici, advocati, tutores, curatores nequeunt emere, aut vendere res defuncti, infirmi, clientis, pupilli, aut minoris. Item monachi sine consensu Prælati, aut communitatis, pupilli, ac minores sine authoritate tutoris, & curatoris, item prodigi declarati absque interventione Judicis emere, aut vendere non possunt. Præterea, Judices, aut eorum ministri in loco suæ jurisdictionis prohibentur emere, nisi necessaria ad usum quotidianum. Denique in Regno Castellæ omnibus his sub gravi pœna interdicitur emere quidquam cibi, frumenti, aut alterius rei ad usum, & domesticam supellectilem spectans a suis clientibus. Negotiatores, aut revenditores non debent emere, nisi postquam cives, aut vicini sibi de necessariis providerint.

53. Inq. 2. An quis cogi possit ad rem suam vendendam? R. quod regulariter non potest; quia de re aliena nullus quit disponere absque libero consensu domini. Valet tamen ex justa causa a potestate publica subditus cogi ad suæ rei venditionem, ut si domus, aut prædium sit necessarium ad viam publicam, vel monasterium, aut hospitale, vel quidquam aliud bono communi utile faciendum. Similiter possunt, ac debent subditi

diti compelli ad vendendum triticum, & ne alii emant superfluum, ne cæteris deficiat.

54. Inq. 3. Quæ res vendi possint? R. posse vendi omnia, quæ pretio æstimantur, & quorum quis habet dominium, & liberam administrationem, nam in venditione, & emptione transferuntur dominia, ergo illa, quorum quis habet dominium, & administrationem, vendi, ac emi jure valent. Possunt itaque vendi omnia pretio æstimabilia, atque etiam omnia præsentia, & futura, licet donari nequeant, ne donator maneat intestatus; per hoc autem quod omnia vendat, non manet intestatus, cum testari possit de pretio, quod pro illis accepit. Potest etiam hæres vendere totam hæreditatem liberam, vel ejus partem, post mortem testatoris: non antea, ne detur occasio machinandi illius mortem. Nisi testator consentiat, quo in casu valida, & licita est venditio. Testatore autem vivente, & inscio venditionis, hac secuta, venditor privatur hæreditate post sententiam declaratoriam criminis. Bona publica, ut forum, plateæ, viæ, solum vendi queunt a Principe, vel publica potestate. Bona spiritualia, vel spiritualibus annexa vendi nequeunt; alias fædissima simonia committitur.

55. Inq. 4. An ea, quæ alienis pecuniis emuntur, fiant emptoris, aut domini pecuniæ? R. aliquando fieri emptoris, ut dum hic suo nomine emit nulla lege obsistente, ut colligitur ex *Codic. lib. 4. tit. 50. Si quis. § 8. Si alienæ pecunia, & alibi.* Aliquando vero fiunt domini pecuniæ, ut dum bona emuntur pecuniis Ecclesiæ, pupilli, minoris, aut militis, quæ transeunt in dominium illius, cujus sunt pecuniæ, quia leges ita disponunt.

56. Inq. 5. An venditio rei alienæ sit valida? R. validam esse quoad translationem pretii, seu pecuniæ in venditorem: non vero quoad translationem dominii rei in emptorem. Ratio primi est, quia jura validam censent talem venditionem; sed non quoad translationem dominii rei in emptorem, ut statim patebit, ergo quoad translationem dominii pecuniæ in venditorem. Ratio secundi est, quia nullus valet transferre in alterum dominium, quod non habet; sed venditor rei alienæ non habet ejus dominium, ergo invalida est venditio quoad hanc partem. Unde fur tibi rem alienam vendens dominium tuæ pecuniæ acquirit, sed tenetur eam reddere, ac damna tibi inde evenientia restituere, nisi tu sciens, & volens rem alienam emeris; quia scienti, & volenti non fit injuria. Vendens bona fide rem alienam, solum id, in quo factus est ditior, reddere debet, ut supra diximus in tract. de restit.

57. Inq. 6. An sit licitum vendere res, quæ ad pravum usum deservire possunt? Ante responsionem nota, quædam esse natura sua determinata ad malum, ut maleficia, libelli famosi, & similia, quæ solum ad malum usum deservire possunt. Alia autem sunt ex se indifferentia, quæ ad bonum, vel malum usum applicari valent, ut fucus muliebris, venenum, chartæ lusoriæ, aleæ, idolum, locatio domus, & id genus alia, igitur:

58. R. res primi generis nullatenus vendi licite posse, est enim cooperari alterius peccato, cum solum malum usum habere valeant. Venditio vero valida est propter rationem supra expositam. Cæterum circa alias res, quæ ex se possunt habere bonum usum, & solum ex malitia alterius habent malum, ex circumstantiis pendet, quod licita, aut illicita evadat earum venditio. Si prævideas emptorem ad pravum usum eas quærere, debes a venditione abstinere, nisi raro, & urgente necessitate. Si hoc ignores, vel dubites, aut præsumas ad usum bonum eas petere, licite vendere vales, quia ipsæ res malæ non sunt, & potest emptor bene eis uti. Si autem eis male utatur, præter intentionem venditoris est.

59. Exemplis doctrina illustratur. Prævidens fucos muliebres emi ad mentiendam pulchritudinem, vel idolum ad adorandum, venenum ad homicidium, chartas lussorias, taxillos, aut aleas ad ludos vetitos, vel perniciosos, agnum ad sacrificandum, domum, aut vestes, vel quid simile ad meretricium, vendere ea nequit, nisi ad aliquid istorum metu mortis cogatur. At fucos ad occultandam aliquam deformitatem, venenum ad medicinam, chartas lussorias, taxillos, & alia ad honestam recreationem, idolum ad or-

ornatum, agnum ad edendum, domum ad habitandum, etiam meretrici, gravi causa cogente, aut vestes non meretricias vendi possunt, juxta dicta in materia de scandalo, ubi alia de venditione licita, aut illicita resolvuntur. Probabilismus vendibilis non est, nec materia venditionis. Hoc dicimus obiter, ne tempus teramus in quæstione ridicula, quam quidam Neothericus excitat: *utrum Probabilismus sit materia venditionis.*

Punctum V.

De negotiatione.

60. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit negotiatio? R. esse triplicem. Prima est, qua necessarium emitur, & superfluum venditur. Hæc omnibus est licita. Non enim propria negotiatio est, sed laudabilis administratio juxta illud *Prover. ult. Vidit, quia bona est negotiatio ejus.* Secunda est, qua aliquid emitur, ut per artem, & industriam melioratum carius vendatur: ut emens argentum, vel stannum, ut inde vasa conficiat, & vendat; aut animalia, ut postea saginata carius vendantur. Et neque ista alicui prohibetur, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q. 77. artic.* 4. Tertia est negotiatio rigorosa, & propria mercatorum, *qua rem aliquam comparamus, ut integram, & non mutatam vendendo lucremur.* Idem est, si una res pro alia permutetur ob lucrum acquirendum.

61. Inq. 2. An negotiatio propria sit intrinsece mala? R. neg. quia licet speciem turpitudinis præseferat, ex sua natura est indifferens, ita ut ex fine, ob quem exercetur, potest esse bona, vel mala. Unde potest fieri cum peccato mortali, vel cum peccato veniali, vel absque peccato cum merito. Fiet cum peccato mortali, si in lucro ultimus finis constituatur, vel cum perjuriis, injustitiis, aut fraudibus exerceatur. Cum peccato veniali, si propter lucrum præcise negotiatur quis, paratus tamen omnia præter mittere potius, quam legem divinam graviter violare. Fiet absque peccato, imo cum merito, si, ut suæ necessitati, aut familiæ provideat, vel ut respublica mercibus abundet, exerceatur. Propter hos fines licitum est sæcularibus per negotiationem lucrum quærere, illudque accipere, utpote debitum ob industriam, intra latitudinem justi pretii. Sed quia frequenter negotiatio perjuriis, fraudibus, & injustitiis admiscetur, improbatur a SS. PP. adeo ut asserant, quod nullus Christianus debet esse mercator, ut inquit D. Thom. loc. cit.

62. Inq. 3. Quibus sit prohibita negotiatio propria? R. esse interdictam sub gravibus pœnis omnibus religiosis, & clericis in sacris constitutis, & beneficiariis, licet sacris initiati non sint. Constat ex cap. *Consequens.* 88. & alibi sæpe in jure canonico. Pœnæ autem dictis negotiatoribus impositæ sunt excommunicatio, & suspensio ferendæ, & amissio immunitatis a tributis, si ter admoniti non resipiscant. Deinde pœnas negotiatoribus clericis in jure assignatas innovavit Trid. Synod. *sess.* 2. *cap.* 1. Præterea Benedictus XIV. easdem extendit ad clericos, sive per se, sive per alios negotiationem exerceant Constit. incipiente: *Apostolicæ servitutis*, edita 25. Februarii anno 1741. Denique Clemens XIII. in sua Epistol. 17. Septembris 1759. directa ad Patriarcas, Archiepiscopos, & Episcopos, ut mentem, & spiritum Ecclesiæ suos respective subditos in hac materia negotiationis observare accurate compellant: præsertim declarat, cambium activum esse actum negotiationis propriæ, omnibus ecclesiasticis vetitum, sive per se, sive per interpositam personam illud exerceant. Vide Bened. XIV. *in Syn. Diœc. lib. x. cap.* 6.

63. Inq. 4. An clericus, qui semel, aut iterum negotiatur, graviter peccet? R. quod secluso scandalo, vel nisi negotiatio sit nimis turpis, aut in magna quantitate, non committit peccatum grave: quia jura locuntur de clerico exercente negotiationem; qui vero raro negotiatur, non dicitur eam exercere: quidquid alii dicant in oppositum. Unde, qui semel, aut iterum libros, cruces, aut simila occulte emeret, ut carius venderet, grave peccatum non committeret. Nec similiter peccat graviter clericus sæcularis, qui nec sacris initiatus, nec beneficiarius est; quia in prohibitione juris non comprehenduntur nisi beneficiarii,

rii, aut in sacris constituti, ac religiosi omnes.

64. Inq. 5. An liceat clericis negotiari ob urgentem necessitatem, cui aliter occurrere non valent? R. affirmative: quia leges ecclesiasticæ non obligant, occurrente necessitate, ut patet in lege jejunii, & aliis. An vero necessitas sit sufficiens, ab Ordinario declarandum est, ut decernit Clemens XIII. in laudata epistola.

65. Inq. 6. An omnis negotiatio etiam non propria, & rigorosa sit prohibita clericis? R. negative; sed solum illa, qua aliquid vilius emitur, ut carius vendatur animo lucrandi. Unde potest clericus infimo pretio emere triticum, vel aliquid aliud ad vendendum amicis, vel aliis postea eodem pretio: tunc enim non intendit sibi lucrum, sed amicis beneficium. Potest etiam clericus peritus in aliqua arte decenti emere materiam suis opificiis idoneam ad conficienda horologia, aut alia artefacta, sive colores ad pingendum, ut otium vitet, sibi, suisve consanguineis indigentibus pretium eorum tribuat ad exemplum Apostoli, qui artem scenofactoriam ad se, suosque ministros alendos exercebat. Potest similiter habere greges, ut lac, lanam, ac fœtus vendens sibi suisque provideat. Non tamen valet alienos greges ad hoc conducere; neque ex lana proprii gregis pannum per operarios texere ad vendendum, neque jumenta emere ad ea cum lucro locanda, quia hæc, & similia dedecent statum clericalem, vetanturque in jure canonico. Vide alia in hac materia clericis licita, vel illicita apud Fagnanum in cap. 1. *Multa. Ne cler. vel monac, lib.* 3. *Decretal.*

Punctum VI.

Alia dubia circa negotiationem.

66. Inq. 1. An aliquando negotiatio sit omnibus illicita? R. affirmative: *Primo* enim potest vitiari ratione finis, ut si fiat propter solum lucrum; quo modo erit veniale. *Secundo*, ratione materiæ, si hæc vendibilis non sit, ut res sacræ, aut prohibeatur aliqua lege, ut frumentum non vendatur extra regnum. Sic etiam illicitum graviter est vendere vasa sacra integra, sive fidelibus, sive infidelibus, secus jam fracta, ita ut formam amiserint. *Tertio*, ratione temporis, puta si fiat diebus festis, nisi consuetudo in nundinis excuset. *Quarta*, ratione loci, ut si fiat publice in loco sacro, quo pacto erit lethale; secreto autem vendere ibi aliquem librum, seu quid simile, ad sumum erit veniale.

67. Inq. 2. An sit cuilibet licitum emere magnam copiam mercium, antequam cæteri sibi necessaria emant? R. negative: quia per talem emptionem impediunt, ne reliqui sibi provideant, & faciunt pretia rerum nimis crescere. Unde præjudicant reipublicæ. Postquam autem cives sibi necessaria emerint, quilibet potest magnam copiam emere, ut minutatim deinde cum moderato lucro vendat, quia ex hoc non incommodum, sed potius commodum reipublicæ obvenit. Prætores tamen debent ordinare, ne hujusmodi mercatores præveniant cives paratos ad emendum, assignando horam emendi revenditoribus, vulgo, *á las regatonas*, pretiumque præscribere, ne plus nimio illud augeant.

68. Inq. 3. An negotiatores ex officio possint licite vendere merces carius quam alii, qui mercatores non sunt? R. affirmative: quia tales mercatores utiles sunt, ac necessarii reipublicæ, nec tenentur gratis ei providere: ideo res in manu mercatoris plus valet, quam in manu alterius; debent tamen justo pretio currente vendere, quin eis proficiat, quod carius emerint, aut plures fecerint expensas, quia mercatura jacturæ, & lucro exposita est, & si hodie amittunt, cras lucrabuntur: imo eodem die quod in uno deperdunt, in aliis forte lucrantur. D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *a.* 4. *in corp.*

69. Inq. 4. An liceat vilius emere frumentum ad carius vendendum? R. Communem sententiam reprobare talem negotiationem. Primo, quia jure naturæ repugnat; infert enim reipublicæ, ac pauperibus notabile dispendium. Isti namque negotiatores regulariter alios præveniunt, magnam copiam congerunt, horrea implent, ex quo pauperes carius postea ab illis emere coguntur. Unde reipublicæ locustæ, & pauperum oppressores merito

apel-

appellantur. Secundo, quia vetita est tam jure canonico, quam peculiari cujuscumque fere Regni, & præcipue legibus Castellæ *leg.* 19. *tit.* 11. *lib.* 5. *Recopilat.* Sed heu! hac misera tempestate Castellæ Magistratus compulsi sunt has leges, alias justissimas, suspendere. Utinam suspendatur avaritia, quæ ad eam suspensionem eos compellit! Anno tamen 1790. quo quarta hæc editio prælo datur, Julio mense lux orta est pauperibus, clausaque est janua fœneratoribus; Rex enim piissimus Carolus IV. justitiæ zelo contra has locustas, & misericordia in pauperes motus, permissionem anno 1765. factam, revocavit, sub gravissimis pœnis præcipiens supradictæ legis Castellæ observantiam. In Hispania ergo illicita graviter est negotiatio proprie talis super hujusmodi fructus in eodem regno collectos. Nec ipsi agricolæ pecuniam possunt accipere anticipatam in specie tritici solvendam, ut prudenter hac eadem schedula Rex Catholicus disponit ad vitandas fraudes hominum, qui sanguisugæ pauperum dicuntur, similesque contractus irritos, nulliusque valoris esse declarat.

Punctum VII.

De monopolio.

70. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit monopolium? R. quod monopolium græce, latine est *plurium in unum mutua conventio*: quando nimirum plures conveniunt de re aliqua non vendenda, aut non emenda nisi tali pretio. Tunc enim ratione conspirationis omnes se habent, ut unus venditor, aut unus emptor, & datur monopolium, quod unius venditionem sonat. Quatuor præcipue assignantur monopolia, ad quæ alia reducuntur. Primum, quando unus, vel plures merces coemunt, ut inducta inopia, cæteri cogantur ab eis carius emere. Hoc monopolium improbatur ab omnibus. Secundum, quando unus a Principe obtinet privilegium, vi cujus ipse solus tales merces vendere valeat. Hoc justa causa licitum est, dummodo in rebus vitæ necessariis pretium a Principe taxetur.

71. Tertium, quando aliqui impediunt, ne merces exteræ in oppidum invehantur, ut ipsi suas carius vendant. Hoc particularibus est illicitum ob notabile dispendium reipublicæ ex eo proveniens. Senatoribus autem, seu Prætoribus licet impedire introductionem mercium exterarum, ne vilescant propriæ, vel ut istæ congrue prius vendantur, prout expediens sit bono communi, non alicujus particularis. Quartum, quando mercatores conspirant merces tali pretio, & non minori esse vendendas; vel econtra, emptores conveniunt in opposita conspiratione tanti, & non pluris merces emendi. Hoc monopolium apud omnes est illicitum, & contra charitatem, imo & contra justitiam, semper ac venditores excedant supremum pretium, ac emptores saltem infimum non attingant. Difficultas est, an sit contra justitiam, quando fit intra latitudinem justi pretii?

72. Respondent aliqui, & nos cum illis in editione Romana, quod, seclusa vi, fraude, aut dolo, tale monopolium non est contra justitiam; sed re maturius considerata, contrarium est dicendum in odium hominum perditorum; injustum enim est privare cives jure libero, quod habent in emptionibus, & venditionibus, in quibus, omnibus licet emere res infimo, vel medio pretio, ergo monopolæ, qui suis conventionibus privant eos hoc jure, cogendo ad emendum pretio supremo, justitiam violant, & ad restitutionem tenentur. Præterquam quod, hoc pretium, quod vocatur justum, & supremum in casu penuriæ a monopolis causatæ, est sine dubio excedens, & injustum, sine eorum enim fraude, abundantia mercium eas vilesceret, & viles factæ, haberent pro pretio supremo, quod in alia hypotesi vix attingit mensuram infimi, & in praxi fere inseparabilis est fraus ab his conventionibus, experientia teste.

73. Et ex doctrinæ paritate, idem dicimus de eo, qui solis precibus efficit, ne copia mercium in civitatem adveniat, ut ipse suas commodius vendere valeat. Vere quidem non capio, quomodo Scoliator Cuniliati admittens injustitiam in primo casu, eam negat in secundo; cum utrobique priventur cives jure vilius emendi. Hæc reipublicæ pestis, hoc vaferrimum hominum genus est, de quibus scribit

S.

S. Raymundus L. 2. tit. de usuris §. 5. *illos credo tamquam nefandas belluas detestandos, qui ea intentione emunt aureos, vel alias monetas, vel res venales, & præcipue victualia, ut de talibus caristiam inducant.*

74. Ad hoc genus monopolii illiciti reducuntur alia, ut quando artifices mutuo paciscuntur, ne opus ab aliquo inceptum, alter perficiat, ne suas operas locent nisi tali pretio, quibus est aliud affine monopolium injustum spargendi rumorem summersionis navium. Hæc & similia in reipublicæ, & civium detrimentum cedere nemo ambigit, ac per consequens justitiam violare.

75. An semel constituto pretio ex monopolio, innocens illius originis, qui suas merces vendit pretio currenti, peccet contra justitiam? Resp. quod si merces ob monopolium rarefactæ sunt, potest absque culpa, qui monopolii particeps non fuit eas prætio supremo vendere: Si enim precisive a monopolio poterat pretio supremo vendere, quid mali fecit, qui monopolii particeps non fuit, ut suo jure privetur? Nec contrarium probat, licet dicat, eruditus Patuci. Illicitum reputamus unum monopolium alio monopolio via compensationis repellere, sed adeundus est judex, ut opportune de remedio provideat, est enim moraliter impossibile, ut æquitas inter damna illata, & recepta servetur, si privatæ authoritati remittatur.

Punctum VIII.

De pacto retrovendendi.

76. Inq. 1. Quot modis fieri potest pactum retrovendendi? R. posse fieri tripliciter: nempe, vel in favorem venditoris, vel in favorem emptoris, vel in favorem utriusque. Tunc fit in favorem venditoris, quando onus apponitur emptori: ut *vendo tibi hunc librum sub conditione, ut statuto tempore illum mihi revendas.* Fit vero in favorem emptoris, quando onus imponitur venditori. Ut *emo a te agrum sub pacto, ut tempore a me assignato illum a me redimas.* Tunc denique fit in favorem utriusque, quando utrique relinquitur facultas resiliendi a contractu, vel illum rescindendi.

77. Inq. 2. An præfatus contractus sit licitus? R. quod initus in favorem venditoris licitus est debitis conditionibus. Patet ex cap. 21. *Levit.* ubi Dominus præcepit, quod omnes terræ populi Israel venderentur sub conditione redemptionis. Ratio etiam id ipsum suadet: quia onus venditori impositum compensari valet pretii diminutione. Cæterum cum contractus initus in favorem emptoris vix denudari possit ab usuræ labe, ideo tale pactum illicitum reputatur. Pone Petrum a me emere agrum mille aureis cum pacto, ut quando ipsi placuerit, ego eum illi redimam eodem pretio. Colligit ipse fructus ex agro, ac deinde vult pretium agri, quod quidem est usura palliata; volens fructus agri pro mutuo mille aureorum. Similiter esto contractus initus in favorem utriusque ex se licitus sit, vix tamen permitti debet ob periculum larvatæ usuræ in eo imbibitæ.

78. *Prima* igitur conditio, ut justa sit talis conventio, est, quod fiat animo sincero vendendi, aut emendi seclusa omni usura palliata. Usura palliata dicitur, quando sub alio contractu celebratur, ut dum usurarius emit a te domum centum aureis, ut post unum, aut duos annos tanti redimas. Interim tibi, aut aliis eam locat quinquaginta aureis. Et ad lucrandos quinquaginta dedit centum mutuatos, in quo usuram palliatam commisit.

79. *Secunda* est, ut servetur justum pretium habita ratione gravaminis: quoniam res, quæ in se valet viginti, addito gravamine venditori, plus valet, addito vero emptori, minus. Idcirco tantum pretii augeri, aut minui debet, quantum æstimatur gravamen adjectum arbitrio prudentum.

80. *Tertia* est, quod res vendatur pretio currenti tempore retrovenditionis. Unde injustum foret pactum retrovendendi eodem pretio, quo res empta fuit. Quia res empta pacto retrovendendi minus valet, quam si venderetur absque pacto.

81. *Quarta* conditio est, quod periculum, aut commodum rei venditæ sit penes emptorem, sicut fructus ejus pertinent ad ipsum. *Quinta* denique, quod servetur identitas rei venditæ; ita ut si va-

vacua vendatur, vacua revendatur, aut si cum fructibus ematur, cum fructibus redimatur. Unde, si vendita cum pacto enuntiato alteri tertio vendatur, potest repeti a quocumque possessore, & secundus venditor, utpote injustus, debet priori compensare damna, si quæ perpessus sit.

82. Inq. 3. Quid, & an sit licitus *retractus gentilitius*? R. quod retractus gentilitius est *jus concessum consanguineis proximioribus venditoris recuperandi intra annum, & diem bona immobilia ab ipso extraneis, seu cognatis remotioribus vendita.* Hoc licitum est reddendo pretium emptori; ita quippe familiarum conservationi providetur. Si huic juri cedat propinquior, aut negligens sit in recuperatione, succedit proximior, & sic de cæteris. Consulantur tamen leges cujuscumque Regni.

83. Inq. 4. Quid sit contractus mohatra? R. quod mohatra dicitur, quando indigens pecunia emit a mercatore, seu ab artifice, credita solutione, merces in pretio summo, puta centum, deinde eidem eas vendit, pecunia numerata, pretio infimo v. g. octoginta. Vel ab aurifice emit, credita pecunia, vas argenteum, habita ratione laboris, & industriæ, vulgo *con las hechuras*, deinde eidem illud vendit sublata ratione laboris, numerata pecunia, qua indiget. Quæritur ergo, ac hic contractus sit licitus, an usurarius?

84. R. 1. Quod, si fiat cum pacto implicito, vel explicito retrovendendi respectu ejusdem mercatoris, est omnino reprobatus ut fæneratitius ab Innocentio XI. propos. 40. quæ dicebat: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum pacto retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Falsitas hujus propositionis constat: quia talis contractus est usurarius includens mutuum virtuale, ex quo intendit lucrum, vendens pretio summo, & obligans emptorem ad revendendum in infimo.

85. R. 2. Quod si fiat absque ullo pacto explicito, aut implicito retrovendendi, non est contra justitiam: quia nec venditor vendit ultra supremum, nec emptor emit infra infimum pretium. Cæterum, quia vix fieri valet absque scandalo, non est permittendus hujusmodi contractus; ideoque interdicitur a legibus fere omnis Regni, & præcipue Castellæ *leg. 21. tit. 4. & leg. 22. tit. 15. lib. 5. Nov. collect.*

Punctum IX.

De commissario, seu internuntio venditoris, aut emptoris.

86. Inq. 1. An qui merces vendendas a domino suscipiunt, si pluris vendant, quam fuit ab eo designatum, retinere sibi excessum valeant? R. sub distinctione: vel enim commissarius est famulus, seu conductus ut famulus, vel non; si primum, debet totum pretium justum domino reddere: tum quia isti ratione famulatus, & conductionis tenentur omnem diligentiam adhibere, recipiunt enim mercedem suo ministerio congruam; tum etiam, quia non vendunt nomine proprio, sed committentis, ergo huic debetur totum pretium. Idem dicunt aliqui de amico suscipiente negotium ob amicitiam obeundum, se enim obstrinxit illud fideliter perficere; alias amicitiam venalem turpiter efficeret. Debet tamen committens negotium solvere omnes expensas ab amico in eo tractando factas; ad has enim supplendas non obligat amicitia.

87. Si secundum, vel commissarius a domino fuit rogatus ad vendendum merces pretio designato, quin ullum stipendium ei tribuat pro suo labore, & tunc censetur utilitates, aut excessum ei relinquere. Item, si ex sua industria melioratas divendat: puta, si jussus vendere in hoc loco, ipse alio transferens, pluris vendat, aut minus emat; est enim tunc excessus suæ industriæ fructus. Nisi lucrum reportatum excedat meritum sui laboris, quo in casu non posset retinere totum, sed tantum illud, quod suo labori, aut industriæ respondet. Vel commissarius se sponte obtulit, & tunc totum pretium domino tradere debet, quia nisi tacite, aut expresse excessum condonet, designatio pretii solum innuit, ne res viliori pretio vendatur, ergo actuarium respondet domino, cujus nomine venditio perficitur. Hoc est securum, cæ-

tera periculis plena, quia revera *voluntatis est suscipere mandatum, necessitatis consumare.* Et ubi lucrum, aut pecunia intervenit, non gratuitum, sed locatio, aut conductio censetur, ut jura præveniunt.

88. Idem teneas de emptoribus, qui nomine alterius emunt. Ut si roges Petrum, ut tuo nomine emat equum mille aureis, & ille emat octingentis; debet juxta dicta tibi ducentos tradere, si mille accepit, quia ille emit, ut tui negotii gestor, ac tuo nomine, non suo. Nisi forte aliquam industriam indebitam apposuerit, ob quam excessum illi respondentem a te debet exigere, & te nolente solvere, poterit retinere. Unde non possunt sartores, quibus merces emenda committitur, sibi aliquid retinere, eo quod vilius emerint, aut a labore cessaverint, aut mercator eis condonaverit: hæc enim omnia futilia sunt. Tenentur namque domini negotium fideliter agere, & ipsi se sponte offerunt ad emendum, prætextusque condonationis mercatoris fictitius est. Vel enim mercatores plerumque falso ajunt, se minuere pretium, ut alliciant emptores, vel eodem modo diminuerent, si domini loco sartorum ad emendum adirent.

89. Inq. 2. An commissarius, cui præfixum est pretium infimum, aut medium, possit rem sibi emere illo pretio, & postea in supremo intra latitudinem justi vendere, & incrementum retinere? R. quod, inspecto jure naturæ, & adhibita omni diligentia morali ad vendendum ultra pretium assignatum, si non inveniat, potest sibi rem emere, ut, expectata opportuna occasione, pluris vendat, & lucrum retineat; quia non facit injuriam domino, cum diligentiam apposuerit; nec emptori, cum intra latitudinem justi pretii vendiderit, ergo absque injustitia potest lucrum retinere. Jure autem positivo Castellæ *leg.* 14. *tit.* 12. *lib.* 5. *Nov. collect.* prohibetur his interventoribus per se, vel per alium rem sibi commissam ad vendendum emere, quia in hoc plures fraudes, ac injustitiæ multoties perpetrantur. Post factum autem, si fideliter negotium domini pergegit, non est cogendus comissarius ad restituendum, quia, ut diximus, nulli fecit injustitiam, & lex in illius præsumptione fundatur.

Punctum X.

De justo pretio rerum.

90. Inq. 1. Quotuplex sit pretium rerum? R. quod pretium rerum in primis aliud est physicum; aliud politicum. Physicum est, quod respondet rei in esse physico, & ex sua natura secundum se. Politicum est, quod res valet juxta æstimationem moralem, & prout deservit ad usum humanum; ideo, quandoque pluris venditur equus, quam servus. Nunc sermo est, non de pretio physico, sed de politico.

91. Igitur pretium politicum est duplex, nempe *legitimum*, & *vulgare*, seu *naturale*. Legitimum est, quod taxatur a lege, seu a Principe. Et hoc pretium consistit in indivisibili, ita ut nec unius oboli accesio sit licita. Vulgare, seu naturale est, quod juxta rectam rationem justum judicatur, attentis circumstantiis hic, & nunc occurrentibus, & dicitur pretium vulgare, quia est, quod communi hominum æstimatione currit. Hoc autem pretium non consistit in indivisibili, sed per arbitrium hominum variatur. Unde fit, quod eadem res, quæ hic viginti aureis juste venditur, alibi viginti duobus juste vendatur.

92. Hinc pretium vulgare subdividitur in *infimum*, *medium*, & *supremum*. *Infimum* est, infra quod juste res emi non licet. Et in hoc consistit justitia emptoris, nempe, quod non emat infra infimum pretium. *Supremum* est, supra quod res vendi non licet. Et in hoc justitia venditoris consistit, quod non vendat ultra supremum. *Medium* est latitudo, quæ datur inter unum, & aliud. Hæc vero latitudo prudenti arbitrio statuenda est, pensatis omnibus hinc inde occurrentibus. Certum est, quod res vilior minorem, pretiosior majorem latitudinem admittit. Unde si res valet decem in medio, infimum erit novem, & supremum undecim. Si autem valeat centum in medio, infimum erit 95. supremum 105. quia prima res, utpote vilior, solum admittit latitudinem duorum, secunda autem, ut pretiosior, admittit decem latitudinis. Quibus

bus suppositis.

93. Dicendum est, quod vendens ultra supremum pretium, aut emens infra infimum, sive per fraudem, sive seclusa fraude, peccant juxta quantitatem materiæ, & ad restitutionem tenentur. Conclusio est nota lumine naturali; quia sic vendens, aut emens injustitiæ reus est, ergo etiam si absit fraus, surripit, quod suum non est, & consequenter peccat, & restituere debet. Idem est de illo, qui conveniens cum altero de infimo, aut medio pretio, postea clam accipit supremum, decipiendo alium, vel in pecuniæ numeratione, vel alio modo, sive venditor, sive emptor ita se gerat. Quia licet ante conventionem liberum sit illis non consentire venditioni nisi in supremo, aut etiam nisi in infimo; semel tamen facta conventione, injustum est illam violare, ac accipere, aut subtrahere aliquid extra id, in quo conventum fuit ab utraque parte. Idem teneas de illis, qui fraude, mendaciis, aut perjuriis pertrahunt emptores ad emendum in supremo pretio, aut venditores ad vendendum in infimo; quoniam committunt peccatum tum mendacii, & perjurii, tum injustitiæ, cum quisque habeat jus, ne fraude pertrahatur ad majus pretium solvendum, ad lucrum amittendum, & ad dispendium subeundum. Tenentur igitur restituere quoties, fide adhibita eorum fallaciis, damnum revera alteri intulerunt.

94. Objic. Juxta leges civiles non datur actio læso infra dimidium justi pretii, ergo solum reprobatur emptio, aut venditio, in quibus adest deceptio in medio, seu supra dimidium. R. jus civile minime approbare deceptionem infra dimidium, sed ad vitandas lites negat actionem in foro externo, dum læsio non est saltem in dimidio pretii vulgaris: nam si pretium est taxatum, etiam in foro externo cogetur deceptor infra dimidium ad compensandam deceptionem, vel ad rescindendum contractum.

95. Inq. 2. An si contrahentes ignorent pretium, debeat, cognita veritate, læsio compensari? R. sub distinctione, vel enim scientes se pretium ignorare sponte convenerunt; & tunc nullus tenetur ad compensandam læsionem etiam in dimidio: quia uterque sorti æquali se committendo contraxit, ac tam damno, quam lucro se exposuit. Si autem bonæ fide, putando rem tanti valere, contraxerunt, debet læsio resarciri, agnita deceptione; quia ignorantia contrahentis non tollit injustitiam contractus. Unde si rusticus, aut bardus velit tibi vendere gemmam ejus pretium ignorans, debes ei veritatem aperire.

96. Inq. 3. An possit quis vendere rem supra justum pretium communiter assignatum propter detrimentum ex illius privatione ei sequendum? R. quod, si damnum est verum, licite valet ita vendere; quia damnum emergens, aut lucrum cessans, dum vere adsunt, pretio æstimantur, vel sunt pretio æstimabilia, ergo ratione eorum etiam res vendenda pluris æstimabilis est, potestque pluris vendi, monendo emptorem de causa ita vendendi, nempe de privatione sui commodi, aut lucri. Quod utique solum potest fieri, quando emptor sollicitat venditorem, ut vendat, quod alias non esset venditurus. Similiter potest res pluris vendi ratione peculiaris affectus veri, & rationabilis, non fictitii, quem venditor erga rem habet, ut si fuit donata a Principe, si sit antiqua, aut legata a parentibus; tunc igitur poterit augeri pretium, moderatum quidem, & non pro libito venditoris. Non autem valet augeri ratione utilitatis, quam res affert ipsi emptori: quia utilitas, aut commodum emptoris, non cadunt sub dominio venditoris.

97. Inq. 4. An res extraordinariæ, ut simiæ, accipitres, aves indicæ, & similia, quæ pretium definitum non habent, quocumque pretio emi, aut vendi pro libito valeant? R. negative, quia etiam enunciatæ merces vendi debent juxta pretium peritorum æstimatione taxandum. Justum autem pretium earum rerum, quæ lege, aut communi judicio non habent pretium, est quod prudentum arbitrio, omnibus inspectis, non pro cujuslibet peculiari libito, judicatur: igitur vendi debent juxta valorem a peritis æstimatum. Verum est, quod si res sit adeo extraordinaria, ut excessivo pretio digna judicaretur, illo vendi juste posset. Hinc apud Jappones, & Æthiopes res apud nos parvi valoris, ut specula, cultra, & si-

milia magno pretio jure vendi narratur, quia apud illos communiter magni talia estimantur.

98. Inq. 8. An quæ subhastatione publica exponuntur venalia, quocumque pretio emi, aut vendi valeant? R. affirm. quia, seclusa fraude, ad hunc finem a publica potestate exponuntur, ut emi, aut vendi valeant eo pretio, de quo inter partes conventio fiat. Cavendæ tamen sunt accurate fraudes, quæ committi solent in ejusmodi licitationibus. Communiores sunt sequentes: Si venditor celet occultos rei defectus; si fictos aliquos emptores immittat simulantes emere, ut augeant pretium. Si ex industria merces vendendæ proponantur tempore, quo sciunt paucos emptores concurrere, ut amicis faveant; si emptores monopolium faciant conspirantes inter se, ne ullus nisi tale pretium offerat; si immittant alios, qui simulare exiguum offerendo statim desinant. Hujusmodi, & similes fraudes vitiant contractum, & ad restitutionem earum fautores obstringunt, quia naturam subhastationis publicæ pervertunt.

Punctum XI.

De pretio naturali, seu vulgari.

99. Inq. 1. Quid sit observandum circa pretium vulgare? R. Quod in primis habenda est ratio temporis, deinde loci ad illud juste designandum. Quia ex tempore, & loco potest mutari pretium vulgare. Unde si res nunc vendatur, habenda est ratio temporis præsentis. Si futura, ut fructus venturi, assignandum est pretium juxta valorem futurum. Hinc vendens triticum mense Januarii, tradendum mense Augusti, debet vendere juxta pretium habendum tempore traditionis mense Augusti, alias injustitiam committit. Idem est de loco, debet enim assignari pretium juxta valorem, quem res habet in loco, ubi reperitur; ibi namque habet utilitatem. Ideo habens rem Salmanticæ valens 50. non potest Matriti existens 100. vendere. Nisi forte illuc erat perlaturus, quo in casu posset aliquid amplius pro ea exigere, imo totum pretium, si venditor vellet eam suis expensis illuc asportare.

100. Unde etiam mercatores ex longinquo magnis expensis merces afferentes vendere debent pretio currenti loco venditionis. Nam si absque ullis expensis, vel minoribus illuc eas asportassent, eodem pretio currenti illas venderent, ergo suæ fortunæ, aut infortunio tribuant, quod majores, aut minores impensas in asportatione faciant. Si pretium non est determinatum, tunc ratio expensarum, & periculorum haberi potest.

101. Inq. 2. Unde pretium vulgare augeri, vel minui soleat? R. Quod ex diversis capitibus hoc contingere valet. Nam in primis res in manu mercatoris pluris æstimatur, quam in manu alterius, qui non ex officio illam vendit. Deinde ex rerum penuria, ex emptorum copia, & pecuniæ abundantia augeri solet pretium. Sicut econtra ementium paucitas, rerum copia, & pecuniæ penuria illud solent minuere. Pariter modus emendi potest variare pretium. Nam minutatim res carius venditur propter incommoda adjuncta hujusmodi venditioni: simul autem mitius venditur; quia simultanea venditio utilior est venditori, citius enim expeditur ad iterum negotiandum.

102. Item si ematur in gratiam venditoris merces ultro offerentis, potest vilius emi id, quo quis non indiget. Si autem vendatur in gratiam emptoris, quod alias non venderes, vel quia tibi utile est, vel quia peculiarem affectum erga rem petitam ab emente habes, vel quia est rara, vel tibi alio rationabili motivo æstimabilis, potes vendere carius; quia se abdicare re, quam nolles vendere, est pretio æstimabile. Decrescit etiam pretium ex condonatione venditoris; sed hoc raro, & tantum inter cognatos, vel in amicitia stricte conjunctos præsumendum est. Similiter aliqui ajunt decrescere pretium ob necessitatem venditoris; sed minime est admittendum, quia solum necessitas communis valet augere, aut minuere pretium rerum: unde ob necessitatem hujus, vel alterius illud variare injustum omnino est.

103. Inq. 3. An mercator sciens brevi copiam mercium superventuram, ideoque pretium esse minuendum, possit suas vendere pretio currenti? R. affirmative; quia privata notitia non constituit pretia re-

rerum, sed communis æstimatio, ergo potest quisque eas vendere pretio communi æstimatione currenti. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *ad* 4. Debet tamen venditor juxta regulas charitatis, non uni soli magnam copiam vendere, sed dividere inter non pauperes, quibus emptio notabile damnum non inferat. Hinc infertur, scientem valorem monetæ esse brevi minuendum, posse absque injustitia juxta præsentem valorem suis pecuniis debita solvere, vel merces emere, seclusa fraude, dolo, aut magno dispendio vendentis.

104. Objic. In dicto casu merces reipsa minus valent, licet ab emptore ignoretur, ergo ab eo, qui valoris conscius est, carius vendi non possunt. R. neg. antec. quia pretium non minuitur ex privata notitia, sed ex communi æstimatione. Objic. 2. Emptor in dicto casu ex errore emit, ergo nulla est emptio. R. neg. conseq. quia error non est circa substantiam, sed circa accidentia extrinseca, qui non irritat contractum. Objic. 3. Sciens merces brevi corrumpendas debet defectum exponere, aut saltem pretium minuere, ergo. R. Quod aliud est de intrinseco defectu, aliud de extrinseco. Primum, non secundum, debet ex justitia venditor revelare.

Punctum XII.

De pretio legitimo.

105. Inq. 1. An sit conveniens pretia rerum taxari a Principe, seu legitima potestate? R. affirmative. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 95. *art.* 1. *ad* 2. Quia melius est omnia ordinari lege, quam particularium arbitrio relinquere. Unde observare leges pretia taxantes tenentur omnes, etiam ecclesiastici, & ipsi Legislatores sub gravi, & sub onere restitutionis: quia pretium lege taxatum est pretium verum, & justum; sed observare pretium justum tenentur ex justitia omnes, nullo excepto, ergo sub gravi, & sub onere restitutionis. Neno autem ambigere jure valet dari apud Principes, & Magistratus potestatem taxandi pretia rerum, quia ipsis incumbit prospicere, & invigilare bono communi. Utinam serio agerent observari!

106. Inq. 2. Quot modis pretium taxetur? R. Tribus modis posse taxari. Vel in commodum emptoris, vel in commodum venditoris, vel in commodum utriusque. In emptoris commodum fit frequentius, cum versus magnitudinem assignatur pretium, ultra quod non liceat ascendere, esto descendere licitum sit, ut in taxa frumenti, & hoc pretium consistit in indivisibili, solum versus magnitudinem. In gratiam venditoris assignatur, quando ponitur pretium, infra quod non liceat rem vendere, ut in censu redimibili, in quo olim pro uno saltem quatuordecim debebant dari, licet postea triginta ad minus danda fuere assignata. In commodum utriusque assignatur, quando pretium omnino indivisibile constituitur, ut in taxa vini, panis, aut carnis. Verum si venditor pro suo libito velit vilius vendere, optime potest cedere ulteriori pretio; sicut etiam, si emptor velit rem carius, quam taxata est, emere, nulli facit injuriam. Solum quando circumstantiæ notabiliter variantur, debet pretium variari; aliter fideliter observandum est, nisi major pars, scientе, & simulante Principe, cum posset absque incommodo obstare, illud non observet.

107. Inq. 3. An venditor possit cogere emptorem, ut solvat pretium taxatum in tali pecunia? R. negative: Quia hoc onus solvendi pecunia aurea, aut argentea est pretio æstimabile supra justum pretium designatum. Potest vero imponere onus emptori tritici, ut ei vendat hordeum, oleum, vinum eodem pretio taxato, quando sunt ejusdem valoris, ac triticum; secus autem si pluris valeant juxta pretium taxatum, vel juxta vulgare, si taxam non habeant, quia lex prohibens rem pluris vendi, prohibet etiam commutari in rem amplius valentem. Similiter, quando res est inferioris valoris, nequit vendi pretio taxato, sed debet minui pretium, ita ut æquet rei defectum: taxatio enim intelligitur de rebus communem valorem habentibus.

108. Inq. 4. An res notabiliter excedens pretium taxatum possit vendi ultra taxam? R. affirmative, quia ut diximus, taxatio fit de mercibus ejusdem, plus, minusve, conditionis, ergo si res, ut vinum,

num, aut triticum, vel quid simile notabiliter excedat in conditione, & valore, potest juxta excessum augeri pretium. Nam sicut res viliores, & deteriores, esto ejusdem speciei, nequeunt vendi pretio taxato, sed minori; ita res optimæ possunt vendi pretio majori. Possunt similiter tritico optimo, aut alteri frumento puriori misceri alia grana deteriora, ita ut remaneat æquale cum aliis, & sic vendi eodem pretio taxato; sicut enim potest frumentum optimum pluris vendi, ita valet illa major perfectio ab eo auferri, relinquendo illud in æqualitate cum aliis, ac æquali pretio vendi, Hoc autem in vino, aut aliis liquoribus, quibus aqua admiscetur, nisi ad condimentum vini initio aqua infundi necesse sit, minime est admittendum. Tum quia liquor aqua mixtus semper est deterior, quam purus, nec eosdem effectus causare valet, ac facile corrumpitur; tum etiam, quia aqua pro vino, lacte, vel alio liquore venderetur; tum denique, quia in liquoribus nequit percipi ab emptore admixtio, sicut in frumento. Admiscere autem vino fortiori cito consumendo aliud vinum minus forte injustitia non esset, propter rationem supra expositam. Cavendum tamen est ab his mixtionibus tanquam fraudulentis.

109. Inq. 5. An lex taxativa tritici obliget in annis magnæ sterilitatis? R. Quod, si sit in viridi observantia, obligat ex justitia; quia revera pro annis penuriæ, non pro tempore abundantiæ imponitur a Magistratibus, perpensis omnibus, quæ hinc inde occurrere valent, ne pretium frumenti sine mensura crescat, & pereant pauperes. Unde licet triticum intrinsece, & naturaliter, aut alia quælibet res, pluris valeat, dum rarum est; tamen, prout bono communi expedit, justum ejus pretium est illud, quod a Principe prefigitur, ideoque omnes astringit. Taxato tritico, taxatur etiam farina, & panis coctus, ita ut si faneca tritici valet 28. regales, duæ libræ panis valeant 28. marapetinos, vel assignando pretium panis cocti, consideratis expensis, & moderato lucro, habita ratione pretii frumento designati.

PUNCTUM XIII.

De augmento pretii ob dilatam, aut anticipatam solutionem.

110. Inq. 1. An possit quis vendere carius ab dilatam solutionem? R. 1. Vendere, aut emere rem carius, aut vilius precise ob dilatam, aut anticipatam solutionem esse usuram palliatam; quia hujusmodi expectatio, aut anticipatio pretii habet rationem mutui, ergo accipere, vel minuere aliquod ob eam extra justum pretium, usura est. Non autem erit talis intra latitudinem justi pretii, ut si res valet 20. in supremo, & 16. in infimo, potest vendi 20. ad creditum, & emi 16 anticipata, vel numerata pecunia. Ita omnes cum D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 7.

111. R. 2. Quod possunt res carius vendi ob dilatam solutionem, si tempore tradendi pretii pluris credantur valituræ, & servandę essent a venditore usque ad illud. Vel econtra, vilius emi, anticipata solutione, si res tempore traditionis minus valeant. Quia res utilitatem, & commodum pariunt, dum traduntur. Similiter ratione lucri cessantis, aut damni emergentis valent res carius vendi, ut fusius postea patebit.

112. R. 3. Quod etiam ratione periculi extrinseci amittendi pecuniam ob qualitatem emptoris potest aliquid augeri de pretio usque ad æstimationem assecurationis, dummodo periculum prudens sit, & moneatur emptor; quia tali periculo se exponere est pretio æstimabile, & ex tali venditione aliquod damnum vere probabile emergit venditori, nempe esse in periculo, & metu bona sua amittendi, ergo potest aliquid pretii ob hæc incommoda recipere. Etiam licet merces simul emptas vendere carius minutim ob incommodum sic vendendi.

113. R. 4. Quod possunt similiter carius vendi, dilata solutione, res pretiosæ, quæ in magna quantitate ad nundinas portantur, vel aliæ merces, quæ ex Indiis afferuntur: quia pretia non imponuntur rebus ex numerata, aut credita pecunia, sed ex communi hominum æstimatione, & ex modo vendendi; in his au-

autem rebus, de quibus est sermo, jam ex modo vendendi, & communi æstimatione introductum est, ut carius vendantur, pecunia credita, quia ex una parte plures conveniunt emptores, dilata solutione, ob quam res crescit in pretio; & ex alia perpauci essent emptores, qui tales merces in ea quantitate emant pecunia præsenti, unde ipsæ vilescunt, ergo stat quod sit justum pretium majus pro tali venditione ad creditum, dummodo non excedatur illud, quod communiter credita pecunia solvitur.

114. Inq. 2. An contractus, in quo lanæ anticipata solutione vilius emuntur, sit licitus? R. neg. Quia si talis emptio esset licita in lanis, cur non in aliis mercibus, & fructibus? Sed in his ab omnibus improbatur, ergo in omnibus: quia, ut diximus, illa anticipatio pecuniæ habet rationem mutui, ex quo præcise nihil supra sortem accipere licet. Quidam ajunt dari hanc praxim in Hispania: Verum quod sæpius vidimus in Hispania, non est emere vilius lanas ob anticipatam solutionem, sed anticipare pecuniam ad emendas lanas secundum valorem, & pretium tempore venditionis, aut traditionis assignandum: vel tanti illas emere pro octo, aut decem annis, exponendo se periculo augmenti, vel decrementi justi pretii; quæ valde differunt ab emptione mitiori ob anticipatam solutionem. Si autem de pretio aliquid minuatur, non est ratione solutionis anticipatæ, sed ratione damni secuti, aut alterius tituli justi: alias illicitum est.

115. Inq. 3. An liceat chirographa, aut alia credita emere minori pretio, quam valeant ob anticipatam solutionem? R. Quod minime sic emi possunt, quando debitum est certum, & facilis solutionis; quia jus ad mille liquidum mille valet, ergo injustum est minoris emere. Si autem debitum non est omnino liquidum, nec facilis solutionis ex communi existimatione, posset vilius emi, esto emptor nullo incommodo illud recuperaret, quia hoc ejus fortunæ tribuitur, cum ex se difficilis, ac periculis exposita sit recuperatio. Depositariis, aut Regis ministris nullatenus licet talis emptio mitior. Eadem quippe ratione, qua Princeps, aut alius debitor sua debita minoris emere nequit, eadem nequeunt ejusdem ministri. Nequissime item isti efficerent, si difficiles se exhibentes in debitorum solutione, amicis suggererent, ut vilius illa emant.

116. Objic. plus valet res, quam actio ad ipsam. R. hoc verum esse quando consecutio rei affert aliquod periculum, incommodum, aut laborem pretio æstimabilem, in casu autem quæstionis supponimus nihil horum accidere.

Punctum XIV.

De vitiis, aut defectibus rei a venditore, vel emptore patefaciendis.

117. Defectus rei possunt esse intrinseci, aut extrinseci. Intrinseci sunt, qui ipsam rem afficiunt, ut si triticum sit infectum, vinum cito corrumpendum, pannum adustum, domus ruinosa, medicamentum evanidum. Extrinseci sunt, qui ab extrinseco rei adveniunt, ut si per legem Principis, aut alia causa in proximo vilius sit valitura. De hujusmodi vitiis extrinsecis, jam superius diximus, non teneri venditorem, aut emptorem ea detegere; quare solum de intrinsecis agimus in præsenti. Quod autem dicitur de venditore, teneas etiam de emptore.

118. Inq. 1. An venditor teneatur manifestare defectus rei vendendæ? R. 1. Quod, si venditor interrogetur ab emptore de defectibus rei, debet eos manifestare, nec valet eam tunc, occultato vitio, etiam minori pretio vendere: alias dolus daret causam contractui, nisi res esset parvi momenti, & quæ adhuc cognita, non retraheret emptores: tunc enim, detracto excessu pretii, poterit illam vendere.

119. R. 2. Quod, esto venditor non interrogetur, si res vendenda habeat defectum occultum, ratione cujus damnosa reddatur emptori, tenetur illum manifestare; alias cogitur restituere, tum excessum pretii, si illum accipit, tum damna ex tali venditione emptori secuta: quia contra justitiam est occasionem damni proximo præbere. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. Unde vendens rem no-

noxiam, aut inutilem ad fines emptoris debet defectum manifestare sub onere restitutionis; ut si vendas equum furiosum, domum ruinosam, oves infectas, aut quid simile.

120. Objic. Emptor non tenetur detegere venditori thesaurum latentem in campo, nec herbam medicinalem occultam in fasciculo emendo, ergo R. conc. ant. neg. conseq. quia thesaurus non est pars fundi, nec herba rara pluris valet ad usum, in quem fasciculus venditur, nempe ad pabulum animalium; defectus vero de quibus loquimur, & sunt intrinseci rei, & pugnant cum usibus, ad quos ipsa emitur.

121. Inq. 2. Qui sint defectus rei, ad quos manifestandos tenetur venditor, aut emptor? R. Esse in triplici differentia: nempe, vel circa substantiam, ut si vendas stannum pro argento, vel circa quantitatem, ut si vendas mensura fallaci; vel circa qualitatem, ut si vendas vinum debile pro forti, aut nobili. In primo casu contractus est nullus ob errorem circa substantiam, in aliis, licet sit validus, est injustus, & in omnibus adest obligatio restituendi. Imo licet vitia manifesta nemo teneatur regulariter detegere, dum merces aperte exponuntur; tamen si venditori constaret emptorem ob ejus imperitiam, vel rusticitatem defectum non cognovisse, tenetur in conscientia illum pandere, quia respectu talis emptoris idem est, ac si esset prorsus occultus.

122. Verum si venditor celebrans contractum, habita ratione periculi, vereque ignorans defectum, dicat se nolle teneri ex aliquo defectu occulto, in nullo foro tenetur restituere, quia tunc emptor in se suscipit periculum, quod venditor a se abjicit. At si aliquod vitium noverat, licet dicat se nolle teneri de vitiis occultis, aut vendit v. g. equum multis vitiis affectum, tenetur in utroque foro ad restituendum; quia illa protestatio fuit fraudulenta, & fraus nemini debet patrocinari, maxime cum præjudicio tertii. Si autem nulli præjudicium sequatur ex venditione, nec venditor interrogetur, poterit vendere cum defectu rem, subtracto, seu diminuto pretio juxta proportionem defectus, quin hunc manifestet, ne emptor plus justo velit subtrahere pro illo, ut docet Angelicus loco laudato. Alias nullus fere mercator posset vendere, si solum optimas merces, aut nulli defectui obnoxias vendere teneretur. Igitur permittendum est mercatoribus, ut vendant etiam merces aliquantulum viliores, dummodo justo pretio, & absque ullius notabili dispendio id peragant.

123. Inq. 3. An venditor possit pro una re aliam æque, vel fere utilem ad eundem finem, ut unum medicamentum pro alio, quo caret, & dicitur *quid pro quo*? R. Quod licet non fideliter agat, neque debeat consuli nisi in casu necessitatis; tamen si juxta defectum minuat pretium, non violat justitiam in venditione; quia esto res physice sit diversa, non tamen moraliter, prout conducit ad finem, ut faciunt quandoque pharmacopolæ. Sed isti debent certiorem facere medicum de carentia medicamenti, ut provideat, quid agendum.

CAPUT III.

De mutuo, & usura.

QUoniam usura ex mutuo profluit, ideo hoc capite illam cum eo conjungimus, acturi prius levi calamo de mutuo, ac deinde fusius de natura usuræ cum D. Thom. 2. 2. *q.* 78.

PUNCTUM I.

De mutuo.

124. Inq. 1. Quid sit mutuum? R. est *contractus, in quo traditur res usu consumptibilis quoad dominium, & usum sub obligatione postmodum similem in specie reddendi.* Hac diffinitione explicatur, tum ratio propria mutui, quia, quod meum est, trado, ut fiat tuum, unde Jurisconsulti bene ajunt, in mutuo fieri ex *meo tuum*; tum distinctio illius a cæteris contractibus. Igitur contractus ponitur loco generis; per reliquas vero particulas, secernitur ab omnibus aliis. Nam per illam, *in quo res traditur*, differt a pactis, quæ solo consensu substantialiter perficiuntur, ut emptio, & venditio, licet ab his etiam

per

per cæteras particulas distinguatur, ut consideranti satis innotescit. Dicitur *res usu consumptibilis*, quia est proprium mutui, quod versetur circa res usu consumptibiles, vel physice, dum vere consumuntur, aut pereunt, ut vinum, oleum; vel moraliter, dum alienantur, ut pecuniæ. Additur *quoad dominium, & usum*, ad differendum mutuum a commodato, conducto, locato, pignorato, & deposito, in quibus non transfertur dominium, sicut in mutuo, de cujus ratione est transferre dominium. *Sub obligatione*, per quod distinguitur a donatione, & omni pacto mere gratuito. *Postmodum similem in specie reddendi*; quia non tenetur mutuatarius, nec eandem numero rem, nec statim similem reddere, satisfacit enim similem tempore præstituto, vel aliquot transactis diebus, inspecta natura rei, personæ, & usus, ad quem mutuum accipitur fideliter reddendo.

125. Inq. 2. Quot sint obligationes mutuantis, & mutuatarii. R. 1. obligationes mutuantis esse saltem quatuor. 1. monere mutuatarium de vitio rei mutuatæ, si illud forte habeat. 2. non repetere mutuum ante tempus designatum, vel si non fuit præfixum, saltem expectare aliquot dies arbitrio prudenti. 3. admittere solutionem quandocumque fieri velit a mutuatario, ne gignat suspicionem usurariæ intentionis. 4. nihil exigere pretio æstimabile præter sortem juxta latius in sequentibus explananda.

126. R. 2. Obligationes mutuatarii esse saltem tres. 1. reddere mutuum tempore assignato, vel quando mutuator prudenter deposcit. 2. restituere damna, si quæ ex sua mora culpabili mutuatori secuta sint. 3. reddere tantundem ejusdem bonitatis juxta similiter infra fusius dicenda.

127. Inq. 3. An dentur aliqui, qui ad mutui solutionem non teneantur? R. affirm. nam quod mutuo traditur alicui oppido, Ecclesiæ, loco pio, aut minori, seu ejus curatori, non tenentur restituere, nisi probetur conversum fuisse in eorum utilitatem. Item filii carentes bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quique sui juris non creduntur, eximuntur ab onere reddendi pecunias, quas mutuo acceperunt, per *leg. in Cod. ad Senat. Consult. Macedonian.* Quod justissime sancitum est ad vitanda plurima incommoda ex mutuis traditis filiis familias profluentia. Tenentur tamen filii solvere mutuo accepta, si habeant bona castrensia, aut quasi castrensia, vel credebantur sui juris tempore acceptionis, vel si acceperunt, quæ a patre debebant accipere, vel cum essent in militia tempore belli, vel si intervenit juramentum solvendi. Juræ Castellæ omnis contractus, etiam juratus, a filiis initus sine patris consensu est irritus *ex leg. 22. tit. 11. lib. 5. novæ collect.*

Punctum II.

De natura, divisione, ac pravitate usuræ.

128. Inq. 1. Quid sit usura? R. est *lucrum ex mutuo immediate proveniens.* Per *lucrum* denotatur quælibet acquisitio rei supra sortem pretio æstimabilis, & indebita. Dicitur *ex mutuo immediate proveniens*, nam si media gratitudine, aut amicitia, vel alio titulo vero, & reali proveniat, non est usura, quia non provenit ex mutuo. Si autem mutues intendens amicitiam, ut medium ad acquirendum lucrum, usuram committis, esto lucrum immediate non proveniat ex mutuo: aliud enim est, quod tibi ex gratitudine mutuatarius aliquid tribuat, aut ab illo accipias; aliud quod tu illud intendas. Primum licitum est, secundum non licet. Hinc dicitur crimen istud *usura*, quia pro usu pecuniæ, aut alterius rei aliquid exigitur, aut intenditur pretio æstimabile ultra sortem; & licet juxta alias acceptiones possit in bonam partem usurpari nomen *usuræ* pro usu cujuscumque rei; in præsenti tamen accipitur pro vitio proveniente ex mutuo.

129. Inq. 2. Quotuplex sit usura? R. primo dividi in *claram*, & *paliatam*, seu *formalem*, & *virtualem*. *Clara* datur, cum aliquid, ut debitum ex justitia, ultra capitale exigitur, ut si mutuans centum exigat sibi reddi centum, & quinque. *Paliata* adest, quando in aliis contractibus imbibitur, illisque quasi contegitur, ut si vendens equum valoris quinquaginta aureorum, pro dilatione solutionis, aut alio titulo ficto velit sibi dari 54. Secun-

do dividitur in *mentalem*, & *realem*. *Mentalis* dicitur, qua intenditur aliquid lucrari supra sortem ex vi mutui. *Realis* est, quando hoc lucrum de facto recipitur, vel in pactum deducitur. Solet etiam dividi in *lucratoriam*, *compensatoriam*, & *punitoriam*. *Lucratoria* est, qua percipitur lucrum supra sortem. *Compensatoria* est, qua compensantur damna ex mutuo creditori secuta. *Punitoria* est, qua punitur mora culpabilis in mutui redditione. Sola prima est proprie usura.

130. Inq. 3. Quo jure sit usura prohibita? R. esse reprobatam omni jure divino, humano, & naturali. Quod sit prohibita jure divino, & humano, patet ex Alexandro III. cap. *Super eo*, *de usuris*, dicente: *Cum usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur.* Et in *Clement. unic.* §. *ult. de usuris* dicitur puniendum esse tamquam hæreticum illum, qui affirmaret usuram non esse peccatum. Calvinus adhærens Schismaticis Græcis, ait posse exigi moderatum lucrum ex mutuo a divite. Sed hic est error impius. Vid. Benedictus XIV. *In Synod. lib.* 10. *cap.* 4. *num.* 2. Quod improbata sit jure naturali, prob. quia jure naturæ prohibitur, ne quis in contractu ultra justum pretium exigat; sed usura nihil aliud est, quam exigere aliquid ultra justum pretium, ergo reprobata est jure naturæ. Prob. min. quia justum pretium mutui est solutio ejusdem mutui, ergo, velle amplius ultra mutuum, in quo consistit usura, nihil aliud est, quam exigere aliquid ultra justum pretium, & consequenter injustum, ac jure naturali reprobatum. Ita omnes Theologi cum D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 1.

131. Objic. 1. *Deuter.* 23. Conceditur Hæbreis, quod ab extraneis usuras accipiant, ergo usura non est intrinsece mala. R. Deum concessisse Judæis bona extraneorum, eorumque dominium: unde contulit consequenter facultatem ea accipiendi, quomodocumque potuissent; accipere autem quod meum est, non est usura. Ab aliis vero extraneis usuras accipere fuit permissum Hæbreis, non ut licitum, sed ad majus malum vitandum, ait Angel. *ibi. ad* 2.

132. Objic. 2. Usus rerum etiam consumptibilium, ut vini, olei, frumenti &c. diversus est ab earum dominio, ut patet in religiosis, qui usum, & non dominium earum habent, ergo poterit quis accipere non solum sortem, quam mutuavit, sed etiam aliquid amplius pro ejus usu. R. antecedens esse verum, quando traditur usus dependens ab alterius voluntate, ut contingit in religiosis; mutuatarius vero accipit usum independentem indistinctum a dominio; unde cogere illum ad solvendum usum rei, & ipsam rem est exigere ab eo duplicem solutionem, & consequenter aliquid ultra justum pretium. Pecunia autem non parit pecuniam, unde soluta pecunia, vel re, nihil plus exigi valet.

133. Objic. 3. Recreatio videndi summam auream est pretio æstimabilis, sicut recreatio videndi comediam, aut aliam rem pulchram, ergo ob hunc titulum poterit aliquid ex mutuo accipi ultra sortem. R. neg. conseq. quia sicut vendens vinum lætificans homines injuste ageret seorsim vendens vinum, & seorsim lætitiam, ita pariter mutuans summam auream, quia in utroque casu transfertur dominium. Si autem aurei acciperentur tantum pro ostentatione, non inficiamur posse aliquid exigi pro tali usu secundario, & extrinseco pecuniæ. Verum tunc non adest contractus mutui, sed commodati, ut docet D. Thom. *ubi supr. ad* 6.

134. Inq. 4. An detur parvitas materiæ in peccato usuræ? R. affirm. quia septimum Decalogi præceptum, *non furtum facies*, admittit parvitatem materiæ, ergo etiam usura, quæ sive sit furtum, sive sit rapina, ad hoc præceptum reducitur, ac eodem prohibetur.

Punctum III.

De usura mentali.

135. Inq. 1. Quot modis dari valeat usura mentalis? R. dupliciter posse dari; primo si quis mutuet cum intentione aliquid ultra sortem accipiendi, sed revera nihil accipit: & tunc licet interius peccet contra justitiam, non est obnoxius restitutioni, ut ex se patet. Secundo si mutuet illa prava intentione,

qua

qua de facto aliquid præter sortem accipit. Tunc autem, vel mutuatarius dedit illud omnino liberaliter, in quo casu, cognita liberalitate alterius, poterit illud sibi retinere; sicut furans pallium proprium putans esse alienum, cognito errore, non tenetur ad restituendum. Vel mutuatarius dedit tamquam debitum, aut conscius conditionis, seu indolis mutuantis, & tunc debet illud restituere propter injustitiam in contractu commissam. Imo licet mutuator non haberet pravam intentionem, vel putaret sibi dari gratis; si tamen postea illam in mutuatario agnosceret, vel de illa dubitaret, teneretur restituere excessum, vel id in quo factus est ditior, saltem pro qualitate dubii.

136. Inq. 2. An sperare aliquid ultra sortem ex mutuo sit usura mentalis? R. quod ex mutuo valet licite sperari gratitudo, amicitia, ac benevolentia: quia non est res pretio æstimabilis. Verum non licet sperari aliquid pretio æstimabile, vel illud intendi primario adhuc media gratitudine, quia *Luc.* 6. dicit Dominus: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Mutuare enim est actus charitatis, quæ non quærit, quæ sua sunt. Unde mutuans debet dare ita, ut, remota omni acquisitione, etiam ex gratitudine, eodem modo mutuaret. Si autem hanc absolutam intentionem aliqua spes remunerationis comitaretur, non adesset usura mentalis, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 3.

137. Sed non est admittenda opinio, quæ ait, licere manifestare spem, ac intentionem, dicendo mutuatario se sperare ab eo opera amici, gratumve futurum, ac beneficium remuneraturum, etiam si hoc faciat, seclusa omni obligatione civili, quia hoc non vacat a vehementi suspitione usuræ. Nam ad incurrendam labem usuræ sufficit, ut quidquam pretio æstimabile quocumque titulo exigatur, ut patet ex propos. 42. ab Innoc. XI. confixa: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.* Igitur nullo titulo, etiam gratitudinis, valet exigi, nec intendi, saltem primario, aliquid præter ipsam amicitiam, ac benevolentiam. Potest tamen recipi, quod a mutuatario omnino gratis donatur; secus vero, si alio motivo daretur, nempe ex timore, ne in posterum sibi negetur mutuum, quia tunc non sponte tribueretur, ideo raro licite accipitur, quia raro sponte donatur. Potest autem licite recipi, si vere adsit spontanea donatio, quia mutuatarius dives, amicus, aut liberalis est: nam ante mutuum poterat recipi, & non est quis pejoris conditionis, quia mutuavit, ut ex se patet. D. Thom. ibi.

Punctum IV.

De usura formali manifesta.

138. Inq. 1. An exigere lucrum moderatum saltem a divitibus sit licitum? R. neg. Quidam Hæretici esto absolute improbent usuras, admittunt moderatas. Alii hoc ipsum affirmant, quando exiguntur a divitibus, negantes, si a pauperibus extorqueantur. Sed veritas catholica omnem usuram penitus reprobat, sicut furtum: utrumque enim opponitur ipso juri naturali, & est intrinsece malum. Unde esto pejus sit usuram pinguem quam moderatam exigere, graviusque flagitium a paupere quam a divite extorquere; semel tamen quod usura sit, semper illicita est.

139. Inq. 2. An obligare mutuatarium ad remutuandum in posterum sit usura? R. affirm. quia obligatio in posterum remutuandi est pretio æstimabilis: eadem ratione usura est mutuare sub conditione, quod a tua officina mutuatarius emat; vel ad tuum molendinum pro frugibus molendis adeat; vel quod tibi præstet aliquod beneficium, aut munus, sive a manu, sive a lingua, vel ab obsequio; vel recipiat mutuum partim in pecunia, partim in mercibus, vel partem mutui a tuo debitore, aut quod tibi solvat debita incerta, vel pro te fidejussor existat. In his, & similibus ad quæ mutuatarius non tenetur ex justitia, nequit illi ulla imponi obligatio. Verum eodem tempore, quo mutuas Petro, potes ab isto aliud mutuum recipere, aut etiam petere, dummodo servetur æqualitas; quia tunc potius est contractus innominatus, *do, ut des*, quam mutuum. Imo licet sit mutui

tui contractus, supponitur peragi cum nullo aut æquali incommodo utriusque. Idem teneas de omni actione, quam alias mutuatarius tenetur præstare ex justitia.

140. Inq. 3. An exigere a mutuatario actionem debitam ex charitate, aut alia virtute præter justitiam sit usura? R. Sub distinctione, vel enim omissio actionis impositæ affert obligationem restituendi aliquod damnum, vel non. Si primum, usura committitur, ut si mutues Petro ex conditione, ut cum viderit parari ignem juxta tua prædia, teneatur ex justitia ad te monendum. Si secundum, non est usura, ut patet in eodem casu, in quo solum exigeres monitionem tantum ex charitate, vel erogares mutuum cum pacto, quod recitet rosarium, ad quod tenetur ex voto, vel quod tempore debito recipiat sacramenta, aut sacrum audiat, quia hæc non cedunt in tui commodum, sed in spirituale alterius. Similiter usuram non committis mutuando ea lege, ut alius tibi condonet injurias privatas, vel ut solvat pecuniam aliunde tibi certo ex justitia debitam, vel ut desistat ab injusta vexatione, quia hoc jam est debitum ex justitia. Pariter est licitum exigere hypothecam pro mutui securitate. Non tamen licet vendere pignus, eo quod non reddatur mutuum tempore debito, nisi prius moneatur mutuatarius; at, præmissa monitione, & mutuatario nolente reddere, quit vendi pignus, & soluto mutuo, tradi, quod superest, mutuatario.

141. Inq. 4. An sit usura petere in pignus mutui rem fructiferam, ita ut fructus sint mutuatoris, quin computentur in sortem? R. affirm. Quia hoc esset velle integram sortem, & insuper lucrum fructuum Secus est dicendum, quando socer tradit genero rem fructiferam in pignus pro dote filiæ non soluto: quia tunc pignus traditur, ut fructificet loco dotis. Si fructus pignoris excedant illos, qui ex dote percipi possent, excessus debet tradi socero, vel in sortem computari. Si uxor moriatur absque prole, sors socero reddenda est. Si autem prolem relinquat, potest gener retinere pignus ad portanda onera matrimonii; ac idem de uxore, mortuo marito, dicendum est.

Punctum V.

De usura palliata.

142. Inq. 1. Quot modis committatur usura palliata? R. Innumeris modis palliari crimen usuræ, ut nativa ejus fœditate cooperta liberius incedere queat. Idcirco variis pactis, pluribus titulis, diversisque contractibus contegitur; sed cum perdifficile sit de omnibus disserere, tantum de quibusdam frequentioribus in hoc puncto peragemus.

143. Inq. 2. An aliquid possit exigi ultra sortem in mutuo, quia pecunia præsens pretiosior est futura? R. neg. Constat ex propos. 41. proscripta ab Innoc. XI. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majori faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem exigere a mutuatario, & eo titulo ab usura excusari.* Unde, si in venditione, pro dilatione solutionis, aut in chirographis liquidis, & certis, pro eorum assecutione, vel in mutuo pro privatione pecuniæ, aut quia hæc præsens pluris æstimatur quam futura, aliquid exigatur, usura palliata committitur. Et licet propositio solum expresse loquatur de mutuo, quia huic intrinsecum est carere pecunia præsenti, ex quo propositionis falsitas palam conspicitur, simul etiam ex ejus confixione innotescit pro pecunia futura, quando est liquida, & certa, aliquid exigere ultra sortem, esse usuram palliatam.

144. Inq. 3. An pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus possit exigi aliquid supra sortem? R. neg. Constat ex propos. 42. damnata ab Alexand. VII. *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem recipere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Merito quidem proscripta est thesis hæc: alias semper posset aliquid exigi supra sortem, non propter mutuum, sed propter dilationem. Verum esto dilatio sit diuturna, nihil lucri debet exigi; nam sicut ex eo, quod mutuum sit magnum, nihil potest exigi, ita ex eo quod sit longum, sive quis ad illud se obliget, sive non, Solum igitur mutuator valet pacis-

cisci de damno emergente, aut lucro cessante compensando: at nihil amplius potest exigere propter mutuum, quocumque modo præstitum, ne suo larva novę obligationis pallientur usuræ.

145. Inq. 4. An liceat aliquid supra sortem exigere pro labore numerandi pecuniam, vel mensurandi triticum? R. neg. Quia etiam est intrinsecum mutuo numerare, aut mensurare, quod traditur. Si autem aliquando mutuator alterius opera indigeret pro numeranda pecunia, aut tritico mensurando, seu asportando, tunc huic tertio labor compensari deberet; nihil tamen mutuator posset accipere, nisi forte omnino gratis ei donaretur.

146. Inq. 5. An sit usura mutuare cum pacto, ut eadem pecunia in specie, & quantitate solvatur? R. 1. Non esse usuram cum æque dubium est de augmento, aut decremento valoris, quia tunc uterque damno, aut lucro æqualiter exponitur, parque utriusque est conditio. Nec est usura pacisci rem, quam servaturus esses usque ad tempus, quo plus valeret, exigere cum illo incremento, deductis expensis, in ejus conservatione faciendis, & æstimatione periculi arbitrio prudenti, quia non teneris subire damnum ex mutuo. Potes etiam mutuare triticum vetus, ut reddatur novum ejusdem qualitatis, & valoris, quia nihil petis hic supra sortem.

147. R. 2. Non licere pacisci, ut eadem res in specie, numero, & quantitate reddatur, quando pluris postmodum scis, aut credis valituram, si ad illud tempus servaturus non eras; quia alias reportares lucrum ex mutuo: nam si dederis decem argenteos, quando singuli valent 20. & petis, quando valent 30. amplius petis, quam dedisti, & usuram committis. Eademque est ratio de aliis rebus; si enim mutues fanecam tritici, quando valet 18. & petas eamdem fanecam, quando ejus valor crescit usque ad 25. lucrum ex mutuo exigis. Igitur detrahi debet ex numero totum, quod tempore solutionis æstimatur amplius.

148. R. 3. Quod si bona fide tradatur mutuum nihil de pretio cogitando, & postea crescat in valore, pro restitutione frumenti, olei, vini, & aliarum rerum, quæ usu consumuntur, eadem solvenda est in specie, numero, & bonitate: quia in his rebus non tam valor extrinsecus, quam bonitas intrinseca attenditur. Ex opposita ratione in pecunia, in qua valor extrinsecus præcipue attenditur, reddenda non est eadem in quantitate, & numero, sed juxta valorem acceptum in mutuo. Ideo, si accepisti decem scuta, dum valebant singuli 20 argenteos, & nunc valent 40. sufficit reddere quinque scuta, quæ valent 200. argenteos, quos in decem scutis antea recepisti, sicut eosdem 200. argenteos deberes reddere, si scuta in valore decrescerent. Quæ sane congruunt illo principio, quod res domino suo crescit, vel decrescit; mutuatarius autem mutui accepti dominus est. Juxta has regulas potest mutuans pecuniam auream, vel argenteam pacisci, ut sibi reddatur moneta ejusdem qualitatis; at mutuans æream pecuniam nequit exigere in solutione auream, aut argenteam, quia imponeret onus, ad quod mutuatarius non tenetur. Sufficit enim, quod reddat eamdem in specie pecuniam; imo, secluso pacto, satisfacit reddendo æream, esto accipiat auream, quia, ut dictum est, in pecunia principaliter attenditur valor, qui compensatur augendo numerum monetæ æreæ,

Punctum VI.

De damno emergente, lucro cessante, ac periculo sortis.

149. Inq. 1. An aliquid possit exigi ultra sortem ratione lucri cessantis, aut damni emergentis? R. Quod sub nomine lucri cessantis, & damni emergentis frequentissime in mutuo usura palliatur. Ideo accuratissime inspici debet, an vere, & realiter ex mutuo sequantur. Verum cum reipsa contingat, communior sententia tenet licere ratione lucri cessantis, aut damni emergentis aliquid supra sortem in mutuo exigere absque usuræ labe, servatis conditionibus mox assignandis: quia tam lucrum cessans, quam damnum est extrinsecum mutuo, & pretio æstimabile, ergo accipere compensationem, non usura, sed justitia est. Ut si ad succurren-

rendam necessitatem Petri, triticum, quod habes ad seminandum, vel vendendum tempore majoris valoris, mutues, ipso a te illud postulante: quo in casu cessat tibi lucrum seminis, aut incrementi valoris. Idem est de pecunia ad negotiationem proxime parata, qua mutuata ad preces alterius, illa pro tunc indigentis, cessat tibi lucrum. Titulus damni emergentis sæpius contingere valet. Ut si mutues pecuniam paratam ad excolendos agros, ad reparandam domum, seu ad merces emendas, & occasione mutui subeas damnum agros non colendi, ruinæ domus, aut emendi carius merces. Nota vero discrimen inter damnum emergens, & lucrum cessans, quod illud potest integre exigi, non istud, sed quanti spes lucri æstimatur, habitaque ratione periculi, & expensarum. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 62. *a.* 4.

150. Conditiones autem requisitæ ad cohonestandum, quod exigitur ratione lucri cessantis, & damni emergentis, sunt quatuor. 1. Quod damnum emergens, aut lucrum cessans proveniant revera ex mutuo; si enim aliunde sequantur, jam non est titulus aliquid exigendi. 2. Quod ab initio moneatur mutuatarius de damno dicto, aut lucro cessante, ut, si velit, desistat a petendo mutuo cum tali onere. 3. Quod mutuum detur non pro lucro acquirendo, sed pro succurrendo proximo, & ad hujus petitionem. 4. Quod si nullum damnum subeat, aut nullo lucro careat mutuator, nihil accipiat ultra sortem. Nequit enim exigi ob mutuum, nisi tantundem cum vero damno ex eo secuto, & lucro cessante. Unde licet ab initio conveniant in pacto de damno emergente, ac lucro cessante, si nullum sit secutum ex mutuo, nihil mutuator exigere debet præter sortem, ne justitiam violet per lucrum, dum charitatis officium exercet per mutuum. Nisi prius convenerint de periculo, quo adstante vero, & certo, poterit quidquam justa æquitate accipere. Si mutuum extorqueatur metu, vi, aut fraude, non ambigitur compensandum esse quodcumque damnum, aut lucrum cessans inde secutum, esto ab initio nihil de istis sit conventum: atque idem dicendum, si non solvatur culpabiliter tempore præfixo, vel dum prudenter repetitur mutuum a creditore. Econtra ultroneus mutuator nulla ratione aliquid exigere valet ultra sortem, hoc est, mutuans a proximi necessitate non compulsus, seu ab eo non interpellatus: alias clare proderet intentionem lucrandi ex mutuo.

151. Inq. 2. An ratione periculi sortis possit aliquid exigi in mutuo? R. Duplex periculum est distinguendum in mutuo; aliud intrinsecum, seu generale omni mutuo, quatenus perire valet sors, cuicumque mutuetur. Pro hoc periculo nihil ultra sortem accipi potest, esset quippe usura manifesta. Aliud est extrinsecum, vel peculiare ortum, non ex natura mutui sicut primum, sed a qualitate negotiationis, aut mutuatarii parum fidelis, qua ratione adest prudens timor non recuperandi sortem, vel patiendi incommoda in ejus recuperatione. Igitur:

152. R. Pro periculo vero extrinseco posse accipi aliquid ultra sortem judicio prudentum, hoc est, habita ratione periculi, & ejus, quod accipitur: quia se exponere periculo amittendi sortem, vel eam recuperandi cum labore, aut expensis est pretio æstimabile, non necessario ex mutuo consecutum, sed ab extrinseco ortum, ergo aliquid ejus ratione accipi valet. Non enim accipitur pro mutuo, sed pro eo, quod penitus accidentaliter obvenit tali mutuo. *Confirm.* 1. Fidejussor potest exigere pretium pro sortis fidejussione, ut omnes tenent, ergo etiam mutuator, si in se subeat periculum, quamdiu mutuatarius non det fidejussorem. Nam si illum velit dare, jam non est quæstio; quia data sufficienti fidejussione capitalis, nihil ultra illud accipere potest mutuator. *Confirm.* 2. Ex responsione sacræ Congreg. *de propaganda fide* ad tertium dubium propositum a Missionariis Sinensium, an videlicet, ratione periculi sortis recuperandæ possit accipi juxta consuetum in illa regione? ad quod respondet, quod Patres qualificatores: *Censuerunt ratione mutui immediate, & præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem: si vero aliquid accipiant ratione periculi imminentis, pro ut in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servata*

pro-

proportione inter periculum, & id quod accipitur. Ergo vera est nostra assertio, utpote approbata decreto sacr. Congregat.

154. P. Concina labefactare intendens hujus decreti vim, ait *primo* esse dubiæ fidei, non authenticum. Quomodo autem hoc dicat in præsenti, cum ipse *tom.* 3, *pag.* 325. illud alio decreto S. Inquisit. confirmet, ac declaret in suo esse valore, ignoramus. Est igitur hoc decretum indubiæ fidei, & dum hæc scribo, apud me illud habeo authenticum, mihi ab Illustriss. D. Borgia Secretario dictæ Congreg. confidentialiter communicatum. Ut autem doctrinæ sanæ, simulque eruditioni deserviat, integre in fine tomi transcribitur. *Secundo* dicit Concina sacr. Congreg. non approbare, sed permittere præfatum accipi lucrum. Verum hæc responsio est pejor priori; quia indicat Ecclesiam scribere media S. Congreg. ministris evangelicis, quod Sinensibus ad fidem conversis usuras permittant, vel celent doctrinam evangelicam. Unde hujusmodi responsa prorsus a veritate sunt aliena; nam Ecclesia quandoque tacet, ac tolerat, dum vero respondet quæsitis, scribit sermones rectissimos, & veritate plenos. Nec de hoc potest dubitare ullus catholicus.

154. Objic. Ex cap. *Naviganti, de usuris*, ubi Gregor. IX. sic decernit: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Ergo ratione periculi nihil valet accipi. R. Non parum torquet doctorum ingenia præfatus textus, in ejus quippe explicatione æque dissident, ac desudant Canonistæ, & Theologi, ut, omissis aliis, patet apud Benedicti XIV. qui illum producit in *Synod. lib.* 10. *cap.* 7. *num.* 5. & potens uno verbo litem dirimere, indecisam relinquit; exhibet tamen interpretationem, quam jampridem adhibuerant perdocti Salmanticenses, nempe, textum intelligi de eo, qui non aliter vult mutuare, nisi subeundo in se periculum, ut accipiat lucrum: qui profecto *usurarius censendus est*, quia ad hoc obligare mutuatarium usura est. Alii ajunt textum esse mendosum, deficereque ei *non*, ita ut esset legendus, *usurarius non est censendus*, quod propugnat acerrime Cuniliati in præsenti, & probat ex cohærentia sequentis clausulæ. *Ille quoque . . . . non debet usurarius reputari.* Sed prima expositione, cui plus se inclinat ibi Bened. XIV. satis habetur, licere aliquid ultra sortem accipi in mutuo ratione periculi sibi extrinseci.

155. Quinque autem conditiones ad hoc requiruntur. 1. quod periculum extrinsecum sit certum, non fictum. 2. Ut de illo fiat pactum, prius quam tradatur mutuum. 3. Ne amplius exigatur, quam æquitas naturalis præscribit. 4. Ne, si a mutuatario velit dari sufficiens cautio, vel fideijussio, ad plus cogatur. 5. Ne, si valde pauper sit petens, ultra vires in pensione gravetur; alias vice commodi incommodum reportaret.

156. Inq. 3. An pœna conventionalis licita sit in mutuo? R. affirm. dummodo non apponatur in fraudem usuræ, ut si mutuares intentione lucrandi pœnam; quia debitor non solvens culpabiliter tempore præscripto peccat contra justitiam, & dignus pœna est: ideo ab utroque jure laudatur hujusmodi pœna: a civili in leg. *Si pacta. Codice de pactis*: a canon. cap. 4. *Dilecti, de arbitris*. Verum quinque etiam requiruntur conditiones, ut hæc pœna licita sit. 1. ut ponatur consensu utriusque partis. 2. ut solum cogatur eam solvere, qui culpabiliter est in mora; absque culpa enim non est justa pœna. 3. ut mora sit notabilis, quia ob moram levem non est imponenda pœna gravis. 4. ut si pars sortis restituatur, non exigatur tota pœna, sed tantum quod parti non solutæ respondet. 5. ut pœna sit culpæ proportionata; non enim pœna culpam excedere debet. Unde pactum legis commissoriæ in pignoribus est prohibitum, quia pignus, ut plurimum, excedit debitum, quod non debet amitti.

PUNCTUM VII.

De contractu societatis, & assecurationis.

157. Inq. 1. Quid sit contractus societatis? R. est *duorum, vel plurium con-*

ven-

ventio contribuendi ad commune lucrum, & damnum secundum proportionem rerum contributarum. Itaque tunc initur societas, cum duo, vel plures conveniunt ad negotiationem, sive opera, sive pecunia, mercibus, aut animalibus, ut unusquisque juxta proportionem rei appositę lucri, aut detrimenti particeps fiat. Potest autem contingere dupliciter. Primo, quando plures mercatores unum cumulum suarum pecuniarum, ac mercium congerunt, communesque habent ministros. Unde pecuniæ, merces, opera, & expensæ sunt communes. Secundo, quando unus socius pecuniam, alter vero industriam, vel industriam cum aliqua parte pecuniæ ponit. Et tunc, pro rata detrimenti ratio, sicut & lucri distributio, sociis obtingere debet.

158. Contractus societatis licitus est, servatis sex conditionibus. 1. quod tradens pecuniam, merces, seu animalia periculum eorum subeat, & non quærat salvum fieri capitale, sed si pereat absque culpa villici sui operam apponentis, pereat domino. 2. quod res collata in societatem vere conferatur ad negotiationem licitam; si enim conferatur, vel accipiatur ad contractum illicitum, vel ad subveniendum necessitati, jam esset societas ficta, & vera usura larvata, seu palliata. Idem est, si res inutilis sit ad negotiationem, vel tradatur imperito negotiandi. 3. quod lucrum dividatur pro æqua rata cum proportione, ita ut, quo plus quis posuit pecuniæ, vel operæ, plus habeat de lucro judicio peritorum. 4. ut expensæ, pericula, & damna eadem proportione sint communia. 5. ut si pereat res collata, pereat domino, seu ei, qui eam contulit. 6. conditio est, quod societas ineatur pro tempore determinato, ante quod nulli sociorum recedere liceat. Si autem absque consensu aliorum aliquis recedat, sentiet damnum, sed non commodum. *Leg. actione ff. pro socio.*

159. Inq. 2. An si, finita societate, nullum sit lucrum, solumque remaneat capitale ab uno sociorum collatum, dividi debeat inter ipsum, & alium, qui operas capitali æquivalentes possuit? R. neg. quia si periret capitale, periret domino, ergo si remanet, domino remanet. Si autem alter ex suis operibus nihil lucri accipit, nec dominus ex sua pecunia aliquid percipit lucri; unde uterque æque patitur detrimentum, quod suo infortunio tribuere debet.

160. Inq. 3. Quot modis finiatur societas? R. quatuor modis finiri. 1. finito tempore ad illam constituto. 2. mutuo sociorum consensu: quia res per quas causas nascitur, per eas dissolvitur. 3. morte naturali, aut civili alicujus socii. 4. egestate, aut impotentia physica, vel morali socii, si nimirum nequeat contribuere pecunia, seu industria. *Leg. sup. citat.*

161. Inq. 4. An contractus societatis duplex, in quo aut capitale, aut lucrum assecuratur, sit licitus? R. 1. quod societas, in quo capitale sive pecuniæ, sive animalium assecuratur, est illicita: alias jam contractus de generaret in mutuum, in quo tribuens capitale non subit ejus periculum, sicut in societate, de cujus ratione est, quod capitale pereat socio illud tradenti, aut ejus periculum subeat. R. 2. quod in assecuratione lucri, capitali periculis exposito, nulla injustitia adest, quia est velut quædam sponsio, cui uterque contrahens se committit, paciscendo de lucro certo minori pro incerto majori jure venditionis, ita tamen quod, capitali inculpate pereunte, nihil exigere valeat.

162. Inq. 5. Quid sit assecuratio? R. est *contractus, quo quis pro pretio suscipit in se periculum alicujus rei*, puta navis, aut mercium. Contractus iste licitus est servata æqualitate inter pretium, & periculum, ita ut arbitrio peritorum artis augeatur, vel minuatur pretium juxta majus, aut minus periculum. Unde assecurator conscius nullum adesse periculum contrahere nequit: vel sciens longe minus esse quam putatur, debet detrahere de pretio, quia in hoc contractu notitia, seu timor periculi, vel ipsum periculum, quod timetur, est ipsi quid intrinsecum. Ad vitanda dubia, & contentiones satius est scripto consignare, tum pretium, tum rem assecuratam in individuo; ut hanc navim, has merces, vel hanc earum medietatem, ut, si hæc salva adveniant, licet cætera pereant, salvus assecurator evadat. Notitia hujus, & anterioris contractus necessaria est pro

in-

intelligentia sequentis.

Punctum VIII.

De contractu trino.

163. Inq. 1. In quo consistat contractus trinus? R. Consistere in tribus contractibus, societatis, assecurationis capitalis, & venditionis lucri majoris incerti pro minori certo, hoc modo: Petrus init contractum societatis cum Paulo negotiatore dando ei centum aureos, ut ipso ponente pecuniam, & Paulo industriam, uterque fæneretur. Sperabat lucrari ex hoc contractu triginta supra capitale; sed ne amittat capitale, init secundum contractum assecurationis capitalis cum eodem Paulo, condonans ei decem ex triginta, quæ lucrari sperabat: denique cupiens habere aliquod lucrum certum, esto moderatum, magis quam incertum majus, celebrat tertium contractum venditionis lucri majoris incerti pro minori certo, vendens 20. pro 12. Unde Paulus cogitur solvere Petro capitale, & insuper 12. sive negotiatio bene, sive male succedat.

164. Inq. 2. An hujusmodi contractus usurarius censendus sit? R. affirmative: Nam, ut egregie ait Benedictus XIV. in *Synod. Diœces. lib.* 10. *cap.* 7. *n.* 3. hunc contractum trinum, quem celebrem fecit concertatio inter Sotum, & Navarrum, illo reprobante tamquam usurarium, isto protegente ut licitum, causa delata, ac diligenter discussa apud Sixtum V. usurarium pronunciavit, eumque deinceps fieri prohibuit sua constitutione 68. quæ incipit: *Detestabilis, edita anno* 1586. Et licet Benedictus XIV. nihil in re ex se definiat; ob oculos tamen ponit Sixtinam Constitutionem, in qua ut usurarius, causa accurate discussa, reprobatur dictus contractus trinus.

165. Nec valet dicere memoratam Constitutionem solum reprobare contractum, quando ex vi societatis exigitur assecuratio, non vero quando hæc provenit ex alio contractu, nempe assecurationis, aut tantum loqui pro foro externo, nam Pontifex voluit dirimere controversiam inter Sotum, & Navarrum; controversia autem inter illos non erat de contractu societatis, nec pro foro externo, sed de contractu trino supra exposito pro foro interno. Imo Constitutiones Pontificiæ vix expediuntur pro foro externo, maxime pro toto orbe, ad quem non extenditur facultas mere externa Pontificis.

166. Dicere autem Sixtum V. declarasse vivæ vocis oraculo, se tantum reprobasse pacta alias jure naturæ illicita, vix credi valet, cum aperte sua Bulla universali reprobet contractum trinum a Navarro assertum, vel dicendum, quod Pontifex illo oraculo solum declaravit se noluisse condere novam legem, sed proscribere contractum, quem vere labe usuræ fœdatum deprehenderat. Nec denique proficit recurrere ad contrariam consuetudinem, quia licet hinc aliquantulum posse excusari videatur opposita praxis; tamen cum Pontifex declaret usurarium, ac jure naturæ illicitum prædictum contractum, nulla opposita consuetudo illum licitum efficere valet.

167. Prob. etiam ratione: quia contractus trinus est purum mutuum, in quo dominium rei transfertur, ergo usura est lucrum ex eo accipere. Prob. ant. Socius assecurans in contractu trino fit dominus rei, seu pecuniæ, quam potest distrahere ad libitum, nihilque tradenti interest, quod illam ad negotiationem, vel ad alium usum impendat, habita cautione capitalis, & lucri, ergo dominus fit rei traditæ, atque illa pactio, seu obligatio cum illa negotiandi solum est apparens, larvaque usuræ. Unde contractus trinus remanet verum mutuum, apparensque societas, cum in ista non transferatur dominium, quod utique in illo reipsa transfertur; quapropter de illo nequit exigi lucrum, sicut de vera societate, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 2.

168. Objic. tres hi contractus liciti sunt cum tribus sociis diversis, ergo etiam cum eodem. R. neg. conseq. Nam sicut contractus emptionis, & revenditionis, qui dicitur *mohatra*, licitus est cum distinctis, non vero, pacto prævio, cum eodem, ita pariter dicimus de contractu trino. Contractus enim, qui licite separatim celebrari possunt, respectu ejusdem se se destruunt, sicut in contractu trino, in quo assecuratio omnimoda capitalis, & lucri ab eodem socio præstita destruit societatem, de cujus natura est, quod contra-

hentes æque subsint periculo, æqueque sentiant commodum, & incommodum; alias societas leonina erit, & ut asserit Benedict. XIV. ubi supra, contractus hic semper est periculosus adhuc juxta ejus patronos.

Punctum IX.

De restitutione lucri per usuras acquisiti.

169. Inq. 1. An usurarius acquirat dominium rei, quam per usuras lucratur? R. neg. quia dominium non acquiritur per contractum omnino nullum. Contractus autem usurarius jure naturali, ac divino est nullus, ergo impotens transferendi dominium. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1.

170. Unde sequitur *primo*, quod si res per usuras acquisita crescat in valore apud usurarium, valor pertinet ad mutuatarium, quia res domino suo crescit; si autem decrescat, aut pereat, ipsi usurario tamquam possessori malæ fidei perit, aut decrescit. *Secundo*, non posse usurarium transferre in alios dominium rei per usuram acquisitæ, quippe nullum erat apud ipsum. Nisi per mixtionem cum aliis ita confundatur, ut discerni nequeat, quo pacto dominium acquirit cum obligatione restituendi.

171. Inq. 2. An usurarius teneatur restituere, quæ per usuras acquisivit? R. quod sive fiat dominus eorum, ut aliqui opinantur, sive non, ut nos cum D. Th. sentimus, in omnium sententia tenetur restituere: quia apud omnes violat justitiam commutativam accipiendo, seu extorquendo, quod sibi non debetur. Si dominus ignoretur, facienda est restitutio pauperibus, aut piis operibus. Hæc autem obligatio transit ad hæredes, ita ut, si unus sit hæres, tota obligatio transit in ipsum. Si vero dividatur hæreditas, tenentur hæredes pro rata restituere juxta proportionem hæreditatis, quam unusquisque adivit, vel obtinuit.

172. Inq. 3. An usurarius teneatur restituere non solum, quæ per usuras acquisivit, sed etiam alia, quæ per pecunias, vel alias res usurpatas lucratus est? R. sub distinctione: vel enim ea acquisivit per res usu consumptibiles, ut pecunias, frumentum, oleum, & tunc sufficit restituere lucrum usurarium cum damnis inde forte subsecutis: quia reliquum reputatur fructus industriæ. Vel ea acquisivit per res usu non consumptibiles, ut prædia, domus, olivera, & tunc debet restituere etiam fructus inde perceptos; quia res domino suo fructificat. Ita D. Thom. loc. cit. a. 3.

173. Inq. 4. An qui bona fide celebravit contractum usurarium, sed poterat alium justum, re postea cognita, teneatur restituere quod accepit? R. affirm. quia talis se habet, sicut qui bona fide vendidit rem supra justum pretium; & licet habeat animum habitualem contrahendi alio modo justo, tamen reipsa non habet actualem contrahendi, nisi isto modo, cum ergo contractus sit nullus; restitutioni manet obnoxius.

174. Inq. 5. An alii præter usurarium cooperantes ad usuras restituere teneantur? R. quod cooperatio potest esse proxima, aut remota. Omnes, qui proxime ad usuras cooperantur, vel consulendo usurario contractus fæneratitios, vel cogendo eas solvere, ut rectores, judices, aut eorum ministri: vel conficiendo scripturam, ut notarius, aut tabellio; vel eas exigendo; aut ineundo contractus nomine dominorum suorum, istis deficientibus, obstringuntur ad restituendum, quia ad actionem injustam proxime cooperantur. Idem teneas de deponentibus pecunias apud usurarios, ut inde amplius lucrentur, quia etiam isti ad eamdem injustitiam concurrunt, non secus ac illi, qui latroni instrumenta porrigunt ad furandum. *Si autem aliquis usurario, alias habenti, unde usuras exerceat, pecuniam suam committat, ut tutius servetur, non peccat, sed utitur homine peccatore ad bonum*, inquit D. Thom. ubi supra *a.* 4. *ad* 3. Qui remote cooperantur exercendo munia minus proxima ad usuras, ut scribere, numerare pecunias, aut illas custodire, non tenentur restituere, quia non sunt causa exigendi usuras, vel quia jam sunt exactæ.

175. Inq. 6. An liceat petere mutuum sub usuris? R. neg. quia non licet dare occasionem peccandi. Potest tamen quisque petere mutuum absolute ab usurario,

non

non quidem ad luxum, aut fastum, ad ludos, compotationes, aut alia superflua, sed ad subveniendum gravi necessitati, cui aliter subvenire nequeat. Ita D. Thom. *ibi. a.* 4.

176. Inq. 7. Quænam sint pœnæ contra usurarios in jure assignatæ? R. esse saltem octo a jure præscriptas contra usurarios publicos publicitate, sive juris, sive facti. 1. est infamia. 2. inhabilitas ad ordines sacros. 3. suspensio ferenda, si sit clericus ab ordine, & beneficio. 4. privatio suscipiendi Eucharistiam. 5. denegatio sepulturæ ecclesiasticæ: & qui eos sepeliunt authoritative incurrunt suspensionem, ac excommunicationem. 6. privatio juris condendi testamentum, vel alio modo disponendi causa mortis. 7. ut in Ecclesia non recipiantur eorum oblationes ultroneæ. 8. ut, qui eis ad exercendas usuras domos locant, censuris ecclesiasticis plectantur. Alias pœnas statuunt leges civiles cujusque Regni, ut videre est in jure Regio Castellæ *leg.* 4. *&* 5. *lib.* 8. *novæ recopilat.*

177. Inq. 8. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente usurario? R. 1. quod, si est publicus, non debet illi absolutionem impertiri extra articulum mortis, nisi prius satisfaciat scandalo, & etiam damnis illatis, prout vires suppetunt, vel saltem cautionem det juratam satisfaciendi portionem, quam in præsenti non valet. Insuper tenetur Confessarius imponere ei aliquam pœnitentiam publicam, ut sic plenius scandalo fiat satis. Eamdem cautionem debet in articulo mortis tam Confessario, quam hæredibus, seu aliis præstare, ut satisfaciant postea, quidquid tunc non valet. Similiter quando usurarius est occultus, absolvendus non est extra mortis periculum, nisi præmissa satisfactione possibili, vel nisi petat dilationem a creditoribus.

Punctum X.

De montibus pietatis.

178. Inq. 1. Quid intelligatur pro monte pietatis? R. Intelligi cumulum pecuniæ, vel cujuslibet usu consumptibilis in levamen pauperum conffatum, ut indigentibus ex eo subveniatur, pignore deposito, & accessionis contributione pro sustentatione ministrorum. Tribus modis montes pietatis erigi valent; nempe ex eleemosynis collectis, vel ex pecuniis ad censum receptis, vel partim ex eleemosynis, & partim ex censibus, & appellantur mixti. Qui primo Perusii incæperunt *anno* 1464.

179. Hujusmodi montes, sex conditionibus servatis, tamquam pia opera approbantur in Concilio Lateran. 5. sub Leone X. & Trident. *sess.* 22. *de reform. cap.* 9. Prima conditio est, ut mutuum solis detur indigentibus illius loci, in quo mons est constitutus. 2. ut detur in tali quantitate, & non majori. 3. ut detur tantum ad tempus præfixum veluti ad annum. 4. ut mutuatarius deponat pignus sufficiens pro sortis securitate, ne mons periculum subeat. 5. ut accipiens mutuum reddat aliquid supra sortem pro expensis ad montis ministerium necessariis. 6. ut, sorte tempore designato non reddita, vendatur pignus, & retenta sorte cum justa accessione, quod supersit, tradatur mutuatario.

180. Inq. 2. Quo fine in his montibus pecunia sit deponenda? R. debere deponi fine pauperibus subveniendi, ac zelo charitatis, non animo fænerandi, ut decrevit Paulus III. pro monte Mutinensi *anno* 1542. & Paul. IV. pro Veronensi 1563. Nihilominus aliquod moderatum lucrum recipi valet a deponentibus dicto fine pecuniam ratione damni emergentis, aut majoris, seu æqualis lucri cessantis juxta superius tradita, & secundum morem cujusque regionis. Caveant autem montium ministri, ne in luxum proprium convertant, quod in levamen pauperum cedere debet. Curent insuper, ut minuantur accessiones solvendæ ab indigentibus secundum montium incrementa. Solum enim pro pauperum subsidio præfati montes sunt instituti. Vid. Benedict. XIV. *in Synod. Diœces. lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 7.

CAPUT IV.

De cambiis, censibus, & aliis contractibus peculiaribus.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio cambii..

181. Inq. 1. Quid sit cambium ? R. quod licet cambium lato modo idem sit, ac quælibet permutatio, stricte tamen sic definitur : *Contractus commutationis pecuniarum, qui communiter causa lucri exercetur.* Est igitur cambium permutatio unius pecuniæ pro alia cum aliquo lucro, distinctusque contractus ab omni alio. Campsor dicitur, qui cambit ; campsarius, qui cambium accipit, vel ille in cujus favorem fit, unde ipsa ars appellatur campsoria.

182. Dividitur primo cambium in *reale*, & *siccum*. Reale est, in quo una pecunia pro alia vere permutatur. Siccum est, in quo solum adest fictæ pecuniæ permutatio, & fit quando indigens pecunia Romæ, accipit eam ibidem, reddendam juxta valorem cambiorum Lugduni in proxima feria. Hujusmodi cambium est usura palliata; est enim verum mutuum, & fictum cambium subrogans distantiam temporis pro distantia loci. Cambium reale dividitur in *manuale*, seu *minutum*, & in *locale*, seu per *litteras*. Minutum dicitur, quando una pecunia pro alia majori, aut minori datur a manu in manum, idque circo manuale appellatur. Locale dicitur, quando pecunia in uno loco tradita permutatur in aliam, diverso loco reddendam : & quia hoc communiter fit per chirographa, appellatur cambium per litteras. Utrumque autem hujusmodi cambium, secluso dolo, ac fraude, esse licitum, communis tenet sententia.

183. Inq. 2. Quo titulo licitum sit lucrum in cambio manuali? R. plures assignari posse. Primus est ipsum officium cambiandi, sive a Magistratu injunctum, sive sponte susceptum in utilitatem communem : quia valde reipublicæ utile est habere paratas pecunias tum majores, tum minores juxta exigentias occurrentes. Si autem campsor habeat stipendium designatum pro munere exercendo, nihil potest accipere a petentibus cambium : nullus enim stipendio conductus valet amplius recipere, si fideliter, ut debet, velit munus suum exercere. O quot fraudes, ac injustitias in Curiis, ac Tribunalibus non sine dolore vidimus, & in præsenti conspicimus ! Unde famuli campsorum debent tradere creditoribus eamdem pecuniam, quam a dominis acceperant, quoniam debent fideliter agere rem dominorum, a quibus stipendium percipiunt.

184. Secundus titulus est labor congregandi, numerandi, conservandi, ac distribuendi pecunias cujuscumque generis pro communi utilitate. Tertius (omissis aliis) est ipsa diversitas intrinseca monetarum. Nam licet in ratione monetæ omnes sint ejusdem valoris, non tamen in ratione mercium, quarum vices gerunt monetæ in cambio manuali, ubi una est utilior altera ad asportandum, seu distribuendum. Lucrum pro cambio exigendum arbitrio peritorum in arte regulandum est.

185. Inq. 3. An liceat cuilibet privato cambio minuto lucrari ? R. quod, si fiat in quantitate notabili, aut frequenter, potest quilibet lucrum moderatum ex hoc cambio reportare, propter superius expositas rationes. Excipe clericos, quibus vetitum est hujusmodi cambiis operam dare, ut ait Bened. XIV. *in Synod. lib. 10. c. 6. n. 1.* Si autem quis unum, aut alterum aureum, sive scutum permutans lucrari vellet, nimis avarus se proderet : Hæc enim cambia gratis sunt facienda, ut naturæ sociali familiaria.

186. Inq. 4. Quo titulo sit licitum cambium locale ? R. dari aliquos, quorum primus est translatio, sive asportatio pecuniæ de uno in alium locum, sive intra, siue extra Regnum, proportione distantiæ considerata. Campsor gerit vicem bajuli virtualis in translatione pecuniæ. Secundus titulus esse potest major æstimatio pecuniæ in uno loco, quam in alio, quæ suppleri a campsario debet. Tertius titulus est, quod pecunia præsens utilior est, quam distans periculis, ac expensis exposita. Non tamen licet ab initio

pa-

pacisci de interesse reportando ob casum non solutionis tempore prefixo, nec cambia exerceri nisi pro primis nundinis, ne protrahantur ad secundas, & deinceps sine termino, ut decernit Constitutio a Pio V. edita Kalend. Februar. *anno* 1571. Vide Benedict. XIV. *in Synod. Diœces. lib.* 10. *c.* 5. *n.* 7.

Punctum II.

De censibus.

187. Inq. 1. Quid sit census? R. quod census prout in præsenti definitur: *jus percipiendi aliquam pensionem ex persona, vel ex re alterius utili, aut fructifera.* Nam esto census etiam significet tributum pro capite solvendum juxta illud: *An liceat censum dari Cæsari?* in præsenti tamen sumitur pro jure explicato. Unde materia census, inspecto jure naturali, est quælibet res utilis, aut fructifera, sive mobilis, sive immobilis. Res autem infructuosa, & inutilis nequit esse materia census. Vendens censum, ac solvens pensiones dicitur *censuarius*; emens vero, ac illas percipiens *censualista* nuncupatur.

188. Inq. 2. Quotuplex sit census? R. primo dividi in *reservativum*, & *consignativum*. *Reservativus* est, cum quis rem suam alteri confert, reservato sibi jure, quotannis partem aliquam recipiendi ex eo, uti fecit Joseph *Genes.* 47. reddens Ægyptiis possessiones, aliquam fructuum partem Regi reservans. De hoc censu non est nobis sermo. *Consignativus*, de quo nunc agimus, est, cum quis, retentis suis bonis, usuque eorum, alteri consignat certam pensionem, quam se obligat singulis mensibus, aut annis solvere.

189. Deinde census consignativus dividitur in *realem*, *personalem*, & *mixtum*. *Realis* est, qui instituitur supra prædium, fundum, domum, aut aliam rem fructiferam, quæ cum isto onere transit ad quemcumque possessorem. *Personalis* est, qui fundatur supra personam, quæ manet obligata ad pensionem ex suis bonis, aut operis. Unde licet hypotheca assignetur ad securitatem, jus tamen principalius est in personam, quæ semper obligatur, etiam illa pereunte, imo etiam in hæredem transire potest. *Mixtus* est, qui fundatur tam supra personam, quam supra res, & utrumque æqualiter obligat. Ex parte materiæ, seu pensionis dividitur census in *pecuniarium*, puta cum pecunia recipitur annuatim: quod frequentius contingit, & in *fructuarium*, ut cum solvitur pensio in vino, oleo, aut alio fructu. Ex parte temporis dividitur in *temporalem*, qui durat tempore designato. *Perpetuum*, qui semper durat: & *vitalitium*, qui durat pro tota vita. Denique ex parte modi instituendi dividitur in *redimibilem*, qui redimi potest arbitrio, & pacto contrahentium, & in *irredimibilem*, qui numquam redimi valet.

190. Inq. 3. An census sint liciti jure naturæ inspecto? R. quod census realis irredimibilis sine dubio est licitus, quia est quædam emptio, & venditio juris ad pensiones percipiendas, seu partibilis ususfructus rei fructiferæ, sicut igitur pars hujus rei licite potest in perpetuum vendi, ac emi, ita pars fructuum ejusdem, vel jus ad illam. Idem teneas de censu reali redimibili ad nutum venditoris, seu censuarii, monito prius tempore congruo censualista, ut sic suis negotiis opportune consulere valeat: census enim ita constitutus omni caret usuræ suspicione. Econtra, quia ab hujusmodi suspicione non vacat census redimibilis ad placitum censualistæ, seu emptoris, probabilius est fœneratitius, ac illicitus. Si enim mille aureis emas jus quotannis percipiendi quinquaginta, cogens venditorem, ut cum velis, redimat, securum reddis tuum capitale, quod idcirco revera mutuas, & ultra illud pensionem recipis, ut egregie docent Salmanticenses cum Soto *tract.* 14. *cap.* 4. *n.* 41.

191. Objic. 1. Census redimibilis ad placitum venditoris non caret usuræ suspitione, ergo est illicitus. Prob. antec. quia dum census redimitur, percipit emptor totum capitale supra pensiones receptas, quod usuram redolet. R. quod dum census imponitur, emit censualista justo pretio partialem usumfructum prædii, seu rei fructiferæ. Si ergo censuarius velit suo tempore illud redimere, aut denuo emere, æquum est, ut totidem reddat

dat, in quo nulla est usura.

192. Objic. 2. Pensiones simul sumptæ sæpe superant capitale, ergo contractus census est injustus. R. quod etiam fructus agri venditi in perpetuum, aut longum tempus collective sumpti superant pretium, quo emitur, quin hinc reddatur injusta ejus emptio, ratio autem utriusque casus eadem est, nimirum, quod æquitas pretii sumitur per respectum ad valorem mercis consideratæ tempore traditionis, non per comparationem ad fructus, quos longo tempore producere valet, ut accidit in venditione cujuscumque rei fructiferæ. Justum pretium in censibus illud judicatur, quod, vel legibus cujusque Regni est taxatum, vel arbitrio prudentum, attentis circumstantiis. Census quippe irredimibilis carius est emendus: vilius redimibilis, ac etiam vitalitius.

193. R. 2. Quod census personalis fundatus supra personam operari, ac lucrari valentem jure naturæ est licitus, dummodo sit redimibilis solum ex parte censuarii, quia potest persona habilis ad operas, & industriam eas vendere, seu locare, sicut potest obligari ex eis tributum annuale solvere, ergo, inspecto jure naturæ, poterit easdem vendere medio contractu census, dummodo hic non redimatur ad placitum censualistæ, quia redemptio hæc, ut supra diximus, etiam in censu reali fœneratitia probabilius reputatur. Idem est dicendum de censu mixto. Unde cum census celebrati plerumque sint mixti, etiam pereunte hypoteca ad majorem securitatem designata, adhuc remanet census, ubi adest consuetudo sic instituendi. Secus est dicendum de censu mere reali fundato super tali fundo, aut agro, quo pereunta in totum, aut in partem, perit similiter ipse census. Verum tamen Bened. XIV. Syn. Diœcesana, lib. 10. cap. 5. num. 5. ita depredicto censu loquitur: *Vehementer tamen suspicamur, in censu mere personali, præsertim utrimque redimibili eas desiderare conditiones, quas non solum Pontificia constit. verum etiam ipsum jus naturale, & div. exposcunt, ne sit larvatus contractus mutui, & propterea coram Deo usurarius.*

194. Denique censum vitalitium, & a fortiori perpetuum esse licitum, omnes asserunt, quia in emptione juris ad percipiendas aliquas pensiones justo pretio ex re fructifera pro vita alicujus, aut in perpetuum, nulla adest injustitia. In censu autem vitalitio habenda est ratio ætatis, ac valetudinis personæ pro assignando justo pretio.

Punctum III.

De censu jure ecclesiastico inspecto.

195. Inq. 1. Quibus conditionibus instituendus sit census inspecto jure ecclesiastico? R. quod licet Joan. XXII. Martin. V. & Calist. III. aliquas conditiones assignaverint in suis Extravagantibus pro licita censuum institutione, præcipuas præscripsit Pius V. ann. 1569. in Bull. incipiente: *Cum onus*, quibus deficientibus, declarat usurarios census in posterum celebrandos. Conditiones autem præscriptæ sunt duodecim. 1. Census solum instituatur super re immobili, & fructifera, qua conditione excluditur census personalis. 2. Census pretium numerata pecunia solvatur coram testibus, & notario. 3. Anticipata pensionis solutio prohibetur, aut id in pactum deduci. 4. Vetantur pacta obligatoria ad casus fortuitos, præter eos, qui ex natura contractus tenentur. 5. Dominus fundi censui subjecti maneat liber ad eum alienandum. 6. Pacta morosum debitorem obligantia ad lucrum cessans, ad cambium, vel certas expensas irritantur. 7. Non augeatur census ex pensionibus non solutis. 8. Nulla onera, quæ vi contractus non debentur, solvenda sunt. 9. Pereunte hypoteca in totum, vel in partem, census similiter pereat, aut minuatur pro rata. 10. Censuarius valet, quando voluerit, redimere censum eodem, quo venditur, pretio, excluso omni pacto in contrarium inito. 11. Quando censuarius redimere velit, moneat bimestri ante censualistam. 12. Non augeatur, aut minuatur pretium census semel constitutum.

196. Inq. 2. An prædicta Piana Constitutio obliget nunc in toto orbe? R. quod dicta constitutio est præceptiva, unde obligat sub gravi omnes fideles, ubi recepta est, nec contraria consuetudine abrogata quoad ea, quæ juris naturalis non

sunt.

sunt. Plures authores, & cum eis Patres Salmanticenses gravi fundamento docent in Hispania non obligare.

197. Sed insurgit acriter P. Concina *lib. 3. de justit. & jure, diss. 4. cap. 12. num. 8.* dicens, *Salmanticenses tract. 14. cap. 4. punct. 2. §. 1. referunt Regem Philippum II. libellum supplicem porrexisse Pontifici Pio V. ut pro Hispania impetraret exemptionem a præfatæ constitutionis observatione. Imprudens essem, si negarem supplicationem factam fuisse. At jure nego Pontificem summum supplicationem hujusmodi probasse.* Si quæramus a Concina, quo jure negat Pontificem probasse supplicationem? En jus ipsius. *An Christiani Hispani*, inquit, *eximendi sunt a præceptis, quæ juris naturalis, & divini sunt, aut ab his præceptis, quæ pericula usurarum, & fraudum vitanda jubent?* Si Concina fatetur, quod esset imprudens negando Regiam supplicationem, videat, si prudens existat, sic loquendo de Regia Majestate, imo de tota natione Hispana, innuens pro exemptione a præceptis juris naturalis, aut divini supplicasse. Sciat autem nullo jure se negare, summum Pontificem Regis probasse supplicationem, nulloque jure ambigere, an Hispani voluerint a præceptis juris naturæ se eximere.

198. Quod, ut palam fiat omnibus, jubat transcribere quædam aurea verba Bened. XIV. in suo opere de *Synodo Diœces. lib. 10. cap. 5. n. 5.* ubi ad intentum sic ait: *Verum quamquam nos sciamus summum Pontificem, supplicante Rege Catholico Philippo II. indulsisse Hispanis, ne ad suæ constitutionis, quoad eas conditiones, quæ juris naturalis, aut divini non sunt, exactam observantiam astringerentur.* Pergit doctissimus Præsul dicens, potuisse etiam cæteras nationes contrario usu, ac consuetudine eximi ab obligatione. Ex hac doctrina sana, ac vera patet in primis, quod nullo jure negatur Pium V. probasse supplicationem Regis catholici: quoniam si *indulsit*, utique *probavit*. Patet insuper, neque Regem catholicum, neque nationem Hispanam fide, & religione præstantissimam, nullique secundam, unquam voluisse a præceptis naturalibus, aut divinis se eximere. Constat denique, patres Salmanticenses prudenti ratione ductos scripsisse Pianam constitutionem in Hispania non obligare, aut receptam non fuisse quoad conditiones, quæ juris naturalis, aut divini non sunt: Parum favet Concina pietati Hispaniæ; ista vero ejus opera tamquam oracula plaudit, laudat, & excipit!

Punctum IV.

De locatione, & conductione.

199. Inq. 1. Quid sit locatio, & conductio? R. quod locatio est *traditio usus rei pro pretio*: conductio autem est *traditio pretii pro usu rei*. Ex his duobus actibus unus contractus completus assurgit, sicut ex emptione, & venditione; ideo, servata proportione, applicari debent huic contractui, quæ de emptione, & venditione dicta sunt. Exemplum hujus contractus habes in Petro tradente Paulo equum, domum, aut prædium ad usum pro aliquo die, aut anno justo pretio. Qui quidem ex parte Petri est *locatio*, seu *locatum*, & ex parte Pauli *conductio*, aut *conductum*. Differunt a mutuo, quia in mutuo transfertur dominium, secus vero in *locato*, & *conducto*.

200. Inq. 2. Quid possit locari? R. posse locari quaslibet res, sive mobiles, sive immobiles, quarum dominium quis habet. Bona autem ecclesiastica solum ad triennium locari valent. Jus petendi eleemosynas minime locari debet. Tum quia illam dantes eam non erogarent conscii locationis. Tum quia indecens est talis locatio, redoletque negotiationem. Tantum in casu quo habens jus quæstuandi esset impeditus, posset illud locare, ut sic suæ indigentiæ subveniat, quin conducti mercedem solvere omittat. Absit autem, quod in aliqua religione prædicta locatio inter Prælatum, & subditum celebretur; maxima enim hinc inconvenientia consequentur. Absit pariter, quod Prælatus obligare velit subditum, ut sibi tantum annuatim, vel mensualiter afferat; hoc quippe avaritiam redolet, aliaque mala præfert, & contra paupertatem militat.

201. Sicut conductor debet solvere justum pretium, ita locator tenetur dare rem mi-

utilem ad finem conductoris. Unde, si ex hujus mandato pictor, qui se peritum asseruit, quandam depingeret imaginem, quæ conductori deservire ad ejus finem vere nequit, non tenetur solvere imaginem, nec operas in ea depingenda impensas. Debuit enim manifestare suam imperitiam, sicut quilibet alius locator vitium rei locatæ. Locans operas suas ad custodiam gregis, aut alterius rei, hac in totum, vel in parte absque ulla illius culpa pereunte, ad nihil tenetur in foro interno. Verum in externo probare debet juramento, vel alio modo suam innocentiam, ne ad restituendum astringatur. Quando a conductore agri nulli fructus absque culpa ejus colliguntur ob infortunium insolitum, puta, ob devastationem hostium, aut extraordinariam inundationem, ex æquitate juris liberari debet a pensione. Similiter hæc minuenda est, quando ob grandinem, vel alium casum fortuitum conductor notabiliter læderetur. Secus quando non ita læditur, licet colligat minus fructuum, quam regulariter colligere solet: quia, nec cum abundantiores colligit, auget pretium, seu pensionem. Imo, nec in annis maximæ ubertatis tenetur plus solvere, quia nihil ex fortuna conductoris locator amittit, sicut in supradictis infortuniis conductor deperdit. Aliæ difficultates circa locatum, & conductum plus ad juris consultos, quam ad Theologos spectant. Quid sit emphiteusis, & feudum diximus tract. 18. n. 32. & 33.

Punctum V.

De deposito, pignorato, hypotheca, & sequestro.

202. Inq. 1. Quid sit depositum? R. est *traditio rei ad custodiam.* Potest esse cum pretio, & tunc est mixtum, cedit enim in depositarii, & deponentis utilitatem; vel sine pretio, & dicitur purum, nempe in utilitatem solius deponentis. Nequit depositarius uti re deposita, nisi de consensu expresso, vel certo præsumpto domini, non enim traditur ad usum, sed ad custodiam. Debet depositarius reddere depositum domino illud deposcenti, nisi traditio cedat in damnum ejus, vel proximi, vel nisi bona deponentis sint publicata, aut fisco addicta. Nullus valet detinere depositum titulo compensationis, ut alibi diximus.

203. Inq. 2. Quid sit pignus, aut pignoratum? R. est *traditio rei nobilioris pro ignobiliori ad hujus securitatem.* Pignus igitur traditur ad assecurandum mutuum, vel ut ex illo solvatur, si præfixo tempore transacto, & monito debitore non solverit: recipiens pignus nequit illo uti, nisi prout dictum est de depositario. Hypotheca est similis pignori, nam etiam ad securitatem consignatur. Differt ab eo, quia illud traditur in manus creditoris, hypotheca vero manet apud debitorem. Definiri potest sic: *res immobilis obligata creditori ad securitatem sui crediti.* Est duplex, alia expressa consensu partium, alia tacita ex lege, aut consuetudine, ut bona tutoris, curatoris, & mariti pro pupillis, minoribus, aut dote uxoris hypothecata lege censentur. Præterea, alia est generalis afficiens omnia bona debitoris presentia, & futura, alia particularis afficiens rem determinatam, quæ cum isto onere transit ad quemcumque pervenerit. Unde uni obligata, nequit alteri obligari. Nequit vendi, nisi modo dicto de pignore, aut ex debitoris consensu, & solum id quod sufficiat pro debiti solutione.

204. Inq. 3. Quid sit commodatum? R. est *traditio rei ad usum pro tempore determinato.* Commodatarius solum potest uti re ad id, ad quod ei commodatur: alias injuste agit, & ad damna inde secuta astringitur. Ad extraordinaria detrimenta, quæ per se non annectuntur usui rei, non tenetur. Omni cura debet conservare rem commodatam, facereque expensas ordinarias pro ejus conservatione, ac tandem reddere eam domino tempore constituto sub poena restituendi omne damnum ex mora culpabili subsecutum. *Precarium* est *traditio rei ad usum cum precibus.* Differt a commodato in eo, quod hoc nequit juste repeti a concedente usque ad tempus designatum, in precario autem nullum est tempus constitutum, ideoque valet repeti ad arbitrium concedentis.

205. Inq. 4. Quid sit fidejussio? R. est *alienæ obligationis in se susceptio, qua*

quis

quis se obligat ad solvendum in defectu principalis debitoris. Unde hic prius debet conveniri, & solum in ejus defectu fidejussor. Neque iste ad amplius potest obligari, quam sit obligatus debitor principalis. Debet autem esse habilis ad solvendum, alias esset deceptor, atque ad damna ex deceptione secuta astringeretur. Uxor prohibetur fidejubere pro marito, &, nisi obligatio juramento firmetur, nullius roboris est. Fidejussio gratis fieri debet, si ab omni incommodo, ac molestia immunis sit. Tunc enim non est onus pretio æstimabile: quando illis non caret, potest aliquid moderatum exigi pro fidejussione. Transactio est *conventio onerosa, qua dubia jura, & incerta inter partes componuntur.* Semel inter partes legitime celebrata, eadem vi gaudet, ac Judicis sententia. Et nulla sententia est melior ipsa. Utinam esset frequentior! Esset enim corpori, & animæ partium semper utilior. Circa beneficia vero ecclesiastica prohibentur transactiones *in cap. de transact.* Sequestrum est *contractus, quo res litigiosa tertio custodienda traditur, ut ei reddatur, cui adjudicabitur.* Mandatum est *obligatio gratis accepta agendi aliquid in alterius commodum.* Si aliquid pro eo accipiatur, erit operæ locatio. Quod gratis promittitur, gratis fieri debet; alias non fideliter adimpletur. *Leg.* 1. §. *Mandatum.*

Punctum VI.

De ludo.

206. Ludus communiter accipitur pro omni eo, quod animum recreare valet, ac illum divertere moderate a fatigatione, & labore; quod si verbis fiat, *jocus* dicitur; si factis, *ludus*; si utrisque, *lusus.* Ex natura sua est indifferens ad bonum, vel malum ordinabilis. Si igitur ob finem honestum animum recreandi debitis circumstantiis fiat, est licitus, pertinetque ad virtutem eutrapeliæ: ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 168. *a.* 2. At potest esse vitiosus, vel ratione materiæ, ut si esset de rebus turpibus, aut cum profanatione sacræ scripturæ, seu sacrarum vestium; quibus in casibus est peccatum grave, vel ratione finis, & tunc culpa erit talis, qualis fuerit finis. Unde ludere precise propter lucrum est veniale; si lucrum notabile intendat malis artibus, aut dolis mortale. Qui autem ludit animo se recreandi principaliter, & secundario lucrandi ex hoc capite nullam culpam committit. Imo ludens animo lucrandi non precise ob ipsum lucrum, sed ut propriæ subveniat indigentiæ, præcisis aliis, non peccat. Potest etiam vitiari ludus ratione temporis, loci, aut personæ, quod enim decet unum, non decet alium. His ita prænotatis.

207. Inq. 1. Quid sit ludus lucratorius? R. est *pactum, in quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuitur.* Dividitur in *industriosum*, in quo dexteritas, ars, industria, seu robor majorem habet partem; & in *fortuitum*, in quo fortunæ, vel casui saltem pro majori parte exitus committitur. Esse licitum hujusmodi ludum ex natura sua, debitis servatis conditionibus, communior sententia propugnat, quia sicut unusquisque potest rem suam alteri donare absolute, ita transferre in alterum illius dominium sub aliqua conditione, sive industriosa, sive fortuita. Nihilominus ludo, & joco ita utendum est sicut cibo, & somno, quorum finis est levamen naturæ. Unde plerumque ludus vitiatur, vel quia hic invertitur, vel quia plus æquo temporis in eo insumitur, vel quia aliæ conditiones, ad ejus honestatem necessariæ, non servantur.

208. Inq. 2. Quæ conditiones requirantur, ut ludus utrimque lucratorius sit licitus? R. tres precipue requiri. *Prima*, quod ludens sit dominus rei, quam ludo exponit, & libere possit de illa disponere. Unde nemo potest ludere cum stulto, latrone, puero, mancipio, filio familias, aut religioso ea, de quibus nequeunt absque licentia Superiorum respective libere disponere. Idem teneas de ludente cum clerico, qui tantum gaudet bonis Ecclesiæ, quorum superflua debet ex justitia pauperibus erogare, nisi expositum in ludo sit parvi momenti.

209. *Secunda* conditio est, quod alter alterum vi, dolo, fraude, convitiis, aut minis non compellat ad ludendum; alias lucrari nequit, & ad restituendum lu-

crum tenetur, quia esto contractus validus sit; est tamen injustus, ac lucrum injuste acquisitum. Idem est de eo, qui victorem recedere volentem compellit ad prosequendum, asserens aliter deperdita non soluturum.

210. *Tertia*, quod serventur leges ludi, nec fiant fraudes contra illas. Unde qui ludit pluribus, aut fictis chartis, vel eas occultat, aut peculiari signo notat, vel adulterat, aut taxillos supponit, vel plura puncta pro se, & pauciora pro alio numerat, vel simulatum habet correspondentem, qui adversarii chartas indicet, aliisve fraudibus utitur, graviter peccat, & ad restitutionem tenetur. Hujusmodi enim fraudes aperte sunt injustæ.

211. Aliæ dicuntur permissæ in ludo, & sunt illæ, quas ipsi ludentes communi consensu statuere, vel in tali loco sunt receptæ: quia contractus, nisi aliud exprimatur, censetur celebrari juxta consuetudinem loci, in quo initur: at in dubio standum est judicio peritorum in ludo. Igitur inter fraudes, seu astutias in ludo permissas reputatur primo, quod habens chartas meliores, & certam victoriam provocet alium ad augendam sponsionem (vulgo *embidar el resto*) quamvis simulet, aut denotet timorem in vultu; nam alter etiam idem efficere valet. *Secunda*, cum chartis inferioribus provocare audacter sponsionem, ut alter timens recuset. *Tertia*, cum chartis melioribus simulare formidinem, ut alius animosius provocet, & plus amittat. *Quarta*, videre adversarium sumere plures chartas, quam debeat, & silere, ut ob hunc excessum perdat. *Quinta*, aspicere chartas minus custoditas ab adversario ex ejus oscitantia. *Sexta*, non monere socium errantem in calculorum numeratione, quando in tali casu tacere est in loci consuetudine. Addo tamen, quod licet hoc permittatur, dum socius lucratur; verum quando ex tali errore amitteret notabilem quantitatem, saltem ex charitate moneri deberet.

Punctum VII.

De ludo vetito.

212. Inq. 1. ¿Qui sint ludi vetiti? R. esse illos, qui principaliter fortuna nituntur, & primario, illi in quibus mero casu fortuito victoria obtinetur, & isti alearum nomine præcipue intelliguntur. Omnes autem ludentes ludis vetitis peccant juxta gravitatem materiæ, & restituere lucrum tenentur, ubi leges, illos prohibentes, vigent in suo robore, aut contrario usu non sunt abrogatæ: ita D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *a* 7. *ad* 2. quod quidem verificatur in nostra Hispania, Reges enim Catholici Filipus V. Ludov. I. Ferdio. VI. & tandem Catolus III. summa cura invigilarunt pro observantia L. 8. tit. 7. lib. 8. R. in qua hujusmodi ludi sub gravissimis prohibentur pœnis, utpote seminaria innumerabilium rixarum, blasfemiarum, ruinæ familiarum, aliorumque, experientia teste, malorum. Peccant ergo graviter his legibus non obtemperantes. Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *de reform.* renovat omnia sancita in aliis Conciliis, ac summis Pontificibus contra clericos vacantes luxui, comesationibus, choreis, aleis, & luxibus, eorum statui indecentibus.

213. Inq. 2. An sit licitum ludere preces sacras ita, ut victus tot Psalmos recitare debeat pro animabus purgatorii? R. quod licet aliqui hoc improbent, & Concina appellet hanc devotionem imprudentem; tamen dicimus, nec motivum improbandi, nec ullam imprudentiam in hoc pio ludo reperiri: quia nullo jure interdicitur spiritualia spiritualibus commutare, nisi in beneficialibus, neque aliqua irrogatur rei spirituali injuria, dum non intenditur humanis pactis subjicere rem spiritualem: alias finis primarius hujus ludi est animi levamen, simul autem aliquid lucrari in subsidium animarum, quod piissimum, non imprudens est. Ideoque hæc laudabilis devotio animabus suffragandi apud nostrates adeo invaluit, ut, etiam cum animum tantis per recreamus, earum solatio intendamus. Sed dicit Concina: est tempus ludendi, & tempus orandi. Utique. Verum non oramus ludendo, sed ludimus, ut oremus. Suo tempore sobrie ludunt nostri, & suo tempore devote orant. Ludunt parum, & orant multum. Imo quis prohibet aliquam brevem orationem saltem internam in ipso ludo? Quis prohibet levare mentem

tem

tem in Deum, aut facere aliquem actum fidei, spei, charitatis, patientiæ, aut humilitatis, vel invocare, sive ore, sive corde nomen *Jesu* in eodem tempore ludi, offerreque illud in suffragium animarum? Hoc quidem laudabile est; licet, uti dixi, hora permissa datur locus moderato ludo, vel recreationi religiosæ, & postea choro, & aliis pietatis exercitiis attenditur, & animæ purgatorii allevantur.

214. Inq. 3. ¿ An ludens ad creditum teneatur solvere, quod perdit? R. quod jure naturæ standum est intentioni ludentium, & communi consuetudini loci. At jure positivo communi non tenetur victus solvere, quod in tali ludo amissit. Jure autem Castellæ, esto ludus non sit vetitus, idem est dicendum ex dispositione Caroli V. ut habetur leg. cit. quam Carolus III. anno 1772. & 1776. corroboravit, statuens ludos permissos, locum, modum, quantitatem lusoribus permissam, aliaque in hac materia valde utilia, quorum inobservantia abs dubio esset graviter peccaminosa. *Per me enim*, ait Dominus; *Reges regnant*, & *legum Conditores justa decernunt*. Aleatum ludus juxta aliquos fuit inventus ab Aleo in bello Trojano, ad levamen militum, juxta alios a Diabolo, ad animarum perditionem.

215. Pro coronide hujus puncti observet prudens Confessarius, quod ex lusoribus vix quispiam se accusat de ludendi inveterata consuetudine, nec de tempore, ac de re familiari, quæ prodigit; at, si Confessarius illam sciat, eos monere debet, ut ipsi se accussent, proponantque firmiter moderationem, & nisi resipiscant, beneficium absolutionis illis suspendat. Homines enim ludo dediti frequenter dolis, fraudibus, juramentis, blasphemiis, aliisque flagitiis implicantur. Unde Aristoteles eos latronibus comparat, & in eis proprie verum est, quod *male partum, male disperit.*

Punctum VIII.

De sponsione, & lotto.

216. Inq. 1. Quid sit sponsio? R. Est *contractus, in quo duo, vel plures de veritate rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus.* Contractus hic non est illicitus, si æqualitas servetur; non enim opponitur justitiæ, cum sit omnino spontaneus, neque charitati, cum nullus cogatur spondere. Debet autem veritas, seu eventus rei utrimque esse incertus; ideo si unus est omnino certus de veritate, spondere nequit, quantumvis alter contendat, aut cedat evidentiam, quia, supposita rei certa notitia ex parte unius, non servatur æqualitas, & alius, ut protervus, relinquendus est. Unde ob eamdem inæqualitatem injustam reputo illam sponsionem, qua dum plures ad aliquam præbendam concurrunt, cum unoquoque illorum quis spondet, quod eam non assequetur: quia cum unus solus assequi possit, certus est, quod perdendo cum uno, cæteros vincet.

217. Inq. 2. An sint aliquæ sponsiones vetitæ? R. Affirmative: quia sponsiones, quæ versantur super certamina corporis, causa odii suscepta; quæ fiunt circa libidines, & aliæ similes prohibentur omni jure. Item Pius V. prohibuit sponsiones circa electionem Papæ tempore Sedis Vacantis: quam prohibitionem extendit Gregor. XIV. etiam ad sponsiones supra electiones Cardinalium quocumque tempore factas sub excommunicatione latæ sententiæ, easque irritas declarat in Bulla incipiente: *Cogit nos.* Jure pariter naturali exprobantur super actiones illicitas, ut qui plus manducaverit, biberit. Si spondeas cum alio te numquam tale peccatum commissurum, sponsio licita est, quia te retrahit a peccato: econtra vero omnino illicita, si tu affirmares te illud commissurum, ut ex se patet. Sponsio de peccato alterius, ut quod redibit ad libidinem, est periculosa ex parte affirmantis, ideoque inter illicitas recensenda.

218. Inq. 2. An contractus nuncupatus *Lotto* sit licitus? R. affirmat. servatis quinque conditionibus. 1. Ut omni fraude careat, nec ita res disponantur, ut unus potius sortem obtineat. 2. Ut taxentur contributiones cum proportione ad præmium, tam quoad numerum contribuentium, quam quoad summam contribuendam. 3. Ut stipendium ministrorum correspondeat eorum labori, & non amplius.

plius. 4. Ut publicentur leges hujus sortis, antequam ineatur, & si quid extrahendum est ad pias causas, ut omnium conscius videat quisque, an velit contrahere. 5. Ut hæ sortes instituantur publica authoritate, quæ taxet, quid dandum in ingressu, & quid postea recipiendum in extractione, quæ etiam authoritate publica fieri debet. Verum alii tenent, quod etiam sortes hujusmodi institutæ a privatis personis licitæ sunt, dummodo omnes fraudes vitentur, eaque omnia, quæ justitia exigit, observentur, sed quia hoc vix possibile moraliter censeo, illis minime subscribo: vix enim, authoritate publica etiam interveniente, omnes vitantur fraudes.

Punctum IX.

De promissione.

219. Inq. 1. Quid sit promissio? R. quod promissio homini facta est *datio fidei libera, & spontanea de re licita.* Dicitur *datio fidei*, quia non sufficit propositum faciendi, sed requiritur se obligare ex fidelitate. Additur *libera*, quia promissio vi, aut fraude extorta nulla est. *Spontanea*, quia non est onerosa, sed gratuita. *De re licita*, quia promissio de re illicita nullam obligationem inducere valet, cum ad illicitum nemo teneatur. Tripliciter considerari potest promissio. Alia est acceptata a promissario, & hæc est promissio perfecta, & consummata. Alia est nondum acceptata, & appellatur *pollicitatio.* Alia fit sub certa verborum forma, uno interrogante, & altero respondente, ut si illi dicat, *dabis mihi vestem*, & hic respondeat, *dabo.* Hæc formula vocatur *stipulatio* Quæ quidem in omni contractu adhiberi potest, ut fideijussio stipulativa, aut donatio stipulativa.

220. Nulla promissio, nisi votum includat, aut jurata sit, obligat ante ejus acceptationem tacitam, vel expressam, quia ut res transeat in alterius dominium, requiritur ejus consensus tacitus, aut expressus; atque idem est dicendum de donatione. Si promissarius præsens est, debet acceptare per se, vel per alium promissionem: Si autem taceat, accipitur pro consensu, quia in favorabilibus, *qui tacet consentire videtur.* Nisi in aliquo casu raro, qui a communi regula exorbitaret. Si promissarius, aut donatarius absens sit, debet moneri per litteras, aut internuntios. Si missa epistola revocetur donatio ante acceptationem, valet revocatio, ut patet in matrimonio per procuratorem, ubi, si revocetur consensus ante celebrationem, nullum est matrimonium. Si autem internuntius differret, traderetque rem donatario, secus esset dicendum, si dicto internuntio revocatio ante traditionem non innotesceret, quia traditione acquisivit jus in re, vel saltem ad rem donatarius. Promissio firmata juramento non revocandi obligat ante acceptationem, quia nudæ promissioni additur obligatio religionis, qua firmatur, & servari debet, quoties absque peccato possit. Si promissarius ante acceptationem moriatur, expirat promissio, nec potest eam hæres acceptare, quia jus acceptandi non transit ad hæredem, cum sit personale. Contra, si promissor, aut donator ante acceptationem decidat, valet promissarius, aut donatarius acceptare promissionem, aut donationem, quia gratia facta non expirat morte concedentis. Nulla pariter promissio obligat rebus notabiliter mutatis, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *a.* 3. *ad* 5. nec quando est de re illicita perpetranda, aut parat aditum peccandi. Promissio denique beneficii nondum vacantis irrita est, ex Concil. Later. 3. *cap.* 8.

221. Inq. 2. An promissio acceptata obliget graviter ex justitia, aut tantum leviter ex fidelitate? R. quod, si maneat intra lineam nudæ promissionis, solum obligat ex natura sua leviter ex fidelitate, quia obligatio fidelitatis tantum est ex quadam honestate. *Dicendum, quod secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur*, inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. *ad* 1. sed obligatio fidelitatis, ac honestatis ex natura sua est levis, ergo & obligatio promissionis. Alias, obligatio, seu debitum fidelitatis non distingueretur ab obligatione, aut debito ex justitia, quod nemo admittit.

222. Objic. fidelitas in promissis est valde necessaria ad pacem, & convictum

ho-

hominum, & fundamentum omnium contractuum, unde graviter conqueruntur homines de perfidia eorum, qui promissiones non adimplent, ergo graviter obligant. R. de veritate idem valet dici, quod de fidelitate adducitur in antecedenti, & nihilominus esto veracitas sit fundamentum omnium contractuum, & sit necessaria ad pacem, & convictum hominum, non sequitur quod in sua linea obliget graviter, aut quod mendacium officiosum sit grave peccatum. Ita accidit infidelitate, & perfidia.

223. Si autem violatio promissionis sit graviter noxia promissario, erit peccatum grave charitati, aut justitiæ oppositum: ut si medicus promittat egrotanti mederi, & non adimpleat, ex quo infirmus notabiliter lædatur; vel si promittens servare secretum magni momenti, illud revelet, & in similibus; quia in his casibus obligat promissio, non tantum ex fidelitate, sed etiam ex charitate, aut justitia. Quæstio vero procedit non de promissione onerosa, jurata, aut alterius virtutis obligatione induta, sed de nuda intra lineam fidelitatis inspecta.

Punctum X.

De donatione.

224. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit donatio? R. quod donatio est *datio rei libera, & spontanea.* Dividitur in *realem, & verbalem.* Realis est, quando res traditur; verbalis, quando donatur absenti, & indiget acceptatione manifestata a donatario. Rursus donatio alia est *inter vivos*, quando nempe donator nullo respectu habito ad mortem vult donatarium rem possidere; & hæc est irrevocabilis, quibusdam casibus exceptis. Alia est *causa mortis*, qua non vult donator donatarium re gaudere, nisi ratione mortis. Præterea alia est donatio omnino *liberalis*, quæ nullum debitum, neque late acceptum, præsupponit; alia *antidoralis*, seu remuneratoria, quæ supponit debitum gratitudinis, ideoque deficit a donatione proprie sumpta. Tandem alia est *absoluta*, nempe sine ulla conditione; alia *conditionata*, quæ aliqua conditione afficitur. Advertendum tamen est, an sit vera conditio, vel potius modus adjectus donationi.

225. Inq. 2. Qui donare valeant? R. Posse donare omnes illos, qui dominium, & liberam rei administrationem habent, nisi aliquo jure prohibeantur. Prohibentur autem donare jure cæci, muti, & simul surdi a nativitate, furiosi, amentes, ebrii, prodigi, impuberes, ecclesiastici res Ecclesiæ immobiles, vel mobiles, quæ servando servari possunt, impotentes ad solvenda debita, conjuges vicissim, religiosi sine licentia, patres filiis, dum sub eorum potestate degunt, visitandi prohibentur donare jure canonico Episcopis, & Visitatoribus, milites concubinis, & meretricibus, rei criminis lesæ majestatis, seu pœnæ capitalis, & hæretici de bonis confiscatis. Demum irritatur jure donatio inter vivos omnium bonorum, nisi juramento firmetur, vel nisi causæ piæ; vel se, aut causa pietatis, Deo perfectius mancipandi. Verum licet omnes præfati, & forte alii inhibeantur facere donationem omnino liberalem, non tamen antidoralem, seu remuneratoriam, quæ potius est quædam solutio, quam donatio. Accipiens rem a donante, qui impotens fit ad solvenda debita, tenetur restituere, quia cooperatur actioni injustæ damnificativæ creditorum. Invalida est donatio 500. solidorum facta absque insinuatione. *Insinuatio* consistit in eo, quod donator coram Judice compareat, ac ibi declaret suam donandi voluntatem.

226. Inq. 3. Quas ob causas revocari possit donatio inter vivos? R. tres regulariter assignari. Prima est ingratitudo donatarii. Tunc autem donatarius dicitur ingratus. 1. si atroces injurias donatori præsenti, vel absenti intulerit. 2. Si violentas manus in eum extenderit. 3. Si conditiones in donatione positas non impleverit. 4. Si jacturam notabilem ejus bonis attulerit. 5. Si vitæ ejusdem insidias paraverit. 6. Si ipsum pressum inopia non aluerit. 7. Si cum ejus uxore adulterarit, aut ejus filiam corruperit. Debent autem hæc crimina, aut similia coram Judice probari, nec ante ejus sententiam revocanda est donatio, nec donatarius ingratus tenetur ante eam restituere rem donatam.

227.

227. Secunda causa revocandi donationem est proles de novo suscepta. Nam præsumitur donationem fecisse sub conditione : *nisi donatori nascantur filii.* Imo in hoc casu esto, facta revocatione, filii decederent, non resurgit donatio, quia actio semel extincta non reviviscit. Tertia causa est, si sit inofficiosa, hoc est, contra pietatem paternam erga filios, ut si lædat legitimas filiis debitas. Si vero sit inofficiosa tantum in re, rescinditur solum quoad illam portionem, qua filii defraudantur. Si autem re, & consilio, hoc est, animo filiis nocendi, penitus rescinditur. Nisi facta fuisset aliis filiis, descendentibus, Ecclesiæ, aut causis piis; tunc enim tantum revocatur in illa portione legitimæ filiorum noxia, & solum post mortem parentum, quia tunc, & non antea debetur filiis legitima.

228. Donatio causa mortis est ; *per quam, rem quam dono, malo me habere, quam ille cui dono, sed magis illum, quam hæredem meum.* Donatio hæc revocabilis est sicut ultima voluntas, & fere ei, ac legato comparatur. Unde tot testes requiruntur ad illam, ac ad faciendum codicillum. Potest autem dupliciter fieri, vel absolute, ut si, nullo mortis periculo instante, velis rem post mortem donari Petro, prout contingit in testamento, aut codicillo : vel conditionate, ut si, morte instante, dones rem casu, quo mors sequatur. Et tunc, morte non secuta, donatio evanescit. Recordare donator moniti *Ecclesiast.* 33. ne dones filiis, aut aliis, quod postea te pæniteat donasse, *melius est enim*, ait, *ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum.* O quam verum!

CAPUT V.

De testamentis.

CUm testamentum inter contractus gratuitos recenseatur, sitque ultima dispositio humanæ voluntatis, opportune in hoc ultimo capite de contractibus sermonem de testamentis adjungimus. Sed quia potius ad Jurisprudentiæ Professores, quam ad Theologos spectat, solum quæ pro aliqua Confessariorum instructione necessaria videntur, prælibabimus.

PUNCTUM I.

Notio testamenti, & codicilli.

229. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit testamentum? R. est *ultima dispositio voluntatis humanæ solemniter facta, de eo quod quis vult fieri post mortem cum directa hæredis institutione.* Per ultimas particulas secernitur testamentum a reliquis ultimis voluntatibus, directa quippe hæredis institutio, nec codicillo, nec alteri dispositioni per se competit, nisi soli testamento. Dicitur *solemniter facta*, quia aliter est invalida quoad causas profanas. Validum esse testamentum sine hæredis institutione quantum ad legata jure Hispano testantur plures; ideo præcipue circa testamentum leges cujusque Regni consulendæ sunt.

230. Dividitur primo testamentum in *solemne*, & *privilegiatum. Solemne* requirit formam a jure præscriptam, ac de eo agimus modo. Duplex est testamentum solemne. Aliud *clausum*, seu *scriptum*; aliud *apertum*, seu *nuncupativum*. Hoc non requirit scripturam tamquam formam, sicut illud, quod tantum in scriptis condi valet. Igitur ad testamentum nuncupativum ex jure communi requiruntur septem testes, viri, puberes, liberi, vocati, & contestes, hoc est, quod omnes simul audiant voluntatem testatoris. Jure vero Castellæ requiruntur tres testes vicini loci cum tabellione. Si nequeat haberi tabellio, adsint quinque testes vicini. Ubi autem non reperiantur quinque testes vicini, nec tabellio, sufficiunt tres testes vicini. Verum, si testamentum disponatur coram septem testibus, licet non adsit tabellio, nec testes sint vicini, valet, dummodo habeat cæteras conditiones jure requisitas. Esto testamentum nuncupativum non exigat subscriptionem testatoris, aut testium, tutius est illam adhibere apponendo diem, mensem, annum, & locum, in quo conficitur. Insuper debent videre testes simul testatorem, ejusque voluntatem intelligere, ac vocem audire. Unde qui loquelam amisit, testari non valet, nisi sciat scribere.

231. A munere autem pro condendis tes-

testamentis excluduntur fœminæ , surdi, cœci , furiosi , prodigi , infames , sub potestate testatoris existentes , pater hæredis , ipse hæres , & qui sunt sub ejus potestate. Admittuntur vero legatarius, ac viri ecclesiastici , & regulares cum licentia suorum Superiorum. Et licet Concina legatarium ab hoc munere excludat , voluntarie eum repellit.

232. Ad testamentum clausum requiritur jure communi , quod , scriptura confecta , adsint simul septem testes viri, puberes , liberi , & vocati , coram quibus testator declaret illam esse suam ultimam voluntatem , aut suum testamentum , quod , si possit , subscribere debet, sin autem , ab alio octavo teste subscribendum est. Deinde super testamentum omnes debent subscribere , ita ut , aliquo nesciente , alius pro eo subscribat , illudque proprio , vel alieno sigillo singuli sigillare debent. Jure Castellæ eadem fere solemnitas requiritur , addito tabellione, ita ut octo adsint subscriptiones , & insuper signum tabellionis. Hoc est , exiguntur subscriptiones testatoris , septem testium , & tabellionis signum. Testamentum clausum ab hærede scriptum invalidum est , quoad id , quod illius interest , nisi aliunde constet de mente testatoris.

233. Inq. 2. Quæ solemnitas requiratur ad testamentum privilegiatum ? R. quod ad testamentum privilegiatum , seu liberum a juris solemnitatibus sufficit , ut certo constet de voluntate testatoris, quomodocumque manifestetur. Nam licet Alexander III. *in cap. Relatum , de testamentis* , postulet duos , aut tres testes vocatos ; & dum commode possit, ita fieri debeat , id tamen non requiritur absolute extra regionem , seu ditionem Pontifici in temporalibus subjectam , quoties veritas aliunde certo haberi potest. Testamentum privilegiatum dicitur in primis illud , in quo hæres designatur causa pia, ut Ecclesia , hospitale , monasterium , pauperes , vel anima ipsius testatoris , aut quid simile ad bonum spirituale primario ordinatum. Eodem privilegio gaudent testamenta nuncupativa parentum inter liberos , atque etiam militum , dum sunt in castris , & omnium repertorum in obsidione , esto milites non sint. Hinc licet cætera testamenta non valeant defectu solemnitatis , valida sunt quoad legata pia in eis relicta , Pontifice *in dicto cap. Relatum* revocante omnes leges , huic pietati non faventes. Cave autem , ne judices testamentum pium , quo testator habens propinquos inopes , nihil eis relinquens , pinguem hæreditatem mandat Ecclesiæ , aut monasterio. Tale enim testamentum non pium , sed impium esset , & a Confessario testatori pro viribus dissuadendum.

234. *Codicillus* est *quædam quasi pars, aut additio testamenti* , ideoque dicitur codicillus , id est parvus codex respectu testamenti , ponitur enim ad supplenda, mutanda , revocanda , addenda , seu moderanda , quæ in testamento sunt relicta, vel ordinata. Nequit in illo institui directe hæres , quia jam supponitur institutus. Requirit fere eamdem solemnitatem , ac testamentum juxta diversas cujusque Regni leges , quæ accurate sunt inspiciendæ. Solet in testamentis apponi clausula , ut ultima dispositio valeat eo modo , quo valere in jure potest, quæ inter alia operatur , quod si non valeat , ut testamentum ob aliquem defectum , valeat ut codicillus , si habeat , quidquid ad illum requiritur. Possunt fieri , ac dari duo , vel plures codicilli validi , nisi invicem adversentur ; quod si unus alteri contradicat , ultimo standum est. Secus est de testamentis, quia per ultimum anteriora revocantur.

235. Ex triplici capite potest testamentum esse imperfectum. Primo ex defectu solemnitatis , & tunc juxta sententiam, quam ut probabiliorem sequimur ex alibi dictis , nullum parit effectum, nisi quoad pia legata. Secundo , quia inceptum non potuit finiri ; & tunc , si volebat testator plures instituere hæredes , & primis designatis , reliquos nequivit exprimere, idem est dicendum , ac de præcedenti. Tertio, si factum sit ex errore , vi , aut fraude, quo in casu similiter est nullum , quoad ea respective , quæ ex tali defectu disposuit , quia maxime in contractu gratuito requiritur libertas immunis a coactione, dolo , fraude , aut errore ; qui autem solis precibus , aut consilio , cum honesta tamen causa , testatorem adduceret , vel ut mutet testamentum , vel ut se , aut

alios

alios amicos instituat hæredes, aut legatarios, nec peccat, nec restituere tenetur. Excipe religiosos, qui sub excommunicatione prohibentur retrahere testatores a legatis faciendis Ecclesiæ matrici, in *Clem. I. de privilegiis.*

Punctum II.

De his, qui testari, ac hæredes instituí possunt.

236. Inq. 1. Qui sint habiles, aut inhabiles ad testandum? R. Omnes usus rationis compotes testari valent de bonis, quæ habent, vel habere sperant, nisi aliqua lege prohibeantur. Prohibentur autem per leges Episcopi testari de redditibus Ecclesiæ; clerici de bonis ecclesiasticis, licet ad causas pias eis permittatur ex consuetudine; religiosi, impuberes, amentes, delirantes, dum tales persistunt, servi, hæretici, & eorum fautores, ac receptatores; damnati ad mortem, insecutores, aut percussores Cardinalium, ac cooperatores in ejusmodi crimina; usurarii publici, donec satisfaciant, aut præstent sufficientem cautionem. Omnes quorum bona fisco sunt adjudicata. Cœcus simul atque surdus a nativitate. Si ex morbo superveniente talis sit, ac scribere sciat, potest testari. Idem qui solum surdus, aut mutus est, etiam a nativitate, testare valet, si hic sciat scribere. Cæteri qui bonorum dominio, & libera administratione gaudent, de illis testari possunt.

Nota, in Hispania observandam esse legem 13. tit. 8. lib. 5. quæ ita se habet. „ Por quanto en estos Reynos hay costumbre muy antigua, que en los bienes que los clerigos de orden sacro dejaren al tiempo de su muerte, aunque sean adquiridos por razon de alguna Iglesia, ó Iglesias, ó beneficios, ó rentas ecclesiasticas, se suceda en ellos *ex testamento*, y *ab intestato*, como los otros bienes, que los dichos clerigos tubieren patrimoniales, habidos por herencia, ó donacion, ó manda, mandamos, que se guarde la dicha costumbre." Vid. pag. 197. n. 126.

237. Inq. 2. Qui instituí hæredes non possint? R. Quod hæredes instituí nequeunt illi, quos sua culpa inhabiles esse ad testandum diximus. Quia cui sua culpa testari interdicitur, etiam hæres instituí prohibetur. Præter memoratos autem prohibentur jure hæredes instituí civitates inimicorum; communitates judæorum, etiam inter Christianos commorantes, ac illorum collegia. Insuper clerici vetantur instituere hæredes hæreticos, seu quoscumque infideles, etiam consanguineos. Quando dominus instituí hæres non potest, neque ejus servus, quandiu sub ejus potestate manet. Si dominus servum hæredem instituat, aut tutorem filii sui constituat, libertatem ei donare censetur. Servus nequit instituí hæres a domina pendente accusatione de adulterio cum ea perpetrato. Similiter privatur merito hæreditate, seu legato hæres, aut legatarius, qui occidit testatorem; aut si post factum legatum notabiliter ingratum, aut inimicum se prodat legatarius erga testatorem: vel si prohibuit testatori testamentum facere, aut factum revocare: vel accessit ad uxorem testatoris: vel si hujus curam non adhibuit, dum erat amens, seu mente captus: vel tandem, si hæres testatorem suæ institutionis accusavit, & non destitit a lite usque ad sententiæ prolationem. Consulantur leges municipales, quæ diversimode circa nullitatem testamentorum, & legatorum disponunt.

Punctum III.

De hæredum diversitate.

238. Inq. 1. Quotuplex sit hæres? R. Quod alius est ab intestato, nempe cui devolvitur hæreditas ratione sanguinis, seu stirpis: alius ex testamento, qui nimirum a testatore instituitur: hic autem est sextuplex: nempe necessarius, voluntarius, universalis, particularis, suus, & non suus. Hæres necessarius est, qui a testatore præteriri nequit: si enim omittatur, nullum est testamentum. Hujusmodi sunt filii, ac cæteri descendentes juxta gradum proximiorem. In defectu descendentium sunt parentes, ac reliqui ascendentes. Fratres, aut alii collaterales non sunt hæredes necessarii. Hæredibus necessariis debetur portio legitima; si

si sunt tres, aut quatuor *triens*, idest, tertia pars hæreditatis : si sunt plures, quatuor *semisse*, hoc est, media pars, filiis per capita, nepotibus per stirpes. In defectu descendentium portio legitima ascendentium semper est *triens*. Omnibus iis hæredibus debet relinqui sua legitima libera ab omni onere. Jure Castellæ succedunt præfati in omnibus bonis ascendentium, excepta quinta parte, de qua disponere valent, prout maluerint, & tertia, in qua meliorare possunt aliquem ex filiis. Ut si hæreditas valet quindecim, possunt disponere de tribus partibus tamquam de quinta; deinde ex duodecim remanentibus valent applicare uni filio quatuor tamquam tertia; ac tandem octo partes debent dividi æqualiter inter omnes filios.

239. Hæredes ab intestato illi sunt, quibus competit hæreditas, quando non fit testamentum, aut ex aliquo capite annullatur. Hoc autem ordine succedunt: primo enim succedunt filii per capita, nisi sint exhæredati ob causas infra recensendas. In horum defectu nepotes per stipites, hoc est, omnes ex uno filio, prout representant patrem suum, ideo una portio debetur illis. In defectu filiorum, ac nepotum succedunt pater, & mater defuncti : istis deficientibus, avus, & avia, quoad bona profectitia; ita ut quoad bona a patre profecta succedunt avi paterni, & quoad bona profecta a matre avi materni. In defectu ascendentium, & descendentium succedunt fratres, & sorores utrimque conjuncti, idest, ex utroque parente. In horum defectu filii fratrum, hoc est, nepotes ex utroque parente. His deficientibus, veniunt fratres, & sorores ex uno parente, seu semifratres per capita, saltem in Castella, eodem modo, quoad profectitia bona, quo de avis dictum est. In defectu vero omnium prædictorum succedunt propinquiores collaterales per capita usque ad decimum gradum jure communi, & usque ad quartum jure Castellæ : quibus etiam deficientibus, succedit uxor, nisi præcesserit divortium. Ultimo loco in defectu omnium prædictorum succedit fiscus sæcularis defuncto laico, vel ecclesiasticus clerico.

240. Hæres voluntarius, seu non necessarius est ille, quem testator, non habens hæredes necessarios, ex suo placito instituit. Pater autem, vel mater nequit instituere hæredem filium spurium, neque potest illi præter alimenta, quidquam nec per se, nec per fideicommissarium relinquere. Naturalibus vero filiis in defectu legitimorum conceditur successio juxta voluntatem testatoris. Si adsint filii legitimi, solum valet pater naturalibus relinquere *unciam unam*, idest duodecimam partem bonorum. Verum respectu bonorum matris succedunt filii naturales æque, ac legitimi, sive ex testamento, sive ab intestato.

241. Pro quorum intelligentia nota differentiam filiorum. Alii enim dicuntur *legitimi*, quia ex legitimo matrimonio sunt habiti, vel per subsequens legitimati. Alii appellantur *naturales*, & sunt illi, qui nati, vel geniti sunt a parentibus solutis ab impedimento dirimente. Alii vocantur *spurii*, & tales sunt, qui a parentibus aliquo impedimento dirimente ligatis gignuntur. Ex quibus aliqui dicuntur ex *damnato concubitu*, nempe qui nascuntur ex Christiana, & Judæo, aut Mahometano, vel ex copula, per quam damnatur mater pœna mortis.

242. Hæres universalis est, qui succedit in omnibus bonis, ac juribus defuncti, & vocatur etiam *ex asse*: ideo similiter subjacet omnibus debitis realibus. Hæres particularis est, qui solum succedit in aliqua parte, puta *sextante*, *quadrante*, *triente*, *semisse*; hoc est in sexta, quarta, tertia, aut media parte bonorum; ac juxta hæreditatis portionem ad onera, & debita realia defuncti astringitur. Hæres *suus* dicitur proximus descendens sub potestate defuncti existens tempore mortis, etiam posthumus. Jure autem Castellæ requiritur, quod sit baptizatus, ac vivat saltem per 24. horas; alias abortivus reputatur, & nec ipse, nec ipsi mater succedit. Hæres tandem *non suus* dicitur quicumque alius, sive ex testamento, sive ab intestato, qui hæreditatis dominium non acquirit, antequam illam adeat, aut illam se acceptare declaret, quod facere debet intra spatium unius anni. Eo autem interim obeunte, possunt ejus hæredes illam adire, quousque annus compleatur. Debet

hæres intra triginta dies incipere inventarium, & illud intra nonaginta concludere: alias cogitur in foro externo solvere debita, & legata testatoris, etiam si hæreditatem excedant. Debent pariter quantocius solvere debita, aut legata, præcipue quoad Missas celebrandas; quia annus ad hoc per leges designatus est permissione fori externi, quæ pro interno non excusat.

343. Inq. 2. Quot, & quæ sint causæ, ob quas pater potest exhæredare filios legitimos? R. Esse quatuordecim sequentes. 1. Manus in patrem graviter injicere. 2. Cum maleficis se immiscere. 3. Patrem accusare extra crimen hæresis, proditionis patriæ, aut conjurationis in Principem. 4. Contumeliis illum afficere. 5. Ejus vitæ insidiari. 6. Patris uxorem violare. 7. Illum deferre in judicium cum gravi ipsius detrimento. 8. Illum incarceratum non adjuvare, a quo delicto excipitur filia. 9. Prohibere ipsum testari, aut revocare testamentum. 10. Histrionum artem exercere, patre illam non profitente. 11. Filiam luxuriose vivere, patre dotem congruo tempore illi offerente. 12. Curam parentis amentis negligere. 13. Illum captivum nolle redimere. 14. Crimen hæresis, patre catholico existente. Ob has causas possunt parentes privare filios portione legitima, non tamen alimentis ad vitam necessariis. Dantur etiam octo causæ fere his similes, ob quas valent fili exhæredare parentes, quæ videri possunt apud authores.

Nota. In Hispania præ oculis habeatur Sanc. Pragm. Caroli III. Matrit. publicata ann. 1776. Ubi disponitur, quidquid conveniens judicatur circa hereditatem filiorum, qui matrimonia contrahunt sine consensu parentum, &c. Vid. tract. 34. n. 5. & 78.

Punctum IV.

De substitutionibus.

244. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit substitutio? R. Quod substitutio est *unius, vel plurium in alterius, vel aliorum locum in ultima voluntate tacita vocatio.* Dividitur in vulgarem, pupillarem, exemplarem, fideicommissariam, reciprocam, breviloquam, & compendiosam. Substitutio vulgaris est velut secunda institutio hæredis, ut si testator dicat: *instituto hæredem meum Titium; at si ille moriatur, aut noluerit, sit hæres meus Cajus.* Adita hæreditate a primo, cessat institutio. Substitutio pupillaris datur, quando pater testatur nomine filii impuberis, ut si dicat: *Instituo hæredem Petrum meum filium; & si ipse in ætate pupillari moriatur, sit hæres ejus Paulus.* Ubi adest quasi duplex testamentum; aliud Patris, aliud filii pupilli sub patria potestate existentis. Non potest mater talem conficere substitutionem, quia fœmina non habet patriam potestatem. Filio mortuo in ætate pupillari, non succedit mater, sed substitutus designatus a patre, qui non tenetur uxorem substituere hæredem. Cessat hæc substitutio, quando filius exit ab ætate pupillari, vel a patria potestate, vel per mortem substituti his anteriorem.

245. Substitutio exemplaris datur, quando pater testatur pro filio amente, phrenetico, seu mentecapto, & dicitur exemplaris, quia fit ad exemplum pupillaris, esto ab illa differat in eo, quod mater etiam possit conficere substitutionem hanc, non illam. Similiter in illa, non in ista, potest institui hæres extraneus, ac mater ab hæreditate excludi. Finitur hæc substitutio, quando filius amens fit mentis compos. Si autem, alio testamento a se non confecto, ad insaniam reddat, reviviscit substitutio prima.

246. Substitutio fideicommissoria adest, quando testator gravat hęredem commissarium, ut alteri reddat totam, vel partem hæreditatis. Hæc substitutio fieri valet in codicillo, quia non est directa, sed indirecta hæredis institutio, ita ut medio commissario perveniat hæreditas ad fideicommissarium; ideo non incipit substitutio, nisi acceptata hæreditate a commissario. Hæres gravatus, ac spontaneus potest sibi detrahere quartam hęreditatis partem concessam a Senatu Consulto *Trebelliano*, unde vocatur *quarta Trebellianica*, sancita, ut hæres gravatus hæreditatem acceptaret, ac ne hæredis nomen vanum foret. Quando hæres est necessarius, potest prius detrahere legitimam, & subinde quartam Trebellianicam. Nequit pater filium spurium

ins-

instituere fideicommissarium gravando commissarium, ut ei hæreditatem, aut illius partem conferat, quia hoc esset in fraudem legum, quibus pater inhibetur quidquam illi, præter alimenta, relinquere. Ideo, si casus contingat, hæredibus ab intestato hæreditas est tradenda. Circa hæc omnia videantur leges municipales. Convenit penes omnes, non posse deduci quartam Trebellianicam ex hereditate ad causas pias, nisi etiam hæres causa pia sit.

Punctum V.

De revocatione testamenti, & de commissario.

247. Testamentum, & quamlibet ultimam dispositionem esse ex sua natura revocabilem asserunt omnes. Unde per secundum testamentum solemniter factum revocatur primum. Nisi in priori appositæ sint clausulæ revocatoriæ posteriorum, ut contingere valet in testamentis occultis uxorum, vel aliorum timentium, ne compellantur testari contra propriam voluntatem. Tunc enim debet in secundo fieri peculiaris mentio clausulæ derogatoriæ anterioris. Atque etiam revocatur primum quibusvis clausulis munitum per secundum juratum, nisi prius pariter juramento sit firmatum.

248. Inq. 1. An, qui juravit non revocaturum testamentum, possit illud revocare? R. non posse licite: quia quoties juramentum est de re licita, servari debet. Nec valet dicere testamentum esse revocabile jure naturæ: imo juramentum non illud revocandi esse contra bonos mores. Respondetur enim testamentum esse revocabile jure naturæ permissivo, non præceptivo. Natura quippe non præcipit, sed permittit testamentum posse revocari, vel non revocari. Juramentum autem non revocandi testamentum ad summum est contra bonos mores civiles, non contra bonos mores naturales. Utique non debet fieri tale juramentum, semel tamen factum, observandum est. Unde esto revocatio sit valida, hæreditas debet tradi primo hæredi, nisi ex justa causa obtineatur relaxatio juramenti. Pariter si primum, & secundum testamentum sit juratum, primum est servandum.

249. Inq. 2. An, si vir, & uxor, aut alii duo simul condunt testamentum, se invicem hæredes instituentes cum quibusdam legatis, sive oneribus, altero mortuo, possit superstes illud quoad sua bona revocare? R. affirm. quia licet ibi una tantum scriptura materialis sit, duo tamen sunt testamenta: de natura autem testamenti est, quod revocari possit, quamdiu testator vivit. Nec ignorantia unius, aut utriusque efficit, ut testamentum irrevocabile maneat. Si vero ordinarent, ut uno mortuo, alter esset usufructuarius, & hoc exprimerent, ut conditionem non revocandi testamentum, tunc si revocare velit, usufructum percipere non potest, quia conditio honesta servari debet.

250. Inq. 3. An, si quis ex placito alterius testatus est de illius bonis, eo mortuo, possit dominus illud revocare? R. neg. quia tunc casus unicum tantum est testamentum nomine suo ab illo factum; igitur, mortuo testatore, ita firmatur, ut nec dominus ipsum valeat revocare. Secus si conditum fuisset nomine domini, tunc enim ipse dominus, non commissarius esset testator.

251. Commissarius est ille, quem quis elegit, ut suo nomine testamentum faciat, sive quia oppressus infirmitate, sive alia causa ei potestatem testandi committat. Quilibet autem jure non prohibitus valet designari commissarius, sive vir, sive fœmina, ac etiam religiosus de sui Prælati licentia. Nequit commissarius hæredem instituere, aliquem meliorare, aut exhæredare, nisi ex testatoris peculiari facultate. Si autem hic decedat absque hæredis institutione, solum potest ejus debita solvere, quartam partem, & etiam quintam pro suffragio animæ defuncti applicare, ac reliqua bona hæredibus ab intestato tradere. Uxori autem defuncti debet commissarius dare ea, quæ de jure ei debentur, nempe arrhas, dona sponsalitia, medietatem bonorum (vulgo ganantiales), ac lectum honestum personæ, & statui congruum. Alia videsis apud AA. fusiori stylo vacantes.

PUNCTUM VI.

De testamentariis, seu executoribus testamenti.

252. Inq. 1. Quotuplex sit executor testamenti? R. Alius est *legitimus*, cui ex jure competit officium, ut hæres, sive ab intestato, sive institutus in testamento, & in aliorum defectu Episcopus, vel alter Ordinarius loci Prælatus. Alius est a testatore designatus, & vocatur *testamentarius*. Alius est *universalis* electus in testamento absque hæredis institutione, & hic potest bona defuncti vendere, quia consideratur velut hæres, debetque omnia debita solvere, ac reliqua distribuere. Alius est *particularis*, qui nequit bona defuncti vendere, sed dispositionem testatoris executioni mandare. Alius est a Judice, seu Magistratu deputatus, & dicitur *Dativus*. Potest eligi in testamentarium quilibet, sive clericus, sive laicus, vel ipse hæres solus, sive aliis adjunctis, vel fœmina post decem, & septem annos expletos, vel etiam religiosi, exceptis Minoribus, de licentia suorum Prælatorum: *qui hanc licentiam*, inquit hic Concina, *si prudentes fuerint, fere semper negabunt*. Ego suam moderans propositionem, sic proferendam arbitror: *qui hanc licentiam, si prudentes fuerint, prudenter concedent*. Multum enim consulitur fidelitati executionis testamenti, ac solatio testatoris assignatio docti, gravisque religiosi, de quo, eo ipso quod terrena despexit, & in sortem domini vocatus est, nullus dubitat munus suum fidelius obiturum. Ob quam rationem piissimus Legislator Hispanus consulit, ut tale munus viris religiosis committatur *Leg. 2. tit. 10. p. 6.*

253. Religiosi ipsi curent ab his oneribus se subtrahere. Si autem quærantur, & a testatore designantur, concessio, aut denegatio licentiæ Prælatorum prudentiæ relinquitur. Apud nos solus Generalis potest hanc licentiam concedere. Si autem aliquis nostrum cum sola licentia Prælati immediati tale munus acceptaret, non peccaret graviter, quia solum ageret contra ordinis constitutionem, non contra jus commune, quod tantum requirit licentiam Prælati immediati. Imo neque contra constitutionem efficeret, qui sub conditione: *si Generalis consentiat*, hujusmodi officium acceptaret ex præsumpta illius licentia, dum adsunt circumstantiæ honestandi præsumptionem.

254. Inq. 2. Quæ sit obligatio executorum testamenti? R. esse legata solvere, ac cætera in testamento disposita diligenter executioni mandare: præcipue quoad causas pias, & Missarum celebrationem, quæ gravissime obligat ad sui adimpletionem, ne anima defuncti defectu suffragiorum acerbissime torqueatur. Igitur tam hæredes, quam testamentarii Sacerdotibus bene moratis, ac credito dignis Missas quantocius committere, ac solvere debent, nec plures dare aliquibus in particulari, qui aliis obligationibus impediti, nequeunt cito satisfacere. Sacerdos autem Missas acceptans debet eas brevi tempore applicare. Nec excusatur, quia sibi non solvitur stipendium, si enim acceptavit ad creditum, obligationem celebrandi in se transtulit; igitur tenetur sub gravi ad eas quantocius celebrandum. Similiter debent omni cura solvere debita defuncti; nam licet per negligentiam hæredum, aut aliorum circa debita solvenda non detineatur anima in purgatorio, potest detineri, & multoties detinetur ob propriam negligentiam, quia forte, quod ipse facere potuit, aliis faciendum reliquit.

255. Unde Confessarius circa septimum Decalogi præceptum quærat a pœnitentibus provectæ ætatis, an habeant, aut aliquando habuerint munus, seu curam aliquod testamentum exequendi; & si eos reperiat habere, vel habuisse, & suo muneri non satisfecisse, absolutionem suspendat, donec pro viribus satisfaciant. Si autem pro præsenti non valeant, firmissime saltem proponant quantocius satisfacere, cum valuerint. Hæredes enim postquam hæreditatem capiunt, defunctorum parum recordantur, ac si ipsi nunquam in aliam regionem essent migraturi. Proh dolor!

256. Nemo potest absolute cogi ad munus testamentarii acceptandum; post acceptationem vero cogi potest ad illud diligenter exequendum. Sed testamentario nolente accipere, devolvitur officium ad

Epis-

Episcopum, qui valet compellere, quem voluerit, ut illud acceptet. Si testator aliquod legatum reliquit testamentario, tenetur ipse, vel acceptare officium, vel legatum dimittere; censetur enim cum illo onere relictum fuisse. Si officium acceptet, potest propria authoritate legatum sibi relictum sumere. Non tamen potest per se, vel per alium de bonis defuncti aliquid emere, quia hoc ipsi prohibetur a jure. Quando in testamento confertur ei facultas aliquas eleemosynas in pauperes distribuendi, nequit eas uni soli tribuere, sed inter plures eas prudenter dividere debet. Si ipse vere pauper sit, potest sibi etiam congruam partem applicare: *Cum aliquis distributor ponitur eleemosynarum, potest, & ipse sibi accipere, si indigeat, eo tenore, quo, & aliis ministrat*, inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 9. *ad* 3.

Punctum VII.

De legatis.

257. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit legatum? R. quod legatum est *quædam donatio, quam testator præstandam relinquit ab hærede, de eo, quod foret hæredis.* Differt potissimum a donatione causa mortis, quia hæc immediate a testatore, illa vero medio hærede præstatur. Legatum dividitur in *purum*, quod nempe absque ulla restrictione, aut conditione relinquitur; *in diem*, puta, quando assignatur dies, seu tempus, quo est solvendum; & in *conditionatum*, quod sub aliquo onere, seu conditione reddendum est. Durat legatum pro defunctis non solum per decem annos, sed multo amplius juxta placitum testatoris, ut patet ex propositione 43. damnata ab Alexandro VII.

258. Jure communi nulla legata ad causas profanas valent, dum hæres non acceptavit hæreditatem, jure vero Castellæ valida sunt. Legata pura statim ac testator obiit, & legatarius illa acceptavit, eidem debentur; ac ejus jus transit ad hæredes. Secus si legatarius decedat ante testatorem, aut ante acceptationem; vel ante tempus, seu conditionem, quando legatum est conditionatum: tunc enim evanescit legatum. Fructus ex legato percepti ante mortem testatoris pertinent ad hæredem; fructus vero pendentes tempore mortis testatoris, ut fructus fundi, vineæ, aut olivetorum ad legatarium attinent. Legato principali, censetur legatum accessorium; unde legato viridario, aut fundo, intelliguntur legata ornamenta, & plantæ eis accessoria. Legato usufructu alicujus agri, censentur legata instrumenta ad ejus culturam deputata. Quando testator jubet dari Petro, aut alteri aliquas res sub distinctione, puta vestes, aut arma, vel quædam in specie determinata, & non in individuo, ut aliqua ex suis vestibus, electio est hæredis, quia in alternativa inspicitur illud, quod est minus in obligatione. Decet tamen erga causas pias, ut, non infimum, sed saltem mediocre tribuatur. Verum est, quod si testator habeat duos calices aureum, & argenteum, & dicat se velle, ut tradatur Ecclesiæ unus ex suis calicibus, sufficit tradi argenteum.

259. Legatarius, inscio hærede, nequit legatum accipere propria authoritate, sed ab hærede, aut saltem cum ejus expresso, aut tacito consensu sub pœna amittendi legatum. Legatum ad causas pias, si testator designet hunc pauperem, vel illum locum pium, mortuo paupere, aut loco destructo, adhuc impleri debet, nisi constaret relictum esse pauperi, quia amicus, vel consanguineus; alias, cum subsistat causa finalis legati, hoc subsistere debet. In dubio solvendum est; quia præsumitur reliquisse ut opus pium. Si autem hæres sit in mora solvendi dicto pauperi, & interim moriatur, tenetur solvere ejus hæredibus, quia jam pauper habebat jus ad legatum, sive ad opus pium, & in sui favorem fuit relictum.

260. Circa legata conditionata observa, quod si conditio sit impossibilis, sive de facto, quia impleri nequit, sive de jure, quia repugnat juri naturali, divino, aut humano, habetur pro non adjecta, & legatum, ut purum subsistit. Legatum relictum viro sub conditione nubendi filiæ testatoris, aut alteri puellæ determinatæ validum est, quia non impedit matrimonium, sed personam determinat. Unde amittit legatum, nisi adim-

pleat

pleat conditionem saltem ex sua parte. Si enim puella designata nolit, aut moriatur, vel non decet legatarium, non amittit legatum; quia non ex suâ parte, sed ex alia deficit conditio. Legatum sub conditione numquam nubendi validum est, & conditio rejicitur, exceptis viduis, quæ, si ad secundas nuptias transierint, amittunt legatum. Mortuo autem testatore, non est tradendum legatum viduis, nisi præstent cautionem, quam vocant *Mutianam*, hoc est, de restituendo legato, aut hæreditate, si iterum nupserit. Idem dicunt AA. de viris. Si legatum relinquatur sub conditione, *ut honeste, & caste vivant*, non amittitur legatum propter matrimonium contractum, quia matrimonium non impedit honestam vitam ducere. Idem est, si dumtaxat semel, aut bis habuit copulam, amplexus, aut tactus impudicos, quia non dicitur inhoneste vivere, quæ semel, aut iterum actum impudicum secreto admisit.

261. Inq. 2. An legatum relictum ad nubendas virgines, vel orphanas dari possit ei, quæ vult ingredi religionem? R. quod si determinatæ personæ, puta Bertæ relictum fuerit, ei tradendum est, licet, recusato matrimonio, religionem amplecti velit: quia sic est dispositum in jure, & sic debet præsumi de testatoris voluntate. Si autem legatum sit generaliter ad nubendas puellas, & concurrant, quæ nubere velint cum aliis, quæ religionem ingredi intendunt, illæ sunt præferendæ: quia sic ad litteram, ut debet, servatur dispositio testatoris, qui vult succurrere puellis, quarum honestas periclitatur inter laqueos veneris, & alias non vocantur a Deo ad religionem. Si vero non adsint puellæ nubere volentes, adsint autem, quæ religionem profiteri velint, & dote careant, poterit istis tradi legatum: quia ex principaliter deputato ad causas pias, deficiente una, substitui debet alia, ac sic adimpletur voluntas testatoris meliori modo, quo potest.

Punctum VIII.

Alia dubia circa legata.

262. Inq. 1. An legatum relictum pro naturalibus alicujus loci dari possit alibi natis? R. vel habent animum ibi perpetuo commorandi, vel non? Si hoc secundum, nullatenus quit illis dari; esset enim contra voluntatem testatoris aperte agere. Si primum, potest illis dari, sicut naturalibus, quia per talem verum animum acquirunt domicilium, & tamquam naturales haberi debent. Legatum designatum ad nubendas orphanas nequit tradi puellis habentibus parentes, esto impares, aut inutiles ad eas dotandas, si adsint vere orphanæ pauperes, quia istis, non illis, relictum est legatum. In defectu tamen istarum illis tribui valet propter rationem supra in fine puncti præcedentis expositam. Idem est dicendum de legato ad puellas nubendas, quibus adstantibus, nequit tradi viduis ad secundas nuptias contrahendas. Idem teneas de legato pro nubendis indefinite puellis, quod tradi nequit jam nuptis sine dote, aut cum exigua: quia voluntas testatoris fuit providere de matrimonio puellis extra illud periclitantibus. Excipe, si puella contraxisset sub spe, & promissione legati postea sibi tradendi; aut quando legatum esset ad dotandas fœminas in communi; tunc enim tradi posset etiam nuptis absque, vel cum exigua dote.

263. Inq. 2. An legatum pro nubendis virginibus tradi queat puellis corruptis? R. quod, si corruptio publica fuerit, minime illis tradi quit. Si secreta sit, tradendum est legatum ei, quæ pro virgine habetur. Nullo autem modo potest hæc urgere, ut, relictis vere virginibus, sibi legatum adjudicetur, licet hoc eis concedatur in defectu illarum. Prudentia utendum est, ne ex omissione diligentiæ, aliquid contra ejus famam suspicetur.

264. Inq. 3. Quis ordo servandus sit in legatis solvendis? R. quod si bona defuncti pro omnibus non sufficiant, & sint aliqui legatarii privilegiati, isti cæteris sunt præferendi. Si omnes æquali jure potiuntur, omnibus pro rata, prout recta ratio postulat, est solvendum.

265. Inq. 4. Quis possit testamentis, aut legatis derogare? R. Quod dum mens testatoris dubia fuerit, quilibet doctus, ac prudens interpretari eam valet. Unde legatum relictum pro Ecclesiæ fabrica, si hæc necessaria non sit, in ornamentis

ejus-

ejusdem expendi valet, & sic de reliquis: inspiciendo semper verba testamenti, & testatoris intentionem, quæ anima, & spiritus testamenti est.

266. Legatum dupliciter commutari potest, Primo, quando impleri non valet. Secundo, quando, licet possit impleri, melius tamen aliquid aliud judicatur. In primo casu legatum prophanum fit caducum; pium vero convertendum est authoritate Episcopi, accedente consensu hæredis, & legatarii, si ob id graventur, in alium usum similem, quem testator intendebat, ut colligitur ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 6. *de reform.*

267. In secundo casu in primis authoritate supremi Principis legatum prophanum ob publicam necessitatem in aliud legatum prophanum, vel pium commutari potest. Secundo, summus Pontifex legatum pium in aliud similiter pium ex justa causa commutare valet. Tertio, Episcopus ob causam, quam justam reputat, consentiente hærede, & loco pio, si ex eo graventur, legatum pium relictum ad certum usum, potest convertere in alium usum pium; quia talis censetur voluntas testatoris. Unde legatum pro certa Ecclesiæ necessitate potest quoad ejus superfluum converti ab Episcopo in aliam necessitatem.

268. Inq. 6. Quid sit, & quando ex legatis deduci possit quarta *Falcidia*? R. quod quarta Falcidia dicitur a suo authore *Cajo Falcidio*, qui tempore Cæsaris Augusti condidit legem, qua indulsit hæredibus sibi deducere quartam partem ex bonis testatoris, ut sic eos ad acceptandam hæreditatem alliceret, & ne solo nomine hæredes essent. Hæc Falcidia deduci valet, non solum ex legatis, sed etiam ex donationibus causa mortis; computando tamen in hac quarta parte, quod per hæreditatem accipit hæres. Ita ut ex omnibus bonis testatoris saltem quarta pars remaneat hæredi. In Hispania etiam posse deduci quartam falcidiam probabilius judicamus, cum non sit jus particulare expressum in contrarium. Plures sunt casus, in quibus nequit detrahi quarta falcidia. 1. quando testator conscius suæ hæreditatis, id prohibuit. 2. quando legata sunt pia, nisi etiam hæres causa pia sit. 3. quando datur prohibitio legatum alienandi. 4. non detrahitur ex legato libertatis. 5. quando hæres non fecit inventarium intra tempus a lege præscriptum. Alias videsis apud AA & consule leges, ac consuetudines cujusque Provinciæ, ut in unaquaque quid agendum scite resolvas.

MONITUM.

Curent Confessarii monere suos pœnitentes præsertim provectioris ætatis, ut condant testamentum, dum sunt sani, nec illud procrastinent usque ad postremum vitæ, quando morbo gravati, doloribus afflicti, mœrore, ac mortis timore turbati vix illud rite, aut maturo judicio, ut par est, disponere valeant. Ipse vero Confessarius, esto vocatus, vel rogatus minime se intromittat in dispositione bonorum testatoris: hoc enim est nec congruit, nec convenit. Sui quippe muneris solum est, quod fiat testamentum opportuno tempore, & quod bona testatoris, aliæve obligationes, si forte adsint, clare, distincte, juste, ac pacifice disposita maneant; ita ut litibus janua omnis præcludatur. Studeat pariter, dum infirmo jam moritu o assistit, quod sepulturam libere eligat: sive enim condat testamentum, sine non, sive illud ex aliquo defectu sit invalidum, electio tamen sepulturæ valida est, quoties constet per duos testes. Si autem infirmus, ut aliquando accidit, manifestet Confessario regulari velle se sepeliri in Ecclesia ejus cœnobii, moneat eum, ut id declaret coram testibus; alias infirmo decedente sine ampliori declaratione, tacere convenit regulari. Denique omnes Parochi, vel Confessarii infirmorum testantium præ oculis habeant schedulam Caroli III. 1771. annulantem dispositionem infirmor. in favorem Confessarior. Eorumque communitat. vel Ecclesiar.

TRACTATUS VIGESIMUS PRIMUS

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

PErsolutis his, quæ ad septimum, & decimum præceptum attinent, superest pro totius Decalogi complemento, ut agamus de spectantibus ad octavum ejusdem præceptum, in quo sub nomine falsi testimonii prohibentur mendacium, calumnia, & cætera vitia, quæ verbis vergunt contra proximum, de quibus in hoc tractatu, ut in proprio loco, disceptare curabimus cum D. Thom. 2. 2. *q.* 70. *&* 110.

CAPUT I.

De falso testimonio, & mendacio.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio falsi testimonii.

1. Inq. 1. Quid prohibeatur in octavo Decalogi præcepto? R. omne falsum testimonium, & mendacium, juxta illud *Exodi* 20. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Potest autem lædi proximus testimonio falso sive ore, sive mente: hoc est, interne, & externe. Interne, si concipias de illo absque fundamento malam opinionem: externe. si eam coram aliis proferas. Hoc etiam dupliciter valet accidere, vel coram judice eum accusando, aut de eo testificando; vel coram privatis personis illum infamando. Igitur omne testimonium falsum tam internum, quam externum, sive in judicio, sive extra illud prohibetur in octavo Decalogi præcepto.

2. Ex quo, si bene consideremus, fit palam, & refulget bonitas Dei nostri, & sanctitas, ac rectitudo divinæ legis, in qua non solum vetantur peccata contra ipsum Deum, sed etiam peccata contra proximum, non solum attenditur honori divino, sed etiam honori, & famæ proximi; ita ut injuria proximi sit injuria, & offensa ipsius Dei. Imo si tria præcepta vetant injurias Dei, adsunt septem præcepta vetantia injurias proximi. Magna profecto sanctitas talis legis! Maxima bonitas talis Legislatoris! Hic autem est idem ipse, qui *Matth.* 25. dixit: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Sumendo ut propria injurias, & beneficia nobis facta: adstipulantur enim egregie utriusque fæderis paginæ non minus ad roborandam nostram fidem, quam ad excitandum nostrum in eum amorem: ideo tolerare non possumus audire legem Dei, vel præcepta Decalogi esse difficilia. Hoc enim octavum cum solo silentio observatur. Sile, & illud observasti. Frangis, quia non vis silere, ergo difficultas non stat in lege, sed in dura cervice, invidiæ livore tabescens, vel alia passione arreptus non vis silere, & dicis, quod non potes, cum revera possis, & non velis.

3. Inq. 2. Quid sit falsum testimonium? R. est *falsa locutio in proximum.* Per ly *falsa locutio* convenit cum mendacio, quod non semper vergit contra proximum, ideo differt a mendacio per particulam *in proximum*: quia quoties aliquid profertur false in proximum, adest falsum testimonium; seu testificatio falsa contra proximum, ut patet in calumnia, & detractione. Falsum autem testimonium potest dici in judicio, vel extra; in judicio est ad minus triplex peccatum, contra justitiam legalem, commutativam, & religionem; quia testis falsum dicens in judicio, peccat contra religionem juramenti, contra justitiam proximi, & contra legalem, & obedientiam debitam judici. Offendit itaque Deum, judicem, & proximum. *Vide Angel.* 2. 2. *q.* 70. *a.* 4.

4. Inq. 3. Quotuplex sit falsum testimonium? R. triplex valet proferri, vel *materialiter tantum, vel formaliter tantum, vel materialiter, & formaliter simul.* Primum est dictum *contrarium rei, sed non menti*, ut putans invincibiliter Cajum commisisse delictum, ita asserit,

cum

cum ita non sit. Secundum est dictum *contrarium menti, sed non rei*, ut putans Cajum non commisisse delictum, asserit, commisisse, & revera illud commisit. Tertium est dictum *contrarium menti, & rei*, ut putans Cajum commisisse delictum, quod revera commisit, negat illud ubi, & quando debeat asserere; vel sciens illud non commisisse, asserit, & dicit commisisse; tunc enim ejus dictum est contrarium menti, & rei, & consequenter est testimonium materialiter, & formaliter falsum.

5. Potest etiam testimonium esse falsum *practice tantum, & practice, ac speculative simul.* Primum est *dictum contrarium rationi, vel legi*, ut dicere aliquod proximi delictum verum, sed occultum, quo pacto est peccatum, & practice falsum: quia ut ait *D. Thom. 1. p. q. 17. a. 1. ipsa peccata falsitates, & mendacia dicuntur in scripturis, secundum illud Psalm. 4. ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Secundum *est dictum contrarium menti*, ut dicere delictum falsum de proximo, agnoscendo esse falsum. Hoc est falsum testimonium practice, & speculative. Nota, quod testimonium est *dictum teste munitum*; Vel est *testium munus, seu munium.*

6. Inq. 4. An falsum testimonium sit semper peccatum grave? R. sub distinctione: vel enim profertur in judicio, vel extra; in judicio semper est grave, saltem ratione juramenti. Extra autem, seclusо juramento, erit grave, aut leve juxta qualitatem injuriæ per illud proximo irrogatæ. Unde, dicere falso de proximo grave crimen, est peccatum grave; dicere vero quidquam leve est veniale, quia leve damnum ei infertur. Nota, quod asserere pro certo aliquid grave, de quo quis dubitat, esse etiam peccatum lethale; maxime in judicio, semper enim debet dici certum, ut certum, & dubium sub dubio. D. Thom. *ubi sup. a. 4. in corp.*

7. Ad quid teneatur, qui in judicio bona, aut mala fide celavit veritatem, vel protulit falsum testimonium, vel ad id alios induxit, patebit infra agendo de teste, ad quem hæc, & alia hujusmodi spectant.

Punctum II.

De mendacio.

8. Inq. 1. Quid sit mendacium? R. est *studiosa locutio contra mentem*; nam *mentiri* est proprie *contra mentem ire.* Communiter dividitur *in materiale tantum, in formale tantum, & in materiale, & formale simul.* Materiale tantum est dicere falsum, putando invincibiliter esse verum, ut dicens *corvum esse album*, putans ita esse. *Formale tantum* est dicere *corvum esse nigrum*, credendo esse album. Mixtum ex materiali, & formali est dicere *corvum esse album*, sciendo esse nigrum. In dictis locutionibus prima est contraria *rei*, sed non *menti*, secunda est *contraria menti*, sed *non rei*, tertia autem est contraria rei, & menti, unde in prima non adest culpa, semper tamen adest in secunda, & tertia. Nota, quod locutio sumitur in præsenti pro qualibet manifestatione, sive verbis, sive factis, vel nutibus.

9. Dividitur etiam mendacium secundum propriam rationem in *jactantiam*, & *ironiam.* Jactantia est prædicare, vel publicare de se majora, quam habet. Ironia est dicere minora, quam debet, vel si quis celet de se quædam laudabilia. Utrumque est mendacium; sed prædicare de se minora, tacendo alia, potest esse verum, & laudabile non manifestando totum bonum, quod habet: hoc veraciter fieri valet, imo ita decet fieri; quia sic declinare in minus est proprium veritatis, & qui minora de se ipsis dicunt, gratiosi sunt aliis. Et quamvis per hoc aliquantulum quis declinet a vero, minus repugnat veritati, quam publicando, quod non habet, in quo quidam fiunt imprudenter, & periculose onerosi aliis, ut ait D. Thom. 2. 2. *q.* 109. *a.* 4. & *q.* 110. *a.* 2.

10. Inq. 2. quotuplex sit mendacium ex parte finis? R. est triplex, nempe *jocosum, officiosum, & perniciosum. Jocosum* est, quod dicitur causa ludi: *Officiosum* est, quod profertur causa utilitatis. *Perniciosum*, quod enunciatur causa nocendi alteri, vel cum damno proprio, aut alieno. Ad hanc divisionem reducun-

tur octo divisiones, seu gradus mendaci recensiti ab authoribus ex D. Aug. *lib. de mendac. cap.* 14. Vel enim quis mentitur, ut placeat alteri, vel ex libidine, aut voluptate mentiendi, & sic est mendacium jocosum, vel mentitur, ne alicui pecunia auferatur, aut pro impediendo damno corporali, vel spirituali alterius, & sic est officiosum. Vel denique mentitur in materia fidei, aut morum, vel cum nocumento famæ, aut pecuniæ proximi, & sic est mendacium perniciosum.

11. Inq. 3. An dicere alicui *falsum est, quod ais*, idem sic, ac dicere illi, *mentiris*? R. neg. quia potest quis dicere falsum sine culpa, putans esse verum, vel relata referens; nemo tamen potest mentiri sine culpa. Unde dicere religioso gravi, vel alteri viro honorato, *mentiris*, est gravis contumelia; non vero dicere ei, *falsum est, quod dicis.* Valet enim quilibet innocenter falli, sed non potest innocenter mentiri. Ut ait idem doctor in *Enchir. cap.* 16. his verbis: *Nemo sane mentiens judicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum, quia quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur.* Mens dolosa, & mendax facit linguam ream, & hominem vilem, & infamem scurram. Sergo igitur debet esse simplex, ac purus, *est, est, non, non*, prout est in mente: asserendo certum, ut certum; dubium sub dubio: nam etiam mentitur, qui dubium asserit ut certum, vel econtra. Nota autem, quod licet vera sint præmissa, dicere tamen in facie Prælato, aut alteri Superiori *falleris*, vel *falsum est, quod ais*, est audacia reprehensibilis, & mala educatio; plura quippe verba permissa, & licita respectu æqualium, & inferiorum, nec permissa, nec licita sunt semper respectu Superiorum. In quo inepte quidam decipiuntur, causantes se loqui ex satisfactione, & confidentia; sed inferioris, vel subditi confidentia melior est demissio, & humilis reverentia in suum Prælatum, aut Superiorem.

Punctum III.

De malitia mendacii.

12. Inq. 1. An omne mendacium formale sit peccatum? R. affirm. Quia opponitur veritati, & est intrinsece malum, nec unquam valet denudari a malitia: invertit enim ordinem locutionis a natura institutum ad manifestandos conceptus mentis, destruit societatem humanam; proindeque semper repugnat rectæ rationi. Ideo licet per impossibile salvatio omnium hominum penderet ab uno mendacio levi, non deberet proferri. Væ illis, qui ob levissimas causas passim mentiuntur! Verum non omne mendacium est peccatum grave; imo jocosum ex se semper est leve. Illud autem *Sap.* 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Et *Psalm.* 5. *Perdes omnes, qui locuntur mendacium*, intelligitur de mendacio pernicioso gravi. Omne vero mendacium esse peccatum tamquam fidei dogma est tenendum.

13. Objic. *Exodi* 1. Dicitur obstetrices Ægypti remuneratas fuisse a Deo propter mendacium. *Genes.* 27. Dixit Jacob se esse primogenitum, fuitque benedictus a patre. Judith etiam commendatur, & tamen mentita est Holoferni. Pariter 3. *Reg.* 8. asseritur, quod in arca *non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ*, cum Paulus *ad Hebr.* 9. dicat, ibi fuisse urnam auream, manna, & virgam Aaron, *quæ fronduerat*, ergo non omne mendacium est peccatum.

14. R. Obstetrices fuisse remuneratas non ob mendacium, sed propter timorem Dei, & benevolentiam, ex quo processit mendacium. Jacob locutus est figuraliter, & ideo non est mentitus. Judith autem si fuit mentita, non ex hoc laudatur, sed ex affectu ad salutem populi Dei, & ob pericula, quibus se exposuit, ait D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *a.* 3. *ad* 2. & 3. Ad illud de arca dicitur, vel quod in principio solum continebat tabulas legis, & postea decursu temporis, etiam urnam, manna, & virgam. Vel quod textus Regum loquitur de arca, & textus Apostoli de tabernaculo, in quo erant tabulæ, & urna cum manna, & virga.

15.

15. Ex dictis plane ſequitur, Deum non poſſe loqui falſum, quia locutio falſa provenit, vel ex ignorantia, vel ex malitia, ſed Deo repugnant ignorantia, & malitia, ergo etiam locutio falſa. Homo ſæpe loquitur falſum, non tamen ſemper ex malitia, ſed ex ignorantia: Deus autem, cum ſit ſumme ſapiens, imo ipſa ſapientia, non valet loqui falſum ex ignorantia. Eodem modo pugnat cum Dei ſanctitate malitia, igitur Deo repugnat loqui falſum, aut quod pejus eſt, mendacium. Hoc vult dicere illud *Pſalmi* 115. *omnis homo mendax*. Nempe, quod Deus nec eſt, nec poteſt eſſe mendax; Deo quippe, non homini, id repugnat.

16. Objic. Conſtat ex ſacra pagina Deum immiſiſſe quibusdam ſpiritum erroris, & mendacii; decepiſſe Prophetam errantem; locutum fuiſſe ironice, & amphibologice, ergo poteſt loqui falſum, aut mendacium. R. Conc. antec. & neg. conſeq. Quia dicitur Deum miſisse ſpiritum erroris, & mendacii, decepiſſeque Prophetam permiſſive, admodum quo dicitur permittere peccata, concurrendo poſitive ad materiale peccati. Concurrit quippe Deus ad materiale falſitatis, & mendacii, non ut cauſa particularis, ſed univerſalis, & nullo modo ad formale peccati, falſitatis, aut mendacii, licet ad punitionem quorundam falſorum Prophetarum ſpecialius dicatur illis miſisse errorem, & deceptionem. Locutio autem ironica figuralis, amphibologica externa, non falſa, ſed vera eſt, imo non parum conducit ad gratiam, & leporem ſermonis. Unde ſolum eſt mala ironia a veritate aliena, & amphibologia pure mentalis, quibus numquam uſus eſt Deus, qui in omnibus eſt ſumme verax.

17. Hac ipſa ratione nequit Deus facere miracula in confirmationem falſæ doctrinæ; alias eſſet fallax, deſtrueretque fundamentum noſtræ fidei, quod eſt impoſſibile. Deus igitur cum ſit omnipotens, fallere, falli, aut mentiri non poteſt, ſi enim hoc poſſet, non eſſet omnipotens, ut ait D. Aug. *Lib.* 1. *de Symbol.* Poteſt quidem Deus facere verum miraculum medio homine, qui inique illo abutatur ad confirmandam propriam falſitatem; Deus vero non illud facere valet ad hunc finem, ſed ad alios bonos ſibi cognitos, nec omne quod apparet miraculum, eſt verum miraculum, ſed falſum, ut erunt miracula Antichriſti, & alia, quæ a pravis ſunt facta, circa quod vide portentum quodam apud Salmant. ſchol. *tr.* 17. *diſp.* 2. *n.* 70.

18. Objic. Antichriſtus operabitur plura miracula vera, ſicut Magi in Ægipto fecerunt veros ſerpentes, & ranas, ergo poſſunt fieri miracula pro falſa doctrina confirmanda. R. neg. conſeq. quia miraculum eſt *opus inſolitum, & arduum ſupra vires naturæ creatæ*. Unde a ſolo Deo poſſunt fieri vera miracula, juxta illud *Pſalmi* 71. *Qui facit mirabilia ſolus*. Ab Angelis bonis, & ſanctis fiunt moraliter; aut etiam inſtrumentaliter, a Dæmone, Magis, & Antichriſto, nulla poſſunt fieri vera miracula, ſed tantum apparenter, immutando ſpecies ſenſuum, aut objectorum, vel applicando celerrime activa paſſivis, ut fecerunt Magi ad producendos ſerpentes, & ranas, & ad alia ſigna facienda.

19. Omnia miracula ſunt æqualia reſpectu Dei, cui omnia æqualiter ſubſunt. Sed quoad nos, alia ſunt aliis majora; ideo a Theologis in triplici claſſe collocantur ſecundum quod magis, aut minus excedunt vires naturæ. In *prima*, quæ excedunt eam in ſubſtantia facti, ut facere ſolem ſtare, aut retrocedere, ut contigit voce Joſuæ 10. & precibus Iſaiæ 28. In *ſecunda*, quæ excedunt, non in ſubſtantia, ſed reſpectu ſubjecti, in quo fiunt, ut reſurrectio mortui, vel illuminatio cæci; poteſt quippe natura dare vitam, & viſum, ſed non mortuo, nec cæco viſum. In *tertia* deſcribuntur, quæ excedunt modum, & ordinem naturæ, ut ſanationes a morbis; poterant enim haberi a natura, ſed non tam cito, nec eo modo, quo per miracula obtinentur. Hoc ordine examinantur accurate a conſultoribus ſacr. Congreg. rituum pro beatificatione, & canonizatione ſervorum Dei juxta miram doctrinam D. Thom. 1. *p. q.* 105. *a.* 8. *in corp.*

Punctum IV.

De simulatione.

20. Inq. 1. Quid sit simulatio ? R. Est *quodam mendacium in exterioribus factis, vel signis consistens.* Adest quippe mendacium sicut in verbis, ita & in factis, quando hæc significant aliud, quod est in se. Unde opponitur veritati, quæ jubet, ut quis talem se exhibeat exterius, qualis est, ita Angelicus 2. 2. *q.* 111. *art.* 1.

21. Inq. 2. An simulatio sit peccatum? R. affirm. Quia est mendacium : prius enim sunt mentiri verbis, aut factis. Unde qui simulatur pauper, doctus, vel nobilis, ut obtineat eleemosynam, gradum, vel quid honorificum, peccat juxta gravitatem materiæ. Adest etiam in simulatione mendacium jocosum, officiosum, & perniciosum, juxta varietatem fictionis, vel simulationis, & semper graviter, aut leviter malum.

22. Objic. Christus finxit, vel simulavit se longius ire *Lucæ ult.* Abraham dixit se reversurum de monte cum filio, quem credebat occisurum. *Genes.* 22. Jeu simulavit velle idola colere, & interfecit Sacerdotes Baal. 4. *Reg.* 20. ergo simulatio non est peccatum. R. Quod Dominus motu suo significavit longius ire figuraliter denotando, quod longe erat a cogitatu discipulorum, vel quod vere longius postea abiit. Abraham prophetavit reversionem cum filio, licet eam ignorasset. Unde in his nulla adfuit culpa. Adfuit autem in simulatione Jeu, licet commendetur temporaliter pro zelo, quo destruxit cultum Baal, ita D. Thom. *ubi supra.*

23. Dices : ergo numquam licet viro uti veste muliebri, aut econtra. R. neg. conseq. Quia esto id sit regulariter vitiosum, tamen potest honestari ex justa causa. S. Euphrosina in habitu virili egit vitam vere cœlestem inter antiquos monachos Carmelitas, ut apud Boland. videri potest, degens incognita in monasterio eorum per 38. annos usque ad mortem, qua instante, fuit agnita cum admiratione a proprio patre. Eam laudat *Kalend. Rom. Kalendis Januar.* S. Alexander miles liberavit a lupanari S. Antoninam virginem permutando vestes. Idem fecit Dydimus in simili conflictu cum Theodora virgine, & omnes fuere Martyres, ac celebrantur in eodem *Kalendario* 28. *Apr.* & 3. *Maii.*

24. Inq. 3. Quid sit hipocrisis ? R. est *simulatio, vel fictio sanctitatis, aut virtutis.* Nam hypocrita est, qui fingitur sanctus, aut bonus, cum non sit. Hypocrita enim Græce idem est, ac latine simulator : *hypo* quippe *falsum*, & *crisis judicium* interpretatur, ut ait D. Thom. *ibi. a.* 2.

25. Inq. 4. An hypocrisis semper sit peccatum grave ? R. negative : quia est sicut mendacium, quod solum est mortale, quando est graviter perniciosum. Ita hypocrisis, quæ nulli est nociva, & in quadam vanitate levi sistit, non est peccatum grave. Hypocrita plerumque magis est vanus, quam malus : alias vix esset homo, qui graviter sæpe non peccaret, vix enim est, qui aliqualiter non fingat, optans videri melior, quam est. Igitur hypocrisis non semper est peccatum grave ; semper tamen est peccaminosa, & ab intrinseco mala. Unde saltem venialiter peccat, qui vult videri bonus, si non est, licet id ad proximi edificationem referat : qui autem fingunt peculiarem sanctitatem, revelationesque sibi a Deo fieri, gravissime peccant ; quia intendunt decipere in materia gravi, & infamant virtutem, & veram sanctitatem. Hi plerumque in pejora decidunt.

26. Inq 5. An qui statum, vel habitum perfectionis tenent, & celant quædam peccata, in quæ incidunt, sint hypocritæ ? R. neg. quia occultare peccata, ne detur scandalum, non est malum ; imo, supposito peccato, bonum est celare illud, ne alios inficiat. Nec consistit hypocrisis in celando, quod quis est, sed in significando, quod non est.

27. Hanc doctrinam tradit Angelicus *ubi supra* per hæc aurea verba : *Ad secundum dicendum, quod habitus sanctitatis (puta religionis, vel clericatus) significat statum, quo quis obligatur ad opera perfectionis. Et ideo, cum quis habitum sanctitatis assumit, intendens se ad statum perfectionis transferre, si per infirmitatem deficiat, non est simulator,*

vel

vel hypocrita: quia non tenetur manifestare suum peccatum, sanctitatis habitum deponendo. Si autem ad hoc sanctitatis habitum assumeret, ut se justum ostentaret, esset hypocrita, & simulator. 2. 2. *q.* 111. *a.* 2 *ad* 2.

CAPUT II.

De honore, fama, ac de eis oppositis.

PUNCTUM I.

De honore, & fama.

28. Inq. 1. Quid sit honor? R. est *quædam protestatio de excellentia bonitatis alicujus.* Unde duo requiruntur ad honorem, ex parte honorati aliqua excellentia, ne sit honor fictitius, ex parte honorantis protestatio talis excellentiæ per aliqua signa, aut verba: quia non alio modo homo suum conceptum manifestare valet. Non requiritur ad honorem submissio, aut reverentia: quia Deus sanctos honorat, & sæpe Superior inferiorem, quin adsit submissio. Imo optimę indolis est honore alios prævenire, licet submissio solum debeatur Superioribus.

29. Inq. 2. Quid sit fama? R. apud Canonistas est *illæsæ dignitatis status vita, & moribus comprobatus.* Apud Theologos es *clara notitia, quam alli de nobis habent.* Hæc notitia præcipue debet esse probæ, ac ordinatæ vitæ, quæ est vera materia bonæ famæ; secundario autem aliarum rerum, quas homines solent æstimare, ut sapientiæ, ingenii, nobilitatis, valoris, & similium. Fama a *fando* dicitur, quia est opinio bona, vel mala, quæ de aliquo divulgatur, licet primario consistat in judicio interiori, quod de aliquo concipitur.

30. Plerumque separantur ad invicem honor, & fama. Magnates enim aliquando houoramus ob sanguinis, aut divitiarum excellentiam, cum eorum vitam, & mores detestemur. Econtra, viri virtute, & sapientia excellentes nullo honore habentur. Potest etiam lædi fama, quin honor lædatur, & econtra, ut si alicui in occulto alapam infligas, aut verbum contumeliosum dicas, honorem læsisti, non famam. Si alterius defectus graves coram aliis, eo absente, revelasti, famam, non honorem læsisti. Ideo in primo casu solum honorem, in secundo solam famam restituere debes.

31. Inq. 3. Quod sit majus bonum honor, aut fama? R. Famam esse majus bonum: quia pretiosior est opinio, ac existimatio interna, quam alii habent de nostra probitate, quam honor, & reverentia externa, quæ fallaciter, & vane sæpe præstatur. Unde si D. Thomas cum Aristotele appellat honorem *maximum inter bona externa*, loquitur de honore, pro ut ipsam famam includit: quo pacto præstantior est honor fama sola. Nisi mavis dicere, honorem esse bonum externum, famam vero internum. Melius est amari, quam honorari; amor autem oritur ex bona opinione, & conceptu, quo gaudet aliquis apud illum, qui eum amat.

32. Sed licet hæc ita sint, contumelia, quæ lædit honorem, majus peccatum est detractione, quæ deturpat famam: sicut rapina est majus peccatum furto: quia in utroque crimine contumeliæ, & rapinæ de formali attenditur ratio involuntarii: quia in præsentia, quasi vim inferendo, committitur. Unde licet detractio auferat majus bonum, quam contumelia; quia tamen hæc in præsentia, quasi vim inferendo, aufert honorem, gravius peccatum est, quam detractio.

33. Inq. 4. Quæ sint injuriæ lædentes proximum in honore, & fama? R. sunt præcipue quinque, nempe *contumelia, susurratio, irrisio, maledictio, & detractio*, hæc lædunt honorem, & famam exterius: interius autem *judicium temerarium, suspicio, dubium, & opinio mala* concepta contra proximum; de quibus omnibus injuriis, utpote in octavo Decalogi præcepto vetitis, agemus in hoc capite prævia luce D. Thom. 2. 2. *q.* 72. & seq.

PUNCTUM II.

De contumelia.

34. Inq. 1. Quid sit contumelia? R est *dehonoratio alicujus per verba, quibus id, quod est contra honorem illius,* de-

deducitur in notitiam ejus, & aliorum. Non requiritur, quod contumelia coram aliis proferatur, ut sit talis; sufficit enim, quod in præsentia solius contumeliati dicatur. Erit tamen gravior, si coram aliis objiciatur. Primo, & per se consistit in verbis; licet possit etiam inferri factis despicientibus alium: ut si manu extensa alapam infligas, vel arundine ferias; sed tunc facta sumuntur pro verbis dehonorantibus. Si dehonoratio fiat objiciendo defectus culpæ, ut furta, aut adulteria, dicitur *contumelia*: si defectus pœnæ, ut cæcitatem, aut surditatem, appellatur *convitium*: si defectus indigentiæ, præcipue memorando auxilium indigenti præstitum, vocatur *improperium.*

35. Contumelia ex genere suo est peccatum mortale: quia intendit deprimere honorem, qui præstantior est divitiis. Potest esse veniale, tum ex parvitate honoris ablati, tum ex parte intentionis eam proferentis, ut si non intendit dehonorare, sed ira percitus illam profert. Hinc excusantur parentes a mortali, filios torvos, duros, asinos appellantes, non enim intendunt dehonorare, sed carpere. Item mulierculæ, pueri, & viri abjecti sese contumeliis verberantes: quia nec fides adhibetur eorum verbis, nec multum honorem lædunt. D. Thom. *q.* 72. *art.* 2.

36. Objic. Christus Dominus appellavit discipulos *stultos*, & Apostolus Galatas *insensatos*, ergo contumelia est licita. R. quod sicut percutere, & verberare possunt magistri discipulos, ita valent contumeliam eis dicere, ut corrigantur. Verum tamen prudentia magna opus est in illis, qui ex officio objurgare tenentur, ne ex correctione duriori acetum potius, quam dulce vinum colligant; licet illi, quibus suavis, urbanaque monitio non proficit, severitate flectendi sint. Videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 72. *art.* 2. *ad* 2.

37. Inq. 2. An omnes contumeliæ sint ejusdem speciei? R. affirm. quia omnes tendunt per se ad honorem denigrandum, esto alia sit altera gravior: ut si objicias esse furem, hæreticum, judæum, proditorem. Idem dicas de convitiis, & improperiis.

38. Inq. 3. An Christianus debeat tolerare contumelias sibi illatas? R. affirm. quia tolerantia hæc est veluti character christianæ professionis. Verum duplicem tolerantiam distinguere oportet. Alia in animi præparatione, quando necessaria sit ad salutem, juxta illud: *si quis percusserit te in una maxilla, præbe ei, & aliam.* Altera actualis, qua homo de facto tolerat omnes injurias, ad quod non semper tenetur, neque enim ipse Dominus hoc fecit, sed percutienti dixit: *Quid me cædis?* Ita homo debet esse paratus ad tolerandas injurias, si opus fuerit; non semper tenetur eas actu tolerare. Imo aliquando contumeliam illatam retundere convenit, ut contumeliosus reprimatur: *Proverb.* 20. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Vel ne impediatur profectus aliorum ob contumelias tibi illatas. Sed diligenter cave, ne hoc tibi accidat cum Prælato contumeliante, prave textum intelligendo, Superiorum enim correctiones humili submissione tolerandæ sunt, esto aliquantulum excedant. D. Thom. *ubi sup. art.* 3.

39. Adverte etiam, ne id facias inordinate, aut clamorose, sed modeste, ut ibidem additur: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Uno verbo, nisi charitas proximi impellat, melius providetur famæ tolerando mansuete infamiam, quam retundendo contumeliam. Unde merito proscripta est opinatio olim asserentium, licere offenso per calumniam, aliam objicere calumniatori ad suam famam defendendam. Hoc enim numquam licet, sed peccatum grave est, ut patet ex propos. 43 & 44. damnatis ab Innocentio XI.

Punctum III.

De susuratione, & derisione.

40. Inq. 1. Quid sit susurratio? R. est *verbum seminans inter amicos discordias.* Specie differt a detractione: hæc quippe famam diminuit, susurratio vero amicitiam infringit, ideo est majus peccatum, quia aufert majus bonum: amico enim fideli nulla est comparatio. Omnes susurrationes ex se sunt ejusdem speciei, quia omnes tendunt ad tollendam amicitiam, nisi ex fine susurrantis aliam speciem induant.

duant. Aliquando licitum est quorumdam amicitiam solvere, scilicet, dum sibi, vel aliis est perniciosa. Nam non semel datur pax mala, & bellum bonum contra illam. Absolute tamen dissolvere amicitiam in virtute fundatam est peccatum grave. Minuere assiduam familiaritatem, ut plurimum, est veniale.

41. Inq. 2. An sit licitum quorumdam amicitiam dissolvere narrando aliquos defectus naturales, vel aliis modis licitis, non ut fiant inimici, sed ut se introducat cum Principe, aut Prælato loco amici expulsi? R. duplicem circa quæstionem militare sententiam. Alia negat; altera affirmat. Sed circumstantiæ inspiciendæ sunt. Attendi etiam debet, ne defectus naturales, qui referuntur, magnum dedecus inferant proximo. Item, ne linguam invidia moveat. Unde in praxi vix, aut raro licitum reputamus ambire amicitiam Principis, aut cujusque cum expulsione alterius.

42. Inq. 3. Quid sit derisio, seu irrisio? R. est *verborum ludus ex proximi defectibus, ut erubescat.* Differt speciè a contumelia, quæ honorem lædit; a detractione, quæ famam denigrat; a susurratione, quæ amicitiam dissolvit: irrisio enim verecundiam, & pudorem inducit. Si autem fiat gestibus, aut factis, dicitur *subsanatio.* Omnes irrisiones sunt ejusdem speciei, nisi malitiam contra alias virtutes includant. Unde irridere Deum, & ea, quæ ad Deum ordinantur, blasphemia est. Derisio virtutis est gravissimum peccatum contra observantiam, ac valde perniciosum, avertit enim a bene operando. Parentum derisio est contra pietatem, & sic de cæteris. Verum derisio jocosa de levi malo, aut venialis, aut nulla culpa est; potest aliqua erubescentia proximi intendi absque dehonoratione, & contemptu per modum ludi ad honestam recreationem aliqua moderata irrissione. Sed virtutis derisio vix potest excusari a gravi, ut dum aliqua persona se tradit, aut vacat exercitiis spiritualibus, plus cæteris, dicere de ea, vel ei, quod vult fieri *mystica*, *beata*, aut *sancta*, est officium Dœmonis, retrahendo eam a suo bono proposito: quod sive in sęcularibus, sive in monasteriis est valde reprehensibile. Vid. D. Thom. 2. 2. *q.* 75. *art.* 2. & S. Theres. *lib. Vitæ cap.* 7. *n.* 2. *&* 13.

43. Inq. 4. An sit peccatum grave exprobrare aliquos defectus leves proximi, si hic graviter inde turbetur? R. quod esto cavendum sit a proximi derisione, quia quandoque potest graviter delinqui contra charitatem, ob gravem tristitiam, qua afficitur derisus, ideoque circumstantiæ sunt spectandæ; tamen absolute loquendo non adest gravis culpa in derisione proximi per defectus leves, nam qui ob similem derisionem graviter tristatur, aut perturbatur, suæ fatuitati, aut stultitiæ imputare debet illam tristitiam, potius quam alterius derisioni. Verum charitas nec leviter agit perperam. D. Tho. *ubi sup. art.* 2.

Punctum IV.

De maledictione.

44. Inq. 1. Quid sit maledictio? R. est *per quam pronuntiatur malum contra aliquem optando, vel imprecando illud ex intentione.* Committitur optando, vel imprecando alicui malum, quod, cum opponatur charitati, est peccatum grave ex genere suo. Aliquando tantum est veniale, vel ex levitate mali optati, vel ex imperfecta deliberatione: cæterum non est sufficiens signum, maledictionem non fuisse prolatam formaliter, & ex intentione, quod statim proferentem pœniteat, aut doleat, si contingeret; si de facto passio iræ, aut vindictæ, ut sæpe accidit, in ipsa prolatione prævaluit. Unde ut peccata mortalia imputandæ, & ut tales reprehendendæ sunt plures maledictiones, quæ a proferentibus, ut materiales excusantur, excusando excusationes in peccatis. D. Thom. *q.* 76. *a.* 3.

43. Tria requiri, ut maledictio sit lethale peccatum, communiter docent authores. 1. quod ex animo, & intentione malum imprecetur. 2. quod maledictio ex perfecta deliberatione procedat. 3. quod malum optatum grave sit. Verum tamen, qui ex ira, & consuetudine maledictiones evomunt, esto absque omnimoda deliberatione actuali, graviter peccant. Quare Confessarii hujusmodi consuetudinarios severe corrigant, & etiam

iam absolutionem eis denegent, aut suspendant: quia pestis hæc passim maledicendi a parentibus in filios, ab his in cæteros transfunditur cum perpetuo scandalo, & nulla emendatione. In quo culpabiles sunt Parochi, & Confessarii, qui hanc pessimam consuetudinem radicitus evellere non satagunt. Sint severi, & rigidi cum eis. Vid. tract. 27. n. 298.

46. Inq. 2. An sit peccatum maledicere creaturis irrationabilibus? R. esse peccatum, ad minus veniale: quia esto irrationabilia secundum se sint extra objectum charitatis; tamen maledictiones ad ea directæ sunt saltem verba otiosa, & signa iracundiæ, sæpe etiam præferunt Dæmonis invocationem cum scandalo audientium. Si maledicantur in ordine ad creaturam rationalem, & ut illi deserviunt, erit peccatum grave juxta gravitatem materiæ: ut si maledicas gregem Petri, optando, quod pereat aut a Dæmone rapiatur. Si autem maledicantur, ut sunt creaturæ Dei, erit blasphemia: ut cum rustici dicunt: *Maldita sea el alma, que te crió.* Excusantur autem a blasphemia formali, quia nesciunt, quid dicunt, nec contra quæ irascuntur. Sed qui moniti semel, non se continent, vix excusari valent. Idem teneas de illis, qui furore perciti seipsos Diabolo committunt: ex eo enim, quod sæpe contra se talia proferunt, jam gravem deformitatem in eis apprehendunt, quod sufficit ad mortale.

47. Verum est, quod maledicere creaturis irrationabilibus, ut occasio peccati, vel in ejus detestationem nulla noxa est. Hoc modo possunt intelligi maledictiones sancti Job contra noctem suæ conceptionis, & diem nativitatis, & David contra montes Gelboe, & nos possumus dicere ex intimo cordis: *maledictus dies, in quo Deum offendi, non computetur in diebus anni.* Exceptis his casibus, nulli, nec etiam ipsi Diabolo est maledicendum, nisi inquantum incitat, aut movet ad peccandum. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. & 2.

48. Inq. 3. An omnes maledictiones sint ejusdem speciei? R. sub distinctione, si imprecantur malum in communi, ut si dicas, *maledictus sis, malum tibi contingat*, & similia, sic omnes sunt ejusdem speciei. At si maledictio includat desiderium, distinguitur specie juxta mala desiderata. Unde maledictiones contra vitam, membra, honorem, famam, aut bona fortunæ differunt specie, sicut ipsa mala imprecata.

Punctum V.

De detractione.

49. Inq. 1. Quid sit detractio? R. est *denigratio injusta alienæ famæ per occulta verba.* Ultima particula denotat differentiam detractionis a contumelia: hæc enim in præsentia, detractio in absentia exercetur; nam esto aliquando fiat in præsentia, ut si defectus Petri prodas coram eo, & aliis, quo casu contumeliæ additur detractio, de materiali est præsentia respectu detractionis: quia ex se tendit, non ad minuendum honorem, sed famam, aut bonam existimationem proximi in aliis. Est peccatum mortale ex genere suo, quia repugnat charitati, crimen æque usitatum, ac perniciosum: detractio enim tres simul lædit, nempe loquentem, audientem, & detractum. Duplex datur detractio, alia formalis, altera materialis. Formalis est, qua quis animo infamandi proximum ejus crimina occulta aliis patefacit. Materialis est, qua non denigrandi famam animo, sed alio fine delicta occulta deteguntur. Prima semper est peccatum. Secunda potest dari absque culpa. Calumnia, affinis detractationi, est *falsi criminis, vel defectus impositio.* Unde est primus, & pejor modus detrahendi. D. Thom. *q.* 73. *a.* 1. & 2.

50. Inq. 2. Quot modis detractio perpetretur? R. Octo recensentur modi, quibus detrahitur, his versibus comprehensi:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut reticet, minuit, laudatve remisse.

Quatuor primi modi directe famam proximi lædunt; posteriores vero indirecte, & quasi per cuniculos. Primo igitur modo detractio fit, quando falsum crimen imponitur, & dicitur *calumnia.* 2. Defectus augendo, seu aggravando. 3. Occul-

culta delicta revelando. 4. Quando actio indifferens, aut bona in pravum finem traducitur, & promulgatur. 5. Negando bonum. 6. Illud malitiose reticendo. 7. Bonum minuendo. 8. Frigide laudando. In his casibus, si solum sit contra charitatem famam lædere, ut in reticentia, quando ex officio non incumbit alterius merita manifestare, non insurgit debitum restitutionis, quia licet peccet contra charitatem, non tamen contra justitiam. Omnes detractiones sunt ejusdem speciei, aliæ aliis graviores. Quando autem Confessarii judicium variare possunt, explicandæ sunt in confessione. Calumniator semper tenetur se retractare, si velit salvari.

51. Inq. 3. An defunctis detrahere sit peccatum grave juxta gravitatem materiæ restitutioni obnoxium? R. affirmative, quia fama etiam post mortem perseverat, ergo qui illam defunctis injuste aufert, eisdem restituere debet. Levius autem peccatum est, quam de vivis detrahere: quia minus illi, quam isti de fama curant, minusque indigent. Quod etiam intelligendum de paganis, & aliis damnatis: nam, & ipsi jus retinent ad famam virtutibus moralibus acquisitam. Historici possunt, & debent referre ea solum, quæ ad communem utilitatem, & disciplinam judicant expedire.

52. Inq. 4. Quid sit libellus famosus, & an illum conficiens graviter peccet cum obligatione restituendi? R. 1. Quod libellus famosus est *signum, vel scriptura, in qua continetur alterius infamia secreta, vel non omnino publica, ut publica fiat, aut ad pleniorem notitiam statim, vel paulatim deveniat*. Est ergo quælibet epistola, scriptura, schedula, vel liber anonymus continens alicujus infamiam. Cui Judex, aut Prælatus nullam fidem præstare debent, sed inquirere authorem ad justam ejus punitionem. Inventores vero illius mortaliter peccant, si eum agnoscentes, ut talem, non lacerant, aut comburunt.

53. R. 2. Conficientes libellos famosos, seu infamatorios graviter peccare contra justitiam, tenerique se publice retractare, & restituere non solum famam, sed omnia damna inde secuta. Legens libellum famosum peccat graviter, saltem contra charitatem, sicut audiens detractionem: & sicut iste debet detractorem repellere, ita ille libellum proscribere & lacerare. Jus civile capitis damnat authores libelli famosi *L. 1. cap. de libellis famosis.* Jus canonicum eosdem verberandos, & excommunicandos decernit. *cap. Qui in alterius*. Ex Bulla Alexand. IV. *Ex alto*. Adest excommunicatio Papæ reservata contra eos, qui libellos contra statum Ordinum Minorum, Prædicatorum, Augustinianorum, & Carmelitarum conficiunt, & edunt: ut ait Ferraris *verb. Libellus famosus n.* 30.

Punctum VI.

Quando detractio gravis, aut levis censenda sit?

54. Inq. 1. Unde sit colligenda gravitas, aut levitas detractionis? R. Non precise esse colligendam ex gravitate criminis impositi, aut detecti, sed ex gravitate infamiæ subsecutæ. Si enim infamia levis sequatur, detractio, etiam de gravi delicto, erit levis. Si vero gravis adsit infamia, esto delictum impositum, alias leve sit, detractio erit gravis. Ideo dicere de viro gravi, & religioso esse mendacem, est peccatum grave; & contra de juvene aulico, aut alio equite esse vanos, impudicos, vel parum cautos, non est lethale; quia in primo casu gravis, in secundo levis resultat infamia: quia ipsi se de ejusmodi peccatis jactant. Unde inspiciendæ sunt circumstantiæ personæ detrahentis, detractæ, audientium, famæque sublatæ ad agnoscendam gravitatem, aut levitatem detractionis, quæ respective, non absolute metienda est. Nota, quod dicere de religioso in ejus absentia semel, aut iterum mentitum fuisse, non est grave crimen: quia per hoc parum læditur ejus fama. Alicui dicere, falsum esse, quod profert, est leve, aut nulla culpa: quia fieri hoc potest absque mendacio ex inadvertentia, aut oblivione, vel ex sinistra informatione, ut supra diximus.

55. Inq. 2. An asserere de aliquo esse superbum, iracundum, aut quid simile sit peccatum grave? R. Sub distinctione: nam si persona est magnæ virtutis,

aut talis opinionis, ut ejus fama notabiliter lædatur, erit peccatum grave, ob gravem infamiam illatam. Si autem persona non sit tantæ probitatis, ut graviter non lædatur in fama, non erit grave: quia præfata vitia comitantur naturam noxa prima sauciatam. Detrahere alteri in confuso, nihil in particulari exponendo, ut si dicat: *Ille debet coram me tacere: ille bene scit, quod eum agnosco*, est lethale obligans ad restitutionem, quia per hujusmodi locutiones confusas, & quasi prægnatas, aliquid pejus forte concipitur, quam si aliquid grave expresse diceretur. Inspiciendæ tamen sunt circumstantiæ; quia si circa levia dictæ locutiones proferantur, & intelligantur, non est lethale.

56. Propalare defectus naturales animi, aut corporis, ut esse indoctum, cæcum, aut deformem, regulariter non excedit veniale. Aliquando tamen in præsentia illos objicere, potest esse grave, inspectis circumstantiis temporis, modi, & personarum dicentium, & audientium. Idem dicas de defectibus natalium, circa quos, præcipue ubi occulti sunt, cautius est procedendum, metiendo gravitatem culpæ ex rubore, & tristitia proximo illatis, & omnia ad illam regulam: *Quod tibi non vis, alteri non feceris.* Igitur manifestare de persona honesta, præsertim in dignitate constituta, quod est illegitima, spuria, aut infimæ plebis, seu stirpis, ubi ea ignorantur, est lethale: quia hæc graviter lædunt ejus æstimationem.

57. Inq. 3. An revelare crimen, aut defectum verum occultum sub secreto uni, vel alteri viro cordato sit peccatum grave obligans ad restitutionem? R. affirm. quia diffamatur proximus graviter, quod sufficit ad lethale: nam plus æstimatur fama apud unum virum gravem, quam apud viginti gregales, aut plebejos. Igitur corrumpitur fama in parte notabili, licet non in toto, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 73. *art.* 1. *ad* 2.

58. Si prædicta relevatio fieret causa capiendi consilium, aut auxilium pro reputatione injuriæ in occulto illatæ, apud omnes est licita. Idem plures asserunt ad solatium, aut ad leniendum dolorem, præsertim, cum ex mœrore grave sibi detrimentum timeret: quod pie dictum putamus, præcisa omni prava intentione contra injuriantem concepta, quia durum est, aut saluti nocivum, quod quis cogatur injurias graves acceptas, nec amico manifestare.

59. Referre, se audivisse crimina alterius, quin fidem eis adhibeat, veritatem relinquens apud authores, grave peccatum est restitutioni obnoxium: quia hisce modis corrumpitur fama, & infamia vires acquirit eundo. Si autem referens addat, se ab inimicis diffamati, vel a levibus personis audisse, credere tamen esse falsa, excusatur a gravi, nisi crimen enorme sit, ut hæresis, proditio, vel sodomia, quia de his etiam suspicio graviter famam lædit. Eum, qui de aliquibus est infamatus, de novis criminibus infamare, si sint diversi generis, est peccatum mortale, nam in tali casu notabiliter augetur famæ detrimentum; secus dicendum, si novum crimen, quod narratur, est ejusdem generis, aut va de affine prioribus, quia tunc parum, aut nihil augetur infamia.

Punctum VII.

Alia dubia circa detractionem.

60. Inq. 1. An crimen in uno loco publicum narrare in alio, ubi ignorantur, sit peccatum grave detractionis? Ante responsionem nota differentiam inter *notorium*, *manifestum*, & *publicum*, seu *famosum*. *Notorium* aliud est *facto*, aliud *jure*. *Notorium facto* est, quod coram multis perpetratur, ut in foro, aut in platea. Notorium *jure* simpliciter dicitur, quod est tale per publicam sententiam judicis. *Notorium* vero *secundum quid*, quod habetur per confessionem rei, vel depositionem testium ante sententiæ prolationem. *Manifestum* est, quod fit coram duobus, aut tribus, qui si illud aliis referant, dicitur *manifestum*; si taceant, dicitur *probabile*, quia probari valet. *Publicum* autem, seu *famosum* est illud, cujus fama ex sufficientibus indiciis ad multos pervenit, ita ut major pars civitatis, pagi, aut oppidi, illud noverit: & quod manifestum est majori parti alicujus congregationis, communitatis,

aut

aut colligi, ubi saltem decem reperiuntur. Unde notorium facti est, quod fit coram multis. *Manifestum*, quod coram duobus, aut tribus, aliis tamen revelatum. *Publicum* vero est, quod esto nemo viderit, ex indiciis tamen fuit proclamatum, aut per majorem partem communitatis sparsum. Quibus prænotatis.

61. R. 1. Loqui de occultis defectibus coram his, qui illos sciunt, est actus indifferens potens honestari, vel depravari ex fine loquentis. Si enim ex garrulitate narrentur, erit actus otiosus, & peccatum veniale. Si, ut alii a similibus abstineant, aut deterreantur, erit actus virtutis. Si ex odio, aut tædio ad personam, erit contra charitatem, leve, aut grave juxta odii gravitatem; non vero contra justitiam, quia per talem relationem nihil famæ detrahitur proximo, qui jam apud audientes est diffamatus, ut supponitur.

62. R. 2. Narrare crimen publicum, ubi tale est, etiam ignorantibus, non est grave peccatum; quia cum sit publicum in illo loco, per accidens est, quod ab aliquibus nesciatur, unde nulla, vel minima fama denigratur. Ideo si, secluso odio, absque causa tales defectus dicantur, erit veniale; si cum illa, nullum. Idem teneas de eo, qui delicta in uno loco publica, in alio narraret, ad quæ, inspecto convictu hominum, & proximitate, facile eorum notitia esset perventura, quia tunc parvum famæ detrimentum irrogatur. Quod quidam ait, solam locorum vicinitatem non conferre jus manifestandi crimina, ut patet de culpis, quæ puniuntur in monasteriis, aut capitulis, sive sæcularibus, sive regularibus, nec possunt extra ea, adhuc in eodem loco propalari, non est ad rem: quia, quæ in capitulis, & monasteriis peraguntur, non sunt publica indiscriminatim omnibus, sicut illa, quæ in platea, aut foro perpetrantur; patet igitur disparitas inter unum, & alium casum. Non ex vicinitate loci, sed ex publicitate delicti amittitur fama.

63. R. 3. referre ubique locorum crimina publica publicitate juris simpliciter, hoc est, per sententiam publicam Judicis, non est grave peccatum: quia hujusmodi reus amisit jus ad famam. Imo solent judices juste ad terrorem aliorum curare, ut similes sententiæ tempore, & loco majoris concursus executioni mandentur. Verum si crimen solum sit publicum publicitate juris secundum quid, hoc est, per testium depositionem, aut rei confessionem, ante sententiæ prolationem, nequit absque peccato gravi in aliis locis propalari, nisi alias sit notorium facti, quia non est adhuc fama amissa, nec per sententiam reus ea privatus.

64. Quod diximus, crimina publica in uno loco posse absque gravi culpa narrari in aliis, ubi ignorantur, intellige, etiam si injuste in primo loco fuissent divulgata, quia semel divulgata vera culpa, idem est quoad famam, ac si ipse reus in publico injustissime illam perpetratset: nam in utroque casu æque amissa est fama, & jus ad illam. Nec est ad rem exemplum bonorum, quibus quis injuste spoliatur: quia dominus innocens numquam amittit jus ad bona sua; perpetrans autem delictum, semel quod juste, vel injuste sit in propatulo, nullum jus habet ad famam: nam si aliquod haberet, esset, vel quia foret innocens, vel quia crimen esset occultum; sed nec est innocens, nec crimen occultum, ergo ex nullo capite habet jus. Imo si teneret paritas vestis spoliatæ, quam nullus rescindere, aut emere scienter potest, probaret, quod nec in eo loco, ubi crimen est injuste publicum, posset narrari absque gravi culpa illud nescientibus, quod nullus dicet: quia nec in eodem loco potest quis sibi emere bona ab alio injuste spoliata. Unde paritas solum probat de delictis falsis, quæ minime posse narrari, quantumvis publica sint, nemo ambigit.

65. R. 4. crimina publica per sententiam prolatam, non in civitate, aut in villa, sed in aliqua aula secreta, aut in tribunali S. Inquisitionis coram quibusdam viris probis, nequeunt extra publicari absque gravi culpa contra justitiam: quia ideo talis sententia non amplius publicatur, sed quasi clam profertur: quia nec aliud exigunt delicta, nec circumstantiæ personæ punitæ. Cum ex una parte sufficiens correctio adhibeatur, & ex alia nimia confusio, & infamia temperetur.

66. Inq. 2. An, si diffamatus honeste postea vivendo famam recuperavit, possint referri nescientibus absque gravi culpa ejus præterita crimina? R. si perfecta oblivione deleta sint, grave peccatum injustitiæ erit ea in memoriam revocare, quia tunc fama reducta fuit in pristinum statum; secus dicendum, si adhuc a memoria non sint abolita, quia infamia nondum est abstersa.

Punctum VIII.

De causis excusantibus a detractione in criminum manifestatione.

67. Inq. 1. An manifestatio alieni criminis excusetur aliquando a reatu detractionis? R. affirm. quia talis manifestatio caret malitia detractionis, quando fit ob necessitatem, vel alium finem honestum. Item quando expedit bono communi, aut particulari gravi, sive ipsius manifestantis, sive alterius innocentis. Unde licitum est revelare crimina delinquentis ad ejus emendationem, illum denunciando judici, parenti, aut Prælato, debitis circumstantiis correctionis observatis. Pariter licet detegere homicidam, si probari possit, ad liberandum te, aut alterum innocentem, quibus imputatur homicidium, & etiam furem, monendo alios ignorantes, ut sibi caveant. Hæc velut in communi tradita melius elucidantur sequentibus dubiis cum D. Thom. *ubi supr. art.* 2.

68. Inq. 2. An, ad impediendum malum proprium, vel alienum, possis uti notitia injuste acquisita, ut aperiendo epistolam, vel aliis modis? R. affirm. quia licet apertio epistolæ fuerit injusta; tamen ipsa notitia, ejusque usus ad vitandum malum, actus bonus est. Sicut notitia semel habita a Dæmone, potest licite, imo debet quilibet uti, ad fugiendum peccatum. Solum in casu, quo damnum grave ex manifestatione sequeretur, & solum leve vitares, non esset licita. Sufficit vero quod malum vitandum sit absolute grave, licet gravius alteri sequatur. Unde esto ex usu illius notitiæ revelares injustum accusatorem, qui ob id morte plectendus esset, sibi imputare deberet; tu enim teneris illum detegere ad innocentem liberandum a supplicio exilii, vel alterius gravis pœnæ.

69. Inq. 3. An liceat detegere ignorantiam medici, advocati, theologi, aut aliorum artificum? R. quod si ipsi exercent suas artes cum dispendio clientum, detegenda est eorum imperitia, ut innocentes liberentur; multi enim gaudent titulo, quo privari deberent. Quoad artifices autem cavendum est, ne sibi ex invidia detrahant, ut sæpe contingit. Similiter est cavendum, ne detegantur peccata illorum, qui sine alterius præjudicio, viis etiam illicitis, ut per hypocrisim, sibi nomen magnum pepererunt: quia non retinent alienum, nec cuiquam nocent. Si autem aliquod præjudicium ex ficta sanctitate timeatur, detegi quantocius debet. Item illicitum est alterius ignorantiam aliis sine causa propalare: dicere de excellenti Concionatore, quod ex alieno lucet, aut quod alienos labores profert, vix a gravi excusari valet, nisi coram scientibus diceretur. Licitum est patefacere defectus illorum, qui aliquem statum volunt assumere, quando statui opponuntur, ejusque legibus, aut sanctionibus: quia similium admissione tali statui præjudicatur.

70. Inq. 4. An traducere aliquem ut scrupulosum sit peccatum detractionis? R. quod plerumque nomine scrupulosi intelligitur timoratus, qua ratione nulla est detractio in loquente. Verum si dicatur de viro docto boni consilii, potest esse detractio gravis; hinc enim mundani, ut liberius agant, despiciunt ejus sententias, doctrinam, ac consilia. Utinam raro accideret! vel potius numquam!

71. Inq. 5. An sit licitum traducere theologos scriptores tamquam *rigoristas*, aut *laxones*? Hanc quæstionem excitat in præsenti quidam recentior, indulgensque suo stylo acri, & mordaci plura involvit. Sed breviter R. quod inurere passim pios scriptores nota rigorismi, aut laxitatis, cruentareque calamum in eorum opinionibus confutandis, appellando eorum sententias paradoxa, commenta, aliaque dicteria, & scommata eis impigendo, nullo modo est licitum; sed prorsus alienum a christiana charitate, & modestia scriptoris catholici. Si enim Apostolus jubet, ut instruamus, etiam peccato-

res

res in spiritu lenitatis, quanto amplius debemus hoc lenitatis spiritu agere cum piis theologis, alias excellenti doctrina præditis, licet aliquando dormitaverint. Exempli gratia supponamus quod P. Concina erraverit in oppinione, qua negat Principes, Episcopos, aut Papam posse dispensare valide in propria lege sine causa. Num ob id liceret alteri declamare in eum, ac dicere, quod vult ab eis eripere potestatem, vel erigere tribunal contra Principes, Reges, Episcopos, & contra Papam? Nec modestia, nec minus charitas talem modum loquendi præscribunt. Mansuetudo, seu *philentropia* est legitima charitatis filia. Habet quidem scriptor publicus jus eligendi, & rationibus fulciendi opinionem sibi visam probabiliorem; sed unde habet jus, aut quis ei dedit licentiam feriendi, deridendi, exibilandi, aut convitiandi declamationibus oppositam, & ejus authores? Hujusmodi agendi ratio Christianæ charitati opponitur ex diametro. Nec est ad rem distinctio doctrinæ, ac personæ; tum quia de theologis est quæstio, ergo de personis. Tum quia despectus doctrinæ in personam refunditur, maxime si est derisorius: qui enim mea opera despicit, me ipsum non parum spernit, meamque famam multum diminuit, ac deprimit. Nec excusari valet ad lacerandos authores, eorumque sententias bona intentio propulsandi errores; quia verbis injuriosis nullus est docendus, nec corrigendus, nec sunt facienda mala, unde proveniant bona. Maxime cum Apostolus præcipiat, seniores, etiam ab Episcopo, non esse increpandos, sed obsecrandos ut patres. 1. *ad Timoth.* 5. 1.

72. Inq. 6. An audiens detractorem peccet graviter? R. quod si audiens sit Prælatus, seu Superior diffamati, probabilius est, peccare graviter contra justitiam, quia ex officio tenetur prospicere famæ sui subditi, ergo audiens detractorem contra justitiam agit, & in defectu detrahentis ad restituendam famam tenetur. Respectu vero subditi detrahentis non est violator justitiæ commutativæ, esto illam audiat: quia libere peccanti non facit injuriam; licet Prælatus strictius teneatur ex charitate, & ex justitia legali illum corrigere. Si autem audiens sit persona privata, inferior, aut æqualis detrahenti, nec complaceat in detractione, nec ad illam inducat, peccat quidem venialiter, sed raro graviter, quando ex timore, verecundia, aut negligentia ei non resistit. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 73. *a.* 4.

73. Qui alium movet ad detrahendum interrogando, urgendo, vel gestu, verbis, aut alio modo, peccat contra justitiam respectu diffamati, & contra charitatem respectu detrahentis, quem ad malum inducit, si vero nec inducat, nec foveat, nec excitet, sed solum complaceat, non peccat contra justitiam, bene vero contra charitatem, ut dictum est, quia non resistit, saltem vultum tristem ostendendo, juxta illud *Prov.* 25. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Omnes enim ex charitate tenemur, dum possumus, resistere detractori, saltem sub veniali, aliquando etiam sub mortali. Si enim audires alium maxima crimina alteri imponentem, & absque detrimento posses illi resistere, quis dubitare queat, te ad illum corrigendum teneri, eodem modo ac si videres domum alienam comburi, & posses de facili ignem extinguere? Verum est, quod si nescias, an sit publicum, quod dicitur, vel sis inferior, vel alia justa causa permittendi detractionem adsit, non teneris sub gravi illam impedire; sed quod diximus, tenet, dum facile impediri valet detractio gravis cognita ut talis, tunc enim sub gravi impediri debet, ait enim D. Bern. *lib.* 2. *de consid. cap.* 13. *detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius* sit, *non facile dixerim.*

Punctum IX.

De secreto naturali.

74. Inq. 1. Quotuplex sit secretum? R. secretum, de quo in præsenti, est triplex. nempe *acquisitum*, *promissum*, & *commissum*. *Acquisitum* est obligatio tacendi id, quod casu, vel insdustria, aut ex alterius relatione noscimus sine promissione illud servandi. *Promissum* dicitur, quando ex se non inducit obligationem tacendi, nec committitur ab alio, sed

sed promittis servare sub secreto. *Commissum* dicitur, quod tacite, aut expresse tibi committitur, & tu eodem modo promittis servaturum. Expresse commissum est, quando claris verbis silentium commendatur; tacite autem, quando ex circumstantiis colligitur, alium tibi rem sub onere tacendi committere. Ita theologi, advocati, medici, chirurgi, & alii, qui officio, vel aliorum electione ad capiendum consilium, aut auxilium secreta norunt, debent illa sub gravi observare.

75. Igitur secretum primi generis, quod ex natura rei sequitur, observandum est ex justitia, quoties ex ejus revelatione damnum famæ, aut fortunæ alteri imminet. Unde si sciens thesaurum Petri, vel quid aliud patefacias, & ob hoc auferatur, teneris ad restitutionem. Si arcana Principis, vel alterius reveles, omnia damna inde obvenientia compensare debes, nisi metu mortis, aut vi tormentorum detegere compellaris: quia non obligaris ad servandum secretum cum tanto dispendio. Si autem revelatio in damnum commune cederet, tunc quælibet tormenta perferri debent, ne reveletur. Idcirco miles potius debet subire mortem, quam pandere secretum, ex quo excidium exercitus sequeretur. Verum quando revelatio non vergit in damnum commune, aut bono publico non nocet, nullum secretum, excepto sigillo confessionis, obligat cum periculo mortis.

Secretum secundi generis, quod dicitur *promissum*, solum obligat juxta intentionem promittentis, quando nullum damnum ex ejus revelatione sequitur. Nec obligat etiam juratum in illis casibus, in quibus, seclusa promissione, esset illicitum illud observare. Unde teneris respondere de plano judici legitime interroganti de delictis, seu arcanis, quorum habes notitiam sub hujusmodi secreto promisso tantum.

76. Secretum tertii generis, quod est *commissum*, *& promissum*, obligat fortius cæteris ex justitia, quia est contractus onerosus utrimque adstringens ad ejus custodiam: unde etiam Judici legitime interroganti debes illud celare; nisi aliud bonum commune, seu privatum, temporale, aut spirituale grave proprium, aut innocentis, vel etiam committentis postulet. Nequit enim judex jus naturale abrogare, nisi alio præcepto fortiori interveniente, ut bonum commune, aut particulare innocentis, quod aliis prævalere debet.

77. Inq. 2. Quotuplex sit causa excusans a gravi secreti revelationem? R. Est triplex. 1. Est parvitas materiæ, ut si res sub secreto commissa sit levis, aut parvi momenti. Probabilius non reputatur parva materia pandere secretum rei gravis uni, vel alteri, esto hic credatur sub eodem secreto id servaturum, nec aliunde damnum sequatur: alias secundus potest alteri tertio similiter manifestare, & sic de cæteris, quod est notabile inconveniens graviter repugnans justitiæ secreti. Quando factum est publicum, non teneris ad secretum.

78. Secunda est inadvertentia, aut imperfecta deliberatio, quæ in omni materia excusat a gravi, quando est invincibilis, ut supponitur. Quamvis probabilius judices, aut certo moraliter credas, secretum magni momenti tibi commissum non esse tale, illud tamen celare debes, dum vere est rei gravis, quia committens habet jus, a quo non est privandus ob judicium aliorum, qui forte rationes, soli committenti notas, ignorant.

79. Tertia est utilitas, seu commodum temporale, aut spirituale ipsius, qui secretum commisit, aut publicum, seu privatum innocentis. Ut si observatio secreti obesset bono spirituali committentis, qui absque ejus manifestatione non valet erui a sua nequitia: tunc non solum licet, sed debet revelari, quantum opus sit ad ejus emendationem. Atque eodem modo, quoties secreti custodia vergit in damnum commune, aut innocentis, ut dictum est, etiam si jurasset illud observare, aut commissum esset extra confessionem, tamquam in confessione, quia extra sacramentum non adest sigillum sacramentale; nec juramentum est vinculum iniquitatis, nec cum charitate pugnare potest. Igitur cum damno gravi spirituali, vel temporali proximi, aut communi non obligat secretum naturale.

PUNC-

Punctum X.

Alia dubia circa secretum.

80. Inq. 1. An sit grave peccatum quærere, seu indagare secretum alterius? R. affirmative, quia eodem modo peccat graviter, qui ex alterius lingua vafris, versutisque suggestionibus secretum extorquet, ac ille, qui ad ejus fractionem urget, aut inducit, ut ex se patet. Idem teneas de illis, qui per rimulas insidiose observant, quid alii in cubiculo, aut alio loco occulto agant: peccant enim juxta gravitatem materiæ contra jus, quod quisque habet, ne alter sua secreta contra ejus voluntatem sciat. Igitur solum potest inquiri secretum, quando, & quantum fuerit necessarium ad bonum publicum, aut ad rectum regimen Superiorum: vel ad alicujus electionem ad officium, & ad matrimonium ineundum. Sed tunc sub silentio observari debent, quæ ex tali inquisitione noscuntur.

81. Inq. 2. An liceat epistolas, seu litteras clausas aperire? R. neg. quia quisque jus habet, ne alius suum secretum, sive verbis, sive factis patefaciat. Nec audiendi sunt, qui asserunt, non esse mortale tibi soli aperire litteras; esto in his aliquod crimen diffamatorium contineatur, ex eo, quod crimen occultum valet, sine gravi, uni, vel alteri sub secreto revelari: quia sicut hoc secundum est falsum, ita & primum. Nec solum est mortale ex suo genere aperire litteras, sed etiam apertas legere, si reperiantur in cubiculo, aut in alio loco secreto, imo esto inveniantur in loco publico, ubi præter intentionem ceciderunt, minime legi valent, quia adhuc manent sub secreto; secus, si eas projicere vidisti, vel invenisti semilaceratas in loco publico: cessit enim jam alius juri suo.

82. Sed quid, si eas reperias in loco publico, ubi dominus nimis laceratas projecit? R. Esse grave peccatum eas conjungere, & legere, supposita gravitate materiæ: quia dominus illas, ita in partes minutas lacerans, voluit a nemine legi, ac sub secreto manere; illa ergo diligentia eas concinandi insidiosa, & injusta est. Nec consequenter procedit Concina asserens, quod si sola curiositate, aut levitate eas conjungeret, ac legeret, culpa venialis esset. Quia, hoc posito, etiam disquirere alterius secretum, aut easdem aperire, sola curiositate, si clausæ invenirentur, esset venialis; cujus oppositum est tenendum.

83. Inq. 3. Quot sint causæ, ob quas possint litteræ aperire sine culpa, vel saltem absque grave? R. Quatuor esse. 1. Est authoritas Superioris. Prælati enim religionum valent, attentis suis legibus, & prudentiæ regulis, suorum subditorum litteras aperire, & legere. Similiter parentes possunt filiorum epistolas legere, præsertim filiarum, cum ita fieri, non parum congruat proprio honori. Pariter tutores, ac curatores respective, ratione namque superioritatis hoc jure hi omnes potiuntur. 2. Est consensus, saltem præsumptus, mittentis litteras, aut ejus, ad quem mittuntur. 3. Parvitas materiæ, ut dum creditur in litteris nihil notabile contineri; sed in hoc caute est procedendum. 4. Est propria defensio, ut dum quis prudenter, gravique ratione nixus timet aliquid in litteris in suum damnum contineri, qua ratione in bello justo hostium litteræ aperiuntur. Et Magistratus suorum civium litteras nedum intercipere, sed & legere possunt, si grave aliquod, vel perfidiæ, vel alterius generis damnum suspicantur. Verum in his casibus solum legi valent, quæ attinent ad finem, seu ad malum præcavendum; reliqua transilienda sunt, nec lecta possunt aliis revelari, præter eos, qui necessaris forent ad malum arcendum.

Punctum XI.

De judicio temerario.

84. Inq. 1. Quid sit judicium temerarium? R. est *assensus firmus de alicujus peccato, vel defectu gravi ex levibus indiciis conceptus.* Non loquimur in præsenti de judicio temerario externo, quod est *sententia a judice, absque debitis probationibus prolata.* Sed de judicio interno, quod in mente absque sufficientibus indiciis profertur, ideoque dicitur teme-

ra-

rarium. Distinguitur a dubitatione : quia hæc relinquit pendulum intellectum , quin ulli parti magis adhæreat : ab opinione, quæ assensum firmum uni parti prestat cum formidine alterius: a suspitione , quia hæc est quædam debilis opinio mali ex levibus indiciis, & debiliorem assensum præstat , quam opinio , quæ indifferens est ad bonum , & malum , suspicio vero frequentius in malam sumitur partem , licet aliquando de bono habeatur. Igitur ab his omnibus differt judicium , quia ex se affert firmum assensum , aut quasi certum.

85. Unde tunc cognoscetur dari judicium de alicujus malitia , quando interrogatus , an pro certo illud habeat , responderet : *sibi certum , aut fere certum videri.* Si vero ita judicet , ut dicat ; *se non esse moraliter certum , sed facile posse ea in re falli* , solum est suspicio, opinio , vel dubitatio. Hanc igitur regulam generalem teneas , ad plures dissipandos scrupulos , cum ex levibus indiciis raro quis ita firmiter assentiatur , ut oppositi non habeat formidinem , aut efformet judicium. Ideo in personis , præsertim timoratis , raro datur judicium graviter temerarium.

86. Inq. 2. Quando judicium temerarium sit , vel non peccatum mortale ? R. Tunc esse peccatum mortale, quando adest deliberatum judicium circa rem gravem de persona determinata , absque indiciis sufficientibus : quia in tali casu injuriam gravem irrogat proximo contra justitiam, violando in sua mente jus , quod alter habet , ne male quis de eo judicet , absque indiciis sufficientibus , quod idem est , ac si falsum crimen ei imponeret. Id ipsum tenendum est de defunctis : vivunt etenim quantum ad honorem , & famam. Temporis brevitas non tollit, quin judicium temerarium sit grave peccatum : nam etiam alii actus interni brevi tempore consumantur. Si autem joci gratia , alium induceres ad temere judicandum de proximo cum animo statim removendi tale judicium , non esset grave peccatum. Sed caveas omnino a talibus jocis veritati , ac charitati oppositis.

87. Quatuor requiruntur , ut judicium temerarium sit grave peccatum. 1. Quod sit firmum , ac certum , & respectu determinatæ personæ. 2. Quod temeritas sit tanta , ut arbitrio prudentum sufficiat ad gravem culpam. 3. Quod sic de materia gravi. 4. Quod , saltem in confuso , sit cum sufficienti advertentia ex parte intellectus , & plena libertate ex parte voluntatis. Quolibet ex his deficiente , non erit peccatum lethale.

88. Ex defectu primæ conditionis non erit grave judicare malum , etiam grave , de persona indeterminata : ut de muliere larvata , & incognita esse meretricem. Idem est , si judices gravia committi crimina in civitate , nulla assignata persona , quia nemini in particulari fit injuria gravis. Hoc vero judicare de communitate aliqua ecclesiastica, aut religiosa proculdubio grave esset, quia gravis injuria fieret communitati. Ex defectu secundæ conditionis non erit mortale , quando adsunt aliqua indicia , esto non omnino sufficientia ad ita judicandum : ut si videas adolescentem solum cum puella in obscuro cubiculo , non erit lethale judicare ipsos aliquid mali peragere : quia licet indicia non sint sufficientia ad moralem certitudinem , faciunt tamen rem satis probabilem.

89. Ex defectu tertiæ conditionis non erit mortale , quando judicium est de re parvi momenti , omnibus inspectis. Nam materiæ gravitas non a sola culpa , sed etiam a qualitate personæ metienda est, ut diximus agentes de detractione : unde judicare de viro gravi , aut religioso esse mendacem , potest esse lethale. Item judicare de viro optimæ famæ , & honestæ stirpis esse a judæis , seu paganis progenitum , aut ignobilem est grave, gravis enim ei fit injuria. Ex defectu quartæ conditionis plerumque non est lethale judicium temerarium ex semiplena advertentia , & imperfecto consensu. Unde diximus raro viros timoratos graviter peccare in hac materia. Verum in personis vitiosis frequenter adest culpa lethalis ex invidia , ira , & aliis pravis affectionibus , ex quibus judicia temeraria in eis procedunt.

90. Pro quo nota ex Angelico Doct. 2. 2. *q.* 60. *art.* 3. quod judicium temerarium ex triplici capite præcipue provenire solet. 1. Ex eo quod ipse malus est, & qualis unusquisque est in se , tales

solet judicare alios. Eccl. 10. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Hinc improbi facilius de aliis improbitatem concipiunt. 2. Ex hoc quod aliquis sit male affectus ad alium: unusquisque enim judicat, sicut est effectus. Quam bene omnia judicamus de his, quos diligimus! Hoc satis, superque patet, dum de electionibus agitur. 3. Ex longa experientia, unde videmus senes esse maxime suspiciosos; tamen licet hoc aliqualiter conducat ad temeritatem, quodammodo etiam illam excusat, duo vero priora illam aggravant, quia affectus perversitatem indigitant.

91. Inq. 3. An possit dari judicium firmum de malo gravi proximi absque ullo peccato? R. affirm. quia judicare male de alio, dum adsunt sufficientia indicia, est actus conformis rectæ rationi, & prudentiæ, ergo tale judicium nec est temerarium, nec ullum peccatum. Quando autem adsint indicia sufficientia, ut judicium non sit temerarium, nequit tradi regula generalis, sed arbitrio prudenti pensandum est, inspectis circumstantiis loci, temporis, & personæ, quæ judicat, vel dicit, & de qua judicatur, & dicitur. Unde si videas hominem noctu scalas ascendere, ut alterius domum ingrediamur, judicare de illo, quod furari intendit, temerarium non est ratione temporis nocturni. Item videns juvenem domum meretricum ingredi, absque temeritate potest male judicare de illo ratione loci. Pariter audiens a fide digno delictum Petri parum morati, sine temeritate potest fidem præbere. Nam licet de viro probo non debeat credi delictum grave ob unius dictum, bene vero de alio non circumspecto. Et ita de cæteris philosophandum est.

Punctum XII.

De suspicione, dubio, & opinione temeraria.

92. Communis sententia tenet suspicionem, dubium, & opinionem in ordine ad famæ læsionem parum inter se differre. Temeraria sunt utique, si careant eo fundamento, quod respective habere debent, ne sint peccata contra justitiam. Non autem erunt talia, quando adsint indicia respective sufficientia. Indicia autem minora sufficiunt ad dubium, quam ad suspicionem, & minora ad suspicionem, quam ad opinionem, quando vero sint sufficientia, vel non, constat ex proxime dictis.

93. Inq. 1. An suspicio, dubium, aut opinio sine fundamento habita de pravitate proximi sint peccata lethalia? R. 1. Non esse peccatum mortale suspicari, dubitare, aut opinari, etiam absque fundamento, peccata ordinaria gravia: quia in eis non datur assensus firmus de pravitate proximi, sicut per judicium; idcoque parva fit injuria proximo, qui non despicitur complete, sed leviter, cum suspicio, dubium, & opinio facile evanescant. Si autem peccata sint gravissima erit mortale illa suspicari de proximo, absque sufficienti fundamento. Ut de viro probo, & religioso esse hæreticum; vel cum matre copulam habuisse; quia ægrius ferunt homines ejusmodi dubia, & suspiciones, quam judicia firma de aliis gravibus delictis. Ita docet communis sententia, quam immerito deserit quidam recentior, singularitatis avidus.

94. R. 2. Quod, quando suspicio temeraria procedit ex ira, odio, invidia, aut alio pravo affectu, est peccatum mortale: quia tunc, non ex errore, aut humana fragilitate, sed ex malevolentia oritur, qua vult de proximo mala sentire, & ex prava affectione illum interius despicere: igitur peccat graviter contra charitatem, & justitiam. Hinc hæretici, & politici solent de viris probis, & religiosis male suspicari, partim, quia ipsi mali sunt, partim, quia virtutem fastidiunt, contemnuntque: unde libentissime legunt, & audiunt, quæ ad illorum dedecus, & renuunt auscultare, quę ad eorum laudem spectant, videre lucem nolunt, ut liberius in tenebris suis carnalibus desideriis frui valeant. Sed vę illis!

95. Inq. 2. Quomodo dubia in meliorem partem sunt interpretanda? R. 1. Quod nullus tenetur dubia circa proximum in meliorem partem interpretari, judicando positive illum esse bonum; sed sat est circa hoc judicium suspendere: quia

quia nemo tenetur periculo errandi libere se exponere. Sed ex suppositione, quod velis positive judicare, debes in meliorem partem dubia interpretari; secus absolute.

96. R. 2. Quod, quando agitur de damno vitando, possunt dubia in deteriorem partem interpretari; non judicando, aut suspicando ita esse; sed supponendo ita esse posse: sic etiam nos exterius gerendo, ac si alius improbus foret; esto talis non credatur. Ideo prudenter clauduntur januæ, & arcæ, atque res sub clavibus asservantur. Hinc Prælati, ac parentes, esto non debeant se suspiciosos ostendere, debent tamen eas cautiones adhibere, ac si inferiores non essent boni. Eadem ratione suffragatores, & Magistri novitiorum in dubio, an novitius sit dignus professione, debent suffragium denegare, & in favorem religionis resolvere, quæ jus possidet non admittendi, nisi vere dignos.

97. R. 3. In dubio de malitia proximi, quando volumus positive judicare, debemus ex justitia in meliorem partem dubium interpretari, ut diximus: quia possidet suam famam, & jus, ne quis absque sufficienti fundamento sinistre de illo judicet. Et melius est errare pluries bene judicando de malis, quam rarius falli judicando male de uno bono, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. *ad* 1.

Punctum XIII.

De restitutione honoris.

98. Inq. 1. Quomodo honor ablatus restitui debeat? R. quod honor potest lædi *negative*, aut *positive*. Negative læditur, omittendo præstare honorem debitum, ut si Prælato transeunti caput non inclines, vel non discooperias, aut non assurgas. Igitur qui hoc modo omissit honorare, satisfacere debet exhibendo reverentiam, & honorem, quem non exhibuit, sicut, qui temerarie judicat, tenetur satisfacere deponendo injustum judicium. Observa tamen, quod omittens honorem debitum Prælatis, parentibus, aut aliis peccat contra observantiam, pietatem, aut charitatem, non vero contra justitiam: nisi honoris omissio sit simul contumeliosa; quo in casu, non solum satisfactio, sed etiam restitutio simul exhiberi debet cum humili veniæ petitione.

99. Quando honor læditur positive per contumeliam, sive per alia verba, aut facta, ut percutiendo alapa, aut fuste, debet ex justitia honor restitui, sive in publico, sive in secreto, eo modo, quo honor ablatus fuit: quia justitia postulat honoris læsionem redigi ad æqualitatem. Sed necessarium non reputatur, ut hæc satisfactio præstetur per ipsum in honorantem; sufficit, ut per amicum, aut Confessarium, vel aliam personam exhibeatur, veniam petendo, vel alio congruenti modo.

100. Modus autem restituendi honorem congruentior ex circumstantiis dehonorantis, & dehonorati spectandus est. Potest fieri talis restitutio, vel per capitis inclinationem, aut per reverentiæ exhibitionem, per assurrectionem, genuflexionem, per antecedentem salutationem, aut aliis modis juxta cujusque statum, & conditionem. Alia enim satisfactio sufficit pro æqualibus, aut inferioribus, alia opus est pro majoribus. Optimus vero inter omnes modus est per veniæ petitionem. Hoc tamen non semper decet Superioribus respectu inferiorum: *Ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur authoritas*, inquit D. Aug. in regula. Aliquando autem injuria, & subditus dehonoratus possunt esse talis conditionis, ut debeat Superior illi satisfacere, etiam per veniæ petitionem, quin inde minuatur Prælati authoritas, sed potius augeatur ejus doctrina, & edificatio in subditos.

101. Inq. 2. An veniæ petitio sit sufficiens satisfactio pro quacumque injuria etiam gravissima? R. negat. quia si alapa, aut fuste percutias virum præclarum, teneris ex justitia, præter veniæ petitionem, ad majorem satisfactionem, vel flectere genua, manus ejus osculare, aut aliis signis pœnitudinem ostendentibus injuriam compensare; sola enim veniæ petitio non sufficit ad compensandam injuriam viro eximio irrogatam: justitia namque præcipit, ut satisfactio respondeat damno, seu læsioni, exhibendo æqualem compensationem.

102. Inq. 3. An injuriator liber sit ab honoris restitutione, si injuriatus secum familiariter conversetur? R. negat. quia potest optime injuriatus familiariter conversari cum offensore, quin remittat satisfactionem injuriæ, sicut creditor cum debitore pecuniæ, quin condonet pecuniam, ergo tenetur offensor restituere honorem læsum, esto offensus familiariter secum conversetur. Similiter etiam astringitur satisfacere, licet offensus non postulet satisfactionem, nec Judicis sententia ad eam compellatur; quia jure naturæ ante omnem sententiam, & seclusa partis petitione, debet illam exhibere. Sicut fur rapiens quidquam temporale tenetur absque ulla sententia, aut partis postulatione restituere quantocius, quod abstulit, utrumque enim est de jure naturæ.

Punctum XIV.

De restitutione famæ.

103. Inq. 1. Quid, & quando detractor teneatur restituere? R. quod detractor injuste alium infamans tenetur restituere famam, & omnia damna ex infamatione per se secuta. Quia in primis, sive infamet verum crimen occultum detegendo, sive falsum imponendo, aufert injuste famam, ergo eam restituere debet. Deinde omnis damni ex infamatione per se secuti est causa moralis efficax, ergo etiam illud debet resarcire. Non autem tenetur ad damna per accidens ex infamatione obvenientia, ut si diffamatus ex mœrore desperatus se occidat, aut ex tristitia moriatur. Solum igitur tenetur ad damna, quæ ex diffamatione per se proveniunt, ut si ex falso crimine a te imposito alius a Judice suspendatur, teneris ad ea damna ex morte secuta. Quæ omnia intelligenda sunt, quando in diffamatione adest culpa gravis contra justitiam, qua seclusa, cessat obligatio restituendi, ut patet in Judice, accusatore, & testibus, qui ad nihil tenentur, quando legitime procedunt, esto infamatio rei sequatur.

104. Inq. 2. An quando solum materialiter, sive per inadvertentiam, sive per ignorantiam invincibilem putans crimen esse publicum, alium infamasti, tenearis ex justitia famam alterius resarcire? R. affirm. quia sicut possessor bonæ fidei debet statim, ac agnoscit rem esse alienam, tradere eam domino, si commode potest: alias fit morosus detentor, & peccat contra justitiam; ita in præsenti debet se gerere diffamator restituendo famam, quam inculpabiliter abstulit, si commode potest. Non tamen tenetur cum gravi incommodo, nec ad damna ex inculpabili diffamatione secuta; hoc enim onus solius est diffamatoris injusti. Similiter, qui alium diffamavit detegendo crimen occultum, etiam verum, ad omnia damna tenetur, quia ejus revelatio est causa totalis damni; cum absque illa minime sequeretur.

105. Inq. 3. An detractore defuncto, obligatio restituendi transeat ad hæredes? R. negat. quoad obligationem restituendi famam; quia hęc obligatio est personalis, & cessat, deficiente persona. Obligatio vero restituendi damna ex detractione provenientia est realis, ideoque transit ad hæredes, sicut obligatio solvendi quælibet alia debita realia.

106. Inq. 4. An diffamator debeat famam restituere non solum coram suis auditoribus, sed etiam coram aliis, quibus illi malum auditum propalarunt? R. quod, si detractor prudenter credebat immediatos auditores nemini crimen detecturos, solum tenetur ad restituendam famam coram ipsis; nam hoc in casu respectu ejus censetur damnum casuale, aut per accidens infamia dispersa per alios. Econtra, si detractor sciebat, vel dubitabat de secreto immediate audientium, debet in eorum defectu famam restituere, etiam coram mediatos auditores, quia sua detractione fuit causa per se, ut infamia diffunderetur.

107. Inq. 5. Quomodo facienda sit restitutio famæ? R. 1. quod si famam abstulisti imponendo falsum crimen, teneris dictum retractare, testando te falsum dixisse. Si hoc videatur non sufficere, debes addere juramentum ad majorem fidem faciendam. Si vero nec jurata retractatio sufficiens appareat, debes adhibere testes in veritatis attestationem, quia debes restituere famam quantum possis. Si denique nec assertio jurata, nec testium

tium confirmatio sufficiat, ut auditores veritati fidem adhibeant, ad nihil amplius teneris: quia tunc calumnia iniquitati, & obstinationi auditorum imputatur.

108. R. 2. Quod si famam denigrasti verum crimen injuste detegendo, debes testari te male dixisse, & quod injuste diffamasti. Si hoc non sufficiat, debes meliori modo, quo possis, sine mendacio, restitutioni famæ studere, vel laudando virtutes offensi, illiusque dotes, ac prerogativas prudenter celebrando, aut extollendo, illum honorando, vel alio modo, qui arbitrio prudentum congruentior sit ad famæ restitutionem. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 2.

109. Inq. 6. An quando fama restitui nequit, debeat pecuniis compensari? R. affirm. quia fama compensari debet meliori modo, quo possit, ergo si pecuniis, & non aliter possit, cur non pecuniis compensanda est? & hæc videtur mens D. Thom. loco citato. Omnes conveniunt in eo, quod si infamator est dives, & diffamatus pauper, debet ei aliquam summam pecuniæ tribuere, quando famæ compensatio est impossibilis. Similiter est certum, eam tradere debere, quando in pactum deducitur, ne infamatus litem, aut querelam intentet, aut prosequatur, vel quando Judex per sententiam ad id detractorem obstringit. Igitur cum diffamator debeat modis omnibus operam dare ad restituendam famam, tenetur etiam ad id per exhibitionem pecuniæ, si aliter non valeat. Hinc tamen non inferas, diffamatum posse clam accipere pecunias in compensationem famæ, quam diffamator non vult, aut nequit restituere; quia compensationi occultæ non datur locus, nisi debitum sit undequaque certum, liquidum, & determinatum, quod non accidit in præsenti.

110. Inq. 7. An cesset obligatio famam restituendi per compensationem, servata æqualitate? In hac quæstione tria supponenda sunt. 1. quod ad recuperandam tuam famam minime vales alium infamare: quia hoc non est medium ad famam consequendam. 2. quod si infamia est inæqualis, non valet una pro alia compensari; quia compensatio postulat æqualitatem in debito, & credito. 3. quod si alter, qui te infamavit, velit tibi famam restituere, debes tu vicissim illi absque compensatione satisfacere: quia nemo potest uti compensatione, quando debitor vult solvere. Igitur quæstio solum est, an quando alius te infamavit, & tu illum similiter infamasti æquali, vel fere æquali injuria, & ille recusat tibi satisfacere, possis uti compensatione, & differre restitutionem, non quidem ad vindictam, sed ne ea confirmes indirecte tuam infamiam? R. affirm. & constat ex dictis *tract.* 19. *n.* 198.

CAPUT III.

De foro judiciali.

QUia Judex, accusator, testis, & reus sunt personæ essentialiter requisitæ ad publicum judicium, idcirco de illis in hoc tertio capite erit nobis sermo cum D. Thom. 2. 2. *q.* 67. *& seqq.*

PUNCTUM I.

De foro, causa, & judice.

111. Inq. 1. Quid sit forum? R. Est *exercendarum litium locus.* Appellatur ita a *fando*, vel a *ferendo*, vel a Rege *Foroneo*, qui primus Græcis leges dedit. *Causa* est *materia negotii*, quæ dum proponitur, dicitur *causa*, dum discutitur, *judicium*, dum finitur, *justitia.* Judicium est *legitimus actus duarum personarum actoris, & rei super eadem quæstione, sub eodem Judice contracta.* Causa dividitur primo in *ecclesiasticam*, & *sæcularem.* Prima ad Judicem ecclesiasticum, secunda ad sæcularem pertinet. Secundo dividitur in *civilem*, *criminalem*, & *mixtam. Civilis* est, quando agitur de re pecuniaria: *criminalis*, quæ versatur circa aliquod crimen: *mixta*, quæ partim est civilis, & partim criminalis, ut quando agitur de crimine civiliter ad reparationem damni illati, non ad punitionem. Crimina mixti fori sunt, in quibus datur prævention, sicut blasphemia simplex, perjurium, usura, sortilegium, & similia a laicis perpetrata, nam si ab ecclesiasticis patrentur, ad Judices ecclesiasticos pertinent.

112.

112. Inq. 2. Quid sit Judex ? R. est *persona habens potestatem , & jurisdictionem ad judicandum.* Alius est *ordinarius* , alius *delegatus. Ordinarius* est , qui habet dignitatem , vel officium , cui ex jure , consuetudine , aut præscriptione convenit jurisdictio ; sive suprema , ut in Pontifice , Rege , aut Principe : sive inferior , ut in Episcopis , Parochis , & aliis Rectoribus ecclesiasticis , aut sæcularibus. *Delegatus* est , qui habet jurisdictionem , seu potius usum jurisdictionis ex commissione Superioris: potest autem dupliciter habere delegationem , vel generaliter ad omnes causas , & sic potest eam aliquando subdelegare : vel particulariter ad certam causam , aut peculiare negotium. Deinde alius dicitur Judex *arbiter* , qui ex partium consensu eligitur : & est duplex , unus qui proprie dicitur *arbiter* , qui sententiam ferre debet juxta juris leges , cui stare partes debent sub aliqua gravi pœna a se ipsis assignata, Alius dicitur *arbitrator*, qui non tenetur sententiam ferre , servato ordine juris , sed dirimere litem amicabiliter , juxta æquitatem naturalem pro suo arbitrio. Ulterius sunt alii Judices dicti *Pedanei* , qui solum judicant de causis minoribus , aut vilibus. Denique , omissis aliis , dividitur Judex in *competentem* , & in *incompetentem* : Hic autem non est legitimus Judex.

113. Inq. 3. Quot modis acquiratur jurisdictio ? R. quinque modis acquiri posse. 1. Ratione dignitatis , vel officii: ut Papa in tota Ecclesia , & Rex in Regno. 2. Ratione delegationis , vel commissionis. 3. Ratione delicti , vel contractus , domicilii , aut rei , de qua movetur causa. Privilegiatus etiam potest puniri a Judice territorii , in quo deliquit. 4. Ratione injuriæ subdito alterius Principis illatæ. 5. Ex consensu partium, ut diximus de Judice arbitro. Qui absque aliqua ex prædictis jurisdictionibus aliquem reum judicaret , peccaret graviter contra justitiam , & illius sententia nulla esset , quia usurparet jurisdictionem , qua caret. Verum sententia , & alia acta , quæ fiunt a Judice , carente potestate , sed habito ut tali titulo colorato , & errore communi , valida sunt tam in foro interno , quam externo , ut tenet communis sententia.

Punctum II.

De aliis requisitis in judice.

114. Inq. 1. Supposita jurisdictione quænam alia requirantur in Judice ? R. in primis requiritur justitia , seu rectitudo , ut secundum merita causæ , & legum præscripta judicet sine acceptione personarum , juxta illud *Sap. 1. Diligite justitiam , qui judicatis terram.* Justitia pingitur , ut virgo velatis oculis , ne respiciat personas , una manu tenens libram , altera gladium , ut , appensis meritis , unicuique tribuat cito , quod ei debetur. Judex igitur sit justitia animata , ut juxta leges , & merita cujusque juste , ac recte judicet. Judex enim est quasi *jus dicens.* Deinde requiritur in judice scientia eorum , de quibus judicat, ne cæco , & imprudenti modo procedat, sed bene instructus de causis sententiam ferat ; alias *judicium durissimum* ei fiet, ut minatur supremus omnium Judex *ibi cap. 6.* Nec juvat dicere , quod per alios satis instruuntur ; sibi quippe est necessaria scientia , aliter enim sicut per adjutores aliquando instruuntur , sic per eos quandoque falluntur , vel falli facile possunt. Præcipua cura ipsis incumbit, ipsosmet minatur Deus , igitur vel renuntient officium , vel illud diligenter explere curent. Rationi repugnat , quod ego comedam , & alius laboret : quod sim ego honoratus officio ; & exoneratus a labore.

115. Inq. 2. An Judex sive in civilibus , sive in criminalibus debeat judicare juxta allegata , & probata , punireque reum pœna proportionata delictis , quibus accusatur ? R. affirm. sententiam hanc amplectitur tota schola Thomistica cum suo Angel. Doct. manetque sufficienter explicata , & probata *tract.* 16. *a num.* 14.

116. Inq. 3. An liceat intercedere apud judices , ut reis parcant , aut pœnam remittant ? R. si fiat prudenter , & absque importunitate , aut præjudicio tertii, licitum est , ut testatur communis praxis piorum , ac timoratorum : quia esto regulariter Judices teneantur judicare secun-

cundum leges, aliquando vero ex honestis causis valent remittere rigorem legis: maxime circa pœnas arbitrarias, & nulli in particulari applicatas: inspicienda tamen est indoles Judicis; nam si rectitudine polleat, securius; si facilior sit, cautius est exorandus.

117. Inq. 4. An Judex possit ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem? Vel quando opiniones sunt æque probabiles, an valeat favere parti, quam maluerit, aut accipere pecuniam pro ferenda sententia in favorem unius præ alio? R. neg. constat ex propositionibus damnatis, & rationibus expositis *tract.* 2. *num.* 89.

118. Inq. 5. An Judex possit aliquem damnare absque accusatore? Resp. regulariter non posse: quia nullus est simul accusator, & Judex, nisi ex Dei peculiari commissione, uti fuit Daniel contra senes. Non tamen requiritur accusator formalis, pluries enim sufficit virtualis. Ut dum adest notorietas, aut publicitas delicti. Vel infamia publica, aut clamorosa insinuatio, quæ est vox totius populi, aut rumor inter multos: vel quando crimen committitur coram Judice, & aliis, quibus probari valet: vel delictum est contra bonum commune: vel denique quando datur denuntiatio canonica, quæ fit ad vitanda damna.

119. Objic. 1. Prælati regulares puniunt subditos, & magistri discipulos absque accusatore, ergo similiter Judex poterit idem facere. R. quod Prælati, & magistri regulariter puniunt circa defectus leves, ad quod non requiritur accusator: nam etiam Judex potest decidere causas leves, omisso ordine juris. Si autem Prælati de causis gravibus punire velint, debent observare ordinem juris saltem naturalis, & ea, quæ ad substantiam judicii postulantur: relinquendo delicta gravia occulta soli Deo puniendo.

120. Objic. 2. Accusator solum requiritur, ut delictum innotescat judici, ergo dum ipse illud videt, necessarius non est. R. neg. antec. Quia accusator formalis, vel virtualis exigitur, ut perveniat notitia delicti ad Judicem juridice. Ideo, si solum Judex illud videt, nequit procedere ad punitionem; quia illius notitiam juridice non habet. D. Thom. *a.* 3.

121. Inq. 6. Quid sit pejus, an quod judex, vel Prælatus sit nimis pius, aut quod sit nimis exactus, vel rigidus? R. utrumque esse malum, quia omnia extrema sunt vitiosa; sed judex, aut Prælatus nimis pius solet esse nimis remissus: ex quo sensim pullulat relaxatio communitatis, accrescunt vitia, quia non puniuntur; decrescit virtus, quia non fovetur; boni deplorant, improbi rident, & omnes dissolvuntur cum maxima pernicie reipublicæ. Unde enim tanta dissolutio morum, tantaque relaxatio communitatum? Non aliunde, nisi ex remissione Superiorum. Zelent isti, & vitia, ac vitiosi non prævalebunt; sed proh dolor! accidit quod, volente Judice, aut Prælato inferiore se gerere cum justa rectitudine, accusatur ut rigidus ad Superiores, credunt isti querelas, impius prævalet adversus justum, & via impiorum prosperatur, delictaque remanent impunita: Si Superiores non fovent Judices subalternos, actum est de omni disciplina, sive civili, sive militari, sive regulari. Omnia tamen proveniunt ex remissione: hæc igitur nocet reipublicæ, & communitati plusquam severitas, proindeque pejor est. Cum bonis, & humilibus sit dulcis Superior; cum pravis, & rebellibus sit rectus. Uno verbo, curet: *Parcere subjectis, & debellare superbos.*

122. Inq. 7. An defectus officii sint quid pejus in Judice, aut Prælato, quam defectus personales? R. affirm. quia defectus personales solum nocent ipsi Superiori; defectus vero officii nocent pluribus. Unde potest quis esse pravus sibi, & bonus Judex, aut Prælatus, si recte obeat munus suum: qui autem deficit circa officium proprium, & sibi, & aliis pravus est. Judices, & Superiores, ut plurimum plus peccant omissione, quam commissione.

123. Inq. 8. Quæ aliæ qualitates requirantur in Judice? R. valde necessaria est ei probitas vitæ. Hæc autem est duplex, alia exterior, alia interior. Prima consistit in eo, quod non tribuat exempla pravitatis, aut scandala, & abstineat a verbis contumeliosis, & muneribus accipiendis. Secunda est abstinentia ab odio, amore, aut alia prava affec-

fec-

fectione. Non peccat Judex sententiam ferendo in peccato mortali, ex quo scandalum non oriatur: quia sententia nec est actio sacra, nec connexionem necessariam habet cum gratia. Unde ut error in fide profligatur delirium Wicleff asserentis sententiam Judicis, existentis in peccato mortali, esse nullam.

124. Ulterius requiritur in Judice celeritas in causarum expeditione: quia ex officio tenetur quantocius jus suum unicuique tribuere, cui obligationi deficit causas procrastinando cum præjudicio reipublicæ, & partium, quibus debet restituere expensas, & damna ex sua negligentia, & morositate secuta. Præterea in judice exigitur ætas competens, quæ pro diversis Regnis diversa solet assignari. In Hispania requiruntur saltem viginti sex anni incæpti. Denique alias conditiones, ut quod judices timeant Deum, Regem, & Superiores, non sint avari, nec iracundi, sed mansueti, conclamant omnes leges, præsertim Hispanicæ.

Punctum III.

De donationibus factis judicibus.

125. Inq. 1. An liceat judicibus aliquas donationes, aut xenia a clientibus recipere? R. Quod judicibus, & aliis ministris justitiæ habentibus salarium designatum pro suo munere, omni jure naturali, positivo divino, & humano esse reprobatum accipere dona, esculenta, aut xenia a clientibus, quia est moraliter impossibile judicem præfata accipientem procedere in exercitio sui muneris debita rectitudine: qua ratione *Deuter.* 16. dicitur. *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum.* Et Eccles. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum.* Idem declamant leges Castellæ, quæ severe prohibent Judicibus, & aliis ministris recipere dona, xenia, esculenta, aut poculenta, nec per se, nec per suas uxores, aut filios directe, aut indirecte sub pœna privationis officiorum. Unde Alcamenes Judex Spartanus rogatus cur munera sibi oblata non accepisset? Respondit: *Quia si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem.*

126. Inq. 2. An Judices, & alii ministri justitiæ præfata accipientes, teneantur ad eorum restitutionem. R. affirm. quia ea accipiendo, agunt contra leges justas, & accipiunt injuste, ergo tam ex actione injusta, quam ex re accepta, restituere astringuntur, ut pluries cavent leges Castellæ. Imo de secretariis *tit.* 18. *leg.* 1. dicitur: *Por manera que sean obligados à los pagar in foro conscientiæ, sin que mas sean, ni esperen ser condenados en ellas.*

127. Verum Judex extra proprium domicilium proficiscens ad aliquem actum justitiæ exercendum in utilitatem reipublicæ, aut aliorum, potest moderatas expensas itineris excipere, quia ad has non tenetur ex vi officii. Idem dicendum est de Episcopo, dum visitat Dioecesim, aut Ecclesiam consecrat. Potest enim tunc ex jure communi, & ex Tridentino in victualibus expensas recipere moderatas; non tamen nec per se, nec per alios dona, aut munera sub obligatione duplum restituendi *ex cap. Romana. §. Procurationes de censibus in 6.*

128. Inq. 3. Cui facienda sit restitutio prædictorum a Judicibus, & justitiæ ministris? R. debere pauperibus restituere munera, quæ a clientibus mutua conventione, seu sponte oblata recipiunt; quia per leges justas dantes, & recipientes privantur eorum retentione. Ea vero, quæ fraude, dolo, aut alia via injusta extorquent a clientibus, istis restituere tenentur: quia injustitiam in tali extorsione eis inferunt.

129. Qui judicibus, aut aliis justitiæ ministris donant munera, aut xenia peccant graviter, quia eorum injustitiæ cooperantur. Dantes, aut recipientes pro obtinenda justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam peccant, tenentur ad restitutionem, & insuper incurrunt excommunicationem majorem Pontifici reservatam: quas pœnas a Bonifacio *VIII.* impositas, extendit ad fautores, & complices Greg. *XIII.* & clericos contravenientes omni officio, & beneficio defacto privat. Unde solum in aliquo casu raro, ad injustam vexationem redimendam, licitum erit Judici, & ejus ministris munera, & xenia offerre. Quod supponitur

a jure Hispano, quod permittit posse repeti, si quæ judici donata fuerint, ne injuste judicaret. *Leg. fin. tit.* 22. *part.* 3.

130. Inq. 4. Quibus pœnis subjaceat Judex, qui muneribus corrumpi se permittit? R. Judex *Baratrus*, seu corruptus præter gravissimam culpam, & infamiam, quam incurrit, maximis pœnis subjicet. Unde non semel excoriata ejus pellis sedi tribunalis ad aliorum terrorem affixa est. Ita fecisse Cambysem, fertur, cum Sisamni judice corrupto, & Regem Persarum cum alio. Jure communi judex corruptus pecunia capite multabitur: quod præcipue urget, dum innocentem morti traderet. Jure Hispaniæ, si causa est pecuniaria, ad restituendum duplum Judices, & quadruplum secretarii astringuntur; & insuper damna, & expensas, quæ injuste damnatus passus est. Jure canonico Judex ecclesiasticus Baratriam committens, ab officio per annum suspenditur. Eisdem pœnis subjacent judicem corrumpentes, ut injustam proferat sententiam: quia corruptus, & corrumpens sunt correlativi.

131. Inq. 5. An judex executor, seu commissarius electus ad plures faciendas executiones in eodem, vel diversis locis, possit a singulis debitoribus integrum, & diarium stipendium exigere? R. negat. Nam stipendium diarium executori designatum a judice, ut duodecim regalium in nostra Hispania, est pro opere uniuscujusque diei, & non pro munere executionum, quæ eodem die confici possunt, ergo dividendus est inter omnes debitores, ita ut singuli pro rata ad illud solvendum, & non amplius astringantur. Sic expresse cavetur *in leg.* 6. *nov. Recopil. lib.* 6. *tit.* 14.

132. Nec judices mittentes executores possunt cum eis pacisci, ut dent illis partem stipendii designati: quia judex non est dominus, sed merus dispensator horum officiorum, ergo nulla adest ratio, ut partem stipendii sibi accipiat. Potest tamen creditor, quando in instrumento obligationis assignatum est salarium eunti ad recipienda debita, convenire cum executore pro minori stipendio, sibi reliquum reservando: quia tale stipendium est designatum, velut pœna conventionalis in favorem creditoris, ut debitor citius solvat, ergo poterit ille cum executore pacisci, ut secum dividat. Si executor pergat ad locum executionis per viam longiorem, quam opus est, nequit percipere salarium correspondens longiori itineri, ut ex se patet.

PUNCTUM IV.

De modo procedendi per inquisitionem.

133. Tripliciter potest judex procedere ad ferendam sententiam, nempe per *inquisitionem*, per *accusationem*, & per *denuntiationem*. Procedit per inquisitionem, quando, nullo accusante, ex officio inquirit de delictis, & delinquentibus ad purgandum populum ab sceleratis. Procedit per accusationem, quando adest accusator deferens delictum ad judicem. Procedit per denuntiationem, quando defertur judici crimen ab eo, qui ad illud probandum non vult se obligare.

134. *Inquiro* est idem, ac *inter quæro*, vel *valde indago*, seu *investigo*. Unde prout ad criminalia refertur, inquisitio est *criminis, vel criminosi per judicem legitime facta indagatio*. Dividitur in *generalem*, *specialem*, & *mixtam*. *Generalis* datur, quando judex, incerto delicto, & delinquente, absolute inquirit, absque eo quod explicet crimen, vel personam, uti efficiunt Visitatores in suis visitationibus. *Specialis* est, quando de certa persona, & culpa fit inquisitio, ut dum quæritur, an Petrus furtum fecerit. *Mixta* est, quando delictum exprimitur, persona vero inquiritur in communi: ut si, invento homine occiso, & homicida ignorato, a judice per inquisitionem quæratur: vel econtra, quando persona est determinata, & crimen in generali, ut si de Petro inquiratur, an in officio, quod finivit, aliquod crimen commiserit.

135. Inq. 1. An ad inquisitionem generalem requiratur, quod præcedat infamia? R. negat: quia ad purgandam rempublicam, vel Diœcesim necessaria est talis inquisitio, ex qua nulli fit injuria, quia de nullo fit specialis inquisitio. Si autem aliqui ignoranter ex vi hujus inquisitionis delicta occulta manifestent, hoc

est

est præter intentionem, & per accidens ex simplicitate eorum, ob quod non est omittendum medium per se omnibus utile. Ad vitandum autem prædictum inconveniens, debent judices, saltem ex charitate, in suis edictis monere, quod tantum inquirunt de delictis, quorum authores aliqua laborant infamia, maxime in populis, & villis, ubi viri docti sunt pretiosi, & in visitationibus monialium. Non est hic sermo de delictis ad S. Tribunal spectantibus: hæc enim, & alia, quæ in damnum commune cedunt, etiam absque ulla infamia præcedente, denuncianda sunt.

136. Inq. 2. Quid debeant inquirere visitatores monialium? R. debent quærere, an moniales officia divina devote persolvant: an pannis sericis, sandaliis comatis, crispatis crinibus, aut virgatis capaciolis utantur: an sæcularium festa, aut choræas agant: an cum devotis suis frequenter confabulentur: An recipiant sorores ultra eas, quæ redditibus monasterii decenter sustentari valent: an observent proprias leges, & constitutiones: maxime vero clausuram, & alia expressa a Bonifacio *VIII. in cap. Periculoso, de statu regul. in* 6.

137. Inq. 3. An ad procedendum per inquisitionem specialem requiratur infamia? R. affirm. quia inquisitio specialis est de persona determinata, cui per inquisitionem fit injuria, nisi præcedat infamia. Excipiuntur aliqui casus, ut crimen hæresis, apostasiæ, læsæ Majestatis, falsificationis monetæ, & alii, in quibus procedi valet, etiam infamia non præcedente. Exceptis igitur peculiaribus casibus, ad inquisitionem specialem debet præcedere infamia, vel indicia manifesta, quod potiori ratione observandum est circa ecclesiasticos, & regulares, quia eorum fama præstantior est fama sæcularium.

138. Inq. 4. An ad inquisitionem mixtam requiratur infamia delinquentis? R. negative. Testatur hoc communis praxis, quia judices, invento cadavere hominis occisi, inquirunt de occisore, ut suo muneri, populoque satisfaciant; scandalum enim daret subditis videntibus homicidium, si non curaret malefactorem inquirere. Verum testes non tenentur manifestare occisorem occultum, cujus nulla præcessit infamia, nec ad id potest judex obligare: quia illicitum est peccatorem occultum manifestare. Unde multo minus quit ipsum reum, si forte ut testis vocatur, ad se prodendum compellere, nisi servato ordine juris.

139. Si autem testis, aut reus aliquod crimen occultum manifestet injuste judici in inquisitione generali, probabilius est, posse deinde judicem procedere contra reum per inquisitionem specialem, si injustis interrogationibus non extorsit notitiam criminis occulti. Quia Judex ex vi sui officii tenetur procedere contra reum, ut talem juridice cognitum; sed in casu posito reum cognovit juridice ex notitia a teste manifestata, esto ignoranter, aut injuste, ergo potest, & debet contra reum procedere, nam fere omnes criminisi laborant infamia ex aliqua prima notitia injuste manifestata. Si vero Judex injuste extorsit notitiam, minime valet procedere contra reum, quia omnia acta erunt nulla, & injusta.

140. Prælati nequeunt inquirere de delicto subditi particularis cum dubio, quia in dubio melior est conditio possidentis. Imo Prælatis præcipue incumbit attendere famæ subditorum, nihil in publico agendo, quod de illis aliquam diffidentiam manifestet, nec inopinato cum dedecore illos mutando in alium conventum, aut avertendo illos ab aliquo officio, nisi necessitas, aut decor communitatis urgeat.

PUNCTUM V.

De requisitis ad inquisitionem specialem.

141. Inq. 1. Quæ sint necessaria ad hoc, quod inquisitio specialis valida sit? R. Plura requiri. 1. requiritur probatio corporis delicti. Unde praxis Judicum est interrogare cadaver, a quo fuerit occisum, ut ex eo constet, vere esse occisum, & ex non responsione, probetur corpus delicti. 2. requiritur accusator saltem virtualis, hoc est, infamia probata: non enim sat est adesse infamiam, sed debet hæc probari saltem per duos testes singulares. 3. quod contineat omnes

nes delicti circumstantias, ut sic possit reus in judicio se defendere de hoc furto, hoc homicidio, aut quid simile. 4. Debet explicari locus, & tempus. 5. Ut procedat ex indiciis publicis. 6. Quod fiat a Judice competente. 7. Quod fiat intra viginti annos a commissione delicti. Aliqua delicta post quinquennium præscribunt, ne possit contra ea jam procedi: ut adulterium singulare, stupium absque vi, lenocinium, & incestus. 8. Quod reus non sit absolutus de tali crimine; quia de eodem delicto bis quæri non potest, nisi novæ deducantur probationes, aut in alio casu raro.

142. Inq. 2. Quomodo sit procedendum per viam inquisitionis in regularium causis? R. Prælatus habens legitimam potestatem ad formandum processum contra reum, probata juridice infamia, & in capite processus posita, debet primo eligere secretarium, qui præstando juramentum fideliter suum munus exercendi, conscribat omnia acta coram ipso Judice gerenda. Deinde debet examinare testes idoneos per articulos ab eodem, & secretario distincte formatos, sumendo ab eis prius juramentum de veritate dicenda, & inquirendo uniuscujusque ætatem. Sacerdotes jurare debent in *verbo Sacerdotis*, posita manu supra pectus. Laici Deo, & cruci efformando illam, vel tangendo eam. Nota, quod, peracto examine in fine ultimæ responsionis cujuslibet testis, debet secretarius ita scribere: *Quæ omnia affirmavit, vera esse sub juramento, quod fecit: & cum omnia, quæ deposuit, ei lecta fuissent de verbo ad verbum, illa ratificavit, propriaque manu subscripsit.* Debet etiam Judex, & secretarius subscribere. Si autem testis nesciat scribere, debet unam crucem sic ✠ efformare, & alius pro eo subscribere, suum nomen, non testis, apponendo; quod secretarius expresse adnotabit.

143. Post hæc videat Judex, quid convincatur ex testium depositione: Si enim nullus testis oculatus, nec semiplena adest probatio, nequit reus legitime interrogari; sed procedendum ad alios testes examinandos, vel desistendum ab ulteriori inquisitione: nisi adsint gravia indicia, & infamia, quæ, ut probata, quit esse testis contra reum, licet, ut publica, sit accusator.

144. His præjactis, & reo citato, vel fatetur culpam, vel negat. Si primum, concedat tempus congruens, ut si quam habet excusationem, illam proponat, & ratificet primam confessionem, ut sic maturius procedatur: qua confessione, & ratificatione supposita, potest proferre sententiam. Si delictum negat, & est plene probatum, valet etiam, sufficienti tempore concesso, sententiam proferre. Si non adsit plena probatio, procedi debet ad reum convincendum, alios testes examinando, & etiam per torturam, quæ in regularibus mitiorem esse convenit, ut per strictiorem carcerem, severiora jejunia, aut verberationem. Si in tortura veritatem negavit, absolvendus est; quia tunc indicia purgare dicitur. Si vero illam fateatur, postea extra torturam ratificare debet, & sic procedi valet ad ferendam sententiam.

145. Quando per viam inquisitionis proceditur, quamvis plena probatio obtineatur, mitius agendum est in pœna imponenda, quam si per accusationem procedatur. Quod intelligas ex jure canonico, & quando delictum non est notorium, aut ex confessione partis comprobatum; nam jure civili debet Judex imponere pœnam ordinariam delictis. Regulares appellare valent de sententia Prælati inferioris ad Superiorem, servato ordine juris intra religionem: at ad Judices extra ordinem solum, quando sententia foret contra propriam regulam, aut constitutiones nimis excessiva, quod rarissime contingere potest. *Vid. tract.* 38. *num.* 71. *& seq.*

146. Regulares in sententiis proferendis non tenentur observare apices juris, ut sunt citationum intervalla, dilationes interlocutoriæ, quod sententiæ prolatio sit sedendo, & alia, quæ non spectant ad essentiam judicii: hac enim observata, procedere valent rejiciendo protestationes calumniatorias; dolosas, aliasque inanes exceptiones: *Simpliciter, summarie, & de plano sine strepitu, & figura judicii, sola veritate facti inspecta,* juxta proprias ordinis constitutiones, & privilegia apostolica diversis religionibus concessa.

PUNC-

Punctum VI.

De accusatore.

147. Inq. 1. Quid sit accusatio ? R. est *delatio rei de crimine commisso facta in libello accusatorio coram judice competente ad vindictam ad bonum commune.* Quinque requiruntur ad legitimam accusationem. 1. Quod fiat in scriptis ab accusatore, vel a notario. 2. Quod nomen accusatoris, & accusati, vel saltem hujus officium scribatur. 3. Quod etiam scribatur species delicti in particulari, ut reus possit se defendere. 4. Quod exprimatur locus, & tempus, in quo delictum fuit commissum. 5. Quod accusator subscribat accusationem, ut censeatur obligatus ad probandum delictum : alias exponitur infamiæ, & pœnæ talionis, vel arbitrariæ a judice infligendæ.

148. Accusatio differt ab inquisitione, quia in ista potest procedi ex sola infamia : at in accusatione defertur crimen ad judicem. Differt a denuntiatione evangelica, quia hæc non fit judici, ut tali, sed ut patri : illa vero fit judici, ut judici. Differt etiam a denuntiatione judiciali in eo, quod licet hæc fiat judici ut tali, sine obligatione tamen ad probandum delictum : accusatio vero hanc subit obligationem. Unde accusatio differt essentialiter a denuntiatione evangelica, & accidentaliter a denuntiatione judiciali. *Ang.* 2. 2. *q.* 68. *a.* 1.

149. Hujusmodi accusatio judicialis locum habet etiam apud religiosos : quia isti non minus quam sæculares debent attendere bono communi religionis. Verum est, quod, si damno occurri valeat per viam denuntiationis, judicialis accusatio rejicienda est, ne turbetur pax religiosa, & ne charitas diminuatur.

150. Probabilius est sæpe homines teneri sub gravi ad accusandum, ut in criminibus, quæ cedunt in damnum commune religionis, vel reipublicæ, quæ sunt hæresis, proditio patriæ, aut civitatis, compilatio erarii publici, conjuratio in Regem, & similia, quæ si probare vales, ad accusandum teneris : si vero nequeas probare, ad ea denunciandum : imo illi, qui ex officio tenentur accusare, ut custodes agrorum, aut vinearum, & ministri Regni, si omittant accusationem, peccant graviter, & ad restitutionem tenentur : quia ex justitia ad id sunt obstricti. Alii, qui ex officio non obligantur, peccant graviter contra charitatem, si commode possint accusare delictum vergens in damnum innocentis, & omittant : quia ex jure naturæ tenetur quilibet defendere innocentem. Ad vindicandam propriam injuriam nemo tenetur accusare, si possit cedere juri suo absque alterius detrimento.

151. Inq. 2. Qui prohibeantur accusare ? R. dari plures legibus inhabiles ad accusandum ; ut infames, excommunicati, pupilli, filii contra parentes, aut parentes contra filios, laici contra clericos, omnes regulares contra religiosos, religiosi unius Ordinis contra religiosos alterius, inimicus capitalis ; talis dicitur cognatus ejus, qui occisus fuit, vel conatus est occidere, aut graviter diffamatus, vel spoliatus majori parte rei familiaris, criminis socius, clericus in causa sanguinis, juxta dicenda de irregularitate. Omnes memorati sunt inhabiles ad accusandum quibusdam limitationibus, quæ apud authores videri possunt. Religiosus ex gravi causa posset, esto raro, accusare suum Abatem, au Prælatum, non solum de crimine hæresis, aut alterius in damnum commune cedentis, sed etiam in propriam justam defensionem : quo in casu expensæ ad litem, si alias peculium non habeat, sunt ei de bonis monasterii tribuendæ. Sæculares nisi de licentia Abatis accusare nequit monachus, quia mortuus est mundo, ut dicitur *cap. Placuit.* 16. *q.* 1.

152. Judices repellere debent plures querimonias, & accusationes inanes, ac frivolas ex invidia, non ex zelo prodeuntes : quia, & judices, & patres sunt, qui communi debent attendere tranquillitati, & paci, quæ maxime his querelis perturbatur ; si autem scandalum timeant sequendum, occurrant illi prudenter, vel manifestando causam omittendi, vel dicendo se sufficientem habere ad repellendum similes accusationes, quæ utpote exortæ ex venenata radice, plus nocent, quam prosunt reipublicæ, majoraque scandala, ac amariores fructus ad-

admissæ, quàm repulsæ producunt.

Punctum VII.

De Denunciatione.

153. Inq. 1. Quid sit denunciatio? R. est *manifestatio facta Superiori, ut remedium, aut correctionem, vel pœnam adhibeat.* Apud Theologos est duplex, nempe *evangelica*, qua defertur crimen Superiori tanquam *patri* ad emendationem; & *judicialis*, qua crimen defertur Superiori, ut *judici*: vel ad punitionem, vel ad compensationem damni illati; vel ne indignus ad officia, aut ordines promoveatur, aut matrimonium contrahat. Differt ab accusatione, quia hæc ad punitionem ordinatur: denuntiatio vero arbitrio judicis negotium relinquit. Differt etiam, quia accusatio debet fieri in scriptis, quod non exigit denuntiatio. Differt denique; quia accusator debet probare delictum; secus vero denuntiator. Ad denuntiationem evangelicam regulariter necesse est, quod præcedat correctio fraterna, non autem ad judicialem, ut constat ex dictis de fraterna correctione..

154. Denuntiatio evangelica aliquando transire potest ad judicialem; nempe, quando prius defertur crimen ad Prælatum tamquam ad *patrem*, ut ab ipso correptus resipiscat; si autem non corrigatur, & per fiscalem, aut alium denuntietur Prælato ut judici, quia tunc, præmissa trina canonica monitione, poterit illi imponere excommunicationem, ne simile delictum committat. Pariter denuntiator potest transire in testem, quando judex procedere vult ad punitionem: quia, finito processu fraternali, incipit judicialis: quo in casu denuntians non est respectu ejusdem processus simul denuntiator, & testis.

155. Quando Prælato denuntiatur crimen subditi non probabile per duos testes, & idem est, si ipse illud vidit, debet, ut verus pater corrigere secreto, vel coram duobus viris prudentibus subditum, ut in meliorem frugem reducat. Verum, si omnia ad hunc finem apposita frustrentur, nihil aliud facere debet, præter continuas preces ad Deum pro illo fundere; nisi in damnum commune delictum cederet. Nam homo solum probabilia judicare, & punire valet. Imo esto delictum sit per duos testes probabile, si adhuc manet occultum, nequit Prælatus, cui fraternaliter denuntiatum est, deducere illud ad forum contentiosum; alias subditi videntes Prælatum ex denuntiatione evangelica ad judicialem transire, eos cogendo ad testificandum, deterrentur a faciendis denuntiationibus evangelicis; quod cederet utique in damnum commune, essetque contra præceptum correctionis fraternæ.

156 Inq. 2. An quando Prælatus inferior potest corrigere, & emendare delictum, quod sibi est denuntiatum, peccet illud manifestando Prælato superiori? R. affirm. quia defectus proximi est curandus cum minori damno famæ ipsius, ergo dum Prælatus immediatus valet illum emendare, contra charitatem ageret, Superiori revelando. Quod asserimus, quando culpa ex mera fragilitate est raro commissa. Nam si subditus esset assuetus ad eam, potest, & debet moneri Superior, ne occasionibus illum exponat. Idemque intelligas, quando subditus de uno in aliud transit monasterium. Advertant igitur subditi, quod ita incumbit Prælatis eorum attendere famæ, ut simul eorum spirituali saluti prospiciant, & religionis decori.

Punctum VIII.

De testibus.

157. Inq. 1. Quid sit testis? R. est *legitimus probator super statum causæ alterius adductus.* Testis omni exceptione major dicitur, qui habet omnia requisita a jure petita, & reprobari non valet, & ideo dicitur legitimus. Econtra, qui aliquo requisito caret, vel cui aliqua exceptio juris opponi valet, dicitur inhabilis, seu illegitimus.

158. Inq. 2. Qui repellantur a testificando? R. in primis mulier nequit testificari in criminalibus jure canonico. Jure vero civili mulier probatæ vitæ est testis habilis, sive in civilibus, sive in criminalibus; ita ut si duæ fœminæ, & duo viri testificentur opposita, credendum

dum sit fœminis, si probatæ vitæ sint; secus vero viris: quia attenditur qualitas plusquam sexus. Deinde minor viginti annorum inhabilis est ad testificandum in criminalibus, & impuberes etiam in civilibus. Similiter infames, inimici capitales, socii criminis, viles, inopes, servi infideles, perjurii, consanguinei, domestici, advocati, & procuratores in eadem causa, laici contra clericos, pariter clerici, & religiosi absque licentia Prælati nequeunt licite testificari. Omnes enumerati repelluntur a testificando, quando veritas aliter haberi potest; sin, admitti debent, & faciunt probationem, quę juncta cum aliis indiciis sufficiat ad fidem, seu torturam. D. Thom. *a.* 3.

159. Inq. 3. Qui dicantur testes singulares? R. tales dici, qui testificantur de diversis factis, aut delictis: vel quando unus solus potest de delicto testificari. Tunc si est legitimus, facit semiplenam probationem; probatio enim plena solum habetur per duos testes contestes: & sunt contestes, quando conveniunt in testificando de eodem delicto, & in circumstantiis principalibus, ut in tempore, & loco. Si autem unicus testis est officialis publicus, ut custos agrorum, medicus, chirurgus, & peritus in sua arte, facit plenam probationem. Similiter unicus testis sufficit ad probandam Ecclesiæ consecrationem, baptismi, & aliorum sacramentorum receptionem, ad impediendum matrimonium, & læsionem minoris, ad probandum miraculum secum operatum, suppositis indiciis, & ad interpretandum testamentum quoad legata, aut hæreditatem, quando testator dicit in testamento, ut stetur dicto talis personæ. D. Thom. *a.* 2. *ad* 2.

160. Inq. 4. An testis legitime interrogatus de aliquo delicto, teneatur ad judicis mentem respondere? R. affir. alias est perjurus, & peccat graviter contra obedientiam, & justitiam legalem, aut etiam commutativam, si inde notabile damnum alteri eveniat. Circa ea autem, quæ sciuntur in confessione, nemo legitime interrogatur; nec circa ea, quæ quis scit sub secreto commisso, tenetur testis, imo non potest testificari, nisi vergant in damnum commune, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. Quando Judex interrogat de factis, testes, qui ea audierunt, non tenentur respondere, quia quæ audimus, non scimus. Si autem interroget de delictis, quæ in voce consistunt, ut blasphemiæ, aut contumeliæ, testis, qui illas immediate a delinquente audivit, tenetur respondere; secus si eas ex alieno, aut mediato auditu perceperit.

161. Testes in criminalibus examinari debent ore tenus coram judice, aut eo legitime impedito, coram alio a se delegato: quia ex aspectu, & gestu testium melius informatur judex de veritate testificata. Debent interrogari de ętate, & deinde de omnibus ad substantiam facti spectantibus, atque de circumssantiis principalibus. Debent postea ratificare sub novo juramento; quod in causis clericorum, & sęcularium, dicunt plures, esse omnino necessarium. Et licet quoad regulares non ita necessarium reputetur; nihilominus in causis gravioribus, sic convenit fieri. Circa novum vero juramentum attendatur, & observetur praxis, & stylus tribunalium.

162. Testis, qui se veritatem dicturum juravit, si inveniatur falsum dixisse circa aliquod substantiale, non probat circa alia. Quando unum dixit in judicio, & alterum extra, priori dicto standum est. Si tabellio unum scripsit, & postea testis aliud se dixisse affirmet, tabellioni est credendum. Qui ex ignorantia, aut oblivione falsum testatus est, debet defectum manifestare judici ante prolationem sententiæ, ne innocens damnificetur. Si autem ex pravitate falsum dixit, tenetur liberare innocentem, etiam cum suæ vitæ, aut famæ dispendio, damnaque inde secuta compensare, atque se retractare; maxime si adsit spes liberandi innocentem a morte, aut infamia: ad hoc enim compellitur propter injustitiam in testificatione commissam. Ex eadem ratione, qui alterum induxit ad falsum testificandum contra proximum, debet ei suadere, ut se retractet coram judice; & recusante teste, tenetur ipse judici suam fraudem manifestare, si adsit spes accusatum liberandi; imo licet non adsit spes eum liberandi, debet, quantum ipsi possibile sit, agere, ut fama læsa restituatur per se, & per alios: ali-

aliter non satisfacit injustæ machinationi. Testis tenetur ex charitate se offerre ad testificandum, si valeat absque gravi incommodo, ut impediat damnum notabile proximi, ut constat ex dictis de charitate.

Punctum IX.

De reo.

163. Inq. 1. An reus semper teneatur respondere judici interroganti? R. Ut ad id teneatur, debet prius certificari judicem legitime illum interrogare: ad quod requiritur, quod ei ostendantur probationes contra eum, suppresso nomine testium, vel indicia evidentia, vel infamia delicti, aut alia, quæ judici præbent jus interrogandi. Quibus patefactis, tenetur reus semper respondere judici legitime interroganti; adhuc quando sua delicta poena capitali puniri debeant: quia judex legitime procedens jus habet interrogandi reum, ergo hic debet ei verum respondere. Sunt quippe correlativa jus interrogandi in judice, & debitum respondendi in reo; sicut jus præcipiendi in Prælato, & debitum obediendi in subdito. Ita D. Thom. *q.* 69. *a.* 1.

164. Objic. Nemo tenetur se prodere, nec obedire Superiori cum periculo vitæ, ergo nec reus tenetur judici respondere cum tali periculo. R. Quando quis a Judice legitime interrogatur, non se prodit, sed ab alio proditur; adest enim sufficiens probatio, ut legitime interrogetur. Subditus autem tenetur obedire Superiori etiam cum periculo vitæ, quoties congruat bono communi: congruit autem malefactores punire, quod sæpe assequi non posset, nisi teneretur reus obedire, ac respondere judici legitime procedenti. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1.

165. Inq. 2. An reus, qui veritatem celavit Judici legitime interroganti, teneatur redire ad eam fatendam? R. Ante prolationem sententiæ tenetur veritatem judici aperire: quia adhuc durat judicis præceptum obligans reum ad veraciter respondendum. Cæterum, prolata jam sententia, non tenetur: quia finitum est judicium, functusque est judex suo officio. Nisi foret crimen hæresis, aut aliud cedens in damnum commune, aut particulare innocentis: quia tunc semper tenetur illud fateri; alias minime quit absolvi; imo in hoc casu tenetur reus manifestare socios criminis: quia hoc charitas, & justitia postulant.

166. Reus, qui metu tormenti falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat graviter contra propriam vitam, & forte contra aliorum famam. Ideo tenetur se retractare, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi. Torqueri prohibentur, nisi in criminibus exceptis, viri illustres, vel alta dignitate pollentes, doctores, milites, senes, impuberes, prægnantes, vel nondum a partu confirmatæ. Injustæ sunt torturæ, quas reus moraliter sustinere non valet; idcirco omnes aliæ mitiores viæ tentandæ sunt, priusquam ad torturam deveniatur, quæ ultimum est medium, & valde periculosum ad veritatem detegendam. Nullus potest torqueri, nisi adsint probationes, aut indicia de crimine tali cruciatui condigna, ita ut sola confessio rei ad plenam probationem deesse videatur; quia tortura instituta est ad probationis subsidium, ubi indicia sunt valde clara, sed non sufficientia ad plenam probationem. Utinam eliminaretur procul a Christiana republica!

167. Si reus in tortura nihil est confessus, nequit iterum torqueri, nisi nova indicia superveniant: quia per torturam priora elisit. Si crimen, quod in tortura fassus est, extra eam revocet, repetitur tortura. Si autem tertio tortus, & fassus, tertio retractet, absolvendus est: quia præsumitur vi tormentorum coactam fecisse confessionem falsam; nisi indicia sint gravissima, quæ violentam pariant præsumptionem, delictum a reo malitiose negari, tunc namque, quarto etiam torqueri valebit juxta aliquos.

168. Inq. 3. An possit reus accusatori opponere falsum, aut occultum defectum in sui defensionem? R. Negative ob quamcumque causam; quia falsum deliberate proferre est intrinsece malum, ergo ob nullum motivum est licitum. Accedit proscriptio doctrinæ oppositæ in propositione 44. damnata ab Innoc. XI. *Proba-*

kabile est, non peccare mortaliter, qui imponit alteri falsum crimen, ut suam justitiam, & honorem defendat, & si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in theologia. Ubi damnatur asserere, non peccare graviter imponentem alteri falsum crimen ad suum defendendum honorem, seu justitiam. Non tamen damnatur opinio asserentium, licere reo infirmare dictum testis, aut accusatoris manifestando aliquod eorum crimen verum, esto occultum. Nec alia opinio astruens, esse probabile, posse reum accusatum de vero crimine occulto impingere accusatori defectum veritatis: esto hujusmodi opiniones non absolute sint in praxi admittendæ. D. Th. *art.* 2.

169. Inq. 4. An liceat reo a sententia appellare? R. Si sententia foret aperte injusta, aut dubia, potest reus per subsidium appellationis sibi consulere. Si sententia est undequaque justa, peccat graviter ab ea appellans, tum quia Judicis obedientiam spernit, tum quia testibus falsum imputat, tunc denique, quia alteri parti præjudicat, ergo peccat graviter, & ad damni cujuslibet inde secuti restitutionem astringitur. In causa criminali licita est appellatio, etiam cum opinione minus probabili, quia potest Judex in criminalibus favere reo etiam cum opinione minus probabili. In causa autem civili non licet appellare, nisi cum opinione probabiliori. Si vero quis agnosceret ex stylo tribunalis superioris, sibi esse favendum, posset licite appellare cum opinione vere probabili, quia jure naturæ cuique licet se via honesta tueri. Nam sæpe opinio, quam Judex superior probabiliorem judicat, Judici inferiori minus probabilis apparet, aut econtra. Idem Angelicus *art.* 3.

170. Inq. 5. An reus possit e carcere fugere? R. Sub distinctione. Vel enim carcer est per modum pœnæ, aut quandiu debita solvat, & sic minime licet reo fugere, si habeat unde solvat, quia pœna juste imposita subeunda est. Vel carcer datur ad custodiam temporalem, aut perpetuam, & in hoc duplici casu potest fugere, quia nemo tenetur subire pœnam ante Judicis sententiam ejus applicativam, nec ad perpetuam, quæ gravissima est. Similiter reus ad mortem damnatus valet licite fugere, etiam infringendo carcerem, ejusque vincula, & parietes, quia cui licitus est finis, licita sunt media; sed apud omnes licitum est reo damnato ad mortem fugere, ergo & media ad hunc finem. Imo aliis, exceptis ministris justitiæ, licet reo consulere, & ministrare instrumenta ad dictum finem. Non autem licet amicis rei juvare immediate, aut physice cooperari ad carceris fractionem, quia ad hoc solum habet jus reus pro sua vita, aut membris tuendis, secus cæteri, quibus tale damnum non imminet. Tenetur tamen reus damna ex fractione secuta, si vires suppetant, solvere. Sicut qui equo alieno in necessitate extrema uteretur, debet solvere domino, si pereat, & habeat ad solvendum.

171. Inq. 6. An liceat reo damnato ad mortem donis, aut pecuniis custodes corrumpere? R. Dummodo absit fraus, dolus, aut mendacium potest decipere custodes sive donis, sive pecuniis, sive astutia, & sagacitate, quia reus habet jus ad suam vitam conservandam, ergo, sublato mendacio, fraude, aut dolo, potest suam vitam redimere quacumque via sibi permissa. Et sicut in bello, aut ludo permissæ sunt quædam astutiæ, aut insidiæ communes, quæ si attendantur, facile percipi possunt; alias non attendenti imputantur, ita in præsenti. Nullo autem modo potest reus custodibus, aut Judici vi, aut armis resistere, esto possit aufugere: alias violaret graviter obedientiam debitam Judici ejusque ministris. Si injuste esset ad mortem damnatus, posset eis resistere ad se defendendum, dummodo absque vi, & armis, & sine scandalo id fieret, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *a.* 4.

172. Quamvis reus ad mortem damnatus possit licite fugere, potest etiam non fugere, sed substinere mortem a ministris infligendam. Similiter esto amici valeant illi consulere fugam, ministrareve instrumenta ad illam, non tamen ad hoc tenentur, nec ad ministrandum cibum damnato, ut fame pereat, licet possint commode ministrare: quia reus nullum jus habet, privaturque omni jure,

re, ut alii ei ministrent ex sententia a Judice prolata. Nihilominus ipse reus debet sumere cibum ab aliis clam oblatum, quia tenetur mediis licitis conservare vitam.

173. Objic. Juxta dicta reus damnatus ad mortem potest non fugere, ergo damnatus, ut fame pereat, poterit cibum non sumere. R. nego conseq. quia non fugiens non sibi immediate infert mortem; verum non comedens illam sibi infert, ut ait Angelicus *ubi sup. ad* 2.

CAPUT IV.

De advocatis, tabellionibus, & aliis curialibus.

ADvocati, & alii curiales accidentaliter ad forum judiciale pertinent; ideo singillatim de eis agemus in hoc ultimo capite, brevitati propriç compendii consulentes.

PUNCTUM I.

De advocatis.

174. Inq. 1. Qui arceantur ab officio advocati? R. Arceri saltem sequentes: amentes, furiosi, impuberes, qui decem, & septem annos non sunt nacti, surdi, muti, cæci, infideles, hæretici, excommunicati, servi, fœminæ, sodomitæ, omnes infames, atque etiam monachi, & Sacerdotes coram judice sæculari, ita D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *art.* 2. & varia capita juris canonici.

175. Advocatus tenetur sub peccato pauperum causis patrocinari: non solum in necessitate extrema, sed etiam in gravi: in illa etiam cum gravi incommodo debet. Eodem modo tenetur in communibus necessitatibus pauperum cum levi suo incommodo. Tum, quia charitas jubet succurrere proximo graviter indigenti, dum possum absque gravi incommodo. Tum, quia jura præcipiunt, quod Judex exibeat pauperi advocatum, & isto nolente ei patrocinari, potest illum punire. Est enim fractor juramenti initio officii præstiti. Nec excusantur ex eo, quod dentur alii advocati ad tale patrocinium designati. Nam loquimur, quando illi nolunt, aut nequeunt, & pauperes non habeant alium defensorem. Quas opiniones amplecti debeat advocatus constat ex dictis *tract.* 2. *a n.* 91. D. Thom. *q.* 71. *a.* 1.

176. Si advocatus, qui in litis exordio causam judicabat justam, aut probabiliorem, in progressu injustam agnosceret, debet clienti suo injustitiam causæ manifestare, & eam deserere, alias subit onus restituendi omnia damna utrique parti causata. Non licet advocato manifestare alteri parti secreta sui clientis, nisi in gravissima causa capitis, aut famæ præclarissimæ, quam injuste accusator vellet defendere. Idem Angelicus *a.* 3. *ad* 2.

177. Advocatus debet sub gravi culpa, & onere restitutionis scire ea, quæ ad suum munus rite obeundum attinent juxta causarum, & negotiorum qualitatem. Quod est commune judici, tabellioni, procuratori, relatori, & cuicumque aliquod officium admittenti. Tria autem præcipue debet advocatus observare. 1. Ne sit præceps, sed prudens in consulendo, & causas defendendo. 2. Ne suscipiat, nec defendat causas sophisticas, sed solidas, & communes, nec plures, quam defendere commode valeat. 3. Ut sit diligens, & cautus circa causę cognitionem, & defensionem cum recta intentione juste eam defendendi, hoc est, absque dolo, fallaciis, aut verbis contumeliosis.

178. Alia tria debent similiter in initio causæ prævenire. 1. Admonere suum clientem, ut circa negotium litigandum omnimodam sibi referat veritatem. 2. Debet habere factum in scriptis, ne verbis varietur, nam ex brevissima mutatione facti mutatur lex. 3. Debet clientem interrogare, an habeat probationes legitimas, si est actor: vel legitimam defensionem, si est reus, & aperte dicere ei, si caret jure, vel non.

179. Inq. 2. Quantum pretium exigere possint advocati pro suo labore? R. Ubi est pretium taxatum per legem, uti in Hispania, solum queunt accipere juxta taxam, quia supponitur legem taxæ esse legitimam, & justam: igitur observari debet sub obligatione restituendi excessum. Ubi autem pretium non est taxa-

xatum, standum est pretio naturali, justo, & moderato juxta qualitatem negotii. D. Thom. *a.* 4.

180. Quando advocatus paciscitur cum magnate pro omnibus causis toto anno defendendis potest recipere salarium totius anni, esto nulla lis occurrerit; sicut medici salario conducti illud licite accipiunt, esto pauci, aut nulli infirmentur, quia ipsi expositi, & obligati remanent ex vi pacti, sive pauci, sive multi suo indigeant auxilio. Si autem in medio litis advocatus non posset defendere clientem, solum pro rata temporis, quo laboravit, quit percipere mercedem. Non licet advocato pacisci in litis initio cum cliente de quota determinata, ut de tertia, aut quarta parte, si vicerit; hoc enim vetitum est, ne per fas, aut nefas conentur advocati victoriam obtinere. Non tamen est vetitum pactum sub conditione, sive vincat, sive non: quia in hoc casu non est periculum a jure præsumptum, cum idem pretium sit accepturus advocatus, esto non vincat.

181. Advocatus, cui certa quantitas pro defensione litis fuit absolute promissa, si incepta jam causa, eam cliens sponte deserat, potest totum stipendium recipere, quia se habet ad instar operarii, qui alteri locavit operas suas, nec stat per ipsum eas non ponere, sed per conductorem, qui idcirco juxta quosdam tenetur illi solvere promissam mercedem. Sed attendatur, quid juri naturali juxta circumstantias sit magis consentaneum.

182. Pro coronide monemus omnes advocatos, ut quantum valeant, minuant lites; sunt enim pulvinar Diaboli, origo discordiæ, pernicies animarum, fons inimicitiæ, turbatio pacis, & officina peccatorum: igitur. *Abstine a lite, & minues peccata. Eccl.* 28. 10.

Punctum II.

De tabellionibus, & aliis officialibus.

183. Secretarii publici, sic appellantur a secreto, quod debent observare in suo munere. Etiam dicuntur *tabelliones*, quia olim scribebant in parvis tabulis, quas secum afferebant; unde *tabelliones*, & *tabellarii* dicebantur. Qui hoc munus exercent circa causas ecclesiasticas appellantur *notarii*, quia notant, vel in notas redigunt acta judicii, ut constat *ex cap.* 1. *de simonia.*

184. Ab officio tabellionis, quod nobile reputatur, arcentur in primis infames infamia juris, & facti. Deinde clerici in sacris constituti, aut beneficiarii nequeunt esse tabelliones pro foro etiam ecclesiastico publico, sed solum pro secreto in causis ecclesiasticis. Debent tabelliones, & notarii, sicut alii officiales habere sufficientem scientiam pro suo munere, ita ut sciant conficere instrumenta publica, scripturas, testamenta, conditiones, & clausulas, & alia requisita ad contractus perficiendos: alias peccant graviter contra justitiam, & ad restituenda damna ex sua negligentia orta tenentur.

185. Debent omnimodam veritatem, & fidelitatem observare: alias sunt perjurii; præstant enim juramentum suum munus fideliter exercendi. Unde non solum debent instrumentum verum conficere, sed etiam facta, & verba partium apponere, quia aliquid addant, detrahant, aut mutent: quia sæpe eadem res uno, aut altero modo dicta plurimum partibus obesse, vel prodesse valet. Debent etiam omnia originalia accurate extendere, perficere, & diligenter custodire: nec valent ea occultare, sed exhibere parti ea juste exigenti. Tenentur similiter parti non revelare decreta, antequam a judice firmentur. Nequeunt conficere testamentum alicujus amentis, aut non sanæ mentis, vel aliquod instrumentum falsum, usurarium, vel injustum. Non valent accipere, nisi pretium taxatum per leges. *Vide supra n.* 125. *& seq.*

186. Procurator est quidam adjutor advocati, seu quidam *advocatus secundus.* Ideo, quæ de advocatis diximus, applicari sua proportione debent procuratoribus. Debent igitur procuratores sufficientem peritiam habere pro suo munere obeundo; debent illud sollicite, ac diligenter exercere, petendo terminos justos ad probandum, non impertinentes: nec procrastinare negotia: debent appellare, dum oportet: non admittere causam injustam: nec minus probabilem al-

tera: servare veritatem in se, & in suis clientibus: procurare causas anteriores, priusquam alias postea admissas: non inducere partes ad iniquam concordiam; bene vero ad justam, æquitati, & paci consentaneam: non jurare nomine partis sine expresso ejus consensu, & informatione: denique, vere, juste, ac sollicite suum munus exercere: alias peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem.

187. Relatores, seu referentes sunt, qui causas, & processus litigantium coram judice referunt. Tenentur ergo ex vi sui officii causam, & processum attente perlegere, & coram Præsidente distincte, ac clare referre, ita ut si aliquid substantiale omittant, aut uni parti præ alia faveant, alicujus jus magis exponendo, peccant graviter, ad restituendumque tenentur. Prohibitum est eis munera, aut esculenta a clientibus accipere.

188. Apparitores, seu satellites sunt velut judicis executores, seu ministri judicis, aut reipublicæ. Peccant, si juramentum non observent, si mandata judicis non fideliter exequantur, ut si jubeantur aliquem capere, ac spe muneris moneant eum, ut fugiat, si lustrans domos asperius se gerant, si absque mandato Judicis vim, aut aliam injuriam inferant, si veritatem, & fidelitatem judici, aut reipublicæ non proferant, & observent. Denique non licet eis munera, xenia, aut alia admittere, ne a recto justitiæ tramite horum respectu amoveantur.

189. Officia, de quibus hoc capite sumus locuti, plerisque sunt satis periculosa, non quia ipsa mala sint, sed quia male adimpleri solent. Igitur qui ea moderantur, serviant reipublicæ plusquam sibi, non aspiciant, quid fit ab aliis, sed quid fieri debeat ab omnibus. Observent leges, serventque fideliter taxam, ac se ipsos a vitio avaritiæ, & cupiditatis; alias timeant se degere in maximo periculo suæ damnationis. Quamvis enim officia ex se mala non sint; tamen, ut diximus, periculis plena sunt. Beatus qui procul negotiis!

190. Cum a nobis sit dictum tract. de fide quosdam ritus Sinenses esse merito proscriptos, & tract de contractibus posse quidquam accipi in mutuo, debitis conditionibus servatis, ratione periculi extrinseci: ut hæc omnibus palam innotescant, doctrinæ pariter, & eruditioni deserviant, integrum sacræ Congregat. decretum pro coronide hujus tomi lubenter exhibemus. Adjungimus pariter aliud decretum S. R. Inquisit. cujus fit mentio tract. de conscientia, proscribitque quasdam theses Avisii inepte publicatas, ut ad mentem Ecclesiæ ab omnibus serio rejiciantur.

QUÆSITA MISSIONARIORUM

CHINAE, SEU SINARUM

Sacræ Congregationi de Propaganda fide exhibita,

CUM RESPONSIS AD EA

Decreto ejusdem sacræ Congregationis approbatis.

Infrascriptæ Propositiones, a sacra Congregatione de Propaganda fide ad Sanctum Officium transmissæ, fuerunt a Patribus Qualificatoribus ejusdem sancti Officii qualificatæ ut infra.

PRIMO. Utrum Christiani Chinenses sint obligati ad observantiam Juris positivi, quantum ad jejunia, confiteri semel in anno, & communicare, festa servare, eo modo quo obligantur Indi in nova Hispania, & in insulis Philippinarum, juxta dispositionem Papæ Pauli III. pro Indis Occidentalibus, & Meridionalibus.

Censuerunt, jus positivum ecclesiasticum de jejuniis absolute obligare Chinenses Christianos, & a Missionariis hoc esse illis enunciandum. Attenta vero regionum, & personarum qualitate, locum esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationi, quæ fuit alias a fel. rec. Paule III. Indis concessa; qua obtenta, satagant Missionarii Sanctæ Matris Ecclesiæ pietatem illis patefacere, quibus ea, quæ in universum indixit, magna ex parte benigne remittit, & indulget.

Cen-

Censuerunt etiam præfatos Chinenses obligari ad sacramentalem confessionem semel in anno, & Missionarios hujusmodi obligationem debere eis notificare.

Idem prorsus censuerunt quoad sacram communionem semel in anno sumendam. Quod vero ad executionem tempore statuto, hoc est, in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut infra duos, vel tres menses, ante, vel post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi omnino communicent.

Demum censuerunt Chinenses ad fidem conversos teneri omnino festa servare, Missionarios etiam teneri hoc eis notificare: locum tamen esse, si sanctissimus annuat, limitandi eis numerum dierum festorum juxta formam privilegii a Paulo III. Indis concessi.

Secundo, utrum in prædicto Regno ministri Evangelici pro nunc saltem in sacramento baptismi possint abstinere ab imponendo mulieribus oleum sanctum Cathecumenorum, sputum in auribus, & sal in ore. Insuper, & non administrare eisdem mulieribus sacramentum extremæ Unctionis. Et ratio dubitandi est, quia Chinenses magno zelo ducuntur erga uxores, filias, & alias mulieres, & scandalum sument ex hujusmodi actionibus.

Censuerunt, & sacramentalia in baptismo mulierum esse adhibenda, & extremam unctionem esse mulieribus conferendam; nec sufficere motivum in dubitatione expressum, ut Missionarii (quantum in se est) ab his abstineant. Curandum ergo, ut tam salubres ritus, & cœremoniæ introducantur, & observentur; ac Missionarii tali circumspectione illa administrent, hominesque talibus instruant documentis, ut ab omni suspicione inhonestatis liberentur.

Tertio, in præfato Regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quæritur utrum Chinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, prædictam, pro centum, triginta quantitatem Regni lege taxatam, accipere: Et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet, quod qui accipit mutuatum fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram Judice repetere, vel propter alia hujusmodi.

Censuerunt ratione mutui immediate, & præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem: si vero aliquid accipiat ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id quod accipitur.

Quarto, in universo Chinarum Regno domus publicas usuris deputatas reperiri res est usitata, in quibus usurarii publici, facta sub pignorum cautione, pecuniam suam, sumpto lucro, ad usuram dare solent; ea tamen conditione, ut pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant; & si, tantis elapsis annis, pignorum dominus pro iisdem recuperandis pignoribus, soluta principali pecunia cum lucro, non redierit, actionem, & dominium, quod habebat in suis pignoribus, illico amittant. Istę autem domus reipublicæ necessariæ sunt, & quamvis usurarii vitam usurariam dimittere velint, a non desistendo a prædictis usuris, Judicis authoritate compelluntur. Quæritur, utrum si hujusmodi usurarii converti velint ad fidem, possint baptizari manendo in suo statu usurario propter causam supradictam; vel quidnam in tali casu agendum sit.

Censuerunt, Chinenses in statu usurario permanentes, baptizari non posse: si vero judicis authoritate compellantur ad proprias pecunias mutuandas, posse aliquid accipere, etiam recepto pignore, ultra sortem principalem, tum ratione oneris, quod subire coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, & damni emergentis: tempore autem præstituto, si ex venditione pignorum aliquid supersit sorti principali, & lucro ex causis prædictis juste acquisito, domino pignoris esse restituendum.

Quinto, utrum prædictorum usurariorum filii, si quando in hæreditatibus eo-

eorum succedunt, jam Christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quæ pater ex usuris accepit, in toto, vel in parte, juxta male acceptorum excessum, & si hujusmodi usurariorum filii hæredes jam Christiani, a republica, vel a judice compellantur ad publicas usu arum domus patrum aperiendas, & sustentandas; quid in hoc casu ministri Evangelii pro sanandis istorum conscientiis, facere debent?

Censuerunt, filios hæredes usurariorum teneri, a patribus ex usuris illicite acquisita, restituere; certis quidem dominis, si certi sunt, sin minus juxta regulas a Doctoribus traditas: Actualem vero restitutionem a doctis, piis, & prudentibus viris esse dirigendam. Quoad secundam partem hujus dubitationis, jam responsum est in proxime superiori resolutione.

Sexto, in populis, & civitatibus illius Regni mos est imponendi quasdam distributiones, quæ a populis vicinis exiguntur, ut in Pascha novi anni, in Sacrificiis, & Dœmoniorum suorum idolatriis, & invitationibus, ac conviviis in eorumdem Templis præparatis, simulque in festivitatibus, aliisque indifferentibus pro populi lætitiæ demonstrationibus expendantur. Quæritur utrum Christianis, ac ministris eorum (a quibus etiam tamquam a populis vicinis postulant) licitum sit, pro nunc saltem, pro hujusmodi rebus contribuere? nam si Christiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra Christianos inter Gentiles fiet.

Censuerunt posse Christianos Chinenses pecunias contribuere: dummodo per hujusmodi contributiones non intendant ad actus idololatricos, & superstitiosos concurrere, supposita causa, quæ narratur in dubio, præsertim præmissa, si commode fieri potest, protestatione, quod impo sita tributa præstant in ordine tantum ad populi lætitiam, & ad actus indifferentes, vel saltem cultui religionis Christianæ non repugnantes.

Septimo, in omnibus illius Regni civitatibus, & villis, templa cuidam Idolo *Chim boam* dicto erecta, ac dicata reperiuntur, quod fingunt Chinenses esse protectorem, regentem, & custodem civitatis, stabilitaque Regni lege ordinatur, ut omnes gubernatores civitatum, & villarum (quos Mandarinos vocant) quando regiminis possessionem assumunt, & anni decursu bis in mense sub pœna privationis ab officio, templa adeant præfata, ibique ante dicti idoli altare prostrati, genibus flexis, capiteque ad terram usque inclinato idolum illud adorent, ac venerentur, eidem candelas, odoramenta, flores, carnes, vinumque in sacrificium offerant; & cum sui regiminis possessionem accipiunt, ante prædictum idolum jurant, de recte administrando, & si contra fecerint, se submittunt supplicio ab idolo infligendo, simulque ab illo petunt modum, & normam bene gubernandi, & alia hujusmodi. Quæritur, utrum attenta istius gentis fragilitate, tolerari possit pro nunc, quod tales gubernatores Christiani deferant quamdam crucem, quam occulte inter altaris idoli flores, vel in manibus propriis reponant? & facere (intentione, non ad idolum, sed ad crucem directa) omnes illas genuflexiones, reverentias, & adorationes ante altare illud, exterius tantum, & ficte: omnem cultum interius, & in corde ad crucem dirigendo? Quia si hujusmodi gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, prius apostatabunt a fide, quam relinquant officium regiminis.

Censuerunt, nullatenas licere Christianis, hujusmodi actus publicos cultus, aut reverentiæ tribuere idolo, prætextu, vel intentione crucis, quam vel manu gestant, vel in altari inter flores abscondunt.

Octavo, in prædicto regno habent Chinenses quemdam magistrum in Philosophia morali litteratum, qui olim discessit a vita, vocatum *Kum fu çu*, qui ob doctrinam, regulas, & documenta, adeo in toto regno acceptus est, ut tam Reges, quam omnes alii cujuscumque conditionis, & gradus sint, sibi proponunt imitandum, & sequendum, saltem quoad speculativum, & tamquam sanctum venerantur, & laudant, in omnique civitate, & villa, præfato magistro templa sunt erecta, gubernatores vero bis in anno tenentur in ejus templo solemne sacrificium offerre, sacerdotis ipsi-

simet gerentes officium ; & sine solemnitate , in anni decursu , bis in mense, concurruntque cum illo aliqui ex litteratis pro administratione eorum , quæ in tali sacrificio offerunt, quæ quidem sunt, sus unus integer mortuus, capra una integra , candelæ , vinum , flores , odores &c. Item omnes litterati, quando accipiunt gradum , debent ingredi templum istius magistri , & facere genuflexiones , & offerre ante ejus altare ex candelis , & odoribus. Totus iste cultus , sacrificium, & reverentia secundum omnium illarum gentium formalem intentionem , dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipsius relictis doctrinæ documentis, atque ut ab eo impetrent ex ipsius meritis felicitatem sapientiæ , & intellectus. Quæritur , utrum gubernatores , qui Christiani sunt , vel fuerint , & litterati , vocati , & coacti possint ingredi præfatum templum , facere tale sacrificium, vel assistere hujusmodi sacrificio , vel facere genuflexiones ante altare illud , vel accipere aliquid de idolothytis , & oblationibus illis ? maxime , quia putant illi infideles , quod , quicumque manducaverit ex talibus idolothytis , habebit progressum magnum in suis litteris , & gradibus, & si portantes crucem in manibus, possint licite hoc facere , eo modo , quo dubitationi superiori dictum est , quia si hoc illis prohibetur , erit tumultus in populo , ministri Evangelii in exilium mittentur , & conversio animarum impeditur , & extinguetur.

Censuerunt , non licere , nec posse aliquo prætextu contento in dubio Christianis permitti.

Nono , inviolabilis observantiæ mos est apud Chinenses tamquam doctrina a supradicto magistro *Kùm fá çù* tradita, quod in omnibus Chinæ populis , templa constructa habeant , avis , & progenitoribus suis defunctis dicata , & in unoquoque eorum , omnes , qui ejusmodi familiæ sunt , bis in anno congregantur, ut præfatis suis progenitoribus solemnia sacrificia faciant magno cæremoniarum apparatu , & in altari multis candelis, floribus , & odoribus adornato , imaginem , sive effigiem parentis , vel avi defuncti collocant , in quo sacrificio invenitur , & qui facit sacerdotis officium, & ministri illius , offeruntque carnes , vinum , candelas , odoramenta , capita caprarum &c. Hoc autem sacrificium ex communi illarum gentium intentione dirigitur , ut præfatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem , & reverentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta , & ob illa , quæ ab eis accipere sperant : unde ante altare postrati deprecationes multas faciunt , postulantes sanitatem , longam vitam , abundantiam fructuum , filiorum multiplicationem , prosperitatem magnam , & ut ab omnibus adversitatibus liberentur : quod quidem sacrificium in domibus suis , & in sepulchris mortuorum etiam fit , minore tamen solemnitate. Quæritur , utrum Christiani ficte , & exterius tantum , ut supra dictum est , possint assistere hujusmodi sacrificio , vel exercere aliquod ministerium in illo cum infidelibus commixti, sive in templo , sive in domo , vel sepulchro , publice , vel privatim , vel quonam modo hoc poterit permitti Christianis illis ? ne si omnino prohibeantur hoc facere , fidem perdant , vel ut melius dicam , avertant se ab actionibus exterioribus Christianorum.

Censuerunt , Christianis Chinensibus nullatenus licere , ficte , vel exterius assistere sacrificiis in honorem progenitorum, neque eorum deprecationibus , aut quibuscumque ritibus superstitiosis gentilium erga ipsos ; multo minus licere circa præfata ministerium aliquod exercere.

Decimo , Chinenses Christiani asseverant , quod in oblationibus supradictis solummodo intendunt progenitoribus suis defunctis illam exhibere reverentiam , & illa offerre ; ac si iisdem viventibus exhiberentur , & in memoriam tantum , ac reverentiam progenituræ , & generationis ; & si illi vivi existissent , eadem illis præsentarent , ut illis oblatis vescerentur , vel sustentarentur , & ea offerunt absque alia intentione , vel rogativarum spe , cum sciant illos mortuos esse , eorumque animas in inferno sepultas. Quæritur , utrum , si hæc inter Christianos tantummodo fierent absque alio gentilium consortio in templis , domibus, vel sepulchris , ponendo , & collocando aliquam crucem in altari præfatorum defunctorum dirigendo ad illam suam in-

tentionem, ita tamen, quod progenitorum imagini nihil tribuant, nisi honorem, & reverentiam filialem, quam (si vivi extitissent) illis comestibilibus, & odoriferis rebus exhiberent, ut sic populo satisfaciant. Unde hoc est, quod quæritur, utrum hoc pro nunc, ut inconvenientia evitentur, tollerari possit?

Censuerunt consequenter ad ea, quæ superius dicta fuerunt, præmissa non posse salvari, sive per appositionem crucis, sive propter absentiam gentilium, sive per intentionem, actus de se illicitos, & superstitiosos ad cultum veri Dei, dirigentem.

Undecimo, ad memoriam progenitorum suorum conservandam utuntur Chinenses quibusdam tabellis, in quibus nomina suorum defunctorum scripta sunt, quas vocant esse animarum sedes, existimantes animas defunctorum venire, & assistere in illis tabellis ad recipiendum sacrificia, & oblationes, & præfatæ tabellæ sunt collocatæ in propriis altaribus cum rosis, candelis, lampadibus, & odoramentis, & coram ipsis tabellis genuflexiones, orationes, & deprecationes faciunt, expectantque auxilium ab illis defunctis concedendum in suis necessitatibus, & laboribus. Quæritur, an christianis licitum sit, omnibus gentilitiis superstitionibus, & erroribus postpositis, uti pro nunc præfatis tabellis, illasque inter Domini, Sanctorumque imagines, & in eodem altari collocatas habere, vel in alio separato cum ornatu supradicto ad hoc, ut gentilibus satisfaciant; vel possint facere supradictas deprecationes, & sacrificia cum intentione supradicta?

Censuerunt, omnino non licere habere illas tabellas in vero, & proprio altari majoribus dicato, multo minus deprecationes, & sacrificia eis offere, licet occulta, & ficta intentione.

Duodecimo, quando in illo Regno aliquis mori contingat, sive Christianus sit, sive Gentilis, pro inviolabili more habetur, in domo defuncti quoddam altare præparare, in eodemque imaginem defuncti, seu tabellam supradictam collocare cum ornatu odorum, florum, & candelarum, retroque cadaver feretro inclusum ponere: omnes autem, qui ad condolendum domus illas ingrediuntur: coram præparato altari, & defuncti imagine, ter, vel quater genuflectunt, humi sese prostrantes, capitibus usque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes, & odoramenta, ut in præparato illo altari, coram defuncti imagine consumentur, & comburantur. Quæritur, utrum licitum sit Christianis, & præcipue ministris sancti Evangelii, attento mutuo benevolentiæ signo, & amoris, supradicta facere, maxime quando defuncti sunt ex nobilioribus populi?

Censuerunt, posito quod immensa parata sit quædam tabula, non autem verum, & proprium altare, si cætera continentur intra limites obsequii civilis, & politici, esse toleranda.

Tertiodecimo, quæritur, utrum Cathecumenis paratis jam ad baptismum suscipiendum, debeamus ministri declarare, & aperte, & in singulari docere, esse illicita sacrificia, & omnia supradicta, quamvis ex hoc sequantur inconvenientia, scilicet, desistere a susceptione baptismatis, persecutiones, mors, vel exilium ministrorum Evangelicorum!

Censuerunt, ministros Evangelicos teneri docere, sacrificia omnia, præter quam soli Deo esse illicita, cultum Dæmonum, & Idolorum esse relinquendum, & quæcumque hujusmodi cultum concernunt esse falsa, & Christianæ fidei repugnantia, ad singularia vero descendendum, prout in Cathecumenis ingenii promptitudo, aut ruditas exiget, aliisque circumstantiis, consuetudinibus, ac periculis perspectis.

Quartodecimo, Chinarum sermone hęc vox (*King*) idem est quod Sanctus, Sancta, Sanctum: & in libris Doctrinæ Christianæ a quibusdam Sancti Evangelii ministris prælo mandatis reperitur ista vox (*Xing*) ad nominandam Sanctissimam Trinitatem, Christum Dominum, beatam Mariam, & cæteros Sanctos. Quæritur, utrum quando in præfatis libris sese offert occasio, ut nominetur magister Chinarum *Kùm fu çu* vocatus, vel mandatum Regis Chinarum, vel cæteri Reges, qui communiter in illo Regno ut sancti reputantur, cum sint Infideles, & Idolatræ, possimus ne, & sit licitum nobis Christi ministris nominare

su-

supradictos hoc nomine (*Xing?*)

Censuerunt, non posse aliquid firmari circa vocem hanc, ejusve usum, nisi præhabita cognitione idiomatis, ejusve veræ, & propriæ significationis: cæterum si eadem vox in Regno Chinarum habet latitudinem, posse ministros ea uti, si vero restringantur ad significandam veram, & perfectam sanctitatem, nullatenus posse.

Quintodecimo, in multis templis idolorum illius Regni invenitur una tabula deaurata, & collocata super unam mensam, vel altare, & omnibus ornamentis candelarum, rosarum, odoramentorum munita, & ornata, qua in tabula scriptæ sunt litteræ, vel characteres sequentes: *Hoàm ty vàn vàn fùy vàn fùy*: hoc est: vivat Rex Chinarum ad multa annorum millia; & ante præfatam tabulam mos est inter illos idolatras sacrificare bis, vel ter in anno, & facere genuflexiones in honorem, & reverentiam illius. Quæritur, si ministri Christi Domini possimus in nostris Ecclesiis collocare hujusmodi altare cum tabula, & circumstantiis prædictis, & hoc, ante altare, ubi Sacerdotes Dei sacrificant oblationem immaculatam?

Censuerunt, exclusis sacrificiis, & altare vere, & proprie dicto, cætera, quæ redolent tantummodo cultum civilem, aut possunt ad illum reduci, permitti posse.

Sextodecimo quæritur, si in illo Regno licebit Christianis orare, & sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis, qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt?

Censuerunt, si vere in sua infidelitate decedunt, omnino non licere.

Decimoseptimo, si tenemur Prædicatores Evangelii prædicare in illo Regno CHRISTUM CRUCIFIXUM, & ostendere ejus Sanctissimam Imaginem, maxime in Ecclesiis nostris? Causa hujus dubitationis est, quod Gentiles scandalizantur ex tali prædicatione, & ostensione, & judicant maximam esse stultitiam.

Censuerunt, nulla prudentia, aut prætextu differendam esse doctrinam Passionis Christi post baptismum, sed omnino præmittendam: ad actualem vero prædicationem CHRISTI CRUCIFIXI, licet non teneantur ministri evangelici in singulis concionibus, sed ad proponendum verbum Dei, ac divina mysteria prudenter, & opportune, & ad illa pro catechumenorum captu explicanda, non tamen a sermonibus Passionis Domini nostri abstinere tenentur ea ratione, quod Gentiles inde scandalum sumant, aut stultitiam putent.

Censuerunt etiam conveniens esse, ut in Ecclesiis imagines habeantur Christi Crucifixi, & ideo curandum, ut quoad opportune fieri potest, exponantur.

DECRETUM

Sacræ Congregationis de Propaganda fide habita die 12. Sept. 1645.

REferente Eminentissimo D. Cardinali Ginetto, supra scripta quæsita una cum responsis, & resolutionibus Congregationibus Theologorum ad eorumdem quæsitorum examen specialiter institutæ, Sacra Congregatio Eminentissimorum DD. Cardinalium de Propaganda fide, præfata responsa, & resolutiones approbavit; & eadem Congregatione supplicante: Sanctissimus Dominus noster ad conservandam uniformitatem in prædicatione, ejusque praxi, omnibus, & singulis Missionariis cujuscumque ordinis, religionis, & instituti, etiam societatis Jesu, in Regnis Sinarum, aut Chinæ pro tempore existentibus, vel extituris, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sanctitati suæ, & sanctæ Sedi Apostolicæ specialiter reservatæ, districte præcipiendo mandavit, quatenus præfata responsa, & resolutiones diligenter observent, illisque in praxi utantur, ac ab aliis, ad quos pertinebit, observari, & practicari faciant, donec sanctitas sua, vel sancta Sedes Apostolica aliud ordinaverit.

191. Quamvis autem decretum hoc sacræ Congregationis de Propaganda fide editum 12. Septembris 1645. sit adeo indubium, certum, authenticum, & solemne, & videatur neminem posse judicare esse dubiæ fidei, & minus numerare illud inter apocripha, & inter fabellas, ut efficacissimum

fi-

ficit, nescimus quo jure, quave causa, Pater Concina *tom. 7. pag. 233. num. 3.* idemque repetit in Compendio, *lib. 9. p. 54. num. 14.* Adeo firmiter id utrobique tradit, ut de Thoma Hurtado clarissimo Doctore, & in republica litteraria præclarissimo, qui hoc decretum ad confirmandam suam sententiam exhibet, non dubitet dicere: *Author iste, & alia Pontificia decreta obtrudit ut authentica, quæ sunt omnino apocripha.* Ne igitur quisquam addictus Concinæ, judicet falso decretum hoc esse dubium, vel inter apocripha teneat, libuit amore veritatis, & sanæ doctrinæ illud in propatulo integrum ponere. Nec est alia mens, & intentio nostra, dum palam facimus quosdam defectus, vel errores, qui jacent in operibus hujus Authoris, alias incliti, singularis acuminis, & ingenii, nisi monere candidatos, ut ab illis caveant.

DECRETUM

S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONIS confirmatum a SS. D. N. CLEMENTE PAPA XIII. quo prohibentur Theses circa probabilismum expositæ publicæ disputationi anno præterito 1760. Avisii in Diœcesi Tridentina.

Feria 5. die 26. Februarii 1761.

PEr suas litteras ad Congregationem S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, labente superiori anno, datas, dolenter nimium conquestus est Antonius Ceschi Tridentinæ Ecclesiæ Canonicus Decanus, theses quasdam de probabilismo a Parocho Avisiensi Diœcesis Tridentinæ in Ædibus canonicalibus jam pridem propugnatas, postmodum sine nota loci, & authoris obscuro prælo fuisse cusas, & vulgatas non sine religionis detrimento, & bonorum offensione, præsertim ecclesiasticorum; quorum pars est suo regimini, & vigilantiæ credita. Postulante itaque eodem Decano congruum adhiberi remedium ingruenti malo, ne latius serpat, theologicæ censuræ de more subjectæ fuerunt prædictæ theses unico contentæ folio impresso, cujus tenor ita se habet.

PROBABILISMUS.

Publicæ disputationi a Vener. clero Avisiensi exercitii gratia expositus contra probabiliorismum stricte talem, utpote *negotium perambulans in tenebris.* Pro die 10. Junii 1760. in Ædibus canonicalibus Avisii. *Utinam observaremus mandata Domini certa! quid nobis tanta sollicitudo de dubiis?* Celeberrimus P. Const. Roncaglia *lib. 2. cap. 3.*

I. Probabilismus noster versatur circa hæc tria. Licet sequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro lege. Licet sequi æque probabilem pro libertate, relicta æque probabili pro lege. Licet sequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.

EX IIS

Deducuntur sequentia paradoxa.

II. Usus probabilismi maxime tutus usus probabiliorismi maxime periculosus:

III. Usus genuini probabilismi minime in laxitatem degenerare potest: Usus probabiliorismi stricte talis in rigorismum excurrere debet.

IV. Probabilioristas qua tales, qui ex consilio probabiliora secuntur, laudabilissime operari affirmamus.

V. Probabilioristis stricte talibus, qui ex præcepto, quod nunquam clare probant, seipsos, & alios ad probabiliora impellunt, merito rigoristarum nomen imponimus.

VI. Qui nullatenus ad christianam perfectionem tendere possunt, nisi sequendo probabilissima.

VII. Abusus Probabiliorismi stricte talis non solum licentiæ frænum, sed licentiæ calcar est: quod Gallorum testimonio comprobamus.

VIII. Genuinus itaque noster probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit, nec a S. Sede unquam male fuit notatus, origine sua Thomisticus, progressu ætatis Jesuiticus, utpote a quo arctatus, emendatus, & contra Jansenianos furores propugnatus fuit.

IX. Qui ergo habitat in adjutorio fundatissimi probabilismi, sub plurimorum

ex

ex omnibus orbis Christiani nationibus præstantissimorum Theologorum protectione commorabitur securus.

Ex Historia Critica.

X. Hinc sine ulla laxismi nota benignissimum etiam vocamus, sed legitimum, quem suadent utraque lex Cæsarea, & Pontificia; sed Dominicanum, quem illustris Dominicanorum Ordo jam a primis temporibus est amplexus: sed pium, qui Christianam pietatem fovet; sed Thomisticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui docentas, & plures opiniones libertati faventes in suis sententiarum libris docet; sed Christianum, qui Christo Domino summe familiaris fuit.

O. A. M. D. & V. G.

Pro coronide. Probabilismus noster stans pro libertate est notabiliter probabilior ipso probabiliorismo stante pro lege.

Cum vero theses hujusmodi, notæque Theologicæ expensæ fuerint in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctiss. Domino nostro Clemente Papa XIII. Sanctitas sua auditis Eminentissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium in tota republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum a S. Sede Apostolica specialiter deputatorum suffragiis, folium prædictum, & theses in illo expositas prohibendas, ac damnandas esse censuit, prout præsenti decreto damnat, & prohibet, tamquam continentia propositiones, quarum aliquæ sunt respective falsæ, temerariæ, & piarum aurium offensivæ, illam vero excerptam a numero 10. nempe probabilismum, *qui Christo Domino summe familiaris fuit*, proscribendum uti erroneam, & hæresi proximam.

Præfatum itaque folium sive theses, ut supra excriptas sic damnatas, & prohibitas Sanctissimus Dominus noster vetat, ne quis, cujusque status, & conditionis ullo modo sub quocumque prætextu, quovis idiomate imprimere, ac imprimi facere, vel transcribere, aut jam impressum, sive impressas apud se retinere, & legere, sive privatim, sive publice propugnare audeat, sed illud, vel illas Ordinariis locorum, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, & consignare teneatur sub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis.

Benedictus Veterani
Assessor.

191. Caveat igitur omnis suæ salutis cupidus a suasione, quod probabilioris-mus est periculosus, & probabilismus tutus: quod probabilioristæ sunt rigoristæ, & ab aliis paradoxis in præmissis tesibus contentis; ipsæ enim lumini naturali non parum repugnant. Siquidem, quod probabilius est, verosimilius est, & lumini naturali magis consonat. Hæc autem sufficiant pro primo tomo. Omnia in eo dicta, in secundoque dicenda sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sapientium judicio humiliter submitto. Utinam cedant omnia in majorem Dei gloriam.

FINIS PRIMI TOMI.

INDEX

RERUM, ET VERBORUM TOMI PRIMI.

Numerus primus indicat paginam. Secundus numerum marginalem

A

ABbas jurisdictione quasi Episcopali gaudens leges condere valet. 55. 70. Abbatissa, seu Priorissa potest irritare suarum monialium vota. 288. 120. Caret jurisdictione spirituali. ibi.

Abigail. Laudatur. 195. 110.

Abigeatum est furtum pecorum. 411. 95.

Abortus. Ejus procuratio vetita. 348. 25. Quo tempore fœtus animetur. 449. 28. Quando liceat gravidæ sumere medicinam cum periculo abortus. ibi. 29. Pœnæ contra illum procurantes. ibi. 31. Quando incurrantur. ibi. 32.

Abraham ordine Dei voluit occidere innocentem Isaac. 86. 264. primum exemplar hospitalitatis fuit. 195. 108.

Abrogatio legis. Quid, & quotuplex. 82. 234. Quis valeat leges abrogare. 82. 235. & seqq.

Absolutio. Nemo potest se absolvere a censuris, aut peccatis. 90. 289. Nequit dari absolutio mysteria fidei ignoranti. 122. 23. Nec concubinarii sunt absolvendi. 371. 40. & seqq. Nec meretrices. 374. 58. Nec differentes restituere, si possint, adhuc in articulo mortis. 445. 170. Nec usurarii. 491. 177. Nec testamentarii in suo munere negligentes. 508. 225.

Abstinentia, quid. 111. 65. Est species temperantiæ. ibid.

Accedia, quid. 123. 44. Ejus filiæ. ibi. 47.

Acceptatio legis a populo non requiritur, ut obliget lex. 52. 44. Peccat populus non acceptando legem a suo legitimo Superiori. 53. 55.

Accessio, quid, vel quando detur. 408. 82.

Actus. Theologia moralis est necessaria ad actus humanos dirigendos ad finem supernaturalem. 1. 2.

Actus humani repetiti dicuntur *mores*. 12. 78. Secus actus canum, & aliorum libertate carentium. ibi.

Actus idem physice potest transire de bono in malum. ibid. 85. Non datur indifferens in individuo. 13. 88. Simpliciter violentus non est moralis. 16. 104. Facti ex metu gravi sunt simpliciter voluntarii. ibi. 106. Tres actus conscientiæ, *testificari*, *ligare*, & *remordere*. 23. 8. Hic actus *volo in omnibus agere contra conscientiam*, est determinatæ speciei. 24. 18. Actus malus ex errore invincibili elicitus, non est bonus positive. 28. 38. Actus requisitus pro implenda lege humana. 69. 152. Actus mere interni non subduntur legi humanæ. 79. 212. Bene vero connexi cum externis. 80. 221. Et externi licet occulti. ibi. 223. Actus pravus externus exprimi debet in confessione. 145. 168. Tres præcipui actus fidei, *credere Deo*, *credere Deum*, *credere in Deum*. 149. 9. Hic actus est bonus. *Non pecco*, *quia est infernus*. Hic malus, *peccarem*, *si non esset infernus*. 18. 151.

Accusatio, quid. 539. 147. Ejus differentia ab inquisitione, & denuntiatione. 148. Habet etiam locum apud religiosos. 149. Adest obligatio accusandi delicta contra bonum commune, aut etiam particulare in eis, qui ex officio ad id tenentur. 150. Qui prohibeantur accusare. 151. Accusationes leves, & quærelæ ex ira, odio, aut iuvidia procedentes debent repelli a judice. 152. Plus nocent, quam prosunt reipublicæ. ibid.

Adam. Omnes virtutes, omnesque habitus scientiæ fuerunt ei a Deo infusæ.

103. 9. In sua voluntate continebat ex pacto Dei voluntates posterum. 127. 73. Hinc illo peccante, omnes peccaverunt. ibid. Primum ejus peccatum fuit superbia. ibi. 75. Non fuit seductus. ibid. Transfunditur in nos peccatum illius seminali propagatione. 128. 76. Qui sine hac formaretur, non contraheret peccatum originale. ibi. 79. Adam, & Eva fuerunt salvati. ibi. 81. Eis debemus peculiarem reverentiam. ibi.

Adoratio quid, & quotuplex. 241. 50. & seqq. Adoratio latriæ quid, & cui debeatur. 242. 56. Hostia a Sacerdote elevata absolute est adoranda. 243. 59. Caro, sanguis, vel puer apparens in Eucharistia debet adorari latria. ibi. 60. Item crux Christi, & alia ejus passionis instrumenta. 244. 61. Adoratio hyperduliæ quid, & cui exhibenda sit. ibi. 67. Dulia quid, & cui danda. 244. 68. Quis cultus exhibendus sanctis canonizatis, beatificatis, & aliis cum opinione sanctitatis demortuis. 245. 74. & seqq.

Adjuratio, quid. 315. 1. Quotuplex. ibi. 2. Est quædam species juramenti. 316. 3. Solum rationales possunt proprie adjurari. 4. Irrationalia indirecte. ibid.

Adultera interrogata a marito nequit negare se commisisse adulterium, aliud habendo in mente. 312. 82. Quando teneatur detegere crimen suum pro vitando damno filii hæredis. 457. 232. & seqq.

Adulterium quid. 383. 117. Adest etiam altero conjuge consentiente. 385. 127. Turpius est in uxore, quam in marito. 384. 123. Quid sit restituendum ratione adulterii. 456. 225. In dubio cujus sit proles adulterina, debet restitui pro rata. ibid. 226.

Advertentia requisita ad peccattum. 136. 120. Tripliciter potest cognitio se habere ad illam. ibi. 122.

Advocatus quas opiniones sequi debeat. 37. 91. Non debet admittere causas indiscriminatim. ibi. 93. In criminalibus potest favere reo etiam opinione minus probabili. ibi. 94. Qui arceantur ab officio advocati. 544. 174. Tenetur pauperum causas defendere gratis. 175. Debet pollere sufficienti scientia. 177. In causæ initio debet se diligenter informare, monereque clientem, an habeat jus, vel non, ibid. Curet minuere lites. 545. 182.

Aereomantia est divinatio per ignem. 250. 100.

Affabilitas, qdid. 109. 49. Opponitur ei per excessum adulatio, & blanditio. ibid. Per defectum tristitia, vel morositas, & jurgium. ibid.

Affectio pia requiritur ad assensum fidei. 149. 8. Ex ejus defectu sunt plures increduli, ibid.

Agasones nequeunt cum jumentis onustis inchoare iter diebus festis. 328. 26. Nisi ex necessitate, aut publica utilitate id faciant. ibi.

Agatha. S. quomodo dixerit: *Medicinam carnalem corpori meo numquam exibui.* 252. 158.

Agitatio taurorum licita in Hispania. 36. 120. Regulares ei nequeunt assistere. Ibid. Extra Hispaniam illicita. ibi. 124.

Agnus Dei depingere alio colore vetitum est. 249. 91. Valent reverenter a quolibet tangi. ibid.

Agricolæ possunt laborare diebus festis tempore messis, & vindimiæ ratione necessitatis. 329. 31.

Alearum ludus vetitus. 498. 212. Inventus ab Aleo in bello Trojano juxta aliquos, a Diabolo juxta alios. 499. 215.

Alexander Magnus, quid de suo magistro dixerit. 344. 74. S. Alexander veste mutata illusit libidinosos. 516. 23.

Ambitio quid. 118. 11. Est filia superbiæ, ibid.

Ambrosius S. noluit disputare de fide coram judice sæculari. 160. 84.

Amicitia, quid. 109. 49. Opponitur ei susurratio discordiam seminans inter amicos, 518. 40. Amico fideli nulla est comparatio. ibid. Potest esse bonum quandoque dissolvere amicitiam aliquorum. ibid. Assidua familiaritas vitanda. ibid.

Amor proprius est primum vivens, & ultimum moriens in homine. 123. 51. inordinatus est causa omnis peccati. 140. 147.

Amphibologia, quid, & quotuplex, 309.

65. Restrictio pure interna graviter illicita in juramento. 110. 66. Adhuc externa sine causa numquam licet. ibi. 70. Quæ causa ad eam sufficiens. ibi. 71. Quinque conditiones ad illam requisitæ. 311. 73. Varii casus de ea resolvuntur. ibi. 75. & seq.

Anabaptistarum fuit error rebaptizandi, 168. 140. qui ex eodem errore quempiam rebaptibaret, esset hæreticus externus. ibid.

Angeli habuerunt in via fidem mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis. 150. 10. Moyses eorum creationem caute descripsit populo rudi, ne in errores laberetur. 232. 4. Angeli potuerunt vovere in via. 286. 110. Angelus custos removet a nobis mala. 319. 19. cuilibet homini est deputatus Angelus bonus ad eum custodiendum. 323. 44. Et etiam malus ad tentandum ex Dei permissione. ibid.

Anima est subjectum immediatum peccati originalis, & gratiæ. 128. 77. Ab originali culpa remansit anima sauciata quoad suas potentias, & vires. 129. 82. Animæ purgatorii per se ipsas non orant pro nobis. 236. 27. Bene vero per Angelos. 237 29. Anima separata cognoscit alias separatas etiam loco distantes. ibi. 30. Orare pro eis est melius, quam pro peccatoribus. 239. 38. Confirmatur exemplo notabili 38. Devotio erga animas purgatorii nobis etiam utilis. ibid. 40. Quando eruentur illæ, quarum nemo recordatur. 240. 46. Plures cruciantur ibi plusquam per viginti annos. 241. 47. Anima est in corpore, ut forma vivificans, quod non facit Dæmon in obsesso. 319. 19.

Animalia, quoad dominium sunt in triplici differentia, *domestica*, *sylvestria*, *& mixta*. 405. 60.

Antichristus a Dæmone incubo dicitur generandus. 260. 151. Mille anni indicati in Apocalypsi denotat tempus gratiæ, usque ad Antichristum. 321. 34. Antichristi miracula erunt falsa. 515. 17.

Appellatio. Licita est cum causa de inferiori ad Superiorem. 57. 57. Reus valet ex justa causa appellare a sententia. 543. 169. In criminalibus etiam cum opinione minus probabili. ibi.

Appetitus naturalis debet uti, non frui suis actibus. 136. 119. Alias pervertitur ordo naturæ. ibid.

Apostasia a fide, quid. 166. 123. Non differt specie ab hæresi. ibid. 124 Nisi transeat ad aliam sectam. ibid.

Aqua benedicta. Ejus virtus ad Dæmones abigendos. 317. 9. Fugat eos plusquam Crux, ratio congruentiæ ibid.

Arbiter Judex. Arbiter quis. 533 112. Quis arbitrator, & quid possit, ac debeat agere uterque. ibid.

Archiepiscopus, præsidet Concilio Provinciali. 7. 50. Potest dispensare in legibus ejusdem Concilii. 87. 272.

Aristoteles. Ejus egregium dictum. 117. 98. Aliud in ejus laudem. 344. 74. Comparat latronibus lussores. 499. 215.

Arius impie negavit Christi divinitatem. 237. 32.

Artes, quæ liberales, quæ serviles. 327. 21.

Ars notoria, quid. 256. 127.

Assassinus, quis. 363. 116 Est gravissimum peccatum occidere hominem medio assassino. ibid. 117. Neccessario aperiendum in confessione. ibid. 118.

Assecuratio, quid. 488 162. Quomodo licita. ibid.

Aspectus fœminæ periculosus. 375. 65. Quando lethalis. ibid. 66. Quid de aspectu partium secretarum. ibid. 67. Idem de imaginibus obscenis. ibi.

Astrologia quid, & quotuplex. 252. 109. Quatuor partes judiciariæ. ibi. 110. Nequit Astrologus ex puncto nativitatis quidquam certo prædicere de homine. 253. 112.

Atheismus negat Deum. 161. 89. Comprehenditur sub Paganismo. ibid.

Attritio supernaturalis simul cum sacramento est medium remittendi peccata. 133. 104.

Avaritia, quid. 119. 13. Est radix omnium malorum. ibid. 14. Septem habet filias. ibid. Avaro diviti eleemosynam petenti quid faciendum. 202. 156.

Avis. Divinare ex garritu, aut vocibus avium est augurium. 254. 118. Avis sugens infantum sanguinem vocatur *Strix*. 260. 147.

Augurium, quid. 254. 118. Quo sensu dixerit antiquus Joseph se esse præditum

tum scientia augurandi. ibid. 119.
Aureola virginitatis, quibus donetur. 367. 15. Sine pugna carnis ea gaudet S. Theresia. ibid. Potiori titulo ea eminentissime gaudent Regina Virginum, ejusque purissimus Sponsus. ibid,
Authoritas. Authoritati Papæ omnia Concilia subsunt. 9. 53. Pro foro interno authoritas Theologorum authoritati Canonistarum præferenda est. Pro foro fori econtra. 10. 69. & seq. Authoritas unius Doctoris non sufficit ad opinionem probabilem faciendam. 32. 58. Authoritas Parochi sufficit rudibus, & imperitis pro regula operandi. ibi. 60.
Authores de Authoribus quomodo scribere debeant. 524. 71.

B

BAlac sæpe interrogabat Balaam, ut ei ad placitum responderet. 38. 99. Nemo hoc fine varios consulat Doctores. ibid.
Balneum. Vetitum est Catholicis ingredi socialiter cum Judæis in balneum. 164. 107. Nisi casualiter id accidat. ibid.
Baltasar Rex fuit morte punitus, eo quod convertit vasa sacra in usus prophanos. 249. 95.
Banniti possunt authoritate Principis a quolibet occidi. 346. 7. Si capi valeant, non debent inopinate occidi. ibid.
Baptismus vere delet peccatum originale, non radit, aut tegit solum. 127. 74. Illum iterare est hæreticum. 168. 140.
Barbitonsores nequeunt diebus festis barbas tondere. 329. 34. Unam, vel alteram ex causa tondere licet. ibid.
Beatificatio quid. 246. 77. Quis cultus exhibendus beatificatis. ibid. 78. & aliis cum opinione sanctitatis demortuis. ibid.
Beatitudines quot, & quid. 116. 92. Non habitus, sed actus sunt. ibid. 96. In quo differant a donis. ibid.
Beati cognoscunt in verbo nostras preces. 236. 25. Possunt, & debent a nobis orari. ibid.
Beatus qui procul a negotiis. 546. 189.
Bellum quid, & unde dictum. 213. 221. triplex causa belli justi. ibid. 223. Nequit indici cum opinione probabili. 214. 224. Valet cum longe certo probabiliori. ibid. 225. Semper tamen pro possibili vitandum. ibid. 226. Præjudicia ex bello orta. ibid. Prohibitum est clericis, & religiosis bellare. 215. 230. Possunt assistere bellantibus ad eorum subsidium spirituale. ibi. Peccata quæ solent committi circa bellum. ibid. 332. & seq.
Benedicere animalia ad fores Templi S. Antonii licitum est 256. 129.
Benedict. XIV. laudatur. 88. 281. 92. 307. & alibi sæpe.
Bestialitas quid. 395. 191. Diversitas bestiarum est de materiali. ib. 192. Gravitas hujus flagitii. ibid. 193.
Biblia, seu vulgata approbata ab Ecclesia est recepta ut sacra Scriptura. 4. 28. Biblia idem est ac libri, ibi. Septuaginta duo sunt libri sacri. ibid. Breviarium non est Biblia. 5. 29.
Blasphemans simul de duodecim Apostolis plura peccata committit. 143. 157.
Blasphemia quid. 265. 179. Ejus divisio. ibid. 180. varii modi. ibid. 180. Non omnes blasphemiæ sunt ejusdem speciei. 266. 184. Quid de prolatis eodem tempore. ibid. 185. Pœnæ contra blasfemos. ibid. 186.
Bona, alia necessaria ad vitam, alia ad statum, alia superflua. 190. 84. Bona clericorum in triplici differentia. 195. 113. Ecclesiastica in quatuor portiones divisa. 196. 118. Sunt *res Dei*, & *patrimonium pauperum*. 197. 120. Nequeunt expendi in usus prophanos. 122. Ex quibus bonis facienda sit eleemosyna. 200. 143. & seq. Quæ bona sint a Deo petenda. 241. 48. Pro conservandis bonis temporalibus nefas est occidere furem diurnum. 355. 63. Bona filiorum in quadruplici differentia. 403. 45. Bona uxoris. 404. 58. Bona inventa triplicis generis sunt. 407. 72. Bona vacantia, cui competant. 76. Cui bona inventa. ibid. 77.
Bona fides ad præscriptionem requisita. 409. 87. Dubium grave ei opponitur. ibid. Etiam ignorantia juris, non facti. 410. 89. Quando, & quomodo noceat hæredi mala fides possessoris anterioris. ibid. 90. Quid teneatur restituere possessor bonæ fidei. 422. 35. & seq. sex differentiæ pro restitutione possessoris bonæ, & malæ fidei. 428. 70.

Breviarium, non est idem ac Biblia, nec omnia, quæ reperiuntur in Breviario, sunt scriptura sacra. 5. 29. Clericus projiciens Breviarium in mare tempore navigationis tot peccata committit, quot diebus recitare omittit. 72. 167. si tamen vere pœniteat de projectione, non peccat in ulterioribus omissionibus. ibid. 168.

Bulla cruciatæ non deservit pro absolvenda hæresi. 169. 147. valet vero pro votis commutandis. 295. 158. Pro causa ea commutandi sufficit ipsa Bulla. ibi. Differentia inter commutationem per Bullam, aut Jubilæum. ibid. 159.

Bulla compositionis deservit pro bonis, quorum dominus ignoratur, componendis. 442. 152.

C

CAjus Falcidius fuit author quartæ falcidiæ. 511. 268.

Calumnia quid. 520. 49. Et modus pejor detrahendi. ibid. Eam imponens debet se retractare. 49.

Cambium quid, & quotuplex. 492. 181. Quid campsor, & campsarius. ibid. Divisio cambii. 182. Cambium siccum fictitium. ibid. Manuale licitum. 183. Cambium minutum ecclesiasticis vetitum. 185. Ex triplici titulo licitum cambium locale. ibid. 186.

Canonistarum omnium sententia est argumentum firmum ad recte operandum. 11. 71. Eorum authoritas circa leges mere ecclesiasticas authoritati Theologorum præferenda est. 73. Canon idem est ac regula. 48. 16.

Canonizatio, quid. 245. 75. Olim fiebat ab Episcopo; nunc a solo Papa. ibid. Non potest hic errare in sanctorum canonizatione. 246. 75.

Cantus usitatus in quibusdam Ecclesiis relegandus. 250. 99. Est superstitio cultus superflui, seu vitiosi. ibid. Canere turpia semper illicitum. 376. 72.

Charitas quid. 177. 1. Quotuplex ibid. 2. Ejus objectum. ibid. 3. Amor Dei apreciativus differt ab intensivo. ibid. 4. Quolibet gradu amoris Dei satisfit præcepto Deum diligendi. 178. 6. Charitas est proprie amicitia hominis ad Deum. ibid. 9. Dantur quatuor præcepta charitatis. 179. 11. Quando obliget præceptum dilectionis Dei. ibid. 13. & seq. obligat plusquam singulis quinquenniis. ibid. 16. Præceptum diligendi Deum est suavissimum. ibid. 17. Nihil dulcius, quam diligere Deum. ibid. Obligat in ingressu morali usus rationis. 180. 18. Adest præceptum speciale de proximo diligendo. 181. 25. Non adimpletur sola Dei dilectione. ibid. 26. Obligat triplici tempore. ibid. 28. Quisque debet in spiritualibus diligere se præ alio. 182. 35. Proximus plus debet diligi, quam proprium corpus. 183. 37. Potest quis ex charitate privare se aliquo bono spirituali. ibid. 39. Sic docemur a S. Theresia charitatis pretiosa victima. ibid 41. Pro bono spirituali proximi licet se aliquo tempore, non perpetuo, privare beatitudine. ibid Licet se privare satisfactione operum bonorum & suffragiorum, ut applicentur animabus purgatorii. ibid. 42.

Adest præceptum inimicos diligendi. 185. 54. Etiam fuit in lege veteri. ibid. 56. Quid jubeat. 186. 58 Tenemur inimicos resalutare, non vero salutare. ibid. 61. Optare aliquod malum temporale alicui ob ejus bonum spirituale, vel commune religionis licitum est. 187. 65. Ex se magis meritorium est diligere amicos, quam inimicos. ibid. 66. Vitia contra charitatem sunt decem. 210. 204.

Carmelitæ. Privilegia eis concessa ne a petendis eleemosynis impediantur. 203. 160. Quacumque die valent postulare. ibi. Sciens Carmelitis discalceatis esse graviter prohibitum comedere carnes extra domum, & eas illis ministrans ita artificiose conditas, ut non agnoscantur ab edentibus, graviter peccat. 226. 289.

Carmelitæ omnes ex vi regulæ tenentur ad orationem mentalem. 238. 35. Sub qua culpa. 34.

Caro, si appareat in Eucharistia adoranda est *Latria*. 243. 60.

Chartarum ludus vetitus præsertim clericis, maxime religiosis. 498. 212. In cœnobiis nostris hucusque non est visus. ibi. Væ primo qui illum introduceret. ibi.

Chartusianus, si habeat alios cibos, te-

netur abstinere a carnibus etiam cum periculo vitæ, ne paretur via relaxationi suæ exemplaris consuetudinis. 69. 151. Si caret alio cibo, potest, & debet vesci carnibus. ibi.

Castitas unde dicatur. 365. 2. Quotuplex, 3. Castitas conjugalis, & vidualis non differunt specie a castitate communi. ibi. Virginalis specie differt ab illa. ibi. Religiosus sacerdos peccans contra castitatem duplex sacrilegium committit. 386. 133. Idem est de initiato in sacris. ibid. 135.

Cato. Ejus responsum facetum. 256. 232. Reprobatur in suicidio. 358. 84.

Caupones nequeunt diebus jejunii ministrare cœnam aut carnes hospitibus, nisi rationabiliter præsumant eos habere causam. 448. 287. Eam habere possunt præsumere, dum ipsi postulant carnes, vel cœnam. ibi.

Causa. Causæ pro foro poli, seu conscientiæ spectant ad Theologos. 11. 73. Pro foro fori ad Canonistas. ibi.

Causa, requiritur ad legis dispensationem. 90. 291. Dispensatio inferioris in lege superioris sine causa nulla est. ibi. Etiam dispensatio humana sine causa in lege naturali, & divina. 90. 292. Quoad alia vide *dispensatio*. Causa dispensandi triplex *certa*, *sufficiens*, & *necessitans*. 94. 316. & seq. Causa movens ad dispensandum duplex *motiva*, & *impulsiva*. 95. 327. Quando cessante causa cesset dispensatio. 96. 333. & seq. Quæ causæ influant *per se*, aut *per accidens* in peccatum. 137. 128. & seq. Causæ restitutioni obnoxiæ. 431. 88. & seqq. Quæ dicatur causa in foro judiciali. 532. 111.

Cazalla flevit in Hispania, quod didicit extra. 334. 17.

Cæcus, & simul surdus a nativitate nequit testari. 504. 236. Bene vero si non a nativitate.

Censura regulariter non incurritur a pueris ante pubertatem. 76. 190. Excepta illa quæ adest ob percusionem clerici, & ob ingressum in Clausuram monialium. ibi.

Census quid. 493. 187. Quotuplex. 188. Quis licitus jure naturæ. 190. & seq. 12. conditiones pro censu imponendo assignatæ a Pio V. 494. 195. Non omnes obligant in Hispania. 196. Concina oppositum contendens repellitur. 495. 198.

Cervisia. Qui vovit abstinere a vino, non tenetur abstinere a cervisia. 282. 88. Nisi votum esset de ebrietate vitanda. ibi.

Chiliastæ, seu Millenarii erravere in expositione cujusdam textus Apocalypsis. 322. 37.

Chirographa, aut credita emere minori pretio illicitum. 479. 115. Præcipue ministris Principum. ibi.

Chirographum proprio sanguine subscriptum, & Dœmoni traditum vera pœnitentia deletur. 259. 146.

Ciborum decoctio, & alia hujusmodi olim prohibita Judæis, non vetantur diebus festis Christianis. 326. 19.

Cimona aluit lacte suo patrem damnatum ad fame moriendum. 332. 8.

Cithara David quomodo abigebat Dœmonem. 258. 138.

Circumstantia. Quid, & quotuplex sit circumstantia peccati. 142. 154. Quæ sint *mutantes speciem*, *aggravantes*, & *diminuentes intra eamdem speciem*. ibi. 155.

Circumcelliones vocabantur in Africa hæretici quidam se, & alios occidentes. 358. 82.

Clamor, quid. 122. 43. Quando veniale, aut mortale peccatum. ibi.

Claudicatio non provenit a potentia loco motiva, sed a defectu tibiæ. 128. 80.

Clavi quibus Christus fuit crucifixus sunt adorandi *latria*. 244. 65. etiam alii reperti in Crucifixis. 243. 63. non ceteri.

Clausura monialium obligat eas etiam cum periculo vitæ alicujus particularis. 69. 149. Quid doceat in casu illuminata virgo S. Theresia. ibid. 150. tres casus excepti a Pio V. ibid. Alii tres contuetudine admissi. ibid.

Clericus projiciens breviarium in mare quot peccata committat. 62. 108. Clerici gaudent privilegio fori quoad personas, eorum bona, causas, & loca ex pia concessione Principum Christianorum. 74. 180. Tenentur ad leges civiles, quæ suo statui non dedecent. ib. 183. Si quid contra eas accipiant in contractibus restituere debent. 75. 185.

Clerici, & religiosi sunt vassalli fideliores suo Principi. ibid. Clericus violans leges civiles debet puniri a Judice ecclesiastico. ibid. 186. Clerici vagantes extra Diœcesim tenentur obedire Episcopo jubenti regredi ad suas Ecclesias. 77. 203. Pœnę contra clericos concubinarios. 373. 51. & seqq. contra Sodomitas. 394. 187. & seq.

Codicillus, quid. 503. 234. Nequit in illo institui hæres. ibid. Ejus solemnitas. ibid.

Colloquia familiaria cum fœminis aliquando licita. ibid. 73. Continua vitanda. 376. 74. Etiam cum monialibus caute, & parce habenda. 75.

Columbaria sunt licita. 405. 63. Alienas columbas peculiari pabulo attrahere illicitum. ibid.

Comediæ, & choreæ ex se sunt licitæ: tamen ex abusu, ut plurimum fiunt illicitæ. 230. 308. Sunt festum Diaboli, theatrum Dœmonum, schola lasciviæ, & pestis reipublicæ. ibid. 309.

Commissarius, ab alio designatus ad vendendas ejus nomine merces, si est famulus, vel pretio conductus debet excessum domino tradere. 473. 86. Si nec est famulus, nec pretio conductus, nec amicus valet excessum retinere. 87. Quid de commissario cui præfixum est pretium a domino rei. 474. 89. Commissarius pro testamento conficiendo, & ejus obligationes. 507. 251.

Commodatum, quid. 496. 204. obligatio commodatarii circa custodiam, & venditionem commodati. ibid.

Compensatio, quid. 449. 188. Quando licita. 189. & seq.

Concilium quid, & quotuplex. 7. 50. Non est firmum nisi a Pontifice approbetur. 9. 54. Papa est supra omnia concilia. ibid. 58. Concilium Basiliense initio legitimum subinde reprobatum 10. 62. Concilia generalia pro tota Ecclesia, Provincialia, & Diœcesana possunt respective condere leges. 55. 71.

Concina P. Asserens posse Ecclesiam præcipere actus mere internos refutatur. 80. 219. Negans posse Principes dispensare *valide* in sua lege sine causa refellitur. 91. 295. & seq. Affirmat. & negat impleri præceptum diligendi Deum sine intensione actus. 177. 4. Non bene ait D. Thomam sine examine allegasse doctrinam S. August. 248. 301. Non recte asserit, quod oratio meritoria, non semper est impetratoria. 237. 34. Contra ab ipso dicta contendit juramentum sine animo jurandi esse validum. 301. 19. Non bene explicat D. Thomam circa veritatem juramenti. 305. 37. Meditato recedit a D. Thoma circa innocentis sententiam juxta allegata, & probata. 348. 23. Objurgat Salmanticenses super quadam opinione, quam subinde ipse dissertis verbis approbat. 392. 177. Contendens pacta onerosa de opere illicito, hoc posito, non obligare, sui ipsius doctrina refellitur. 438. 124. Perperam tribuit junioribus Bullam compositionis a summo Pontifice benigne concessam. 442. 152. Multiplicans peccata non restituendi juxta numerum dierum, rejicitur. 445. 167. Tribuit D. Thom. doctrinam parum solidam. 451. 200. Redarguens Salmanticenses circa census aperte falli convincitur expressis verbis Benedict. XIV. 495. 197. Contra apertam veritatem contendit decretum de Propaganda fide circa ritus Sinensis esse dubiæ fidei. 546. 190.

Concionator, qui prædicaret miracula falsa, vel variaret S. Scripturam, graviter peccaret. 158. 71. Tenetur reprehendere peccata publica, etiam cum dispendio proprio. 184. 47. Debet in necessitate prædicare vera, licet inde oriatur aliquorum ruina. 206. 180. Caveat reprehendere in publico Prælatos aut Sacerdotes. ibid. 182. Non peccat graviter concionando in lethali. 208. 190. Nisi esset peccator publicus. ibi. Præsumere concionari sine prævio studio, & necessitate, sperans auxilium speciale a Deo, est tentare Deum. 262. 164.

Concubina quid. 371. 37, Quomodo dicatur Abraham, Isaac, & alios habuisse concubinas. ibi. Differentia concubinatus a fornicatione simplici. ibid. 38. Quid sit concubinatus. ibid. 39. Numquam est absolvendus concubinarius. ibid. 40. Quid, si sit filius familias. ibid. 372. 43.

Concupiscentia, quid. 17. 110. Antecedens minuit voluntarium. ibid. & seq.

Una bona, alia mala. 135. 118. Non est idem, ac habitus vitiosus. ibid.
Conditio. Conditiones requisitæ pro licita occisione invasoris vitæ. 352. 46. Servandæ pro compensatione. 449. 190. Conditiones, quæ suspendunt, vel non, contractus. 460. 15. & seq. Differentia conditionis a modo. 462. 22. Quid sit conditio causalis, vel potestativa pro venditione. 467. 51. Sex pro contractu societatis, 488. 158. Undecim jure ecclestastico pro censibus imponendis. 494. 195.
Confessarius ignorans, quot peccata committat. 20. 127. Quomodo debeat monere pœnitentem, qui accedit cum conscientia erronea. 30. 46, An possit ministrare sacramentum pœnitentiæ cum opinione probabili suæ jurisdictionis. 35. 82. Non valet se conformare cum opinione minus probabili pœnitentis. 36. 87. Debet sedulo vacare studio moralis Theologiæ. ibid. 88. Consiliare debet probabiliora. 38. 99. Quomodo se gerere debeat cum scrupulosis. 43. 131. & seq. Cum ebriosis, ac ebriis moribundis. 121. 33. & seq. Cum ignorante mysteria fidei. 152. 24. Cum lamiis, maleficiis, & sagis. 259. 146. & seq. Cum blasphemiis. 266. 187. Cum passim jurantibus. 308. 57. Debet illis applicare congruentes medicinas. ibi. 59. Interrogatus de auditis in confessione valet absolute negare se quidquam scire. 311. 75. & seq. Quid ei faciendum cum concubinariis. 371. 40. & seqq. Cum prave exercentibus artes, aut officia alias honesta. 372. 47. Cum amasio, qui prætextu amittendi lucrum non repellit occasionem. 373. 49. Cum meretricibus. 374. 56. Confessarius mere negative se habens circa restitutionem a pœnitente faciendam non tenetur ipse restituere. 435. 111. Nequit absolvere potentes, & nolentes restituere. 445. 169. Neque in articulo mortis. 445. 170. Neque usurarios, nisi resipiscant, & restituan. 491. 177. Quomodo debeat monere pœnitentes circa testamenta apte, & opportune conficienda. *In fin. tract.* Confessarius ipse licet rogatus minime se intromittat in dispositione bonorum testatoris. ibi. Quid facere debeat Confessarius regularis, si testator, aut alius graviter ægrotans indicet ei velle sepeliri in Ecclesia sui conventus. ibid.
Confessio generalis quibusdam necessaria, aliis utilis, aliis nociva. 44. 135.
Confessio fidei quando obliget. 156. 53. & seq. A quibus facienda in ingressu ad officia. 157. 64. Pœna contra omittentes. ibid. Nequit fieri per alium. ibid.
Conscientia non est habitus, nec potentia, sed actus synderesis. 22. 1. Ejus definitio, divisio. 2. & seq. Tres sunt actus conscientiæ. 23. 8. Non est synderesis. 23. 9. Manet moraliter in dormiente. ibid. 10. & seq. est actus intellectus practici. ibid. 11. & seq. conscientia recta alia præceptiva, alia consiliativa. 24. 14. Agere contra conscientiam est peccatum. 15. *Volo agere in omnibus contra conscientiam*, est actus determinatæ speciei. ibi. 18. Conscientia erronea quid. 25. 22. Deus jubet eam sequi. 25. Differentia invincibilis a vincibili. 26. 27. & seq. Quomodo deponenda. 28. 35. & seq. Quid agere debeat Confessarius cum pœnitente accedente cum conscientia erronea. 30. 46. & seq. conscientia probabilis quid, & quotuplex. 31. 53. & seq. Notio, & divisio conscientiæ dubiæ. 39. 101. & seq. Nequit operari cum dubio practico. ibid. 106. Regulæ observandæ pro dubiis deponendis. 40. 110. Intelligentia regulæ: *Melior est conditio possidentis.* ibid. 112. & seq. Alterius nempe: *In dubiis tutior pars est eligenda.* ibid. 114. Notio, causæ, & remedia conscientiæ scrupulosæ. 42. 125. & seq. Regulæ a Confessario scrupulosi observandæ. 43. 131.
Consilium debet dari juxta opinionem probabiliorem. 38. 99. Consilians minus malum parato ad majus prudenter agit. 221. 267. Quando malum consilians restituere teneatur. 432. 91. & seqq.
Consuetudo quid. 98. 346. Quotuplex. ibi. 347. Quinque conditiones pro consuetudine inducenda. 99. 352. Triplex est effectus consuetudinis. 101. 367. Cessat, & abrogatur per aliam consuetudinem, aut legem sibi contrariam. 102. 375.

Consuetudo jurandi, quid. 307. 50. Quatuor modis potest considerari. ibid. Tenetur pœnitens eam fateri. ibid. 53. & seq. Non potest absolvi, si eam non deserit. 308. 56. Nec in dubio de sua resipiscentia. ibid. 57.

Contentio, quid. 212. 215. Consistit in verbis, ac in scriptis. ibid. Plus ledunt scripta, quam verba ibid. Reprobatur sensus cujusdam junioris asserentis scripta debere sale, & pipere condi. ibid. 216. Scripta sale modestiæ, veritatis, & rationis condita prudentibus placent. ibid.

Contractus, quid. 457. 1. Quotuplex 458. 2. Quot modis perficiatur. ibid. 5. Validus metu gravi innitus. 458. 6. Quid de celebrato cum dolo. 10. & seq. quid de conditionato. 360. 15. & seq. quæ ejus conditiones. ibid. 16. Qui contrahere valeant. 463. 23. & seq. sine solemnitate substantiali est nullus. ibid. 31. Contractus *Lotto* quinque conditionibus licitus. 499. 218. Authoritate privata illicitus. ibid. Contractus societatis quid. 487. 157. Sex conditiones requirit. 158. Quatuor modis finitur. 488. 160. Ubi capitale pecuniæ, aut animalium assecuratur, est illicitus. ibi. 161. Contractus assecurationis, quid. 162. Quomodo licitus. ibid. Contractus trinus quid. 489. 163. Est illicitus 164. & seq. ibid.

Contumelia, quid. 517. 34.

Cooperatio ad malum duplex, proxima, & remota. 224. 280. Quando illicita. ibid. 281. & seq.

Copula habita inter conjuges ob solam voluptatem est illicita. 136. 118. Copulæ etiam continuatæ sunt distincta peccata. 144. 165. Tactus copulæ præcedentes quando sint peccata ab ea distincta, 145. 166. Qui habuit copulam cum soluta, non satisfacit confessioni, quin eam exprimat. ibib. 167. Exigens copulam a fœmina ad eam parata committit peccatum scandali. 226. 292.

Corona Christi est adoranda cultu *latriæ*. 243. 62. Etiam quævis alia in imagine Christi reperta. ibid. Non cæteræ coronæ separatæ ab ejus imagine. 244. 65.

Correctio fraterna quid. 204. 165. Quotuplex. ibid. 166. Ejus conditiones. ibi. 168. Quæ peccata sint corrigenda. ibi. 169. & seq. Prælati, Parochi, & Confessarii tenentur corrigere prudenter peccata etiam ex ignorantia commissa. 206. 177. Subditus in publico non corrigat Prælatum, nec in secreto, nisi humiliter, & submisse. 206. 183. Ordo correctionis fraternæ explicatur. 209. 197.. Solum in peccatis occultis obligat. ibid. 198.

Crux, & alia instrumenta passionis Christi debent adorari *latria*. 242. 61. Crux in qua Christus pependit, duplici titulo. ibid. Aliæ, si amittant figuram crucis, non sunt colendæ. ibi. Nec cruces paleis, vel lignis casualiter formatæ. 244. 65. Scrupuli circa earum conculcationem sunt despiciendi. ibi.

Culpa. Constitutiones religionum obligant vel ad culpam, vel ad pœnam. 57. 78. Si Legislator exprimat se nolle obligare ad culpam, lex ad eam non astringit. 57. 82. Potest præcipi materia gravis sub culpa levi. 58. 85. Non autem levis undequaque, sub gravi. ibi. 86. Leges pœnales obligant ad culpam, & pœnam. 61. 103. & seq. Culpa restitutioni obnoxia. *Vide Restitutio.*

D

DAmnum emergens. Sub titulo damni emergentis, & lucri cessantis paliantur usuræ. 485. 149. Quid sit damnum emergens. ibi. Conditiones requisitæ, ut quis accipiat aliquid ratione talis damni. 486. 150. Si mutuum extorqueatur metu debet compensari damnum emergens. ibi. Secus, si ultro offeratur. ibi.

Daniel Propheta, fuit simul accusator, & judex contra impuros senes ex Dei impulsu. 534. 118.

David authoritate Principis acceptavit duellum cum Goliat. 217. 244.

Decalogus quid. 146. 1. Ejus præcepta. 3. Quæ primæ, quæve secundæ tabulæ. 5. Omnia obligant in lege gratiæ. 8. Sunt observatu facilia. 9. & seq.

Decretum Gratiani, non sortitur vim legis. 48. 19. Decreta Pontificia contra Confessarios sollicitantes fundantur in

præ-

præsumptione periculi. 64. 122. & seq.
Deismus, idest Deus sine providentia, unde *Deistæ* dicti, qui eam falso negant. 161. 89.
Delectatio morosa quid. 138. 133. Specificatur ab objecto. 134. Differt juxta objecti circumstantias. ibid. 136.
Dœmon. Non sunt credendæ quædam mysticæ falsæ, quæ dicunt se a Dœmone ad inhonesta coactas fuisse. 16. 103. Omnia naturalia in Dœmone integra permanserunt. 129. 83. Non omnia peccata sunt directe e suggestione Dœmonum. 140. 147.
Dœmon non expellitur directe sonitu musicæ, nec fumo piscis. 259. 142. Ex incubo potest dari vera generatio. 260. 151. Proles esset filius hominis, non Dœmonis. ibi. Modus, quo sunt in corpore. 319. 19. Per quamlibet ejus partem valent ingredi. 20. Laudabiliter format signum Crucis in ore, qui oscitat. ibi. Signa veri energumeni 22. Quid possint Dœmones in obsessos. 23. Quando verba mala, aut pravæ actiones imputentur energumeno. 24. Violentiæ Dœmonum. 320. 25. & seq. Non tentant, quantum volunt. 28. Signa egressus. 321. 30. Spiritus sunt, qui vocantur *spectra*, *larvæ*, vulgo *Duendes*. ibid. 32. Cuilibet deputatus est Dœmon ad tentandum. 323. 44. Adest ordo naturalis inter Dœmones. 45. Dœmon fuit Assessor Lutheri. 366. 12.
Denunciatio quid. 170. 148. Est duplex. ibi. Hæreticus debet denunciari, licet non possit probari. 149. Non est idem accusare, ac denunciare. ibi. Quamvis hæreticus emendatus, aut mortuus sit, debet denunciari. 150. Omittens denunciare *ipso facto* excommunicationem majorem incurrit. 152. Caute, & prudenter, non præcipitanter procedere debet denunciator. ibid. 153.
Depositum quid sit. 496. 202. Obligatio depositarii. ibi.
Derisio, quid. 519. 42.
Descendentes quomodo succedant in bonis ascendentium ex testamento. 504. 238. Quomodo ab intestato. 505. 239.
Desiderium quomodo liceat desiderare propriam mortem. 140. 143. & seqq. Differunt desideria juxta diversitatem objecti. 211. 208. Quando sint sacrilegia. 263. 167. optare hic perpetuo vivere est illicitum. 174. 8.
Desperatio quid. ibid. 7. Cum hæresi, & sine illa. ibi. Oritur ex duplici vitio. 8.
Detractio quid. 520. 49. Octo modi detrahendi. 50. Detrahere etiam de mortuis est illicitum. 521. 51. Quando detractio sit gravis. 54. Quid de asserente de alo esse superbum, aut iracundum. 55. Revelare alterius crimen occultum uni sine causa est grave. 522. 57. Item referre se illud audisse, nisi addat, a malevolis, seu levibus. 59. Referre de infamato aliud crimen simile ab eo perpetratis, non est lethale. ibi. Narrare delictum publicum, ubi tale est, non est peccatum grave. 60. Idem de locis vicinis. Secus est de delictis commissis, seu punitis in monasteriis, vel capitulis communitatum, ac de correctis in aula secreta, vel in tribunali inquisitionis januis clausis. 523. 62. Causæ excusantes detractionem. 524. 67. Quando liceat detegere ignorantiam aliorum. 69. Quando audiens detractionem peccet graviter. 525. 72. Quid de movente alium ad detractionem. 73.
Devotio quid. 233. 9. Duplex ejus causa. 10. Effectus ejus lætitia, & tristitia, uterque salutaris. 11. Quando obligent actus devotionis. 12.
Deus est objectum formale *quod* Theologiæ. 4. 21. Author peculiaris Sacræ Scripturæ. ibi. 28. Nequit dari ignorantia invincibilis de existentia Dei. 20. 128. Quomodo sit Author conscientiæ erroneæ. 25. 25. Est Author Decalogi. 146. 2. & seq. Est objectum primarium fidei. 149. 4. Non potest fallere, nec falli. 5. Est summe verax. 7. Est objectum spei. 173. 1. Etiam timoris. 171. 14. Potissimum vero charitatis. 177. 3. Quomodo diligitur Deus ex toto corde. 178. 7. Nihil dulcius, quam Deum diligere. 179. 17. Quam pius! qui etiam ancillis, & servis compatitur. 324. 3. Nequit facere miracula ad confirmandam doctrinam falsam. 515. 17.
Dies Dominica. Vid. Dominica. Observare dies faustos, aut infaustos est superstitio. 256. 130. Dies lunæ infausti

ti Hebræis. ibi. Observare dies lunæ pro medicina, aut scissione lignorum licite fieri valet. ibi.

Dies fausti, & infausti Catholicis. 256. 131.

Diligentia. Qualem debeat ponere, qui laborat conscientia erronea ad eam deponendam. 26. 28. & seq. Quam adhibere teneatur laborans conscientia dubia. 40. 109. & seq.

Discipuli, quantum honorem, & reverentiam debeant magistris. 344. 74. Alexander Magn. plus se amare magistrum, quam patrem dicebat. ibi. Tenentur obedire magistro circa mores, & instructionem. ibi.

Discordia quid. 212. 214. Differt a rixa. ibi.

Dispensatio quid, & quotuplex. 85. 251. & seq. Lex naturalis a nemine quit proprie dispensari. 86. 262. Nec divina directe a Papa. 265. Potestas dispensandi duplex. 87. 268. Qui gaudeant potestate ordinaria dispensandi leges humanas. ibid. 269. Gaudens potestate dispensandi gaudet, & commutandi. 88. 281. Gaudens potestate delegata, nequit eam subdelegare nisi in quibusdam casibus. 89. 284. Gaudens potestate dispensandi cum aliis, valet ea uti ad secum dispensandum. ibid. 288. Nulla est dispensatio inferioris in lege Superioris sine causa. 90. 291. Legislator potest dispensare valide sine causa in sua lege. ibid. 293. Peccat tamen sic dispensando. 93. 308. Non licet uti dispensatione sine causa data, esto sit valida. ibid. 315. Causa dispensandi est triplex. 94. 316. Triplex adest dispensatio *prohibita, permissa*, & *debita*. ibid. 322. Dispensatio dolosa circa causam motivam est nulla. 95. 325. Quæ sit *subreptitia*, quæ *obreptitia*. ibi. Dispensatio absolute concessa non semper cessat, etiam cessante causa motiva. 96. 333. Non cessat morte dispensantis. 97. 340. Cessat per revocationem. ibid. 342. Etiam per renunciationem a Superiori acceptatam. 98. 344.

Disputare cum hæreticis non valet Theologus jejunus historia humana. 11. 77. Prohibitum est laicis disputare de rebus fidei cum infidelibus, aut hæreticis. 159. 81. Clericis imperitis prohibetur idem ex naturali lege. 160. 82. Solum est licitum religiosis, aut clericis vere doctis, & bene instructis. ibid. 83. Non tamen coram Principe sæculari tamquam Judice controversiæ. ibid. 84. Quid dixerit S. Ambrosius in casu Valentiniano Imperatori. ibi.

Divinatio quid. 251. 103. Una a Deo, alia a causa naturali, alia a Dæmone. ibi. Decem ejus species. ibi. Pactum inter duo, ut præmoriens appareat superstiti illusioni est expositum. 252. 108. Divinatio per astra, quæ licita. 109. Astrologia judiciaria, & ejus partes. 110. Quid possint, vel non Astrologi prænuntiare. 253. 112. Divinatio per somnia, & quatuor causæ somniorum. 113. Per *auguria*, quid. 254. 118. Per *Omina*. 120. Ex membris humanis fit divinatio quatuor modis. 121. Consulere Ægyptias, vulgo *Gitanas*, joci causa veniale est. ibi. Cur fatui, & stupidi præ aliis divinant. 255. 126. Cur dormientes, & morti proximi. ibi.

Dolus. Fraus, & dolus nemini debent patrocinari. 78. 206. Dispensatio dolo extorta est nulla. 95. 325. Votum, aut juramentum ex dolo circa substantiam est invalidum. 283. 93. Secus ex dolo circa accidentalia emissum. 94. Culpa juridica *latissima* dicitur dolus manifestus. 418. 13. Impediens alterum dolo, ne accipiat aliquid, tenetur restituere. 429. 73.

Dominica dies. In ea præcipue a nobis est Deus colendus. 324. 4. In eam translata est festivitas Sabbati a Judæis observata. ibi. Causæ hujus translationis, ibi. Observatio Dominicæ est de jure ecclesiastico. 5. Est moraliter invariabilis. ibi. Manichæi jejunabant illa die in despectum resurrectionis Christi. 250. 100.

Dominium quid, & quotuplex. 399. 22. Quarum rerum sit homo dominus. 26. Dominium filiorum. 402. 43. & seq. Religiosorum. 403. 51. & seq. Uxorum, & servorum. 404. 58. & seqq. Erga diversa animalia. 405. 60. & seq. Quid de rebus inventis. 407. 72. & seq. Quid de bonis vacantibus. 76. & seq. Varii modi acquirendi dominium. 408. 82.

Dominus. Ejus obligationes erga servos. 341. 60. Erga famulos. 342. 64. & seqq.

Donatio quid, & quotuplex. 501. 224. Qui donare possint. 225. Valet revocari ob tres causas. 226. Donatio causa mortis quid. 502. 228. Est revocabilis.

Donationes factæ Judicibus, & aliis ministris justitiæ, & litigantibus sunt injustæ, & debent restitui. 535. 125. & seq. Quid respondit Alcamenes Judex circa dona a se recusata. ibi. Dantes, & accipientes pro obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam tenentur restituere, subjacent excommunicationi majori. 128. Sisamnis Judex corruptus donis fuit jussus excoriari, & affigi ejus pellis tribunali. 536. 130.

Donum quid sit in communi. 113. 72. Quid donum Spiritu sancti. 73. Dantur in Ecclesia septem dona Spiritus sancti. 74. Sunt necessaria ad salutem. 75. Sunt virtutes supernaturales specie distinctæ a cæteris. 76. Explicantur sigillatim. 114. 81. & seq.

Dos danda est a patre filiæ nubere volenti. 334. 21. Etiam indigno nubenti si illa fuerit majori. 25. annorum. ibi. Secus, si nubat indigno in minori ætate. ibid. 21. Maritus tenetur alere uxorem, si dotem promissam accepit. 27. Quid si non accepit. 336. 28.

Dubium, accipitur dupliciter. 39. 102. Non fuit dubium in Christo Domino. ibi. Quid, & quotuplex. 103. Dubium juris, & dubium facti. 104. Dubium speculativum, & practicum. 105. Quomodo deponenda sit conscientia dubia. 40. 109. Dubius de lege, præcepto, voto, potestate Prælati, & similibus, tenetur ad ea. 42. 122. Conciliantur tres regulæ. *In dubio melior est conditio possidentis. In dubiis tutior pars est eligenda. In dubio favendum est reo, potius quam actori.* 123. Qui sub dubio accipit, retinet, aut consumit rem alienam peccat, & restituere debet. 422. 35. Dubius, an ex suo influxu secutum sit damnum, restituere debet. 431. 85. Secus dubius de ipso influxu. ibi. Adulter, vel alius dubius, an proles nata sit sua, tenetur restituere, 456. 227.

Duellum quid. 217. 242. Duplex. 243. Privata authoritate numquam est licitum. 245. & seq. Quinque propositiones damnatæ a Benedicto XIV. circa duellum. 246. Quid respondere congruat provocato ad duellum. 218. 247. Si casu occurrat inimicus provocet, & te defendas cum moderamine christiano, licite agis. 248. Pœnæ contra duellantes, & eorum fautores. 249.

Dulia, quid. 244. 68. Est virtus distincta a religione. 245. 71.

E

EBrietas quid. 120. 26. Idem est, ac *extra briam.* ibi. Est peccatum grave ex sua specie. 27. Omnia mala prævisa ab ebrio imputantur ei. 28. Non advertens periculum ebrietatis non peccat graviter in ea, ut accidit Noe. 29. Adsunt varii gradus ebrietatis. 121. 32. Ebrius, & ebriosus non est idem. 33. Ebrius non est capax absolutionis, adhuc in articulo mortis. 34. Ebrietas directa est intrinsece mala. 35. Non licet inebriare damnatum ad mortem, ne sentiat tormenta, 36.

Ecclesia quid sit. 6. 42. Ejus membra quid. 43. Quæ notæ veræ Ecclesiæ. 7. 44. Est visibilis. 48. Authoritas Ecclesiæ universalis est regula firma fidei, & morum. 49. Satis demonstrat Ecclesia se detestari probabilismum. 34. 70. Est magistra veritatis. 148. 1. Ecclesiæ propositio circa credenda est omnino necessaria. 149. 5. Potest punire hæreticos, & apostatas, & cogere, ut adimpleant fidem in baptismo receptam. 162. 94. Valet coercere Principes infideles, ne impediant prædicare Evangelium. 95. Non potest directe privare eos suis Regnis, & jurisdictione in suos subditos. 97. Quos possit cogere ad relinquendos ritus, & errores contrarios rationi naturali. 98. Docet orare pro defunctis. 238. 37.

Ecclesiastici tenentur observare leges civiles vi directiva. 74. 183. Debent pollere majori notitia circa mysteria fidei quam laici. 153. 32. Ecclesiasticis debetur peculiaris honor, & reverentia. ibi. Debent observare pretia rerum. 477.

105. Constitui in sacris nequeunt exercere munus tabellionis. 544. 184. Vide v. Eleemosyna.

Eleazarus Machabæus elegit potius gloriosam mortem subire, quam carnes porcinas contra legem edere. 68. 145.

Ellectio per sortes ad Prælaturas ecclesiasticas est nulla. 255. 124. Circa status electionem omnes sunt liberi. 332. 6. Electio indigni est injusta, & restitutioni obnoxia. 432. 96. An dubius de influxu in electionem injustam restituere debeat. 433. 97. Regulariter in electionibus unusquisque judicat secundum quod est affectus. 528. 90.

Eleemosyna quid. 189. 79. Una corporalis, alia spiritualis. 80. Hæc melior corporali. 81. Adest præceptum eleemosynæ faciendæ. 82. Quando obliget. 83. & seq. Necessitas triplex. ibi. In extrema potest quilibet accipere, etiam occulte ab aliis, quantum opportune indiget. 191. 90. Accipiens rem in extrema necessitate, & eam non consumens, debet domino reddere. 91. Obligatio in extrema necessitate non est ex justitia. 192. 92. In gravi necessitate datur obligatio eleemosynæ faciendæ. 97. In ea non licet furari. 193. 100. In necessitate communi debet fieri eleemosyna de superfluis. 194. 104. Qui animo, ut post mortem ejus bona distribuantur in opera pia, eleemosynas denegat, impie agit. 106. Princeps valet impedire exteris quæstuare in sua jurisdictione. 107. Judex potest compellere ad faciendam eleemosynam. 108. Construere xenodochia laudabile. ibi. Quibus competat eleemosynas facere. 195. 109. & seq. Eleemosynam dare religiosis quatuor titulis commendatur. 202. 159. Quid in casu de Carmelitis discalceatis. 203. 160. & seq. Bona clericorum, quæ suæ decenti sustentationi supersunt, debent ex justitia in eleemosynas erogari. 197. 120. Divisio fructuum beneficiorum non juvat ad oppositum. 196. 118. Prælati regulares debent juxta suas constitutiones superflua monasterii in pauperes distribuere. 199. 137. Quid possint in casu alii Religiosi. 139. & seq. Quid debeat expendere in pauperes regularis Beneficiarius. 200. 141. Quid, factus Episcopus. 200. 142.

S. Elias valet orari a nobis, & orare pro nobis. 237. 31. Ejus singulare privilegium, quo adhuc vivens celebratur in Ecclesia. ibi.

Elisabeth Ferdinandi Catholici conjux, & Regina Castellæ voluit regere simul cum marito. 54. 65.

Eliseus permisit Nahamam comitari dominum suum, non adorare Remmon. 158. 68. Zelo Dei punivit pueros irridentes. 344. 75.

Emphyteusis, quid. 401. 32.

Emptio, quid. 464. 36. Quando substantialiter perficitur. 38. Cui debeatur res duplici emptori successive vendita. 465. 40. Cui pereat vendita nondum emptori tradita. 465. 42. Cujus sint fructus rei venditæ. 466. 44. & seq. Qui emere possint. 467. 52. Empta alienis pecuniis an fiant emptoris. 468. 55. An venditio rei alienæ sit valida. 56. An sit licitum vendere res, quæ ad pravum finem deservire possunt. 57. & seq. Emptio rei, ut meliorata pluris vendatur, licita est. 469. 60. Quid de emptione rei, qua immutata, quis lucrari intendit. 61. Quid possint emere clerici, ut postea vendant. 470. 65. Emere copiosas merces, antequam alii sibi provideant, illicitum. 67. Etiam vilius emere triticum ad carius vendendum. 69. Idem de emptoribus conspirantibus tanti, & non pluris merces emere. 471. 70. & 71. Emptio ultra pretium supremum est injusta. 475. 93. Quæ venduntur subhastatione publica, seclusa fraude, quocumque pretio emi valent. 476. 98. Res ultro oblatæ vilius emi possunt. 102. Minime ob necessitatem venditoris solum. ibi. Neque ob anticipatam solutionem. 478. 110. & seqq. Quos defectus rei teneantur emptor, & venditor manifestare. 479. 117. & seqq.

Ensalmus, quid, & quotuplex. 258. 137.

Epikeja, quid, & quando habeat locum in legibus. 84. 246. & seq.

Episcopus præsidet Synodo Dioecesanæ. 7. 50. Vocantur Episcopi omnes ad Concilium generale. ibi. Sunt vere Judices in eo cum voto decisivo. ibi. Potest pro sua Dioecesi condere leges. 55. 69. Proloquium: *Quod potest Pon-*

ti-

tifex in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi, declaratur. ibi. Non potest ordinare peregrinos, nec vota eorum dispensare. 77. 201. Valet dispensare in legibus Synodalibus, etiam sine causa valide, cum ea licite. 87. 271. Potest idem in legibus Concilii Provincialis pro sua Diœcesi. 272. Regulares venerantur Episcopos tamquam Principes, Patres, & Doctores Ecclesiæ. 88. 175. Quando liceat Episcopis, & aliis Pastoribus fugere in persecutione tyrannorum fidei. 156. 58. Valent dispensare suos subditos a votis non reservatis. 190. 132. Etiam ab illis quorum materia est alias reservata, sed non sunt perfecta. 193. 148. Potest instituere dies festos de sanctis canonizatis, non de beatificatis solum. 324. 7. Valet dispensare, ut laboretur diebus festis. 330. 39. Episcopis debetur peculiaris honor, obedientia, & demissio a suis subditis. 339. 45. Episcopi vicissim tenentur invigilare circa bona spiritualia, & corporalia suarum ovium. ibi. 46.

Epulo sepultus in inferno, quomodo oraverit pro se, & suis fratribus. 237. 30.

Eva, ejus peccata in essu pomi. 127. 75. Fuit seducta. ibi. Eva peccante, & non Adamo, non esset peccatum originale. 128. 78.

Eucharistia nequit recipi a dubitante an fregerit jejunium naturale. 69. 139. Adoranda est *latria*. 243. 58. Etiam sanguis, vel puer in ea apparens. 243. 60.

S. Euphrosina veste muliebri dicata Deo servivit in cœnobio virorum. 38. annis. 516. 23.

Eutrapelia, quid. 112. 70. Opponitur ei nimia severitas. ibi

Executor damni tenetur, ut causa physica restituere. 430. 79. Judex executor faciens plures executiones in eodem die nequit pro singulis integram exigere mercedem. 536. 131. Nec Judex mittens executores potest cum eis pacisci, ut dent sibi partem stipendii. 132.

Executor testamenti duplex. 508. 152. Ejus obligatio. 254.

Exemplum. Peccant parentes, qui dant prava exempla filiis. 333. 13. Qui pravo exemplo est occasio, ut alii inferant damnum, non tenetur ad restituendum. 431. 87. Nisi simul id faciat animo eos incitandi ad malum inferendum. ibi.

Exemptio, quid. 73. 174. Regulares exempti solum tenentur legibus Diœcesanis in casibus expressis in jure. 175. Non utuntur exemptione aliorum offensione. 74. 179. Clerici sunt exempti a potestate sæculari, quoad spiritualia, & ecclesiastica. ibid. 180. Etiam quoad loca, personas, bona, & causas ex privilegio, & benignitate Principum Christianorum. ibid. 181.

Exorcismus, quid. 316. 7. Quæ virtus in exorcismis. 318. 8. Nulla est in rebus naturalibus contra Dœmones, nisi indirecte. 10. Quid agere debeat Exorcista ad suum munus rite exercendum. 12. Non est credendus Dœmon circa ea, quæ vi exorcismi manifestat. 318. 15. Ecclesia est locus proprius adjurandi. 17.

Expensæ in restitutione rei deducendæ sunt triplicis generis. 426. 60. Quæ valeant deduci a possessore bonæ, vel malæ fidei. 61. Quæ nullam melioriationem rei præferunt, nequeunt deduci. 427. 62.

F

FAlcidius, quis. 511. 268. Quarta Falcidia, quid. ibi.

Falsum testimonium, quid. 512. 3. Est triplex. 4. Non semper est peccatum grave. 6.

Fama, quid. 517. 29. Est majus bonum honore. 31. Quot modis auferatur. 520. 50. Ablata debet restitui. 531. 103. Coram quibus. 106. Quomodo. 107. An pecuniis, si aliter non possit. 532. 109. An una infamia valeat alia compensari. ibi.

Famuli. An possint ministrare cœnam, aut carnes heris tempore jejunii. 226. 287. Nequeunt servire meretricibus, nec dominis pravis. 229. 304. Furta famulorum de esculentis ordinariis non sunt obnoxia restitutioni. 415. 118. Quandoque obligandi sunt famuli ad restituendum furta de ordinariis, &

semper increpandi ne eis assuescant. ibi. Nequeunt servire usurariis ad usuras exigendas, iniendo contractus usurarios. 490. 174.

Farmacopola, & quilibet alius quando possit vendere *quid pro quo*. 480. 123.

Fascinatio, quid, & quotuplex. 258. 138. Sola visione non fit naturaliter. 139. Fit inficiendo aerem proximum spiritibus venenosis. ibi.

Festa. Debent obsesvari ex præcepto. 324. 1. Quid jubeat hoc præceptum. 2. Quando incepit. 3. Festum diei Dominicæ non est de jure divino. 5. Moraliter vero est invariabile. ibi. Obligatio servandi festa incipit a puncto mediæ noctis præcedentis, & cessat in puncto mediæ noctis sequentis. 325. 8. Hortandi sunt fideles ad alia pia opera ad evitandam ociositatem, & periculum labendi in peccata. 325. 11. Qui teneantur servare festa. 326. 14. Quomodo Peregrini. 16. Religiosi etiam exempti tenentur servare festa ab Episcopo pro tota Diœcesi præscripta. 18.

Feudum, quid. 401. 33.

Fides, quid. 148. 1. Quotuplex. 2. Ejus objectum. 149. 4. Ejus mysteria sunt evidenter credibilia. 7. Ejus actus præcipui. 9. Subjectum capax fidei. 150. 10. & seq. Credenda necessitate medii. 15. Sola fides non sufficit ad salutem. 151. 19. Ignorans mysteria fidei incapax est absolutionis. 23. Præcepta fidei quinque. 154. 36. Quando obligat confessio externa fidei. 156. 54. & seq. Quidam ritus Sinenses merito proscripti. 158. 67. Non licet laicis disputare de fide cum infidelibus. 159. 81. Nec licet catholicis in bello vocare infideles, aut hæreticos in auxilium. 164. 110. Contra alios infideles licitum est. ibi.

Fidejussio, quid. 496. 205. Solum in defectu principalis debitoris debet solvere fidejussor. ibi. Potest aliquid exigi pro ea, dum in commodum præfert. ibi.

Fideicommissio, quando adsit. 506. 246. Nequit institui filius spurius Fideicommissarius. ibi.

Filius. Quilibet filius coleret ut trophæa instrumenta, quibus ejus pater fuisset occisus ob commune bonum. 243. 63. Quas eleemosynas facere filii possint. 195. 111. Debent honorare parentes. 331. 1. Quid intelligatur nomine honoris. ibi. Quando peccant graviter contra agentes. 2. & seq. Quorum bonorum gaudeant dominio. 403. 45. & seq. Filii usurariorum restituere tenentur, etiam cum jactura status injuste acquisiti. 447. 182. Qui sint filii *legitimi*, *naturales*, *spurii*, aut *ex damnato concubitu* 505. 241. Quatuordecim ex causis possunt exhæredari a patre. 506. 243.

Finis. Agere ex ejus cognitione est proprium rationalium. 12. 79. Finis legis ecclesiasticæ, monasticæ, & civilis, quis. 58. 89. Finis legis non cadit sub lege. 71. 165. Finis omnis legis alius intrinsecus, alius extrinsecus. 81. 225. Quando, eo cessante, cesset. 65. 128. & seq.

Fiscus. Non tenetur restituere impediens, ne aliqua per sententiam Judicis applicentur Fisco. 429. 75. Secus dicendum de impediente post sententiam. ibi. Quando succedat Fiscus sæcularis, vel ecclesiasticus in bonis defuncti. 505. 239.

Flores. Fructus Spiritus sancti sunt simul flores, & fructus. 115. 89. Idem est de actibus virtutum. ibi.

Flores virtutum sunt pariter fructus honoris, & honestatis. 117. 98. Odorare flores ob solam voluptatem non est licitum. 136. 119.

Fomes peccati est hostis assiduus, quem nec fugere, nec fugare a nobis valemus. 129. 84.

Fornax. Qui se jactant fornacem halitu calefacere, vel eam accensam ingredi, sunt superstitiosi. 257. 136.

Fornicatio simplex, quid. 369. 29. Est intrinsece mala. 370. 30. Hoc est de fide. 34.

Fortitudo, quid. 110. 51. Alia *domestica*, alia *bellica*. 52. Ejus præcipui actus sunt *aggredi*, & *sustinere*. 53. Principalior est sustinere. ibi.

Forum, quid, & unde dictum. 532. 111. Quotuplex. ibi. Crimina mixti fori, quæ. ibi.

Fracmasones, aut Muratorii improbati duplici Bulla Pontificia. 303. 29. Non

sunt entia rationis, ut quidam dixit. ibid.

Fratres. Quomodo se amare, & subvenire invicem debeant. 337. 37. & seq. Quando afferre ad collationem bonorum, quæ acceperunt a patre. 338. 40. Fratres non sunt hæredes necessarii. 504. 238. Quando, & quomodo succedant ab intestato. 505. 239.

Fructus Spiritus sancti, quid. 115. 88. Sunt simul flores, & fructus. 89 Sunt duodecim. 90. Qui eos colligit, beatus est in hac vita, & amplius in æterna. 116. 91.

Fructus restitutioni obnoxii sunt in triplici differentia. 425 56. Fructus restituendi a possessore bonæ fidei. 426. 57. A possessore malæ fidei. 59 Ad quem pertineant fructus rei venditæ. 466. 44. Nequeunt contrahentes pacisci, quod fructus rei venditæ sint venditoris, donec solvatur ei pretium. ibid. 47.

Fucos muliebres vendere quando licitum. 468. 59.

Fuga licita est catholico a tyranno de fide interrogato. 156. 57. Etiam debita, si timeat non posse sufferre tormenta. ibi. Quando Episcopis fugere liceat. 58. Servi capti in bello injusto possunt licite fugere. 341. 57. Etiam capti in bello justo ad suos, non alio. 58. Neque qui se vendiderunt, aut ob delicta facti sunt servi, fugere valent. ibi. Bene vero, qui a domino ad peccandum incitantur. 58. Qui fugiens potest evadere invasionem, nequit occidere invasorem. 352. 50. Fuga ne occidas alium non dedecus, sed verus honor est. ibi. Nequit occidi, qui alapa impacta fugit. 353. 55. Quando liceat reo e carcere fugere. 543. 170. An liceat consulere fugam e carcere reo ad mortem damnato. ibi.

Fumus jecoris piscis, quomodo abigebat Dœmonem Asmodæum. 317. 11. Idem de fumigatione cornu caprini. ibi.

Furtum, quid. 411. 94. Quatuor species furti. 95. Juxta Theologos sunt duæ tantum. ibi. Est intrinsece malum in ratione furti. 97. Quæ sit dicenda parva materia in eo. 98. Furta minuta possunt evadere gravia peccata ex sex capitibus. 412. 101. Ut constituant grave, opus est, quod uniantur moraliter. 103. Surripiens modica usque ad materiam gravem, in ultima acceptione peccat graviter. 413. 104 Qui post furtum grave aliquid leve ab eodem aufert, non peccat lethaliter. 105. Quando plures se excitantes inferunt grave damnum per furta levia, omnes peccant graviter, & restituere in solidum tenentur. 106. Quando non teneantur. 107. & seq. Quomodo incurrerent censuram ad restituendum positam. 414. 110. Quando filii peccent surripiendo a parentibus, isti dilapidando bona filiorum, uxores accipiendo de bonis mariti. 112. & seqq.

G

Gabella, leges gabellarum, & tributorum obligant in conscientia. 62. 111. Sunt leges justæ fundatæ in contractu naturali, & oneroso. ibid. Custodes non manifestantes defraudatores gabellarum, vectigalium, aut tributorum restituere tenentur. 435. 109. Gabella in contractu quando solvenda. 464. 38.

Gaudere de oblivione sacri audiendi, vel recitandi Horas canonicas non licet. 136. 123 Nec de malo spirituali proximi. 139. 139. Gaudere, vel delectari de ejus malo temporali ob bonum finem aliquando licet. ibi. Non licet filio gaudere de morte patris ob hæreditatem. ibid. 141. Nec de parricidio in ebrietate perpetrato ob eamdem causam. ibi. Licet vero gaudere de hæreditate sine respectu ad patris mortem. ibid. 142. Non licet gaudere de pollutione in somnis habita ex cogitatione venerea. 392. 173. Nec de orta naturaliter ob periculum in praxi. ibi. 174. Licitum est gaudere de exoneratione naturæ, & de sanitate ex pollutione relicta. ibid. 176. Gaudium de re adeo lubrica parce, & caute est admittendum. ibi.

Gehennæ metus, quo a peccando abstinemus, est bonus. 11 107. Non est actus involuntarius. ibi.

Gelboe. Quomodo David maledixerit montes Gelboe. 520. 47.

Gemmæ, & lapilli jure naturæ sunt in-

ventoris. 407. 73. Jure positivo vetatur eorum captio. ibi.

Gener, accepta prole, potest etiam mortua uxore retinere pignus dotale. 484. 141.

Genethliaca est species Astrologiæ illicitæ. 251. 104.

Gentiles. In eis nulla fuit virtus absolute heroica. 106. 22. Habuerunt virtutes morales, licet non perfecte. ibi. 24. Non omnia eorum opera sunt peccata. 130. 87. Valent reperiri in eis gratiæ gratis datæ. 257. 135.

Geomantia sit arte Dæmonis. 252. 105.

Gnome est virtus bene judicativa. 108. 41. Coincidit fere cum epikeja. ibid.

Gossypium. Prælati obturent gossypio aures suas, ne audiant fabellas subditorum contra alios. 208. 189.

Gratia. Credimus, quod sacramenta causant gratiam, & quod hæc est in Ecclesia catholica. 7. 48. Virtutes *per se infusæ* simul cum gratia infunduntur a Deo. 105. 19. Perseverantia finalis est conjunctio gratiæ cum morte. 111. 62. Nequit mereri a nobis, sed misericorditer datur ab eo, qui salvandos salvat gratis. ibi. Confirmatio in gratia est distincta a perseverantia finali. 116. 97. Gratia prima Adami fuit ejusdem speciei cum nostra gratia habituali. 127. 73. Addebat modum rectificandi omnes potentias hominis. ibid.

Gratiæ gratis datæ. Non sunt habitus, aut virtutes, sicut dona. 114. 80. Non connectuntur necessario cum charitate, nec inter se, nec sunt signa sanctitatis. ibi. Adest in aliquibus gratia sanandi quosdam languores. 257. 135. Prope civitatem Lucronensem sunt quædam personæ nobiles hac pollentes gratia. ibi. Valent gratiæ gratis datæ reperiri etiam in Gentilibus, ut in Sybillis. ibi. Quid de salutatoribus, ibid. Hujusmadi gratiæ non sunt æquales in omnibus. 316. 6.

Gratitudo quid. 109. 48. Opponitur ei ferale vitium ingratitudinis. ibi. Quod aliquibus datur hodie ex gratitudine, cras exigunt tamquam ex justitia. 343. 67.

Græci Sacerdotes ubique tenentur celebrare proprio ritu. 77. 200.

Gula, quid. 119. 20. Committitur quinque modis. ibi. Habet duas species. ibid. 21. Delectatio reperta in cibo, & potu ex se bona est. ibid. 22. Aliud est comedere cum voluptate, aliud comedere propter voluptatem. ibi. Gula ex suo genere in delectatione ciborum non est lethalis. 120. 23. Potest vero esse in septem casibus. ibi. 24. Quinque vitia procedunt ex gula. ibid. 25.

Gutta ultima cavat lapidem virtute præcedentium. 413. 104.

Gymnasia virtutis, ac scholæ virtuosæ urbanitatis debent esse monasteria. 340. 51.

H

Habitus. Vitiosus quid. 135. 116. Est compatibilis cum gratia. ibi. Quomodo sit peccatum. ibid. 117. Qui teneantur illum exprimere in confessione. ibi. Non est concupiscentia. ibid. 118.

Hauspicium est divinare per signa reperta intra animalia Dæmoni immolata. 251. 104.

Hæbrei. Eis infaustus dies lunæ cur. 256. 130.

Henricus II. Angliæ Rex quomodo influxerit in necem iniquissimam S. Thomę Cantuariensis. 431. 89.

Hæres debet solvere vota defuncti. 280. 81. Quotuplex sit hæres. 504. 238. & seq. Tenetur intra 30. dies incipere inventarium, & concludere intra. 90. Alias in foro fori cogitur solvere debita, licet excedant hæreditatem. 506. 142. Quantocius debet solvere omnia præcipue Missas, & alia suffragia pro animabus relicta a testatore. ibi. Obligatio restituendi famam non transit ad hæredes. 531. 105.

Hæresis quid. 164. 111. Dubius positive in fide est hæreticus. 165. 114. In foro interno est etiam, qui dissentit revelationi sibi certo a Deo factæ. ibid. 115. Pertinacia hæresis consistit in dissensu deliberato fidei sufficienter propositæ. ibid. 117. Qui dissentit rebus fidei ab Episcopo, Inquisitore, vel Parocho sufficienter propositis, hæreticus est. ibid. 119. Divisio hæresis. 167. 127. Excommunicatio solum incurritur ob hæresim mixtam quantumvis occultam. ibid. 131. Etiam verbis æquivocis

cis manifestatam. 168. 137. Ignorantia crassa, & supina excusat ab ea incurrenda. ibid. 141. Quando etiam affectata. ibi. & seq. Nequit absolvi ab alio quam a Papa in foro interno, excepto mortis articulo. 169. 145. & seq.

Hæretici plus historiæ humanæ, quam veræ Theologiæ vacant. 11. 77. Rejiciunt piam affectionem ad veram fidem. 149. 8. Et rationem formalem fidei, 150. 12. Credunt quæ volunt, & quæ nolunt despiciunt. ibi. Quibus liceat, vel non disputare cum hæreticis. 159. 81. & seq. Certo sciens extra confessionem aliquem esse hæreticum debet illum denunciare sub excommunicatione majori *latæ sententiæ*. 170. 150. Qui sint suspecti de hæresi. 171. 155.

Hiromantia est divinatio per signa in aere apparentia. 251. 103.

Historia humana præsertim ecclesiastica utilis est Theologo. 11. 77. Theologus sine historia mutus, præcipue ad disputandum cum hæreticis. ibi. Hæretici plus historiæ humanæ, quam veræ Theologiæ vacant. ibi. Historici possunt scribere, vel referre delicta publica ad instructionem, & terrorem aliorum. 521. 51.

Hypocrisis, quid. 516. 24. Non semper est peccatum grave, semper autem est mala. 24. Hypocrita fingens revelationes gravissime peccat, infamat virtutem. ibi. Plus consistit in significando, quod non est, quam in celando, quod quis est. 26. Nemo tenetur sua peccata prodere, nec ad id habitum sanctitatis deserere. 27.

Hypotheca quotuplex. 443. 155. *Generalis* non transit ad alium possessorem, sicut *specialis*. ibi. Creditores hypothecarii præferuntur aliis in solutione debitorum. ibid. 158. Inter hypotecarios, *qui prior est tempore, potior est jure*. ibi. Definitur hypotheca. 496. 203.

Homicidium quid. 345. 1. Quale peccatum. 3. Innocens numquam potest directe occidi, 346. 8. Quid de tyranno minanti urbis excidium, nisi ei ille tradatur. 347. 11. Judex juxta probata valet sententiam captis ferre contra quem private scit esse innocentem. ibi. 14. Quid de Principe tyranno. 350. 36. Quid de marito respectu uxoris in adulterio deprehensæ. 351. 41. Quid de injusto invasore vitæ. 352. 44. & seq. Famæ, & honoris. 353. 52. & seq. Pudicitiæ 354. 59. Bonorum temporalium. 355. 53. Homicidium casuale quid, & quotuplex. 362. 109. Etiam omissione valet perpetrari. 114 Homicidium aliud *simplex*, aliud *qualificatum*. 363. 118. Non licet cuilibet occidere Regem, esto sit injustus invasor vitæ. 451. 200. Quid restituendum pro homicidio. ibid 201. Quid ob damna ex eo secuta. 452. 208. Quid, & quando pro casuali. 453. 213. Quibus facienda restitutio pro homicidio, aut ejus damnis. ibid. 214.

Honor. Verus honor non stat in vulgi vana opinione, sed in legis divinæ observatione. 218. 247. Qualis debeatur a filiis exhiberi parentibus. 331. 1. Honorare debent etiam parentes filios. 332. 12. Obligationes inclusæ in honore erga filios. ibi. & seq. Obligatio mariti uxorem honorandi. 335. 23. & seqq. Uxoris erga honorandum maritum. 336. 29. & seq. Honor a fratribus ad invicem exhibendus. 337. 37. & seq. Honor debitus Episcopis, Parochis, & aliis ecclesiasticis. 339. 45. Regibus, & eorum ministris, ibid. 48. Honorare parentes, & alios cujus virtutis sit actus. 340. 51. Quid sit honor. 517. 28. Non requirit submissionem. ibi. Optimæ indolis est honore alios prævenire. ibi. Quomodo restitui debeat. ibi, & seq. Non semper sufficit petitio veniæ, utcumque. 530. 101. Non liberatur quis ab obligatione restituendi honorem ex eo, quod injuriatus eum familiariter tractet. 531. 102.

Hospitale. Lychurgus dicitur inventor hospitalium, vel Xenodochiorum inter Gentiles. 194. 108. Parentes exponentes sine causa filios hospitalibus graviter peccant, ac si possunt, restituere debent expensas hospitalibus. 334. 18.

Hostia. Eam non consecratam adorare, etiam bona fide, est malum intrinsece. 29. 43. Excusatur a culpa adoratio ex ignorantia invincibili. ibi. Hostia ele-

vata a Sacerdote in Missa adoranda est absolute. 243. 59. Sufficit habere conditionem implicitam habitualem, quod, si sciret quis non esse consecratam, non adoraret. ibi.

Hostis. Vitia sunt hostes nostri, ut exerendo vires, & ea profligando detur nobis corona vitæ. 124. 53. Perduellio continua, pugna carnis contra spiritum, seu *fomes peccati*, est noster pertinacior hostis. 129. 84. Debemus diligere hostes, & inimicos, non ut tales, sed ut proximos. 185. 54. Melior est dilectio amici, quam inimici. 187. 66. Hostibus Reipublicæ non est facienda eleemosyna, nisi cessent a nocendo. 201. 151. Hostes animæ sunt tres: Dæmon, mundus, & caro. 261. 156.

Homo. Non omnes actus hominis sunt humani. 13. 88. Habet dominium sublunarium. 402. 41. Non alterius hominis. ibi. Omnes homines a natura sunt æquales. ibi. Homo non est dominus suæ vitæ, nec membrorum. ibid. 42. Est dominus suæ famæ, honorum, & dignitatum, quas acquirit. ibi.

Humanitas Christi pertinet ad objectum secundarium fidei. 149. 4. Adorari debe adoratione *latriæ*. 243. 57. Potest etiam adorari privatim *hyperdulia*, ob plenitudinem gratiæ, & sanctitatis: adorando eam pluribus titulis omni adoratione dignissimis. ibi.

Humilitas, quid. 112. 68. Est proles legitima veritatis. ibi. Quatuor affectus, qui ex illa procedunt. ibi.

I

Jactantia est filia vanæ gloriæ, nepos superbiæ. 118. 12. Propriam extollit excellentiam per verba. ibid. Non sunt absolvendi, qui passim se jactant, aut laudant de peccatis a se perpetratis coram aliis. 376. 71.

Idololatria quid. 251. 101. Est gravissimum peccatum ponens, vel fingens alium Deum. ibi. Potest esse cum errore credendo alium Deum, vel absque errore tribuendo creaturæ cultum Dei. ibid. 102.

Idolothyta sunt panis, vinum, & alia Idolis consecrata. 159. 79. Ex justa causa possunt Catholici eis uti. ibi.

Jejunium. Qui in die jejunii plures sumit parvitates cibi, frangit jejunium. 59. 92. Non qui diversis diebus eas sumit. ibid. 93. Ridiculum est, quod uxor per jejunia Ecclesiæ fiat deformis, aut impotens ad reddendum debitum. 335. 26. Jejunia Ecclesiæ nulli nocent. 361. 103.

Ignorantia quid. 18. 114. Quotuplex. ibi. 115. & seq. Nequit dari ignorantia invincibilis de existentia Dei. 20. 128. Nec de præceptis naturalibus absolute sumptis. 47. 12. Potest vero de illis sub quibusdam circumstantiis. 48. 14 Quid agendum Confessario cum pœnitente, qui accedit cum ignorantia de peccatis contra præcepta juris naturalis. ibi. 15.

Imagines obscenas pingere est grave peccatum. 230. 306. Etiam eas habere ad ornatum. ibi. Debent aboleri, aut comburi. ibi. Eas aspicere illicitum. 376. 68.

Imagenes sacræ. Earum usus licitus. 247. 81. Imago Dei Patris recte collocatur in templo. ibi. Debent adorari. ibi. 83. Non sunt comburendæ pervetustæ, sed sepeliendæ. 249. 95. Astrologiæ judiciariæ pars illicita est prænuntiare per imagines fabricatas. 252. 110.

Impedimentum. Peccat contra legem apponens impedimenta eam observandi. 72. 167. Etiam qui non removet ea, dum potest. ibi.

Impediens alium a bono quod expectabat, quando teneatur ad restitutionem. 428. 71. & seq. Custodes non impedientes damna restituere tenentur. 435. 109. & seq. Idem est de servis & famulis, non impedientibus furta extraneorum. 435. 112.

Implantatio quid, & quando præseferat dominium. 409. 83.

Improperium est objicere alicui defectus circa indigentiam. 517. 34.

Impudicitia quid. 375. 63.
Vide aspectus.

Incestus unde dictus, & quid. 384. 124. & seq. Non omnes incestus sunt ejusdem speciei attomæ. ibi. 126. Quid de incestis cum cognatis spiritualibus, & legalibus. 385. 129. Quid de copula Confessarii cum sua pœnitente. ibi. 130.

Indignatio quid. 122. 42. Potes adesse cum peccato, & sine illo. ibi.

Inductio. Inducere ad malum ex intentione directa ruinæ spiritualis proximi est peccatum Dœmoniorum. 219. 252. Inducens alium ad peccatum veniale non peccat graviter. 221. 264. Non licet inducere ad jurandum verum, quod jurans ignorat esse verum. 225. 285. Inducens ad copulam etiam meretricem committit peccatum scandali. 226. 292. & seq. Ad quid teneatur alium ad malum inducens. 231. 311.

Inædificatio vocatur in jure constructio ædificii in alieno fundo. 409. 83. Si fiat bona fide, debentur ædificanti expensæ, secus aliter. ibid.

Infamia. An liceat compensatio unius infamiæ pro alia. 450. 198. Non licet in casu inæqualis infamiæ. 532. 110.

Inferior. Licita est appellatio a lege inferioris ad Superiorem. 53. 57. Nullus inferior gaudet potestate in leges, seu acta Superioris. 88. 277. Quamvis reservata expresse non sit lex Superioris, nequit in ea dispensare inferior. ibid. Secus est de absolutione a censuris, cur. ibid. 279. Dispensatione inferioris a lege superioris obtenta bona fide nemo valet licite uti. 93. 315.

Infernus. In inferno nulla est redemptio. 125. 60. Tolle peccatum, & non erit infernus. 145. 168. Extra infernum sunt Dœmones, sed torquentur igne inferni. 319. 20.

Infidelis non in omni opere peccat. 129. 86. Disputare cum infidelibus vetitum laicis. 159. 81.

Infidelitas, quid, & quotuplex. 160. 86. & seq. Est maximum peccatum. 161. 91. Communicatio sacra cum infidelibus est illicita. 163. 103.

Injustitia, quid 398. 20 Non adest injustitia formalis, nisi procedat ex voluntate nocendi. ibi. Neque scienti, & volenti fit injustitia formalis. 399. 21. Quando voluntas patientis est justa, & omnino libera. ibi.

Inimici sunt diligendi, ut proximi. 181. 25. Eodem præcepto jubetur dilectio inimici, ac amici. 185. 54. Extitit etiam in lege veteri. ibi. 56. Prava interpretatio Judæorum circa illud. 186. 57. Prohibet odium inimici semper. ibi. 58. Non licet excludere inimicum a beneficio comunitati collato. ibid. 59. Tenemur exhibere inimico signa dilectionis communia, non peculiaria. ibi. 60. Tenemur illum resalutare, non vero salutare. ibi. 61. Datur præceptum de reconciliatione inimicorum. 188. 69. Ad quid teneatur offensor. ibi. 70. Ad quid offensus. 189. 73. Tenetur offensus in articulo mortis reconciliari sine mora cum offensore, & inimico. ibid. 74. Inimicis, seu hostibus reipublicæ, quamdiu tales persistant, non facienda eleemosyna. 201. 150.

Inobedientia, alia materialis, alia formalis: hæc semper gravis, illa non semper. 60. 96.

Inquisitores excommunicantur in jure, si ex amore, aut odio in suo munere procedant. 79. 216. Nequeunt absolvere ab hæresi in foro interno, quin in externo prius eam abjuret hæreticus. 169. 146.

Inquisitio judicialis, quid, & quotuplex. 536. 134. Ad Inquisitionem generalem non requiritur, quod præcedat alicujus infamia. 135. Ad Inquisitionem specialem requiritur, quod præcedat alicujus infamia. 537. 137. Secus ad mixtam. 138. Requisita necessaria pro valida Inquisitione speciali. 141. Quomodo sit procedendum per viam inquisitionis in causis regularium. 538. 142. & seq. Non tenentur regulares observare apices juris in proferendis sententiis. 146.

Insinuatio coram Judice pro donatione, quando requiratur. 501. 225.

Intentio bona non sufficit, ut opus factum sit bonum positive. 28. 38. Bona intentio ex errore invincibili est digna præmio. 29. 45.

Intentio non requiritur ad legem implendam, sed ponere libere opus præceptum. 70. 160. Qui ignorans esse diem festum audit Missam, non tenetur audire aliam. 71. 161. Aliqua præcepta, ut dandi eleemosynam, implentur etiam non bona intentione. ibid. 165. Intentio bona non excusat lacerare Authores, aut eos deridere. 524. 71.

Interpretatio legis, quid, & quotuplex. 83. 239. Quatuor regulæ pro doctrinali. ibid. 242. & seq.

Invasor injustus vitæ potest occidi ad propriam defendendam. 352. 44. Sex conditiones ut licite fiat. ibid. 46. An liceat prævention in casu. ibid. 50. Invasorem famæ, & honoris occidere nefas est. 353. 52. Maxime in religioso, vel clerico. ibid. 54. Idem de fœmina erga invasorem suæ pudicitiæ. 354. 57. idem de fure bonorum temporalium. ibid. 60. & seq. Licet sint magni valoris. 355. 63. & seq. Nec pro defensione vitæ, honoris, aut bonorum temporalium proximi valet privata authotitate occidere invasorem. 357. 76. & seq.

Inventarium de bonis testatoris incipi debet ab hærede intra triginta dies, & intra nonaginta terminare. 505. 242. Si illud omittit cogitur in foro externo solvere debita, & legata etiam ultra vires hæreditatis. ibi.

Invidia, quid. 119. 16. Solum adest in æquales, aut paulo majores. ibid. 17. Ejus filiæ. ibid. 19.

Involuntarium, quid. 15. 101. Quatuor ejus causæ. ibi. Observatio legis Divinæ ex metu gehennæ non est involuntaria. 17. 107.

Joannes Hus impie tenuit, quod quilibet Tyrannus licite potest a quocumque subdito interfici. 350. 38. Hæretice docet Principes existentes in lethali non esse honorandos. 402. 40. Oppositum docet fides Catholica. ibi.

Joseph antiquus, & Joseph Mariæ V. Sponsus divinarunt per somnia. 253. 114. Quomodo antiquus Joseph augurium scivisse dicatur. 254. 119. Joseph custos thesauri puritatis gaudet sine pugna carnis aureola virginitatis. 367. 15.

Illustriis. D. D. Joseph Rodriguez de Arellano laudatur ex profusa charitate erga pauperes, & pia opera. 198. 128.

Ira, quid. 122. 37. Una bona, alia mala. ibi. Tres gradus malæ. ibid. 39. Ejus sex perversæ filiæ. ibid. 41.

Irreligiositas est vitium religioni oppositum per defectum. 250. 97. Ejus species ibi.

Irrisio, seu derisio, quid. 519. 42. Irrisio virtutis gravissimum crimen. ibi. Irrisio proximi ex defectibus levibus non est gravis, nisi in casu aliquo raro. ibi. 43.

Judas, quid significet, *introivit in eum Satanas*. 318, 18. Ejus pœnitentia, & suspendium fuit desperatio. 358. 82.

Judaismus, quid. 161. 89. Convenit Judæus cum hæreticis in admissione veteris testamenti. ibid. Judaismus est maximum peccatum propter odium in Christum dominum. ibid. 91. Ex causis gravissimis permittuntur Judæi. ibi. 92. Etiam in civilibus vetita est communicatio cum Judæis decem casibus. 163. 104. Explicantur. ibid. 105. & seq. Seclusa extrema necessitate nequit quidquam relinqui Judæis in testamento. 164. 108. In aliis casibus licita est communicatio civilis cum Judæis. ibid. 109.

Judex, quid. 533. 112. Quotuplex. ibi. Requiritur in Judice justitia, & rectitudo. 114. Est *Justitia animata*, & *jus dicens*. ibi. Item requiritur in eo scientia. ibi. Non sufficit dicere, quod per alios eam supplet. ibi. Potest, ac debet judicare, & sententiam ferre juxta allegata, & probata. 115. Quando liceat intercedere apud Judices. 116. Nequit ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem. 534. 117. Nec pecuniam accipere pro ea ferenda, quando jus partium est æquale. ibi. Nullum potest damnare absque accusatore saltem virtuali. 118. & seq. Pejores sunt in Judice defectus officii, quam personales. 122. Non licet Judici accipere dona, aut xenia a litigantibus sub pœna restitutionis. 535. 125. & seq. Pœnæ impositæ contra Judices pecunia corruptos. 536. 130. Quid de commissionato ad plures executiones eodem, vel diversis locis faciendas. 131. & seq.

Judith non laudatur ex mendacio, si mentita fuit Holoferni, sed ex affectu liberandi populum Dei, & ex periculis quibus se exposuit. 514. 14.

Judicium temerarium, quid. 527. 84. Quid judicium injustum fori externi. ibid. Unde agnoscatur adesse judicium temerarium internum. 528. 85. Quando est, vel non peccatum grave. 86. Quid de judicio pravo erga mortuos. ibi. Quatuor requisita, ut sit grave peccatum. 87. & seq. Ex triplici radice solet prodire judicium temerarium. 90.

Unus-

Unusquisque judicat secundum quod est affectus. ibi. Potest dari judicium malum de proximo sine peccato. 529. 91.

Juramentum, quid. 297. 1. & 2. Nullum est sine animo jurandi. 298. 3. Ejus divisio. 4. Omnia juramenta sunt de formali ejusdem speciei. 6. Verba, quibus emittitur. 299. 7. & seq. Tres comites requirit. 300. 14. Jurans falsum, etiam leve, graviter peccat. 15. Judex, non alii, valet exigere juramentum ab eo, quem prævidet falso juraturum. 301. 17. Illicitum est jurare absque animo jurandi. 21. Quid de jurante sine animo se obligandi. 302. 22. & seq. Certitudo non quælibet sufficit ad jurandum. 24. De comitibus juramenti. 26. & seq. Quid de juramento *Francmasonum*. 303. 29. Quid de juramentis causâ urbanitatis. 304. 31. Defectus secundæ veritatis in juramento ex se non est lethalis. 33. Obligatio juramenti est gravis. 306. 44. Materia juramenti est res licita, nisi fiat Deo, quo casu debet esse *de meliori bono*. 45. Jurans ad carcerem redire, tenetur. 307. 49. Consuetudo jurandi explicatur. 50. & seqq. Quid agendum Confessario eam habentis. 308. 56. & seq. Quando juramentum confirmet contractum. 60. & seq. Illicita est amphibologia interna, præcipue in juramento. 309. 65. Nec externa est licita sine causa. 310. 70. Quinque conditiones, ut sit licita. 311. 73. Confessarius interrogatus de auditis in confessione valet respondere amphibologice. Secus reus legitime interrogatus. 312. 78. Varii casus deciduntur. 79. & seq. Declarantur quædam juramenta peculiaria. 313. 83.

Jurisdictio, cum opinione tantum probabili jurisdictionis nequit administrari Sacramentum pœnitentiæ, nisi in casu necessitatis. 35. 82. Potest ex justa causa cum ejus opinione probabiliori. 36. 86. Acquiritur quinque modis. 533. 113.

Jus canonicum idem est, ac jus regulare. 48. 16. Quæ sint volumina juris canonici. 18. Omne jus canonicum, excepto Decreto Gratiani, vi gaudet legis. 19. Quæ sint volumina juris civilis. 49. 20. Quodlibet jus in suo foro observatur. 24. Quomodo solet citari jus canonicum. 50. 28. & seq. Modus citandi jus civile. 51. 34. & seq. Jus potest accipi tripliciter, vel pro lege, vel pro potestate, vel pro justo, seu æquali. 396. 3 Quid sit jus, seu potestas. 4. Datur jus *ad rem*, & jus *in re*. ibi.

Jus Gentium, quid. 47. 9. Differt a jure naturali, & civili. ibi.

Justitia. Alia generalis, alia particularis. 109. 45. Ejus partes, etiam potentiales. 46. & seq. Quid sit. 395. 1. Est virtus præclarissima. 396. 2. Ejus objectum. 3. Est triplex. 5. & seq. Quid sit justitia legalis. 397. 7. Quid distributiva. 11. Quid commutativa. 12. Quid vindicativa. 13. Non distinguitur hæc realiter ab illa. ibi. Non datur vitium oppositum justitiæ per excessum. 398. 17.

K

KAlendarium Rom. Celebrantur in eo sancti, qui ut Deo melius placerent, mutarunt vestes. 516. 23.

L

LAbor servilis prohibitus in die festo quis, aut qualis. 327. 21. & seq. Pingere est labor servilis. 23. Secus scribere, nec transcribere. 24. Quid de venatione, & piscatione. 328. 25. Causæ excusantes a præcepto abstinendi a labore servili. 329. 30.

Lamiæ quæ sic appellantur. 260. 147. Vocantur etiam *sagæ*, *maleficæ*, *veneficæ*, & *striges*. ibi. Vocantur *venefisæ* a veneno, quo nocent. ibi. Causæ cur fœminæ præ viris maleficiis vacant. 148. Cur pueris præ adultis nocent. 149. Asportantur a Dœmone de loco in locum. 150. Non intrant domos januis clausis. ibi. Ex congressu carnali earum cum Dœmone potest dari generatio. ibid. 151.

Lana significat artem servilem textoriam. 327. 21. Prohibetur in die festo. ibi. Quid de lanis venditis anticipata solutione. 479. 114.

Larvæ, seu Lemures sunt Dœmones, non animalia. 321. 32. Noctu præcipue infestant. ibi.

Lavare corporalia, & purificatoria, quæ sa-

sacrificio deservierunt, debet prima vice Sacerdos, vel Diaconos 249. 94.
Legatum quid, & quotuplex. 509. 257. Quando debeatur legatario. 258. Hic inscio hærede nequit illud accipere. 259. Quid circa legata conditionata. 260. Quid derelictis ad nubendas virgines, vel orphanas. 510. 261. Quid pro naturalibus loci, vel diœcesis. 262. Relictum horphanis, nequit, dum istæ adsint, tradi puellis, quæ habent parentes esto inutiles. ibi. designata pro virginibus dari possunt occulte corruptis. Isti vero non debent id contentiose curare. 263. Ordo servandus in tradendis legatis. 264. Solus Princeps supremus potest derogare, aut commutare proprie legata. 511. 267.
Legislator. Nequit Legislatar humanus præcipere sub gravi rem undecumque levem. 58. 84. Valet præcipere sub levi rem gravem. 85. Potest obligare etiam cum periculo vitæ si expediat bono publico. 67. 143. Vi directiva subjicitur propriæ legi. 72. 169. & seq. Nequit Legislator humanus regulariter præcipere actus heroicos. 78. 207. Neque omnes actus virtutum collective. 208. Nec directe actus mere internos. 79. 212. Bene vero indirecte, & connexos cum externis. 80. 221. Potest vetare actus externos occultos. 223. Valet abrogare leges proprias. 82. 235. Et eas authentice interpretari. 83. 239. Etiam in eis dispensare. 87. 269. Valide sine causa. 90. 294. Illicita tamen. 93. 309.
Lenones qui. 374. 61. Nequeunt absolvi. ibi. Pœna mortis plectuntur a jure civili. 62.
Lex quid. 45. 1. Ejus conditiones. 46. 3. Divisio. 4. & seq. Lex divina alia naturalis. 5. Alia positiva. 6. Antiqua, & nova: hæc amoris, illa timoris. 7. Lex naturalis nequit proprie dispensari. 47. 10. Promulgatio legis quid, & ubi facienda. 51. 38. & seq. Non est idem promulgatio, ac divulgatio. 52. 43. Lex justa debet acceptari a populo. 44. An liceat appellare a lege. 53. 57. Datur in Principibus potestas ferendi leges civiles. 54. 61. Etiam in Papa, & aliis Prælatis condendi leges ecclesiasticas. 55. 67. & seq. Omnis lex vera, & justa obligat in conscientia. 56. 73. Leges injustæ possunt etiam obligare per accidens. 57. 79. Obligationis gravitas pendet ab intentione Legislatoris, & a materia præcepta. 82. & seq. Regulæ pro agnoscenda materiæ gravitate. 58. 88. & seq. Sæpe materia alias levis potest transire in gravem. 59. 92. Quomodo subire debeat transgressor legis pœnas in ea taxatas. 63. 113. & seq. Quando obligat ex fundata in præsumptione. 64. 120. & seq. Quid de lege irritante. 65. 124. Non omnis lex prohibens est irritans. 126.
Lex dubia obligat ad sui adimpletionem. 66. 135. Cum periculo gravis damni regulariter non obligat lex. 67. 142. Pro impletione legis sufficit, & requiritur positio voluntaria rei præceptæ. 69. 152. Non requiritur intentio expressa implendi legem. 70. 160. Quædam leges implentur actu ex se bono, licet alias prava intentione vitiato. 71. 165. Quomodo teneantur pueri, & amentes. 75. 187. & seq. Vagi, & peregrini. 76. 193. & seq. Actus mere interni non sunt materia legis humanæ. 79. 212. Bene vero cum externis conjuncti. 80. 221. Finis legis duplex. 80. 225. Cessante fine adequato legis in communi, cessat lex. 81. 228. Non vero dum cessat in particulari. 82. 231. Quid, & quotuplex ejus abrogatio. 234. Superior valet abrogare suam legem. 235. Non ita inferior legem superioris. 238. Interpretatio legis quid, & quotuplex. 83. 239. Dispensatio legis. Vide *Dispensatio.*
Libellus famosus quid. 521. 52. Nulla fides, sed ignis ei debetur. ibi. Conficiens, & etiam legens illum peccat graviter. 53. Pœnæ contra libellaticos. ibi. Adest excommunicatio Pontifici reservata contra conficientes illum adversus statum quatuor ordinum mendicantium. ibi.
Liberalitas, quid. 109. 50.
Libertas quid. 13. 89. Quotuplex. ibi. Sine libertate non adest peccatum. 90. Sufficit ad bonum libertas contradictionis. 14. 93.
Liberum arbitrium non fuit extinctum per peccatum originale. 129. 82. Nec est concupiscentia. ibid.

Liber unius Authoris non efficit opinionem probabilem. 32. 58.

Libri canonici veteris, & novi testamenti sunt septuaginta duo. 4. 28.

Libri prohibiti qui sint. 171. 157. Eos legens, retinens, defendens, aut imprimens incurrit excommunicationem majorem. ibi. Qui dicantur tractare de religione. 158. Quid intelligatur nomine libri. ibi. Quid de Talmut, & aliis libris Turcarum, aut Maurorum. 172. 160. Alii libri vetiti ad tres clases reducuntur. ibi. Libro prohibito in uno idiomate, in omnibus prohibetur. ibi.

Lycurgus Rex Lacedemoniæ fertur fuisse inventorem Hospitalium, 194. 108.

Locatum, seu locatio quid. 495. 199. Quid possit locari. ibid. 200. Nequit Prælatus locare jus ad eleemosynas petendas. ibi. Obligatio locatoris, & conductoris. 201.

Locus. Loca, ex quibus Theologia moralis haurit suas conclusiones, sunt decem. 4. 25. Septem sunt intranea Theologiæ, & tria extranea. ibid. 26. Nemo potest exire a proprio loco in fraudem Missæ, jejunii, aut alterius legis. 78. 204. & seq. omni loco est Deus adorandus, sed præcipue in Ecclesia. 242. 55. Sacrilegia contra locum sacrum. 263. 170. Quo loco restitutio fieri debeat. 439. 136. & seq. Asportatio pecuniæ de uno loco ad alium est justus titulus lucri in cambio. 492. 185. Non ex vicinitate loci, sed ex publicitate delicti amittitur fama. 523. 62. Possunt referre delicta publica simpliciter in quocumque loco. 63. Etiam si injuste fuissent publicata, dummodo sint vera. 64. Secus delicta punita in loco secreto. 65. Locus ubi lites discutiuntur, dicitur *Forum*. 532. 111.

Loth excusatur ab incestus culpa. Cur. 120. 28.

Lotto est ludus licitus servatis quinque conditionibus, 499. 218. Authoritate privata est illicitus. ibi.

Lucifer dicitur draco, & serpens antiquus, est ligatus in orco a Christo tempore gratiæ usque ad Antichristi adventum. 322. 36. Est superior infelix omnium Dæmonum. 323. 44. Esse Prælatum malorum non honor, sed ignominia est. ibi.

Lucretia quondam nimis celebrata dupliciter erravit in suicidio post adulterium. 358. 84.

Lucronium, prope Civitatem Lucronii gaudent quædam familiæ nobiles gratia sanandi ossa confracta, & dislocata. 257. 135.

Lucrum cessans est titulus justus aliquid exigendi supra sortem in mutuo. 485. 149. Quatuor conditiones pro illo requisitæ. 486. 150. Quærere lucrum ex ludo, ut subveniat quis propriæ indigentiæ, licitum. 497. 206. conditiones requisitæ ut quis licite lucretur in ludo. 208. & seq. Quando restitui debeat lucrum ex ludo vetito. 498. 212. Quid de lucrato in quibusdam sponsionibus. 499. 216.

Ludus communiter dictus quid, & quomodo licitus. 497. 206. Lucratorius, quid. 207. ex se est licitus. ibi. Utendum est ludo, & joco sicut cibo, & somno. ibi. Tres conditiones requisitæ. 208. Quædam fraudes aut insidiæ in ludo permissæ. 498. 211. Qui sint ludi vetiti. 212. An ludens ad credidum teneatur solvere, quod perdit. 499. 214. Alearum ludus a quo inventus. ibi. Vix se accusant lussores de tempore, aut de re familiari dilapidatis in assiduo ludo. 215. Pluribus peccatis implicantur ludis assueti. ibid. Aristoteles eos latronibus comparat. ibid.

Luna dies Lunæ Hæbreis infausti cur. 256. 130. Observatio naturalis dierum lunæ utilis ad plures effectus. ibid. Ut eam infament Dæmones plus vexant homines lunaticos, & melancholicos. 321. 33. Horum temperamentum aptius Dæmonum vexationi. ibi.

Lutherus, & Calvinus erravere putantes liberum arbitrium extinctum per peccatum originale. 129 83. Illudque esse concupiscentiam. ibid 86. Lutherus agnitam impugnavit veritatem. 212. 214. Ipsi finxere sanctos non esse a nobis orandos. 236. 26. Fuit Lutherus discipulus Asmodei. 366. 12. Contraxit satanicum matrimonium cum moniali. ibid.

Luxus nimius valde nocivus spirituali, & temporali. 227. 296. Quid circa illum de ecclesiasticis. Ibi. Propter nimium luxum deficit facultas ad eleemo-

synas faciendas. ibi.
Luxuria quid. 368. 23. Quale peccatum. 369. 24. Octo ejus filiæ. 25. Septem ejus species. 27. Non omnes differunt essentialiter intra genus luxuriæ. 28. Non admittit parvitatem materiæ. 380. 92.

M

MAchabæi septem incliti celebrantur, qui pro lege observanda mortem gloriose subierunt. 68. 145. Quomodo præliabantur Machabæi. 214. 229.
Magia quid, & quotuplex. 257. 133. Quando cognoscetur, an naturalis, vel superstitiosa. 134. Nec incredulus, nec cito credens debet esse homo in hac materia. 136.
Magister. Ejus obligationes circa discipulos. 344. 71. Saniora, & utiliora eos docere debet. ibi. Præcipue debet curare, ut horreant modernos materialistas. ibi.
Magnanimitas quid. 110. 56. Respicit opera egregia formaliter, *ut magna*. ibid. Magnanimus est humillimus. ibi. Magnificentia, quid. 58. Differentia ejus a magnanimitate. ibi.
Maledictio quid. 519. 44. Est peccatum grave ex suo genere. ibi. Tria requisita, ut sit grave. 45. Confessari debent suspendere absolutionem huic pesti assuetis. ibi. Curent illam radicitus evellere. ibi. Nec creaturis irrationalibus licet maledicere. 520. 46. Maledictiones sancti Job, & aliorum quomodo intelligendæ. 47. Omnes maledictiones sunt ejusdem speciei. 48.
Maleficium quid, & quotuplex. 258. 140. Non licet unum maleficium alio tollere. 259. 143. Si adest medium naturale licet petere a malefico, ut illud tollat. ibi.
Mandans damnum proximi tenetur primario restituere. 431. 89. Non, si mandatum recocavit efficaciter. ibid. Neque ille, qui mere ratum habet damnum suo nomine factum. 90. Mandans ut superior tenetur ad damna etiam mandatatio obvenientia. 432. 94.
Mandatum quid. 496. 205. Si non fiat gratis, est operæ locatio. ibi. Quod gratis promittitur, gratis fieri debet. ibi.
Manichæi jejunabant die Dominico in contemptum Resurrectionis Domini. 273 42. Putarunt inepte esse illicitum occidere animalia, & plantas seccare, tamquam prohibitum a Deo in quinto Decalogi præcepto. 345. 2.
Maria beatissima Virgo ab omni labe, vel umbra peccati singulari privilegio, condigno utique matri Dei, fuit omnino præservata, ut pie credimus. 128. 76. Eam præ omnibus Angelis, & sanctis amore affectivo diligere debemus. 182. 33. Tamquam Regina omnium sanctorum, & Angelorum valet, ac debet a nobis orari. 236. 26. Item adorari adoratione *hyperduliæ*. 244. 67. Est digna omni laude, non solum ut mater Dei, sed etiam quatenus gratia, perfectione & sanctitate omnes cælites superat. ibi. Sine pugna carnis ex privilegio speciali gaudet fulgentissima aureola virginitatis. 367. 15.
Maritus quæ vota uxoris irritare possit. 289. 126. Ejus obligatio amandi, honorandi, & alendi uxorem. 335. 23. & seq. Non licet marito impedire uxori audire sacrum, jejunare, abstinere a carnibus diebus vetitis, & alia præcepta observare. ibi. 26. Chimericum est putare, quod ex hac observantia fiet uxor deformis, debilis, impotens ad reddendum debitum. ibi. An si non recipiat dotem, teneatur alere uxorem. 336. 28. & seq.
Martinus V. quo Concilio, & die Papa electus. 10. 61.
Martyr. Verus martyr non patitur coactus, aut violentus. 15. 102. Martyres dono fortitudinis mira faciebant. 115. 84. Copiosa martyrum multitudo simul cum aliis argumentis faciunt evidenter credibilia mysteria fidei. 149. 7.
Martyrium est actus præcipuus fortitudinnis. 110. 53. Non consistit in aggredi, sed in sustinere. ibi. Quomodo martyres se tradebant occidendos tyrannis. 347. 13.
Mater gravida, non potens parere filium vivum, non tenetur pati scissionem, ut proles baptizetur. 185. 50.
Mater, vivente patre, vel ipso præsente, aut tutore, nequit irritare vota filiorum in puberum. 289. 124. Non gaudet patria potestate. ibi. Tenetur per se ipsam lactare filios, seclusa gravi cau-

causa. 333. 15. Causa adstante debet tradere filios nutricibus sanis, & bonis moribus instructis. ibi. Peccat mater secum tenens infantem in lecto cum periculo oppressionis. ibi. Non tenetur regulariter patefacere crimen suum filio, aut marito, ne spurius succedat in hæreditate. 457. 230. & seq.

Materialistæ moderni speciosis verbis avertunt incautos a principiis Theologiæ, & fidei. 344. 71.

Matrimonium clandestinum adhuc seclusa fraude, & dolo est nullum. 64. 122. etiam contractum ubi Tridentinum non viget, eundo illuc fraudulenter. 78. 206.

Medicus. Nequit uti medicamento minus probabili, relicto probabiliori. 37. 95. Tenetur applicare infirmo medicamentum certum, incerto relicto. 96. Nequit applicare medicinam, de qua dubitat effectum. ibi. Quando non reperitur certa, potest applicare probabilem. ibi. Illicitum est uti medico Judæo seclusa necessitate. 164. 107. Quomodo teneantur medici ad juramentum de servando decreto Pii V. circa infirmorum visitationem. 314. 90. Errant medici, & faciunt errare, dum ex ignorantia, aut adulatione dicunt suis clientibus non posse in conscientia jejunare, vel a carnibus abstinere. 361. 103.

Mendacium quid, & quotuplex. 513. 8. & seq. Dicere, *falsum est, quod ais*, non est dicere *mentiris*. 514. 11. Mentiri est hominum vitium. ibi. Semper est malum. 12. Quamvis per impossibile salvatio omnium hominum penderet ab uno mendacio levi, non deberet proferri. ibi. Nequit Deus mentiri. 515. 15. Nec dicere falsum. ibi. Nec facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ. 17.

Mendicitas religiosa laudabilis, & approbata ab Ecclesia. 202. 159. Quomodo religiosi procedere debeant in eleemosynis petendis. 161.

Mercatus prohibetur diebus festis. 328. 28.

Merces, queunt vendi a negotiatoribus carius, quam ab aliis. 470. 68. Quid de famulo, vel commissario, cui traduntur merces vendendæ. 473. 86. & seq. Quid de mercibus extraordinariis. 475. 97. & seq. Possunt vendi pretio currenti a sciente brevi vilius valituras. 476. 103. Non a sciente brevi corrumpendas. 477. 104. Nequeunt carius vendi, aut vilius emi ob dilatam, aut anticipatam solutionem. 478. 110. & seqq.

Meretrix. Quæ. 374. 55. & seq.

Meritum est *opus conferens jus ad præmium*. 239. 41. Est duplex de *condigno*, & *de congruo*. ibi. Differentia eorum. ibi. Nequit meritum applicari alteri. ibi.

Metaphysica. Ejus objectum, & principia sunt mere naturalia. 2. 9.

Metomoscopia est divinare ex qualitate vultus, & ex lineis frontis. 254. 121.

Metus, quid. 16. 105. Est multiplex. ibi. Actus facti ex metu gravi sunt simpliciter voluntarii. 106. Observatio divinæ legis ex metu inferni est voluntaria sine mixtione involuntaria. 17. 107.

Millenarii, seu *Chiliastæ* improbantur. 322. 37.

Milites subditi possunt, ac debent bellare sine examine de justitia belli, quoties jubentur a suo Principe. 214. 228. Non sic voluntarii. 229. Milites catholici debent præliari, sicut olim invicti Machabæi. ibi.

Milites peccant, si suo Regi fideliter non serviant. 215. 232. Alia peccata militum. 233. Nequeunt milites incendere propriam navem, aut fortalitium cum prævisione propriæ mortis, ne in hostium manus deveniat. 361. 104.

Miracula. Tanta miracula a Deo patrata simul cum aliis signis efficiunt evidenter credibilia nostræ fidei mysteria. 149. 7. Prædicare miraculum falsum est grave peccatum. 158. 71. D. Paschasius existens in purgatorio miracula faciebat. 237. 29. Nequit Deus facere miracula pro confirmanda falsa doctrina. 515. 17. Antichristi miracula erunt falsa. ibi. Quid sit miraculum. 18. Triplex classis miraculorum. ibi.

Misericordia, quid, & quotuplex. 189. 78. Differt in nobis a charitate. ibi. Opera misericordiæ. 190. 80.

Mohatra quid, & quotuplex. 437. 83. Cum pacto illicita. 84. Sine pacto non est injusta. 85. Non est permittenda ob

scandalum. ibi. Est reprobata per leges. ibi.

Monasteria sunt gymnasia, tum virtutis, tum urbanitatis. 340. 51. Legata religioso relicta ad monasterium attinent. 404. 52. Monasteria nostra nequeunt succedere ab intestato in hereditate paterna religiosi. ibid. 55.

Moneta falsa accepta in contractu nequit alteri tradi. 427. 68. Quid de illa faciendum. ibi.

Monialis tenetur observare clausuram, licet egritudo particularis foras mederi posset. 69. 149. Est doctrina S. Theresiæ experientiis comprobata. 150. Varii casus, in quibus licet monialibus e monasterio egredi. ibi. Non licet introducere pueros in monasteria monialium. 76, 192. Quid inquirere debeant Visitatores monialium. 537. 136.

Monopolium, quid, & quotuplex. 471. 70. Est contra charitatem. 71. Justitiam. 72. Unum monopolium alio compensare illicitum. 75.

Mons pietatis quid. 491. 178. Licitus sex conditionibus. 179. Finis deponendi pecunias in eo. ibid. 180.

Moralitas. Unde. 12. 78. Quid. ibid. 79. Quotuplex. 13. 87.

Mors. Easdem opiniones debemus sequi in vita, ac in morte. 38. 100. Sed articulus mortis aliquando variat casum. ibi. Quando, & quomodo liceat optare sibi mortem. 140. 143. Pactum duorum, ut præmoriens appareat alteri ad monendum eum de suo statu, cavendum. 252. 108.

Motus appetitus, qui sint *primo primi*, & *secundo primi*. 136. 121. Non fuerunt in Christo Domino. ibi. Omnes motus appetitus fuerunt perfecti in eo, & in ejus beatissima Matre. ibi. Quando ex permissione motus partis inferioris adest periculum gravis peccati, debet reprimi sub gravi. 137. 125. Voluntas tenetur absolute resistere positive motibus appetitus sensitivi circa objectum grave vetitum. 126. Si procedant ex causa honesta possunt aliquando permitti. 127. Tripliciter potest voluntas se habere circa motus venereos: *assentiendo*, *resistendo*, vel *mere permittendo*. 379. 87. In primo modo adest peccatum grave, in secundo meritum, in tertio saltem veniale. ibi. Permittere voluntarie dictos motus est lethale. 88. Secus in timoratis, qui despiciunt motus, vel suggestiones ex qualibet actione insurgentes. ibi.

Moyses optavit mortem ex tædio perfidiæ populi. 140. 144. Non scripsit palam creationem Angelorum, cur? 232. 5. Existens in limbo orabat pro vivis. 236. 28.

Mulieres Christianæ nequeunt lactare filios Judæorum in eorum domibus. 164. 107. An ornari se mulieres sit peccatum scandali. 227. 295. Valde illicitum mulieribus nudata pectora deferre. 296. Sunt arcendæ a confessione, & sacra communione. ibi. Sunt quædam sicut mulier Babilonica propinantes venenum in vase aureo. 228. 299.

Mutus, quando restituere debeat. 434. 105.

Mutuum quid. 480. 124. Obligationes mutuatoris quatuor. 481. 125. Mutuatarii tres. 126. Qui non teneantur ad mutui solutionem. 127. Sine causa non licet petere mutuum sub usuris. 490. 175.

Mysteria fidei sunt evidenter credibilia. 149. 7. Motiva luculenta hanc evidentiam contestantia. ibi. Quæ sint credenda necessitate medii. 150. 15. Quæ explicite. 151. 17. Quæ necessitate præcepti. 152. 28. & seq. Notitia eorum requiritur major in clericis, quam in laicis. 153. 32. Major in Episcopis. 33. Quid de Confessariis. ibid. 34.

Mystica. Quando Theologia dicatur mystica. 3. 15. Quando dicatur mysticus sensus Sacræ Scripturæ. 5. 30. Non sunt credendę quædam mysticæ falsæ dicentes se a Dæmone ad inhonesta coactas fuisse. 16. 103. Non permittit Deus Diabolo talia facere. 320. 25. Credenda est illusa fœmina, si oppositum asserat. 26. Molinismum sapit. 28.

N

NAtio, nulla fuit adeo barbara, quæ virgines in admiratione non habuerit. 366. 12.

Natio Hispanica fide, ac religione nulli secunda. 495. 198.

Necessarium dupliciter, vel necessitate medii, vel necessitate præcepti. 150. 13. Explicatur utraque necessitas. ibi.

Necessitas pauperum triplex. 190. 83. Solum in extrema est licitum accipere ex alieno necessarium. 191. 91.

Necromantia est species divinationis illicita. 251. 103.

Negligentia opponitur prudentiæ, oritur ex luxuria. 108. 42.

Negotiatio quid, & quotuplex. 469. 60. Non est intrinsece mala. 61. Prohibita est religiosis, & omnibus clericis in sacris initiatis, aut beneficiatis. 62. Quid intelligatur de propria negotiatione. 470. 65. Quando sit omnibus illicita. 66. Antequam cives sibi provideant, nemo valet emere magnam copiam mercium. 67.

Nemesis est tristitia de bono alterius indigne possesso. 107. 32. Est quædam passio bona, licet non pertingat ad gradum virtutis. ibi.

Nemus, quid. 327. 21.

Nestorius tantum erravit in fide per excessum asserens duas personas in Christo, sicut Eutichius per defectum negando in eo duas naturas. 105. 15.

Nomen. Nequit fidelis sumere nomina Turcica. 158. 70. Nomina Dei, Jesu, Mariæ, & Sanctorum adorari debent *latria*, *hyperdulia*, aut *dulia*. 244. 66. Juramentum est invocatio divini nominis. 297. 2. Etiam adjuratio. 315. 1. Imperare, vel deprecari per nomen Domini est adjurare. 315. 2. Judæi adjurabant Dæmones in nomine Dei *Tetragramaton*. 316. 7. Invocare nomen Jesu, & Mariæ profligat Dæmones. 317. 9. Potest Exorcista interrogare Dæmones nomen, & numerum habitantium in energumeno. ibid. 13. serpens, draco, satanas, & Diabolus sunt nomina antonomastica Luciferi. 322. 36.

Nota. Veræ Ecclesiæ præcipue notæ sunt quatuor. 7. 44. Virginitas est etiam nota illustris veræ religionis. 367. 13.

Notarius idem est pro causis ecclesiasticis, ac secretarius, vel tabellio pro sæcularibus. 545. 183. Debet pollere sufficienti scientia pro suo munere exercendo. ibid. Non potest ultra taxam quidquam accipere ratione sui officii. ibi. 185.

Notitia, qualis de mysteriis fidei sit habenda. 151. 21. & seq. Qualis sufficiat pro rusticis, & bardis. 152. 25. & seq. Quali debeant esse ornati ecclesiastici, & præsertim Parochi. 153. 32. Quali pollere teneantur Episcopi. 33. Qualem curare debeant Confessarii delegati. ibid. 34.

Notoria ars quid. 255. 126. Illicita graviter. ibi. Artes, quæ liberales, quæ serviles. 327. 21.

Notorium quid, & quotuplex. 522. 60. Explicatur *notorium*, *manifestum*, & *publicum*. ibi. Referre crimina publica, ubi talia sunt, non est grave peccatum. 523. 62. Nec alibi narrare delicta publica publicitate juris simpliciter. 63.

Nova hodie placent. 344. 71.

Novellæ quomodo citentur. 55. 36.

Novem sunt causæ ad restituendum astrictæ. 429. 77.

Novissima. Quatuor novissima explicite sunt credenda. 152. 29. Qui ea serio meditatur, non peccabit. 177. 22.

Novitius. In dubio de ejus probitate debent magistri, & vocales ei suffragia denegare. 530. 96.

O

OBedientia. Subditus tenetur obedire Prælato etiam in dubio suæ potestatis. 42. 122. Obedientia est efficax remedium ad curandos scrupulos. 42. 129. Obedientia a filiis debita parentibus, 331. 5. Ab uxore marito. 336. 29. & seq. Parochi, & ceteri clerici tentur obedire Episcopo. 339. 45. Regibus debetur peculiaris honor, & obedientia. 47. Esto alias tyranni forent in regimine flagitiosi, aut scelesti in moribus. ibi. Omnes debemus obedientiam, & reverentiam præstare majoribus ætate, dignitate, & regimine. 50. Quod potissimum debet refulgere apud religiosos. 340. 51. Quomodo servi teneantur dominis obedire. 341. 55. & seq. Quomodo famuli suis heris. 342. 63. & seq. Quomodo pupilli, & minores suis tutoribus, & curatoribus. 343. 66. Quomodo discipuli suis magistris. 344. 71.

Obligare *per se*, aut *per accidens* præcepta in quo differant. 156. 52.

Obligatio Deum colendi, alia præcepti divini invariabilis, alia præcepti ecclesi-

astici juxta varia festa. 233. 8. Obligatio filiorum erga parentes. 331. 1. & seq. Obligatio parentum erga filios. 332. 12. & seq. Obligatio mariti erga uxorem. 335. 23. & seq. Obligatio uxoris erga maritum. 336. 29. & seq. Obligatio fratrum ad invicem. 337. 37. & seq. Obligatio venerandi Episcopos, & alios ecclesiasticos. 339. 45. Obligatio mutua dominorum, & inferiorum. 340. 52. & seq. Obligatio honorandi tutores, magistros, & senes. 343. 69. & seq.

Occasio. Non licet dare alteri occassionem peccandi ad experiendam ejus fidelitatem. 230. 307.

Occasio proxima peccandi nisi avertatur, nequit absolvi, qui in ea versatur. 371. 40. & seq. Qui eam retinet, amat peccatum. 372. 45.

Occasio proxima peccandi, omni commodo temporali postposito, deserenda est. 373. 48.

Occisio hominis non est ex se mala. 345. 2. Possunt occidi malefactores publica authoritate. 346. 4. Etiam authoritate Dei. ibi. Occisio directa innocentis nequit præcipi a potestate humana. ibid. 8. Occisio indirecta innocentis licita est aliquando. 347. 10. Occisor injustus hominis aliquid restituere debet ex justitia pro vita ablata. 451. 203. Quid pro damnis secutis. 452. 208. Quid de provocato ad pugnam occidente provocantem. 453. 111.

Odium Dei est prohibitum, quia malum. 21. 136. In quo sensu peccata sint prohibita, quia mala. ibi. Si quidquam faciant Inquisitores ex odio contra reum excommunicantur. 79. 216. & 217.

Odium Dei quid, & quotuplex. 210. 205.

Odium proximi quid, & quotuplex. ibi. 206. Unum ab alio specie differt. ibi. Desideria mali proximi differunt juxta diversitatem malorum. 211. 208. Odium parentis, & Superioris differunt specie ab odio proximi. 212. 213.

Officia sęcularia vendere secundum se licitum, in praxi sæpe illicitum. 339. 50. Pluribus injustitiis obnoxium. ibi. Conferri debent dignoribus. ibi. Officia quædam valde periculosa, cur. 546. 189.

Omissio peccaminosa est voluntaria, seu volita. 15. 99. Omissio solemnitatis irritat actum, & contractum. 66. 130. Peccata commissionis, & omissionis circa idem objectum sunt ejusdem speciei. 130. 89. Omissio voluntaria in causa, etiam in se est peccatum. 31. 95. Omissionis gravitas sumitur ex gravitate actus omissi. 32. 99. Quot mala proveniant ex omissione, & remissione Superiorum. 534. 121. Superiores, ut plurimum plus peccant omissione, quam comissione. ibi.

Onias in Limbo orabat pro suo populo. 136. 28. Quomodo ejus necessitatem agnoscebat. ibid.

Opera consilii ex suppositione, quod fiant, cadunt sub lege bene ea agendi. 21. 137.

Opera infidelium, non omnia sunt peccata. 129. 86. Quinque genera operum. ibi. Opera misericordiæ. 190. 80. Quæ opera omitti, vel differri debeant propter scandalum. 222. 269. Quod sit opus servile vetitum in die festo. 327. 21. Pingere est opus servile. 23. Secus transcribere. ibid. 24.

Opera religiosa in eo licita. 329. 35. & seq. Quatuor effectus operis boni meritorum, satisfactorium, impetratorium, & propitiatorium. 239. 41. & seq.

Opinio quotuplex. 31. 54. Probabilis speculative potest esse improbabilis practice. 56. Non est idem probabilior, ac tutior. 32. 57. Opinio probabilis multum differt a probabilismo. 33. 69. Secluso casu necessitatis opinio probabilior est amplectenda. 34. 71. Quæ opinio sit eligenda a Confessario, Judice, Advocato. & Medico. 35. 82. & seq. *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur*, sæpe fallit. 38. 98. Consilium debet dari juxta opinionem probabiliorem. 99.

Oratio, quid. 234. 14. Est actus religionis. ibi. Quotuplex. 17. Est necessaria ad salutem. 18. Quando obliget. 235. 20. Qui sint orandi. 236. 25. & seq. Quid circa animas purgatorii. ibid. 27. Viatores possunt orare pro se, & pro aliis. 237. 33. Oratio est semper impetratoria. 34. Qualiter religiosi, & præsertim Carmelitæ teneantur ad orationem mentalem. 238. 35. religiosus sine oratione est corpus sine anima. 36.

Ne-

Nequit orari pro beatis, nec damnatis. 37. Melius est orare pro animabus purgatorii, quam pro peccatoribus. 239. 38. Orationes, & sacrificia ex Dei pacto habent infallibiliter aliquam pœnam minuere ei, pro quo fiunt. 240. 43. Oratio pro pluribus facta, qua ratione æque prosit multis, ac paucis. 240. 45. Quæ sint petenda a Deo. 241. 48. & seq. Oratio decet fieri versus Orientem propter paradisum illuc constitutum. 242. 55.

Oratorium privatum non polluitur, sicut Ecclesia. 387. 140.

Ordo, quid. 182. 30. Ordo servandus in amando amore appretiativo. 31. Amore intensivo. 32. Amore effectivo. 33. & seq. Ordo subveniendi proximo in spiritualibus. 35. & seq. In corporalibus. 185. 51. & seq. Ordo correctionis fraternæ. 208. 192. & seq. Non obligat semper sub gravi. 209. 197. & seqq.

Origenes. Ejus error ex littera male intellecta S. Scripturæ. 5. 34.

Oriromantia est divinatio per somnia. 253. 114. Quando, & quomodo licita. ibi. & seqq.

Ornatus mulierum, quis scandalosus. 227. 295. & seq.

Orphani. Legatum relictum pro orphannis nequit dari puellis habentibus parentes inopes. 510. 261. An aliquando possit. ibi.

Oscula, amplexus, & tactus ex se non sunt mala. 377. 76. Ex pravo fine sunt graviter illicita. 80. & seq.
Vide alia v. Tactus.

P

PActum cum Dœmone duplex, expressum, & implicitum. 251. 103. & seq. Non differt specie unum ab alio; debet tamen expressum manifestari in confessione. 252. 107. Pactum, quod præmoriens appareat superstiti, ut moneat de statu suæ animæ esto non illicitum, cavendum. 108. Pactum expressum cum Dœmone est signum vehementis suspicionis de hæresi. 260. 151. Pacta onerosa de rebus illicitis ante factum non obligant. 437. 122. Posito pacto jure naturæ obligant. 123. Oppositum astruens inconsequentiæ convincitur. 438. 124. & seq. Pactum retrovendendi, quid. 472. 76. Quomodo licitus. 77.

Paganismus, quid, & unde dictus. 161. 89. Nullam Scripturam sacram admittit. ibi.

Palafox Ven. merito laudatur doctrina ejus, cujus sanctitas præfulgere jam incipit in Ecclesia. 241. 47.

Palpo. Qui est causa damni adulando, laudando, vel alio modo tenetur ad restituendum. 433. 99. Quamvis palpans non intenderit damnum. ibi.

Panis. David in extrema necessitate manducavit panes propositionis prohibitos laicis. 68. 146. Panis, & alia esculenta Idolis offerta dicuntur *Idolotyta*. 159. 79. Taxato tritico, taxatur eo ipse panis coctus. 478. 109.

Parasceves. Judæi habitantes in ditionibus catholicis nequeunt in publicum exire in die Parasceves. 161. 93. Etiam debent eo die portas, ac fenestras clausas habere. ibi. Superstitio est credere, quod dicitur de quodam annulo eo die fabricato. 256. 128. Item natos illo die gaudere virtute videndi occulta subtus terram. ibi. Peccatum commissum in die Parasceves aliis gravius est. 327. 22. Non est vero sacrilegium peccatum carnis in eo perpetratum. 388. 143.

Parentes, quæ vota filiorum irritare possint. 288. 122. Sunt honorandi a filiis. 331. 1. Quomodo isti teneantur eis obedire. 5. Debent eis filii subvenire. 332. 8. Quid circa hoc de religioso, cujus pater indiget. 9. Obligatio Parentum circa filios. 12. & seq. Male agunt mittendo filios ad extera Regna. 334. 17. Seclusa causa gravi nequeunt parentes exponere filios foribus Ecclesiæ, aut hospitalibus. 18. Quando ex justa causa id efficiunt, debent hospitali expensas restituere. ibi. Parentes tenentur dotare filias nubiles. 20. Ob quot causas possint exheredare filios. 506. 243.

Parochus. Assistere debet ad Synodum Diœcesanam. 7. 50. Habet votum consultivum, non decisivum. ibi. Quot peccatn possit committere ex ignorantia. 20. 127. Differentia Parochi pro foro externo, ac interno. 30. 49. Quas opinio-

niones debeat amplecti pro confessionibus. 35. 82. & seq. Tenetur peste infectis sacramenta ministrare. 68. 144. Monetur Parochus, ut ante, vel post Missam conventualem recitet simul cum populo actus fidei, spei, & charitatis. 155. 47. Parochus etiam per quid leve potest aliquando dare scandalum grave. 221. 266. Quid agendum Parocho, aut Confessario cum maleficis, sagis, & lamiis. 259. 146.

Participans, quando restituere debeat. 433. 102. & seq.

Parvuli decedentes cum peccato originali sunt ab æterna Dei visione exclusi. 129. 85. Carent pœna sensus. ibi.

Passiones animæ. Undecim. 123. 51. Qui eas vincit, est homo: qui vincitur, bellua. ibi. Omnis homo plus, minusve habet easdem passiones. 124. 52.

Patientia, quid. 111. 60. Omnibus omni tempore, & loco valde necessaria. ibi. Ad eam reducitur *longanimitas*. ibi. Opponitur ei per excessum *impatientia*, & per defectum *insensibilitas*. 61.

SS. Patres qui dicantur. 10. 67.

Patria potestas quantum duret. 288. 121. Si pater, aut filius mortuus resurgeret, revivesceret patria potestas. ibi. Quid sit. 402. 43. ejus tria privilegia. ibi. Non competit matri. ibi.

Patriarcha præsidet Concilio Nationali. 7. 50. gaudet potestate condendi leges. 55. 69. Pariter dispensandi in votis. 290. 132.

Pauperes in triplici differentia: alii ex necessitate: alii ex pravitate: alii ex pia voluntate. 201. 149. Omnibus danda est eleemosyna. 150. Non reipublicæ hostibus, quamdiu tales sint. 151. Pauper fictus restituere debet eleemosynas fictione extortas. 152. Secus vere pauper, qui ut majorem eleemosynam accipiat, simulat majorem necessitatem, vel virtutem. 202. 155. Quid de avaro petenti, nihil volens insumere de suo. 156.

Pax. Nunquam est pax bona sine justitia. 204. 171. Satius est evellere bono bello relaxationem, quam pace mala illam fovere. ibi. Non semel datur pax mala, & bellum bonum. 518. 40.

Peccatum, quid. 124. 55. Duplex ejus effectus. 125. 59. Ejus divisio multiplex. 61. Sex peccata in Spiritum sanctum. 126. 69. Peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremisibile, quia difficilius aliis remittitur. ibid. 70. Peccatum philosophicum quid. 71. Peccati originalis notio. 127. 73. In Adamo fuit personale, & *originans*, In posteris ejus *originatum*, seu *originale*. ib. Primum peccatum Adami fuit superbia. 75. Peccatum originale transfunditur seminali propagatione in omnes filios Adæ, excepta purissima Dei matre. 128. 76. Recipitur immediate in anima. 77. Homo non formatus ex semine illud non contraheret. 79. Peccandi potentia est impotentia, consistit in defectibilitate creaturæ connotando personam creatam. 80. Non est a Deo: sicut claudicatio non est a potentia locomotiva, sed a defectu tibiæ. ibi. Effectus peccati originalis. 129. 82. & seq. Peccatum originale non est concupiscentia, nec substantia a Dœmone producta. 86. Non omnia opera existentis in peccato sunt mala. 130. 87. Peccatum commissionis non est pura privatio, consistit in positivo. 88. Omissionis autem in privatione voluntaria actus debiti. 89. Non differunt specie morali, dum ex eodem motivo procedunt. ibid. 90.

Peccata ex sua natura alia sunt mortalia, alia venialia. 132. 101. Assignantur quædam parvitatem materiæ non admittentia. 102. Novem differentiæ peccati mortalis a veniali. 103. Media, per quæ remittuntur. 133. 104. Venialia etiam in altera vita. 105. Plura venialia non efficiunt peccatum grave. 134. 110. Peccatum ex se leve potest transire in grave ex multiplici capite. 112. Habens animum committendi quæcumque venialia peccat graviter. 114. Quam malum sit peccatum veniale. 135. 115. Peccatum non est idem ac habitus vitiosus. 116. Quando peccatum sit voluntarium in causa. 137. 128. & seqq. Non omnia peccata nostra sunt immediate a tentatione Diaboli. 140. 146. Unde sumatur distinctio specifica peccatorum. 141. 149. Non omnia peccata sunt æqualia. 142. 153. Circumstantiæ peccati quot. 154. Unde sumatur distinctio numerica pecca-

catorum. 156. & seq. Quanta sit fœditas, & malitia peccati. 145. 168. Quid dixerit Seneca de ejus turpitudine. 169.

Peccata Principum, Ducum, & militum circa bellum. 215. 233. & seqq. Alium inducens ad peccatum veniale non peccat graviter. 221. 264. Aliud est peccatum ex habitu, aliud ex certa malitia. 266. 188. Hoc est pejus illo. ibi.

Pedomantia est divinare ex signis, aut lineis pedum. 254. 121.

Pelagia S. pro castitate tuenda se præcipitem dedit. 358. 86.

Pelagius primus omnium aperte negavit peccatum originale. 127. 73.

Pœna. Non est lex, quæ non obliget in conscientia saltem ad pœnam. 56. 74. Lex pœnalis duplex. 61. 99. Quando incurratur pœna *ipso facto*. 63. 113. Tenetur judex inferior applicare pœnas legis. 117. Pœna contra hæreticos. 167. 129. & seq. Contra duellantes. 218. 249. Contra magos, & maleficos. 261. 154. Contra sacrilegos. 264. 177. Contra blasphemos. 266. 186. Contra assassinos. 363. 117. Contra concubinarios. 373. 50. & seq. Contra meretrices, & lenones. 374. 59. & seqq. Contra stuprantes. 382. 106. Contra raptores. 383. 115. Contra adulteros. 119. Contra sodomitas. 394. 186. Contra bestializantes. 395. 193. Contra usurarios. 491. 176. Contra Judices batarios. 536. 130.

Pœnitentia. Quando datur pœnitentia, ut bis, aut ter audiatur Missa, non fit satis auditione, ad quam quis tenetur die festo. 70. 157. Bene vero si injungatur pro omni die per annum. ibi. Potest impleri pœnitentia recitandi Rosarium, dum auditur Missa pro die festo. 158. Pœnitentia gravior est imponenda consuetudinariis. 308. 58. Pœnitentiæ antiquæ perjuriis. ibi. Pœnitentiæ medicinales eis injungendæ. 59. Abreviare vitam aliquantulum per pœnitentias moderatas licitum est. 361. 101. Pœnitentia publica sunt puniendi raptores proprie tales. 383. 116.

Pensionarii proprie tales tenentur ad eleemosynas faciendas sicut alii ecclesiastici. 199. 134. Non omnes pensiones sunt proprie clericales. ibid. Nec mediri cantores sunt proprie pensionarii. ibi.

Peregrini, & advenæ, qui. 76. 193. Tenentur legibus locorum, per quæ transeunt. 77. 197. & seq. Non tenentur legibus peculiaribus patriæ, a qua absunt. 203. Nemini licet discedere ex professo a proprio loco, ubi lex viget, ad alium, in quo non viget, animo se a lege eximendi. 78. 206. Nemini debet fraus patrocinari. ibid.

Perseverantia quid. 111. 62. Perseverantia finalis non est idem ac confirmatio in gratia. 116. 97.

Pertinacia quid. 118. 12. In quo consistat pertinacia, ut quis sit hæreticus. 165. 117. Potest dari in instanti. ibid.

Pignus quid. 496. 203. Traditur creditori pro assecuratione crediti. ibi.

Pingere imagines obscenas grave crimen. 230. 306. etiam eas habere in domibus esto tectas velo. ibi. Pingere est opus servile. 327. 23. Delineare, vel formare calamo aliquas figuras non est opus servile. ibi.

Pythagoras præscripsit discipulis silentium quinquennale. 112. 71.

Placitum, seu judicium forense vetitum est diebus festivis. 328. 29.

Plato. Ex defectu superni luminis incidit in plures errores. 1. 4. Agnovit intellectum nostrum egere majori luce ad capessenda spiritualia. 232. 4.

Polytheismus est pluralitas Deorum. 161. 89.

Pollutio, sodomia, & bestialitas differunt specie. 388. 146.

Pollutio quid, & quotuplex. ibid. 147. si est voluntaria, semper illicita. 148. Nequit intendi ad expellendum semen corruptum. 389. 151. Quid de uxore immediate post coitum. 152. Quid de stillatione. 153. Quando dicatur voluntaria in causa. 155. & seq. Qui de nocturna. 391. 163. & seq. Quando adsit sine culpa. 167. & seq. Potest quis gaudere de allevatione naturæ ex pure naturali proventa. 392. 174. & seq. Non vero de ipsa pollutione. ibi. Quomodo sint intelligendi Authores oppositum docentes. 176.

Pontifex. Solus approbat Concilia. 9. 55. Non tenetur stare pluralitati votorum, sed veritati. ibid. Nec minus inclusive

suffragantium. ibi. Considerari valet, ut Vicarius Christi, vel ut persona privata. ibi. 56. Est supra omnia Concilia etiam generalia. 58. Licet esset in lethali, ejus definitio circa dogmata est infallibilis. 10. 64. Solus Pontifex valet decidere controversias fidei, & morum. 65. Non condit, sed declarat articulos fidei. 66. Potest condere leges ecclesiasticas pro tota Ecclesia. 55. 68. Valet dispensare in eis. 87. 270. Potest etiam in eis dispensare *valide* sine causa. 90. 293. Valet irritare vota religiosorum. 288. 118. Etiam dispensare in votis omnium fidelium cum causa. 290. 132. Potest applicare bona, quorum dominus ignoratur, cui sibi bene videatur. 442. 150. & 152. Valet etiam commutare legata pia, & testamenta cum causa in alia pia opera. 511. 267.

Possessio quid. 401. 34. Quotuplex. 35. Quot modis acquiratur. 36. Ejus privilegia. 37.

Possessor bonæ, vel malæ fidei. 422. 35, Quid restituere debeat possessor bonæ fidei. 36. & seq. Quid possessor malæ fidei. 423. 43. & seq. Sex differentiæ possessoris bonæ, & malæ fidei. 428. 70.

Postliminium quid. 216. 237.

Potentia peccandi consistit in defectibilitate voluntatis connotando personam creatam. 128. 79. Non est causa efficiens, sed deficiens. ibi. Peccatum originale infecit, & sauciavit omnes potentias animæ, & corporis. 77. & seq.

Potestas ferendi leges civiles est in Regibus. 54. 61. Est de fide. ibid. Condendi leges ecclesiasticas est in Papa, & in Prælatis Ecclesiæ. 55. 67. & seq. est dogma fidei. ibi. Potestas dispensandi: Alia *ordinaria*, alia *delegata*. 87. 268. Qui gaudeant potestate ordinaria dispensandi in legibus. 269. & seqq.

Præceptum. Ex se non ordinatur ad bonum commune sicut lex. 45. 1. Nec ex natura sua est perpetuum. 46. 3. Non est possibile præceptum esse justum, & quod subditi parere illi non teneantur. 56. 74. Nequit præcipi sub gravi res undequaque levis. 58. 84. Potest præcipi materia gravis sub levi. 85. Quædam præcepta, quæ non admittunt parvitatem materiæ. 59. 90. Sine libertate non impletur præceptum. 69. 152. Quæ præcepta implere possint eodem actu. 70. 155. & seq. Quæ eodem tempore. 158. Aliqua præcepta impleri valent actu vitiato. 71. 165. Præceptum ligat immediate personas, lex municipalis mediante loco. 77. 199.

Præcepta Decalogi decem. 146. 3. Ordo eorum. 5. Quæ primæ tabulæ, quæ secundæ. ibi. Omnia obligant in lege gratiæ. 147. 8. Sunt observatu facilia. 9. Tria vetant injurias Dei, septem vero injurias proximi. 512. 2.

Præceptum restituendi est affirmativum includens negativum. 416. 5.

Prælatus peccat graviter quoties munia, & leges sui officii scire negligit. 20. 127. Prælati religionum gaudent potestate ferendi leges. 56. 72. Potest Prælatus quandoque præcipere subditis etiam cum periculo vitæ. 167. 143. & seq. Prælati taciturnitas non semper est licentia, nec dispensatio. 86. 258. Prælati regulares possunt dispensare cum subditis in rebus levibus constitutionum. 89. 287.

Prælatus potest correctionis causa denegare subditis allocutionem pro aliquo tempore. 186. 62. Quamvis aliquantulum excedat in correptione, non tenemur veniam subditis petere. 188. 72. Hi semper tenentur petere humiliter veniam Prælatis offensis. ibi. Prælatus sit largus in eleemosyna facienda. 199. 137. Experientia miraculis testatur, quod tanto Deus abundantius dat Prælatis, quanto isti liberarius se gerunt cum religiosis, & pauperibus. ibi. Prælati regulares tenentur sub gravi corrigere defectus etiam leves subditorum. 204. 171. Quando debeant eos reprehendere palam suppresso nomine. 205. 175. Item tenentur corrigere ignorantes. 176. Numquam admittant fabellas, sed repellant fabellatores, ut pestis cœnobii. ibi. Non peccant graviter Prælati corrigendo alios in lethali. 208. 190. Odia in Prælatos specie differunt ab odio proximi, & sunt exprimenda in confessione. 212. 213. Non bene agunt Prælati, qui negligunt defendere jura monasterii prætextu pacis, vel ex alio mo-

motivo parum solido. 223. 277.
Prælatus valet irritare subditorum vota. 288. 119. Etiam Abbatissæ vota monialium. 120. Non valet Prælatus irritare vota Novitiorum; bene vero commutare, & dispensare. ibi. Omnia subditorum vota, præter reservata, potest Prælatus dispensare. 291. 138 Esse Prælatum malorum non honor, sed ignominia est. 223. 45. Confidentia melior subditi est demissio, & reverentia erga Prælatum. 514. 11. Prælati possunt, & sæpe debent aperire, & legere litteras, seu epistolas subditorum. 527. 83. Valent suspicari caute in bonum subditorum, ac si non essent boni. 530. 96. Quomodo debeant restituere eis honorem. 100. Prælatus sit pius, sed rectus. 534. 121. Debet superior inferiorem fovere in suo recto regimine. ibi. Ex remissione Prælatorum serpit relaxatio religionum. ibid. Pejores sunt in Prælato defectus officii, quam personales. 122. Quomodo debeat procedere per viam inquisitionis in causis regularium. 538. 142. Non tenetur in eorum proferendis sententiis observare apices juris. 146.
Præscriptio quid. 409. 85. Ejus conditiones. 86. Quando mala fides ei præjudicat. 410. 90. Pro utroque foro deservit. 93.
Præsumptio alia periculi, alia facti. 64. 120. Quomodo obligent leges fundatæ in præsumptione. 121. & seq.
Præsumptio timori opposita, quid. 175. 12. Ex suo genere est lethale. ibi. Est peccatum contra Spiritum sanctum. ibi.
Princeps potest condere leges. 54. 61. Eisdem tenetur quoad vim directivam. 72. 169. Valet eas abrogare. 82. 235. In eis dispensare sine causa valide, esto illicite, potest. 90. 294. Refelluntur objectiones in oppositum. 91. 295. Bellum indicere ex causa gravissima potest. 214. 224. Principum peccata circa bellum. 215. 232.
Princeps legittimus licet sit invasor injustus non est a quolibet occidendus. 451. 200. Non est fidelis subditus, qui pro vita sui Principis non exponit propriam vitam. ibi.
Probabilismus quid. 33. 68. Multum differt ab opinione probabili. ibi. Ignoratur ejus pater, & tempus sui ortus. ibi. Aliud est operari cum opinione probabili, aliud longe diversum operari juxta probabilismum. 69
Procuratores causarum quid agere teneantur. 545. 186.
Professio fidei obligat ex præcepto divino. 156. 53. Obligat diversis in casibus. 55. & seq. Atque etiam ex præcepto Ecclesiæ dum suscipitur aliqua institutio canonica, aut munus docendi. 157. 63.
Promissio quid, & quotuplex. 500. 219. Non obligat ante acceptationem. 220. Nec rebus notabiliter variatis. ibi. Nec de re illicita. ibi. Obligat ex fidelitate. 221.
Prudens. Adorans hostiam non consecratam a Sacerdote in Missa elevatam non est prudens positive, sed negative. 29. 43.
Prudentia quid. 108. 36. Nequit esse vera in peccatore. 38. Ejus divisio. 39. Rara avis in terra. 109. 44.
Pueri quando teneantur legibus. 75. 187. & seq. Regulariter non ligantur censuris ante pubertatem. 76. 190. Nisi ob percussionem Clerici. ibi. Nec pueri in monasteria monialium, nec puellæ in cœnobiis virorum introduci possunt. ibi. 192.
Pupillus quis dicatur. 288. 121. Possunt tutores irritare vota pupillorum. 289. 123. Obedientia, & honor debetur tutoribus a pupillis. 340. 51.
Purgatorium. Ejus existentia debet explicite credi. 152. 29. Quædam consuetudo apud nos juvandi animas purgatorii valde pia. 183. 42. Hæres debet solvere legata pro animabus relicta postposita sua gravi necessitate. 103. 103. Purgatorium carcer acerbior omni carcere hujus mundi. ibi. Animæ Purgatorii nequeunt orari, aut orare pro nobis per se ipsas. 236. 27. Orant pro nobis mediis Angelis. 237. 29. Quid de D. Paschasio. ibi. Hæretici pertinaciter negant Purgatorium. 238. 36. Est de fide orationes, & suffragia vivorum prodesse animabus purgatorii. ibi. Orare pro eis est melius, quam pro peccatoribus. 239. 38. Comprobatur exemplo notabili S. Ludovici Bertrandi. 40.

Devotio erga animas purgatorii utilis pro Dei pietate nobis inclinanda. 240. 43. Quando eruantur ab illo ergastulo animæ, quarum nullus recordatur. 46. Plures patiuntur piaculares flammas ultra viginti, & amplius annos. ibi.

Purificatoria, quæ Missæ deservierunt, saltem prima vice a Sacerdote, vel Diacono lavanda sunt. 249. 94.

Q

QUadragesima. Qui unico actu statuit violare jejunia totius Quadragesimæ plura peccata committit. 143. 157. Qui ad exemplum Christi vellet sine speciali Dei impulsu totam Quadragesimam absque cibo transigere, Deum tentaret. 261. 157.

Quarta trebellianica quid. 506. 246. A quo sic dicta, & ad quid instituta. ibid.

Quarta falcidia, quid. 511. 268. A Cajo Falcidio sancita, cur. ibi.

Quatuor sunt sensus sacræ Scripturæ. 5. 31. Quatuor notæ veræ Ecclesiæ. 7. 44. & seq.

Quatuor novissima sunt explicite credenda. 152. 29. Quatuor proprietates, seu effectus operis boni. 239. 41. & seq.

R

RAcha est interjectio significans convitium ortum ex ira. 122. 40.

Rapina, quid. 411. 96. Specie differt a furto, & est pejus illo. ibi.

Raptus, quid, & quotuplex. 382. 109. Ut species luxuriæ adest semper, ac fit violentia personæ ad libidinem. 110. Non requiritur adductio de loco ad locum. 111. Pœnæ contra raptores. 383. 115.

Rates denotat artem navalem. 327. 21.

Ratihabitio mera damni illati non obligat ad restitutionem. 432. 90. Si ex ratihabitione tua alter movetur ad malum inferendum, debes, si non impedis, restituere damnum. ibi.

Ratio significat dialecticam. 327. 21.

Reatus est condignitas ad pœnam luendam. 125. 59. Ex peccato gravi oritur reatus ad pœnam æternam. 60. Ex levi ad pœnam temporalem. ibi.

Rebellio, quid. 219. 251. Ejus causæ. ibi.

Regimen, aliud Monarchicum, aliud Aristocraticum, aliud Democraticum. 54. 63.

Regina hæres Regni gaudet potestate ferendi leges. 65.

Regula moralitatis duplex, lex, & conscientia. 20. 131. Quatuor regulæ pro deponenda conscientia dubia. 40. 109. Explicatur regula, *melior est conditio possidentis*. 112. & seq.

Regulares exempti solum tenentur legibus synodalibus in casibus jure expressis. 73. 175. Venerantur Episcopos, ut Patres, & Doctores Ecclesiæ. ibi. Non tenentur assistere Synodo. 177. Cur fuit eis concessa exemptio a statutis Synodalibus. 74. 179. Non utuntur sua exemptione cum aliorum offensione. ibi. Sunt membra ex nobilioribus Ecclesiæ. ibi. Nequeunt assistere taurorum agitationi 364. 122. Possunt ex licentia Prælati testamentarii institui. 487. 253. Quomodo procedere queant in causis judicialibus. 538. 142. Non tenentur observare apices juris in sententiis ferendis. ibi. 146.

Relator, quis. 545. 187. Ejus obligatio legendi fideliter causas in judicio. ibi.

Religio status. Religiones mendicantes approbantur, & laudantur ab Ecclesia. 202. 159. Bullæ Pontificiæ in earum favorem. 203. 160. Potest filius ingredi religionem etiam invitis parentibus, si eo non indigeant. 332. 6. Non tenetur egredi a religione ad eos alendos, nisi aliter perirent. 10.

Religio virtus. Quid sit religio. 231. 1. Ejus objectum. 2. Quotuplex sit religio. 232. 3. Requiritur superna revelatio pro agnoscenda vera religione. ibi. Non in qualibet potest quis salvari. ibi. Oppositum putare summa ignorantia est. ibi. Decem actus religionis. 6. Tres principales. 7. Quando obligent. 233. 8. Vitia religioni opposita. 250. 97.

Religiosus debet obedire suo Prælato etiam in dubio de honestate præcepti. 41. 119. Non licet religiosis, seclusa obedientia, aliorum defectus inquirere. 208. 189. Religiosi insufflatores defectuum aliorum tamquam pestis communitatis sunt abigendi. ibi. Peccatum carnale religiosi quando cedat in damnum

num commune. 210. 202. Religiosus tenetur ad orationem mentalem. 235. 35. Religiosus sine oratione est miles sine armis, corpus sine anima. 36. Vota religiosorum sine licentia Prælati sunt valida. 287. 112. Non tenetur religiosus professus exire a religione ad alendos parentes nisi in extrema sint necessitate. 332. 10. Religiosus, & servus non in omnibus sunt pares circa dominium. 341. 60. Religiosus nequit omittere jejunia, & asperitates religionis ex vano timore abbreviationis vitæ. 361. 102. Non vult religio religiosos diu viventes, sed bene viventes: nec debet religiosus attendere ad suam complexionem, sed ad suam professionem. ibi. Violatio voti solemnis debet exprimi clare in confessione etiam a religioso laico. 386. 135. Religiosus est mere usuarius, non usufructuarius. 400. 30. Religiosus in particulari nullius rei temporalis dominio est capax. 403. 51. Non potest habere peculium nisi ex necessitate. 404. 57. Nequeunt inire contractus sine licentia Prælati. 462. 24. Nec ludo exponere quidquam temporale. 497. 208. Multo minus ludo vetito. 498. 212. Potest ludere aliquas præces in ludo non vetito, & honesto. 213. Non potest quidquam donare sine licentia Prælati. 501. 225. Potest ex eadem licentia esse testamentarius. 508. 252. Apud nos requiritur licentia P. Generalis. ibid. Quid agendum religioso assistenti moribundo circa testamentum, & sepulturam. *Vide Monit. in fine.* Confidentia melior religiosi cum Prælato est demissio, & reverentia. 514. 11. Dicere religioso gravi, *mentiris*, est peccatum grave; non vero dicere ei *falleris*. ibi. Nequit esse testis sine licentia Prælati. 540. 158. Nec advocatus. 544. 174.

Reliquiæ sanctorum sunt adorandæ eadem adoratione, ac ipsi sancti. 248. 87. Pro cultu publico requiritur recognitio earum ab Episcopo facta: pro cultu privato sufficit certitudo moralis de vera reliquia. 89. Sacras reliquias furari, vel emere ab infidelibus licitum est. 90. Etiam eas publice exponere venerationi, ut fideles ex devotione moti conferant sponte eleemosynam. 249. 91. Vendere reliquias, aut alias res sacras est simonia. ibi. Solum ratione materiæ possunt vendi, aut emi a fidelibus. ibi.

Remedia contra Dæmones. 259. 142. Contra morbos. *Vid. Medicus.*

Remedium. Scrupulorum remedium præcipuum est obedientia. 43. 129.

Renuntiatio dispensationis duplex *tacita*, & *expressa*. 98. 344.

Represaliæ, quid. 216. 238. Quinque conditionibus licitæ. ibi.

Restitutio quid. 416. 1. Differt a solutione, & satisfactione. 2. Datur præceptum restituendi. 3. Est affirmativum, includens negativum. 5. Ejus radices. 417. 9. Solum oritur ex violatione justitiæ commutativæ. 418. 12. Quotuplex sit culpa eam inducens. 13. Solum in triplici casu debet fieri sine culpa. 15. Quid de dante operam rei illicitę, ex quâ sequitur damnum alterius. 419. 17. Quid de ignorante in casu. 18. Obligatio gravis restituendi non oritur ex culpa levi. 20. Nec ex culpa levi, aut levissima animo nocendi commissa. 420. 23. Qui perpetrat delictum animo alteri nocendi, debet ei restituere damna inde secuta. 28. Nec ex officio, nec ex contractu oritur obligatio restituendi, nisi ex culpa gravi theologica, & lata jurid ca. 421. 29. & seq. Culpa levis, aut levissima sumitur non absolute, sed respective. 33. Quid restituere debeat possessor bonæ fidei. 422. 36. & seq. Quid possessor malæ fidei. 423. 43. Quid possessor dubiæ fidei. 52. Quid de moneta falsa in contractu tradita, vel accepta. 427. 68. Quid de vendente rem alienam majori pretio. 428. 69. Sex differentiæ possessoris bonæ fidei, & malæ. 70. Quando impediens bonum alterius restituere teneatur. 71. Novem genera causarum ad restitutionem astricta. 429. 77. Suadens minus malum parato ad majus respectu ejusdem, non tenetur restituere. 430. 81. Quid de movente ad malum celerius exequendum. 431. 84. Quid de dubio sui influxus. 85. Quid de excitante alios suo exemplo. 87. Ex sola ratihabitatione mali nemo tenetur restitue-

re

re. 432. 90. Nec consilians, si omni modo possibili dissuasit consiliato. 93. Nec mandans, si revocatio mandati innotuit mandatario. 94. Quid de electoribus, & suffragantibus. 96. Quid de receptatoribus latronum, & aliorum malefactorum. 433. 100. & seq. Quid de participante. 102. Quid de causis negative concurrentibus. 434. 105. & seq. Confessarius, qui non imposuit onus restituendi non fit reus restitutionis, nisi positive illam dissuadeat. 435. 111. Accepta ob turpem causam, ea posita, valent retineri inspecto jure naturæ. 437. 123. & seq. Jure positivo quid. 439. 133. & seq. Quo loco, cujusve expensis debeat fieri restitutio. 136. Quid de faciente eam per ministrum reputatum fidelem. 440. 139. Cui debeat fieri. 441. 145. Quid, quando dominus rei furatæ ignoratur. 149 Quid, de solutione facta creditori tui creditoris. 442. 153. Differentia creditorum quotuplex. 443. 155. Ordo inter creditores servari debet. 156. & seq. Restitutio quo tempore sit facienda. 444. 162. Qui potens, non restituit, est in continuo peccato actuali. 445. 165. Quot peccata committat. 166. Causæ a restitutione excusantes. 446. 171. Nequit creditor uni ex debitoribus condonare cum præjudicio aliorum. 174. Cum detrimento bonorum superioris ordinis regulariter non adest obligatio restituendi bona inferiora. 447. 181.

Restitutio in integrum quid. 463. 32. Competit minoribus ætate. ibid. Aliis etiam conceditur. 464. 35.

Retractus gentilitius quid. 473. 82. An licitus. ibid.

Retrovenditio quid, & quotuplex. 472. 76. Aliquando licita. 77. Quatuor ejus conditiones. 78. & seq.

Reus. In dubio favendum est reo. 42. 123. Possessor semper est reus, cur. ibi. Minus malum est reum absolvere, quam innocentem damnare. ibi. Reus debet subire pœnas moderatas post sententiam judicis. 63. 115. Ad aliquas solvendas non tenetur regulariter nisi jubeatur. 116.

Reus legitime interrogatus a Judice debet respondere de plano. 542. 163. Peccat graviter crimen falsum metu tormenti sibi imponendo. 166. Nequit accusatori opponere delictum. 166. Nequit accusatori opponere delictum falsum. 168. A sententia justa nequit appellare, nisi in causa criminali. 169. Quando liceat ei e carcere fugere. 543. 170. Seclusa fraude potest sagaciter custodes decipere reus mortis. 171.

Revelatio in communi quid. 4. 23. Alia formalis, alia virtualis. ibi. Revelatio, quæ fit privatæ personæ, non est de fide, saltem pro aliis. ibi. Cui fit revelatio privata indiget *evidentia in attestante*, ut ei teneatur credere. 149. 5. Qui non crederet revelationi sibi certo a Deo factæ esset hæreticus. 165. 115. Cui fieret revelatio suæ damnationis, non posset sperare. 174. 9. Nec valet se ei conformare in volito materiali. 10. Talis revelatio non fit absolute, sed conditionate. 11. Revelatio divina necessaria est pro vera religione agnoscenda. 232. 3. Voltera, vel Voltaire, Rosseau, & alii, qui oppositum delirant, despiciendi sunt, ut vere ignorantes etiam in ethica naturali. 4.

Rex. In suo Regno gaudet potestate ferendi. leges. 54. 64. Etiam dispensandi in eis. 87. 269. Regibus Catholicis, & Portugaliæ quid indulserit Alexander VI. 162. 95. Reges Galliæ fertur gaudere gratia curationum. 257. 135. Regibus debetur peculiaris obedientia, reverentia, & honor. 339. 49. Nefas est horribile occidere Regem legittimum esto discolum, & in regimine tyrannum. 350. 37. Quid de extraneo invadente Regnum. 351. 39 & seq.

Rigoristæ, qui sic dicantur. 32. 61. Non licet traducere, ut rigoristas Authores sanæ doctrinæ. 524. 71.

Rixa, quid. 217. 241. oritur ex ira, & est peccatum ex genere suo grave. ibi.

Roma. Unde ortum, & cur dictum: *Dum fueris Romæ, Romano vivito more.* 77. 197. Romæ olim Sabbatum erat dies jejunii. ibi. Judæi habitant Romæ astricti audire semel in hebdomada doctrinam evangelicam. 162. 94. Sunt Romæ. 82. Parochiæ. 203. 164. Votum eundi Romam pro absolutione a censura nequit irritare pater filio. 188. 122.

Ro-

Rota. Unde ita vocetur sacra Congregatio Rotæ 48. 19. Ex quot judicibus constet. ibi. Decisiones Rotæ non obtinent vim legis. ibi.

Rudes, & rustici, sufficit eis authoritas Parochi, vel Confessarii pro regula operandi. 32. 60. Quomodo sint interrogandi, & instruendi circa mysteria fidei. 152. 25.

S

Sacerdos Græcus, & Latinus ubique debent celebrare ritu proprio. 77. 200. Sacerdotes præ aliis debent pollere notitia mysteriorum fidei. 153. 32. Sacerdos festinanter celebrans sibi nocet, ut aliis placeat. 183. 38. Angeli venerantur Sacerdotes. 245. 70. Sacerdos abutens Sacrificio Missæ ad sortilegia fit perpetuo inhabilis ad celebrandum. 261. 154.

Sacerdotes non nisi reverenter sunt nominandi præsertim in publico. 206. 183.

Sacerdos prævidens ex concursu populi ad sacrum graves rixas orituras debet aliquamdiu abstinere a sacro. 223. 272.

Sacramentum. Sacramenta mortuorum cum attritione supernaturali remittunt peccata. 132. 103. Etiam sacramenta vivorum cum eadem attritione existimata contritione. ibid.

Sacramentalia sunt septem. 133. 105. Solum remittunt venialia. ibi. Nec immediate, sed media detestatione. ibi.

Sacrilegium, quid. 263. 166. Actiones sacrilegæ in personam sacram. 169. In locum sacrum. 170. Omnis actio peccaminosa gravis contra quintum, sextum, & septimum præceptum facta in Ecclesia est grave sacrilegium. 171. Voti violatio ex se non est sacrilegium. 264. 174. Omissio sacramentorum debito tempore non est sacrilegium. 175. Sacrilegium in materia luxuriæ. 385. 131. Voto castitatis ligatus alios ad venerea inducens committit sacrilegium 386. 137.

Sagæ, seu lamiæ quæ. 260. 147.

Salmanticenses (P. P.) vindicantur in his, quæ bene docuerunt; ubi autem dormitaverunt, corriguntur. 91. 301.

Samson se occidit ex mandato Dei. 86. 264.

Sanguis apparens in Eucharistia debet adorari latria. 243. 58.

Sapientia. Theologia moralis est sapientia. 3. 19. Distincta ab ea, quæ est Donum Spiritus sancti. ibi. Sapientiæ donum explicatur. 114. 81. Residet in intellectu. ibi. Radix ejus est charitas. ibi. Ei respondent quinque fructus Spiritus sancti. ibi.

Sapor. Aliud est comedere cum sapore, aliud comedere propter saporem: illud licitum, hoc illicitum est. 119. 22.

Scalam ascendere tenetur reus damnatus ad suspendium. 358. 88.

Scandalum, quid. 219. 252. Quotuplex. 253. Potest reperiri activum sine passivo, & econtra. 220. 255. Est peccatum speciale contra charitatem. 256. Activum, & passivum non sunt proprie correlativa. 261. Quot malitias includat scandalum. 221. 262. Inducens ad peccatum veniale non peccat graviter. 264. Parato majus malum perpetrare, minus consulere licet. 222. 268. Quæ sint omittenda, vel non propter scandalum. 269. & seq. Quando adsit cooperatio ad peccatum scandali. 224. 280. Quando in ornatu muliebri adsit scandalum. 227. 295. Peccant fœminæ nuda pectora, & mamillas deferentes. 296. Quid de viris id, & alia vana eis permittentibus. 297. Quid de fœmina prævidente se turpiter aspiciendam. 228. 298. Pingens Imagenes obscenas gravis scandali reus est. 230. 306. Quid agere debeat, qui alium ad peccatum induxit, aut a bono retraxit. 231, 311.

Scientia. Theologica moralis est scientia. 2. 6. Est altior, certior, & utilior omnibus scientiis naturalibus. 3. 20.

Schisma, quid. 212. 217. Non est hæresis, sed parum distat ab ea. ibi. Pœnæ in schismaticos. 213. 218. Quid agendum fidelibus tempore schismatis. 219. An Papa possit esse schismaticus. 220.

Scriptura sacra. 4. 27. Ejus Author peculiaris est Deus. ibi. 20. Continetur in vulgata, seu Bibliis. 28. Septuaginta duo sunt libri Canonici veteris, & novi testamenti. ibi. Non omnia, quæ sunt in Breviario sunt scriptura Sa-

Sacra. 5. 29. Quid sit sensus sacræ Scripturæ. 30. Sunt quatuor. 31.

Scripta plus lædunt quam voces. 212. 216. Rejicitur nimia acrimonia in scriptis cujusdam junioris. ibi. Scripta D. Th. laudantur. ibi. Scripta modestiæ, & rationis sale condita placent prudentibus. ibi. Nemo gaudet facultate exibilandi piorum authorum scripta, nec ea verbis derisoriis, & contumeliosis refutandi. 524. 71.

Scrupulus, quid. 42. 125. Ejus causæ. 126. Duplex genus scrupulosorum. 43. 128. Eorum remedia. 129. & seq. Quid agendum Confessario scrupulosi. 131. Quid de scrupulis circa officium divinum. 133. Scrupuli aliquando afferunt animæ profectum. 45. 139. Quid dixerit Dominus de quadam anima scrupulis agitata. 139.

Secretum quotuplex. 525. 74. Causæ excusantes a secreti revelatione. 526. 77. & seq. Inquirere secretum alterius, aut per rimulas observare quid agatur in cubiculo, est illicitum. 80. Etiam epistolas alienas aperire, aut apertas sine consensu alterius legere. 527. 81. & seq. Causæ, ob quas queunt aperiri, & legere. 83.

Seditio quid. 219. 251. Ejus causæ. ibi. Contra Principem dicitur rebellio. ibi.

S. Sebastianus inclitus martyr alios confortavit pro martyrio fortiter subeundo. 157. 61.

Senatus dicitur congressus magnatum, qui æstimantur senes ætate, vel prudentia. 339. 50.

Seneca, describit ingratos eorumque gradus. 109. 48. Quid dixerit de turpitudine peccati. 145. 169. Agnovit imbecillitatem mentis nostræ ad cognoscenda spiritualia. 232. 3.

Senes, quantum sint honorandi. 344. 74. Pollent sapientia, & prudentia. ibi. Naturali instinctu ad adventum senis, juvenes assurgere debent. ibi. Non sunt corripiendi, sed obsecrandi. 524. 71. Sunt suspiciosi. 528. 90.

Sensus sacræ Stripturæ quid. 5. 30. Quatuor sunt. 31. Non omnes reperiuntur in quolibet textu sacro. 32. Sensus litteralis bene intellectus est perfectior spirituali. 33. Non in omni sacro textu adest sensus litteralis. 34. Ex sensu litterali proprio eruitur regula certa fidei, & morum. 35. Non semper ex sensu litterali improprio, aut spirituali. 36. Nec minus ex sensu accomodatitio. 6. 37.

Sententia. Judex ferendo sententiam juxta allegata, & probata legittime procedit. 347. 14. Cur sententia Pilati contra Christum injustissima fuerit. 348. 20. Nefas est prævenire occissionem accusatoris, testis, & Judicis a quibus imminet injusta sententia. 353. 51.

Severitas nimia omne animi levamen excludit. 112. 70. Opponitur eutrapeliæ. ibi.

Servitus. Duplex. 340. 52. Introducta quatuor titulis. 53. & seq. Obligatio servi erga dominum. 341. 55. Servi capti in bello possunt licite ad suos fugere. 57. & seq. Potest auferre a domino necessaria ad fugam licitam. ibid. Fuga non ad suos illicita est ei. 58. Quidquid acquirit, domino acquirit. 60. inscio domino nequit statum mutare, nec matrimonium contrahere. 342. 62.

Sibylla, quæ de Christo prænuntiavit, habuit lumen prophetiæ. 257. 135.

Signum. Gratiæ gratis datæ non sunt signa absoluta sanctitatis. 114. 80. Signa maleficii destruere licet. 259. 144. Signa veri energumeni quæ. 313. 22. Signa egressus Dæmonum ab eo. 321. 30.

Silentium, quid. 112. 71. Est virtutum universitas. ibi. Nemo loquetur bene, si non didicit silere. ibi. Indiscretum est silentium, dum quis loqui tenetur. 159. 81. Qui debens loqui silet, peccat, & restituere damna, quæ ex suo silentio obveniunt, tenetur. 436. 105. & seq. Sæpe est malum silentium reticere laudes alterius. 520. 50. Cum silentio impletur octavum Decalogi præceptum. 512. 2.

Sisamni corruptus Judex excoriatus. 536. 130.

Sobrietas, quid. 111. 65. Sobrius idem est, ac *servans briam*. 120. 26. Opponitur ei ebrietas. ibid.

Societatis contractus, quid. 487. 157. Sex ejus conditiones. ibid. 488. 158. Quomodo finiatur. 160. Quando licitus cum assecuratione lucri. 161.

Sodomia, quid. 393. 179. Cum complice

ce alterius sexus non est proprie talis. 182. Circumstantia agentis, vel patientis debet explicari in confessione. 184. Et etiam incestus cujuslibet. 394. 185. Pœnæ contra Sodomitas. 186. Mare mortuum operuit terram Sodomia infectam. ibi. In nocte natalis D. omnes Sodomitæ perierunt. ibi.

Solertia, quid. 108. 40. Est pars integralis prudentiæ. ibi. Sollicitus idem est, ac *solers*, & *citus*. ibi.

Solemnitas voti in quo consistat. 276. 58.

Somnia. Quatuor causæ somniorum. 253. 113. Per somnia immissa a Deo divinare licet. 114. Etiam aliquid naturale per naturalia. 115. Divinare futura libera per somnia illicitum. 116. Solent causari quædam somnia ex astutia Dœmonis ad incautos decipiendos. 254. 117. Quidam metus ortus a somniis laudabilis. ibid.

Sors, quid. 255. 122. Licita est divisoria. 123. Nisi in beneficiis ecclesiasticis. 124. Quid de divinatione per sortes, sive de sortilegio. 125. Ex Sacra pagina, Ecclesiæ oraculis, Doctorumque consiliis vult Deus, ut homo rimetur, quid sit agendum, potius quam per sortes, aut sortilegia. ibi.

Spes quid. 173. 1. Quotuplex. 2. Est in viatoribus fidelibus. 3. Datur præceptum spei. 4. Quando obligat. 5. Peccata contra spem. 174. 6. Desperatio quid. 7. Unde oriatur. 8. Cui fieret certa revelatio suæ damnationis, non tenetur, nec posset sperare. 9. Teneretur vero ad non desperandum positive, & ad alia præcepta. 10. Nemo potest se conformare Decreto suæ damnationis cum circumstantia desperationis, & aliis peccatis ei annexis. 11. Hæ revelationes non fiunt absolute, sed forte comminatorie, & conditionate. ibi.

Sponsio, quid. 499. 216. Quomodo licita. ibid. Non licet cum evidentia rei. ibid. Nec dum plures ad unam præbendam opponuntur, spondere cum unoquoque quod illam assequetur. ibi. Quædam sponsiones vetitæ. 217.

Statuta, & præcepta collegiorum, & universitatum obligant prout usu recepta. 62. 112.

Status. Electio status omnibus libera. 332. 6. Virginitas est præstantior statu matrimonii. 366. 10. Explicatio status, pœnitentis est necessaria in peccatis carnis. 386. 133. Secus si pœnitens a Confessario agnoscatur. 135.

Stipendium. Peccant Duces militum, si eis stipendia non solvant, aut subtrahant. 215. 233. Nequeunt judices executores exigere integrum diei stipendium a singulis debitoribus, dum eo die plures exequntur. 536. 131.

Stipulatio, quid. 500. 219. Omni contractui adjungi valet. ibi.

Studiositas, quid. 112. 69. Opponitur ei curiositas, seu appetitus inordinatus sciendi. ibi. Quinque modis potest curiositas evadere lethalis. ibi.

Stupidi cur soleant divinare præ aliis sana mente pollentibus. 255. 125.

Stuprum, quid. 381. 99. Adest etiam fœmina consentiente. 100. Exprimi debet in confessione. 104. Pœnæ hujus flagitii. 382. 106.

Stylus publici Scriptoris sit mitis. 212. 216. Non pipere conditus ut quidam ait. ibi.

Substitutio testamentaria, quid, & quotuplex. 506. 244. Vulgaris, & pupillaris qualis sit. ibid. Exemplaris. 245. Commissoria valet fieri in codicillo. 246.

Suicidium quotuplex. 358. 80. Directum graviter illicitum. 81. Oppositum est hæresis *CircumCellionum*. 82. Qui se occidunt, privari debent sepultura ecclesiastica. 83. Reprobantur ut suicidi Cato, Lucretia, & antiqui *Numantini*. 84. Solum ex mandato, vel impulsu Dei certo est licitum suicidium. 86. Laudantur Samson, & S. Apollonia. ibid.

Subditus non debet mandatum Prælati examinare, sed obedire. 41. 120. Facilius est subditos errare in examinando, quam Prælatos in præcipiendo. ibi. In dubio de potestate Prælati tenetur subditus obedire. 67. 138. Quando subditus teneatur obedire etiam cum periculo vitæ. 68. 147. Hæretici velint, nolint sunt subditi Pontificis. 73. 172. Clerici, & religiosi sunt generaliter fideliores subditi tuo Principi. 75. 185.

Superstitio quid, & quotuplex. 250. 98. Cultus superfluus non semper est gravis. 99. Quidam canendi modus in Ecclesiis est superstitio ibi. Jejunans die Dominica potest bene, vel male agere. 100. Consultius est non jejunare tali die. ibi.

Superbia quid. 118. 8. Ejus gradus, & filiæ. ibi. 10. & seq.

Surdus, & simul cœcus a nativitate nequit condere testamentum. 504. 236.

Suspicio, quid. 22. 6. Suspicio de hæresi, quid, & quotuplex. 170. 154. Suspicio mala de proximo non est lethalis. 529. 92. Nisi procedat ex pravo animo. 93.

Susurratio, quid. 518. 40. Aliquando licet dissolvere quorundam amicitiam. ibi.

Symbolum. Debemus scire, & credere mysteria Symboli. 152. 28. Symbolum sine Decalogo non salvat. ibi.

Synderesis, quid. 22. 1. Ejus actus est conscientia. ibi.

Synesis, quid. 108. 40. Est pars potentialis prudentiæ. ibi.

T

TAbellio unde dictus. 545. 183. Idem ac secretarius, & notarius pro causis ecclesiasticis. ibi. Officium nobile reputatur. 184. Nequit obiri ab initiatis in sacris. ibi. Qua scientia pollere debeat. ibi. Veritas, fidelitas, & alia in eo requisita. 185.

Tabernarii, caupones, aut vinitores nequeunt vendere vinum, quibus sciunt illud petere ad se inebriandos. 121. 31. Possunt in dubio. ibi. Ex metu mortis valent cuicumque illud vendere. 226. 288.

Tactus copulam præcedentes quando constituant unum peccatum cum illa. 145. 167. Quid de habitis post illam. ibi. Tactus, & oscula non sunt ex se illicita. 377. 76. Ex fine fiunt licita, vel illicita. 77. & seq. Habita ob delectationem, sive carnalem, sive sensibilem sunt peccata gravia. 378. 81. Etiam ob delectationem naturalem reputantur gravia in praxi. 82. Quid de conjugatis circa tactus in pudendis. 83. Fœmina advertens se tangi ab alio, debet se retrahere sub gravi. 84. Quid de timoratis, qui in quavis actione rebellionem carnis experiuntur. 379. 86. Perfricare pudenda brutorum solum ex necessitate valet excusari a gravi. 90.

Taurus. Cicuratio tauri, ut fertur, olim Salmanticæ usitata in die S. Marci est superstitiosa. 260. 152. Tauros agitare licitum in Hispania. 364. 120. Extra minime. 124.

Taxa. Juramentum de taxa servanda a Scribis, & aliis ministris justitiæ emissum observari debet. 313. 86. Tenentur restituere excessum. ibi. Minuant fastum, & sufficit salarium taxatum. ibi. Lex taxativa tritici obligat semper, nisi a Principe varietur, aut suspendatur. 478. 109. Advocati nequeunt exigere ultra taxam pro suo labore sub onere restituendi excessum. 544. 179. Idem de tabellionibus. ibi.

Temperantia, quid. 111. 63. Vitia ei opposita. ibi. Partes ejus integrales. 64. Ejusdem species. 65.

Templum. Non licet Catholicis ingredi hæreticorum templa ad fundendas preces cum eis. 159. 75. Mulieres pectora nuda inhoneste deferentes arceri debent a templis. 227. 295. Imago Dei Patris aptissime collocatur in templis. 247. 81. Quidam modus canendi plus histrionicus, quam devotus a templis relegandus. 250. 99.

Tempus requisitum ad inducendam consuetudinem. 100. 362. Prudentum arbitrio est metiendum. ibid. Ad præscriptionem. 410. 91. Debet esse continum. 92. Contra pupillos non datur præscriptio. 93.

Tentatio Dei quid. 261. 156. Tentatio in nobis quid. ibi. Provenit nobis a tribus animæ hostibus, qui sunt Dœmon, mundus, & caro. ibi. Tentatio Dei quotuplex. 157. Semper est lethalis. 262. 159. Intendens ferro candenti, aqua fervente, aut similibus suam innocentiam probare, tentat Deum. 160. Non differt specie tentatio Dei explicita ab implicita. 263. 165. Tentationem carnis valet quis pati absque culpa. 375. 64.

Theologia moralis est necessaria, 1. 1. Quid sit. 2. 5. Est scientia. 6. Non est en-

entitative supernaturalis. 8. Est practica, & speculativa. 11. & seq. Cur Doctores Hispani non agunt ex professo de Theologia Dogmatica. 3. 16. Omnis Theologia est una, sicut fides Theologica. 18. Est certior, ac excellentior, altior, & utilior omnibus scientiis naturalibus. 20. Ejus objectum formale *quod* est Deus. 4. 21. Fontes ex quibus deducit Theologia suas conclusiones sunt decem. 25. Non est facienda arbitraria Theologia moralis. 38. 8.

S. Theresia docet offensum debere reconciliari cum offensore in articulo mortis, neglectis vanis timoribus. 38. 100. Optime tradit legem clausuræ debere observari etiam cum periculo vitæ privatæ monialis. 69. 150. Habuit donum fortitudinis, quo in tenerrima ætate percita cæpit iter in Africam ad effundendum pro Christo suum virgineum sanguinem. 115. 84. Fuit magnanima, simulque humillima adeo, ut inter peccatores maximam se reputabat. 110. 56. Amoris divini accensa incendio quantocius optabat mori pro Deo videndo. 140. 145. Cupiebat se privari supernis Charismatibus, ut Deus ea Regibus donaret. 183. 40. Volebat charitatis victima pro bono aliorum differri sibi beatitudinem. ibi. 41. Ex peculiari gratia, & ferventi impulsu Deo placendi in omnibus vovit efficere, quidquid perfectius esse intelligeret. 275. 49. Refert, quod plus abigit Dæmones aqua benedicta, quam crux ipsa. 317. 9. Improbat deridere accuratius se mancipantes Deo, & virtutis exercitio. 519. 42.

Thesaurus, quid. 408. 81. jure naturæ est inventoris, sed positivo aliter disponitur. ibi. Emens agrum ubi est absconditus, fit dominus agri, & thesauri. ibi.

Testamentum quid, & quotuplex. 502. 229. Requisita ad clausum. 503. 232. Ad privilegiatum. 233. Testamentum in quo relinquuntur bona causis etiam piis, & nihil propinquis pauperibus impium. ibi. Qui testari possint. 504. 236. Testamentum potest revocari, & quomodo. 507. 247. Qui oppositum juravit potest valide, esto illicite illud revocare. 248. Quid de conjugibus simul condentibus testamentum. 249. Testamenti executor quotuplex. 508. 252. Quis institui possit. ibi. Non peccaret religiosus noster, si illud acceptaret sub conditione, *si Generalis consentiat.* 253. Obligatio testamentarii gravissima, præcipue circa Missas, & Suffragia quantocius celebranda. 254. Quibus debeat illas commendare. ibi. Confessario testamentarii quid agendum. 255.

Testimonium. Testimonia nostræ fidei sunt evidenter credibilia. 149. 7. Testimonium falsum quid. 512. 3. Quotuplex. 4. Non semper est grave extra judicium. 513. 6.

Testis, quid. 540. 157. Omni exceptione major quis. ibi. Qui repellantur a testificando. 158. Qui sint testes singulares. 541. 159. Qui contestes. ibi. Ad quæ sufficiat unicus testis. ibi. Interrogatus legittime debet respondere ad mentem judicis. 160. In criminalibus debet interrogari in præsentia judicis. 161. Necessario est interrogandus de ætate. ibid. Ad quid teneatur testis, qui veritatem celavit in judicio. 162.

Timor, quid. 175. 14. Est quadruplex. 15. Timor initialis bonus, filialis optimus. ibi. Etiam servilis est bonus. 16. Quamvis sit donum Spiritus sancti, non ex septem donis. 176. 20. Adest præceptum timendi Deum. 21. Quando obliget. 22.

Titulus quid. 410. 88. Requiritur ad præscriptionem. ibi. Sufficit coloratus. ibi. Plures gaudent titulo, quo privari deberent. 524. 69.

Thomas Angelicus inter Doctores computatur pro decem millibus ab Alexand. VII. 32. 59. Vox D. Thom. præ aliis meretur auscultari. 80. 219. Doctrina mirabilis D. Thomæ sine acrimonia piperis, aut salis, non frigida, sed Angelica est. 212. 216. Omnia ejus scripta charitatem redolent, mansuetudinem respirant, prudentiam præferunt, nativa majestate refulgent. ibi. Placet nobis doctrinæ talis Præceptoris, & S. August. nullo adjecto examine, libenter subscribere. 209. 301. Cur hæretici adeo horreant ejus Summam. 344. 73.

Thomas martyr quomodo occisus a Rege Angliæ. 431. 89.

Thomas Moro ab alio Rege Angliæ peremptus, quid de libidine dixerit. 367. 13.

Tobalia est species vestis usitatæ a Turcis, & Saracenis. 158. 72. Ejus usus non est protestatio sectæ illorum. 159. 74.

Torpor animi quid. 123. 49. Est parens somnolentiæ, otii, & pigritiæ. ibid. Torpor eorum, qui paucis sacrificiis pro se post mortem offerendis contenti, quasi secure decedunt. 240. 44. Hujus ignaviæ pœnitebunt, dum ei occurrere non valebunt. ibi.

Tortura, seu tormentum, omnia tormenta damnatorum non sufficiunt ad puniendum unum peccatum grave. 145. 168. Qui in tortura falsum dixit contra se, vel alios, debet se retractare. 542. 166. Qui sint immunes a tortura, & quare deberet eliminari. ibi. Si reus nihil sit confessus in tortura, absolvendus est. 167.

Traditio, quid, & quotuplex. 6. 38. & seq. Traditio divina, & apostolica ab Ecclesia observata, est firma regula ad fidem, & rectitudinem morum. 40. Etiam traditio ecclesiastica universalis. 41.

Trajanus, si verum est, eum fuisse ab averno erutum precibus D. Gregorii, fuit ex privilegio speciali factum. 238. 37.

Transactio quid. 497. 205. Non est sententia melior illa. ibi. Circa beneficia ecclesiastica est vetita. ibi.

Transcribere non est opus servile. 327. 24. Nec fit servile ex lucro. ibi. Quid de famulis transcribentibus. ibi.

Tributum. Leges præscribentes tributa, & vectigalia Principi solvenda obligant in conscientia. 62. 111.

Trinitatis mysterium debet credi explicite. 151. 17. Sine ejus fide explicita, nec per accidens potest quis salvari. 18.

Tumor mentis, quid. 122. 43. Est gravis ex genere suo, ut filius iræ, sed non semper. ibi.

Tumultus, quid. 219. 251. Ejus causæ. ibi.

Turca, si Catholicus interrogatus, an sit Turca, affirmaret, negaret fidem. 157. 66. Nisi loqueretur de patria. ibid. Ritus Turcici, & circumcisio, & nomina Mahometica prohibita sunt fidelibus. 158. 70. Turcæ, Saraceni, & similes habentes notitiam fidei, & non curantes illuminari peccant graviter ex ignorantia vincibili. 160. 88. Turcismus comprehenditur sub Paganismo. 161. 89. Potest quilibet Princeps Catholicus Turcam licite debellare tamquam usurpatorem imperii Christianorum. 163. 99.

Turpiloquium semper malum, quando grave. 376. 69. & seq. Quidam discursus, aut colloquia obscena graviter illicita. 71. Canere turpia vix a lethali excusatur. 72. Colloquia familiaria, esto honesta, cum fœminis vitanda. 74.

Tutum, opinio, *tuta*, *tutior*, & *minus tuta*, quid. 31. 54. Tutior a falsitate, & tutior a peccato, quid. 55. Non est idem opinionem esse tutiorem, ac probabiliorem. 32. 57. Qui dicantur *Tutioristæ*. 62. Eligere in omnibus partem tutiorem est onus supra humanam conditionem. 33. 67. Ex duobus malis necessariis tutius est minus eligere. 42. 123. Regulariter eo ipso, quod aliqua opinio sit vere probabilior, est tuta. 423. 41.

Tutor, qui. 343. 69. Ejus obligationes circa pupillos. ibid. Istorum honor debitus illi. ibi.

V

VAgi sunt, qui nullibi domicilium habent. 76. 193. Tenentur legibus locorum, per quæ transeunt. 194.

Valentiniano Imperatori, quid responderit S. Ambrosius renuens disputare de fide coram judice laico. 160. 84.

Vana gloria, quid. 118. 11. Ejus septem filiæ. ibi, & 12.

Vana observantia, quid. 256. 127. Est triplex. ibi. Varii casus superstitiosi. 128. & seq. Sunt reliquiæ superstitionis Gentilium. 132.

Vasa *sacra* adoranda sunt *latria*. 249. 92. A quibus tangi valeant. ibi. 93. & seq. Quomodo converti possint ad usus prophanos. 95.

Vectigalia solvi debent in conscientia. 62. 111. Custodes, quorum oscitantia non sol-

solvuntur vectigalia, gabellæ, aut tributa peccant graviter, & restituere tenentur. 435. 109.

Venditio, quid. 464. 36. Quando perficitur substantialiter. 38. Cui debeatur res duobus successive vendita. 465. 40. Cui pereat res vendita, nondum tradita. 42. Cui competant fructus medii temporis. 466. 44. Pacisci, ut venditor fruatur fructibus, donec emptor solvat est usura palliata. 47. Cujus sint fructus, dum venditio dissolvitur. 49. & seq. Qui possint vendere. 467. 52. Quæ res valeant vendi. 54. Venditio rei alienæ non transfert ejus dominium. 468. 56. An liceat vendere res, quæ ad malum usum ordinari possunt. 57. & seq. Probabilismus non est materia vendibilis. 59. Commissarius venditoris quomodo se gerere debeat. 473. 86. & seq. Vendens ultra pretium supremum, violator est justitiæ. 475. 93. In subhastatione publica quomodo res vendi possint. 476. 98. Potest vendere res notabiliter meliores majori pretio. 477. 108. Valet tritico valde excellenti miscere aliqua grana deteriora. ibi. Vino etiam fortiori aliud debile. ibi. Non vero aquam. ibi. Tenetur manifestare defectus substantiales rei occultos. 479. 119. Ex necessitate licet vendere *quid pro quo*. 480. 123.

Vena metallica, aurea, vel argentea competit jure naturæ inventori. 408. 81. Quid jure positivo. ibi.

Venatio quomodo prohibita, aut licita. 405. 65. Quomodo possit Princeps eam prohibere. 406. 66. Venatio clamorosa est vetita religiosis, clericis, & Episcopis. 68.

Venenum. Non potest Judex præcipere reo sumere suis manibus venenum, nec ad id tenetur, nec facere valet. 358. 88. Nequit sumi venenum, ad experiendam theriacæ virtutem. ibi. 89. An possit licite vendi venenum. 468. 57.

Verbum Scriptura sacra est verbum Dei. 4. 27. Divinare ex verbis hominis casualiter prolatis illicitum. 251. 104.

Moderni materialistæ speciosis verbis incautos fallunt. 344. 71. Verba turpia semper mala. 376. 69. Quando lethalia. 70. Reprobatur quidam conversandi modus. 71. Verba familiaria cum fœminis vitanda. 74. Etiam cum honestis. 377. 75. Contractus qui solis verbis perficiuntur. 455. 5. Fallacis consistit in verbis. 456. 10. Verbis injuriosis nullus est docendus. 524. 71.

Verecundia, quid. 111. 64. Est pars integralis temperantiæ. ibi.

Veritas, quid. 109. 49. Sine veritate nihil bonum. ibi. Veritas doctrinæ falsum docendo ex nulla causa omitti licet. 222. 270. In quo consistat veritas juramenti. 300. 14. & seqq. quando defectus secundæ veritatis sit gravis in juramento promissorio. 304. 32. & seq. Circa veritatem formalem non differt juramentum promissorium ab assertorio. 305. 39. & seq. Veritas debet etiam observari in juramento comminatorio. 42. Veritas est valde necessaria ad pacem, & convictum hominum. 500. 222. Est vasis omnis contractus. ibi.

Vestes. Earum fastus, & luxus est illicitus. 227. 296. Quæ vestes congruant clericis. ibi. Vestes, quæ vendi possunt meretricibus. 229. 302.

Vestes infidelium sunt consideranda in triplici differentia. 158. 72. Quando liceat Catholicis uti vestibus infidelium. ibi. & seq.

Vetula. Cur fœminæ vetulæ præ aliis fiant sagæ, aut lamiæ. 260. 148.

Vestes profanæ mutata forma ad sacros usus converti valent. 250. 96.

Vetus. Lex vetus, quid. 46. 6. Continebat præcepta *moralia*, *cæremonialia*, *& judicialia*. ibi. Legalia, vel cæremonialia desierunt in morte Christi. ibi. Veteris legis cæremoniæ, & ritus licet in morte Christi fuere mortui, non tamen erant mortiferi usque ad promulgationem Evangelii sufficientem. 158. 70. D. Paulus exercuit in utilitatem Judæorum ritus, & cæremonias eorum. ibi.

Vidua, amittit legatum relictum fœminis sub conditione non nubendi, si nubat. 509. 260. Non est tradendum tale legatum viduis, nisi præstent cautionem *Mutianam*. ibi. Quid hæc cautio. ibi.

Vindicta est virtus. 109. 50. Differt a justitia vindicativa. ibi. Opponuntur ei crudelitas, & sævitia. ibi.

Vindicta potest exigi ab offenso coram judice recta intentione. 189. 77.

Virginitas quid. 565. 4. Tria ad eam requisita. ibi. Triplex virginitas. 5. Est virtus distincta a castitate. 366. 6. Non requirit precise votum. 9. Est excellentior statu matrimonii. 10. & seq. Plures fœminæ virgines, quam viri. 367. 16. Quot modis amittatur virginitas. 17. An virgo reputata possit accipere velum virginitatis. 368. 21. Et esse Prælata virginum. ibi. Quando amittatur virginitas reparabiliter. 22.

Virgo. Virginis defloratio etiam ipsa volente est stuprum. 381. 100. Virgo non est domina, sed custos suæ virginitatis. 103. Debet in confessione exprimi ejus amissio, & ablatio. 104.

Virtus. Unde dicatur. 102. 1. Quid sit. 2. Quotuplex. 103. 5. & seq. *Mediocritas, & connexio* sunt virtutum proprietates. 104. 11. Omnis virtus moralis consistit in medio. 12. Omnis virtus est juxta naturam hominis. 105. 16. Adsunt virtutes per se infusæ distinctæ ab acquisitis. 19. Virtutes in statu perfecto sunt connexæ inter se, & cum gratia. 106. 22. & seq. Nulla virtus perfecta fuit in gentibus. ibi. Virtus hæroica in quo differat a communi. ibi. Virtutes supernaturales præstantiores sunt naturalibus. 26. Intellectuales sunt moralibus nobiliores. 27. Silentium est universitas virtutis. 112. 71. Si pulchritudo virtutis videretur, abriperet post se corda hominum. 117. 98.

Vita. Lex non obligat regulariter cum periculo vitæ. 67. 142. Aliquando obligat etiam cum periculo vitæ. 143. Vita est supra omnia temporalia, ejusque privatio malum irreparabile. 353. 53. Vitam aliquantulum abbreviare moderatis pœnitentiis licitum est. 361. 102. Per observationem jejuniorum Ecclesiæ nullus amisit vitam. ibi. Crapula, non abstinentia nocet vitæ. ibi. Aliquid est restituendum pro vita homini ablata. 451. 203. & seq.

Vitium unde dicatur. 117. 1. Quid sit. 2. Opponitur contrarie *directe* virtuti acquisitæ, & *indirecte* infusæ. 3. Est contra naturam hominis. 118. 5. Dicitur capitale illud, a quo alia oriuntur. 7. Comprehenduntur vitia capitalia in hac dictione *saligia*. ibi. Explicantur. 8. Violentia, quid. 15. 102. Voluntas nequit eam pati in suis actibus. 16. 103. Non sunt credendæ quædam fœminæ dicentes se a Dæmone ad inhonesta coactas fuisse. ibi. Non permittit Deus Dæmoni talia facere ad purificandas animas. 320. 25.

Voluntarium, quid, & quotuplex. 14. 97. Est essentiale requisitum ad moralitatem. 15. 98. Non est idem ac liberum. 100. Per liberum actum melius, quam per voluntarium secernitur homo a brutis. ibi.

Voluntas, nequit pati violentiam in suis actibus. 16. 103. Voluntas Adami continebat ex pacto Dei voluntates posterorum. 127. 73. Positive resistere debet motibus pravis concupiscentiæ. 137. 126. Quando dicatur consentire in effectus illicitos. 138. 130.

Votum, quid. 267. 2. Deliberatio ad illud. 4. & seq. Non sufficit propositum. 268. 9. Votum de re bona sine animo vovendi est veniale. 269. 17. Soli Deo fit votum. 18. Voti materia opera præcepti, & consilii. 270. 19. Quid intelligatur per ly *de meliori bono*. 21. Quid de voto contrahendi matrimonium. 271. 24. Quid de eo in remedium concupiscentiæ. 28. Quid de voto opposito. 29. Quid de voto non vovendi. 272. 31. Quid de non petenda dispensatione. 32. Quid de jejunando die Dominica. 273. 42. Quid de re bona ob pravum finem. 43. Votum de re mala etiam levi est grave peccatum. 274. 47. De numquam graviter peccandi est validum, de numquam peccandi leviter, est nullum. 275. 49. Quid de voto non ludendi. 50. & seq.

Voti divisio. 276. 56. Melius est, quod fit cum illo, quam sine illo. 277. 62. Major obligatio est voti, quam juramenti. 64. Materia gravis potest voveri sub levi. 278. 66. Non econtra. 70. Omittere eodem die plures materias partiales leves ex diversis votis, non est lethale. 279. 72. Obligatio voti non transit ad alios. 74. Apponens rem promissam immemor voti, illud adimplet. 280. 77. Votum debet quantocius adimpleri. 281. 82. Quid de voto indeterminato. 86. Vovens abstinere a vino, non tenetur abstinere a cervisia, nec sicera. 282. 88. Quid de voto re-

ligionis indeterminatæ. 89.

Dubius de voto tenetur ad illud. 283. 91. Quid de voto ex errore, aut dolo emisso. 93. Quid de facto ex metu. 284. 98. Quid de conditionato. 100. & seq. Quid de pœnali. 286. 106. & seq. Qui vota emittere possint. 110. & seq. Qui ea irritare valeant. 287. 114. Irritatio sine causa valida est. 116. In quo consistat dispensatio voti. 290. 131. Qui possint vota dispensare. 132. Dispensatio voti sine causa est nulla. 291. 136. Causæ pro dispensatione. 137. Quot sint vota Papæ reservata. 292. 141. Quando sunt reservata. 293. 144.

Commutatio voti, & a quo fieri possit. 294. 152. Nemo propria anthoritate valet commutare vota inevidenter æquale. 154. Exempla pro commutatione recte facienda. 295. 157. Quomodo fieri debeat in vi Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi. 159. & seq. Intra confessionem est facienda. 296. 161. Acceptata commutatione nequit quis redire ad priorem materiam. 162. Quando, & quomodo cesset obligatio voti. 163. & seq.

Usura quid. 481. 128. Quotuplex. 129. Omni jure est illicita, & reprobata. 482. 130. Quid de pecunia accepta solum ad ostentationem. 133. Datur in ea parvitas materiæ. 134. Mentalis quotuplex. 135. Exigere etiam a divite quidquam supra sortem est usura formalis. 483. 138.

Usurarius non acquirit dominium rei per usuras acceptæ. 490. 169. Tenetur eam restituere cum melioramentis. 170. & seq. Non fructus, seu lucra puræ industriæ. 172. Quando cooperantes ad usuras restituere teneantur. 174. Pœnæ contra usurarios. 491. 176.

Usufructus, quid sit. 400. 28. Duplex, *legalis*, & *conventionalis*. 29.

Usus nudus, quid. ibi. 30. In quo differat ab usufructu. ibi. Religiosi solum habent in particulari usum nudum verum. ibi. Etiam in rebus, quæ unico actu consumantur, separatur dominium ab usu. 31. Usus irrevocabilis est inseparabilis a dominio in præfatis rebus. ibi. Usu capio. Vide *Præscriptio*.

Uxor in amore intensivo proximi præferenda est omnibus a marito. 182. 32. Quid in amore effectivo. 34. Quæ vota mariti valeat irritare. 189. 128. Quorum bonorum dominio gaudeat uxor. 404. 58. Quando peccet accipiendo clam aliquid de bonis mariti. 415. 115. Septem casus in quibus id facere valet. 117. Ad quid astringatur suscepta prole adulterina. 456. 229. Quando teneatur suum crimen detegere. 457. 232.

Waldenses, & Manichæi finxerunt illicitum occidere homines, etiam malefactores. 345. 2.

Wicleph hæretice putat Principes lethali inquinatos non esse obediendos, nec honorandos. 462. 40. Somniavit sententiam judicis existentis in lethali esse nullam. 534. 123.

X

Xenia. Nequeunt accipi a judice, aut ab aliis ministris justitiæ. 535. 125. Neque ab Episcopis in sua visitatione. 127. Cui debeant restitui sic accepta. 128. Qui ea donant judicibus, aut justitiæ ministris peccant graviter, 129. Advocatis vetitum est xenia accipere. 545. 185. Etiam aliis curialibus. 187. & seq.

Z

Zahories, quidam Hispane sic vocari dicentes se videre occulta in visceribus terræ sunt superstitiosi. 253. 112. Solum valent cognoscere naturaliter metalla, & similia ex vaporibus, vel aliis signis. ibi.

Zelator designatur apud nos singulis hebdomadis, ut advertat in publico defectus leves religiosorum. 207. 188. Congruit designari aliquando viros integros, ut sint zelatores defectuum etiam gravium, si in aliquo ptævidentur. 189. Non admittant Prælati ad hoc negotium eos, qui se ingerunt, nec audiant fabellas eorum, sed tantum dictos zelatores integritate, & virtute præditos. ibi. Zelo Dei punivit Eliseus pueros irrisores. 344. 75.

Zosimus Papa, & Innocentius damnavere Pelagium, & ejus errores. 8. 52.

FEE DE ERRATAS.

Pag.	Num.	Lin.	Errata.	Correctio.
Prolog.	000	ult.	limitatum.	limatum.
006	038	05	divinum.	divinam.
042	122	03	edimplere.	adimplere.
051	038	12	prȩcepte.	prȩcepto.
057	079	06	jubet.	jubent.
060	98	16	comptemtur.	contemptus.
109	043	13	solicite.	soliciti.
160	084	14	comparante.	comparere.
177	022	19	scelere.	scelera.
208	189	25	incident.	indicent.
221	266	01	verrum.	verum.
229	304	13	exposisȩ.	expositæ.
276	056	07	charitas.	charitatis.
282	088	14	audiendis.	audiendus.
299	006	27	quia.	qui.
328	029	05	spiritualia.	spirituali.
330	037	09	commodo.	commode.
333	013	19	seria.	serio.
335	023	14	se.	de.
343	068	32	procedunt.	procedant.
380	096	02	veniale.	venialis.
396	004	16	reales.	realis.
422	038	11	donis.	bonis.
514	011	18	sergo.	sermo.
523	060	24	colligi.	Collegii.
536	131	10	executionem.	executionum.

21 I
Ed.

COMEN

Schul

I

1791

G-E 635